Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro viuis, & defunctis: atque in Sanctissimo Sess. 22. c. 2. & Can. 1.

Eucharistiæ Sacramento esse verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, vna cum anima, & diuinitate Domini Nostri Iesu Christi, fierique conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini, in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesiam transubstantiatione appellat.

Sess. 13. c. 3. & sess. 21. c. 3. & Can. 3. Conc. Trid.

Fateor etiam sub altera tantum specie, totum atque integrũ Christum, verumque sacramentum sumi.

Sess. 22. ca. 2. & Can. 3. Sess. 22. decret. de purg.

Constanter teneo purgatorum esse, animasque ibi detentas fidelium suffragijs iuuari, similiter, & sanctos vna cum Christo regnantes, venerandos, atque inuocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias esse venerandas.

Ead. sess. 25. c. de inuocatio. ven. & reliq.

Firmissimè assero, imagines Christi, ac Deiparæ semper virginis, necnon aliorum sanctorum habendas, & retinendas esse: atque eis debitum honorem, ac venerationem impertiendam.

Ead. sess. Decret. de Indulgentiis.

Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictam fuisse, illarumque vsum Christiano populo maximè salutarem esse, affirmo.

Sess. 22. ca. 8. sess. 25. De delectu ciborũ.

Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiã omnium Ecclesiarum matrem, & magistram agnosco: Romanoq. Pontifici, Beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro.

Sess. 25. ca. 2. de refor. Ead. sess. de rec. & obser.

Cætera item omnia a Sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à Sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascunque ab Ecclesia damnatas, reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo.

Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integrã, & inuiolatam, vsque ad extremum vitæ Spiritum, constantissimè, Deo iuuante, retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, Ego idem. N. spondeo, voueo, ac iuro: Sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei euangelia.

Cætera, quæ huic titulo desunt, ex ordine Conciliorum Prouincialium, videantur in titulis: De Hereticis. De officio Sanctæ Inquisitionis. De Iudæis. De Cingaris. De editione, & vsu Sacrorum librorum. De ludimagistris, quos titulos, & multos alios partiri visum fuit, vt facilius Conciliares materiæ reperirentur.

De Hæreticis, Hæresisve nomine suspectis.

SVMMARIVM.

1 *Parochorum cura in hæreticis inquirendis.*
2 *Inquirendoque de dictis, & factis eorum, qui ex hæreticorum finibus veniunt.*
3 *Edicti contra hæreticos promulgatio quotannis.*
4 *Principum studium in tollenda hæreticorum consuetudine.*
5 *In hæreticorum locis catholici non instituendi.*
6 *Nisi vigesimumquintum annum agant.*
7 *Ad hæreticorum loca accedat nullus absque licentia.*
8 *Licentia ipsa ab Episcopo, uel Inquisitore concedenda, & quomodo.*
9 *Hæreticorum propè fines habitantibus possit parochus talem facultatem impartiri, & qualiter.*
10 *In hæreticorum loca migrandi gratia, ibique domicilium constituendi nemo bona sua alienare possit.*
11 *Contra suspectum huius rei, ut procedatur.*
12 *Principes non permittant milites hæreticos ad suas ditiones uenire.*
13 *Episcopi officium, vbi illi diuerterint.*
14 *Hæreticis cibos vetitos subministrans diebus prohibitis, excommunicatus.*
15 *Hæresis labe infecti proficiscentes ex finibus hæreticorum, eove nomine suspectorum, an, & quomodo recipiendi. 16.*
17 *Recipiens Episcopo, vel Inquisitori, aut parocho, si in diœcesim venerint, denunciet.*
18 *Ab ecclesiasticis non excipiendi.*
19 *Neque admittendi in Ecclesia, tempore concionis excepto.*
20 *Episcopi quale studium in hæresi profliganda.*

1 PAROCHI diligenter animaduertant an in suis parochijs vllus sit, quod ad fidem attinet, prauis opinionibus imbutus, vel eo nomine suspectus; eumq; ad Episcopum, vel Inquisitorem deferant. Moneant prætereà populum debere omnes, si quos nouerint aliquid fecisse, vel dixisse, quamobrem de huiusmodi peccato in probabilem suspicionem venerint, statim deferre. Primum de prof. fid. &c. §. eo.

2 Obseruent etiam eos, qui ex finibus hæreticorum, uel hæresis nomine suspectorum veniunt singulorumque dicta, & facta odorentur: ac de eorum vitæ consuetudine, & ratione cognoscant. Et si qua de ijs

suspicio fuerit, Episcopum, vel Inquisitorem admoneant.

2. Quę ad fi. tuē. &c. parag. eo.

3 Episcopus edicto quotannis publicè proposito, omnes, & singulos suæ Diœcesis homines, etiam quauis dignitate, gradu, honoreve præditos, moneat, eisdemq; in virtute sanctæ obedientiæ, ac pœna ex communicationis latæ sententiæ proposita, id iubeat, vt si eorum quispiam iam scit cuiusuis sectę hęreticos homines, eove nomine suspectos, aut infames, aut quouis modo à fide catholica aberrantes; aut qui verba hęreticalia protulerint, aut qui hęreticorum libros, scriptave, quæ quouis modo auctoritate sedis Apostolicæ prohibita sunt, legunt, vel apud se habent, decem ad summam diebus post edicti promulgationem; Si uerò in posterum sciet, decem diebus postquam id norit, illos omnes, & singulos, vel ipsi Episcopo, uel hęreticæ prauitatis Inquisitori denunciet.

Parochis autem suis iubeat, ut edictum eiusmodi in singulos annos semel Quadragesimæ initio, iterum ineunte Domini Aduentu, publicè in sua quisque parochia, cùm in Missa frequentior populus adest, de scripto ipsi pronuncient, & promulgent.

Primum de prof. fid. &c. parag. eo.

4 Principes verò, & Ciuitatum Magistratus hortamur, ac per viscera misericordię Christi Domini obtestamur, vt cœleste lucrū terrenis commodis prę ferentes, commercium, & consuetudinem hęreticorum, quàm fidelibus pernicioſam, ac pestiferam esse constat, pro sua pietate, ac studio religionis è suis vrbibus, atque oppidis amouendam, ac tollendam curent.

5 Prohibeantq; nè suæ ditionis homines, percipiendę etiam linguę causa, aut mercaturæ, aliove nomine, in hęreticorum locis instituātur, aut commorentur. Quod sequitur, vide infrà de Inquisitoris Officio, numero 15. & 16.

6. Quæ ad fi. tuē. pt. parag. eo.

6 Nemini ad hęreticorum fines, locave, nè discendæ etiam mercaturæ causa, mittere filios liceat, qui annum saltem vigesimum quintum non agant.

3. Quæ ad fi. tuen. stud. pt. parag. eo.

7 Profecturus aliquis ad ea loca, vbi etsi catholico etiam more à multis uiuitur, impunè tamen, & publicè ab alijs prędicatur, aut creditur, quod à Romanę Ecclesię doctrina, & fide alienum est, profectionis scriptam facultatem ab suo parocho, vel ab eo, quem Episcopus constituerit, antè impetret, quàm abeat. Quibus facultatis litteris caueatur, vt & reuersionis tempore, etsi diutius illis in locis fuerit, singulis annis testatum faciat, se catholico more, & vixisse, & viuere, vtque id testimonium scriptum sit ab illius loci, vbi fuerit, Episcopo, aut parocho, si ibi parochus est, aut à catholicis viris, probatis hominibus, illorum locorum incolis. Hocque is, cui eò proficisci concessum erit, præstet omninò.

8 Ne

8 Ne cuiquam item, ut alio Concilio cautum est, ad hæreticorum loca proficiſci liceat; niſi primùm ab Epiſcopo, aut Inquiſitore eius rei facultatem impetrarit. Atque hæc quidem facultas ne cuiquàm permittatur, deturve, niſi à parocho teſtimonium ſcriptum attulerit, ſe more catholico uixiſſe, ſanctaque ſacramenta frequentaſſe: hac præterea adiecta conditione, vt ſi cui facultas permittitur diutius illic commorandi, is quotannis ſemel ſaltem inde redeat, ut, & confiteatur, & ſanctiſſimam Euchariſtiam ſumat: aut teſtimonij litteras mittat, quibus legitimè teſtatum fiat, ſe confeſſum, conſtituto tempore ſacram Euchariſtiam ſumpſiſſe, catholicèq; fidei congruenter vixiſſe. 6. Quæ ad ſi. tuē. pt. parag. eo.

9 Qui verò propè hæreticorum loca habitant, ijs à parocho eam facultatem dari licebit ad breue ſanè tempus: ita tamen, vt cùm is exiguum illud breuis moræ ſpatium certum proficiſcenti præſcribat, tùm illam præterea conditionem, ne die feſto illic opus faciat; nec uerò mercaturam ullo modo exerceat, aliaue agat, quæ ſacro feſto die agi, fieri, exercerive prohibitum eſt. Immò feſto eo ſaltem die, domum omninò redeat, & Miſſæ, Veſperis, Doctrinæque Chriſtianæ ſcholis interſit.

10 Nec uerò cuiquam fas ſit, patrimonium, bonaq; ſua uendere, alienareve, ut in hæreticorum loca migret, ibiq; domicilium conſtituat.

11 Si quis in huius rei ſuſpicionem uenerit, contrà eum agatur ad Canonum, Pontificiarumq; ſanctionum præſcriptum.

12 Huius Prouinciæ, Principes, & Magiſtratus, pro fidei Catholicæ tuendæ officio, proq; pietatis ſuæ ſtudio ſperandum eſt, id numquam permiſſuros eſſe, vt in has regiones, eorum ditioni ſubiectas, nè ad diuerſandū quidē itineris gratia, milites, à Catholicæ Romanæ Eccleſiæ fide diſſidentes, veniant, cùm certum, atque planè exploratum ſit, nulla alia re Deum grauius offendi nullaque ad vehementiorem iram, quam hæreſum labe prouocari; nihilq; rurſus ad Prouinciarum, Regnorumque interitum maiores vires habere, quàm teterrimam illam peſtem. Verùm, ſi quando acciderit, quòd Deus prohibeat, in eam curam toto animo, omnique ſtudij paſtoralis contentione Epiſcopus incumbat, atque adeò elaboret omni ope, vt nè eius morbi contagione oues, Chriſti ſanguine redemptæ, ſuæque fidei commiſſæ ullo modo inficiantur. 5. Quæ ad ſi. tuē. ſtu. pert. parag. eo.

13 Itaque ad Diœceſis ſuæ loca, vbi peſtiferos illos homines diuerſari contigerit, ſe in primis ipſe conferat; populum fidelem, etiam atq; etiam diligenter moneat, vt ne eorum mores vſquàm attendat; nè verbis mentem, auresve adhibeat; nè cum eiſdem ullo modo verſetur; nè carnis licentiam, & liberam, & falſam viuendi ſecuritatem exemplo illorum conſectetur; ſed in orthodoxa fide, & charitate Chriſti Domi

ni cum

ni cum timore, & tremore perseuerans, in Sanctæ Romanæ Catholicæ Ecclesiæ vnitate,& obedientiæ studio, in catholicæque pietatis officijs sese contineat.

Parochis verò leges prętereà præscribat, quas in tanto discrimine omninò sequantur.

Atque in ijs quidem hæ sint.

Ne eos mortuos sacris locis in sepulturam tradant.

Vt animaduertant prætereà, si fieri potest, non modo singulis horis, sed singulis etiam momentis,quid ab illis agatur, quid cogitetur, quid struatur in ijs,quę ad fidem pertinent, longè prospiciant Sathanæ insidias,& conatum omnem,quantum in se est, sedulò reprimant.

Vt uideant,nè quicquam uel minimum, unde labes aliqua existere possit, sensim latius dimanet. Quamobrem de quotidiano huius rei statu Episcopum certiorem faciant quàm diligentissimè.

Nec verò ea omni diligentia contentus Episcopus, desistat alia subsidia ad tuendum gregem comparare. Proinde cum alios religiosos, prudentesque viros, ad rem omnem inquirendam mittat, tùm acres etiam,piosq; Concionatores ad causam communem adiuuandam.

A Magistratibus etiam,& Principibus,in re, quæ non religioni solum,sed vniuerso Prouinciæ Statui periculum certissimum afferre potest,omnem opem,atque auxilium imploret, vt expedire censuerit.

14 Excommunicationis verò pœnam,præter alias, quæ summorum Pontificum, Canonumve sanctionibus expressè sunt, ipso facto subeundam proponat, atque edicat ijs, qui ittiusmodi impijs hominibus cibos vetitos vendiderint, aliove modo subministrauerint,quibus diebus minimè liceat illis vesci. Agat verò contrà illos, qui non paruerint,ad iuris,edictique promulgati præscriptum. Omnem denique aliam rationem,quæ potissima sibi videbitur,opportunè ineat ad eam pestem propulsandam. Et verò id,quod caput est, in tanto salutis periculo,assiduis precibus, omnique supplicatione ad Deum confugiat, vt gregem sibi in curam traditum,ab omni hæresum fęditate integrũ inuiolatumque custodiat,& conseruet perpetuò.

6. Quæ ad fi. tuẽ. pt. §. co. 15 De commercio hæreticorum, quàm diligentissimè cauendo, nos pro nostri officij munere, superioribus Concilijs Decreta aliqua confecimus,atque edidimus: quibus etiam ex Sanctissimi D. N. Gregorij Papæ XIII. iussione,& prescripto,hæc quò diligentior porrò cautio in eo genere adhibeatur,adiungenda censuimus.

16 Optandum est,omnique pastorali studio,atque officio id valdè curandum,ut quem hæresis labe infectum esse constet,nemini umquam quicumque sit,impunè permittantur ex hæreticorum,eove nomine suspectorum finibus, ac regionibus finitimis, ad Prouinciæ huius loca

venire:

venire: Verùm si quandoque aliter accidit, ubi ei rei alia ratione occurri non possit, hæc saltem caueantur, atque planè seruentur.

Ne cuiquam, quem ex ijs locis proficiscentem hæreticum esse certum sit, hospitium, diuersoriumve præberi liceat, præterquàm in caupona publica, uel in domicilio sui procuratoris, si quem fortasse ipse habet.

17 Is uerò, qui præbuerit, illius aduentum, habitationemque Episcopo, Inquisitorive, aut parocho, si in Diœcesim venerit, confestim denunciet.

18 At Ecclesiasticus homo, quicũque sit, ne eum vllo modo excipiat.

19 Neque rursus, illum in Ecclesiam ingredi permissum sit, nisi sacræ concionis tempore.

20 Quam summum in hæresis crimine profligando studium, & cura, quàm longè omnium diligentissima, Episcopi esse debeat, cùm aliorum multorum Pontificum sanctiones iubent, tùm verò & Innocentij Tertij rescriptum, & Martini Quinti Constitutio, iam pridem edita, ostendunt. Quibus Constitutionibus tùm in virtute obedientiæ districtè præcipitur, vt quæ eo de genere in illis sancita sunt, ad ea efficaciter exequenda Episcopi per Diœceses suas diligenter inuigilent, si canonicam uelint effugere ultionem: tùm etiam deponi iubetur ab Episcopali officio, si quis eorum super expurgando de sua Diœcesi hæreticæ prauitatis fermento negligens fuerit, uel remissus. Proinde in ea perenni sollicitudine, perpetuaque vigilia Episcopus versari in primis debet, ut non modo pestilentissimus ille hæresis morbus nusquam in gregem sibi commissum irrepat; sed omnis planè suspicio ab eo quàm longissimè absit. Si uerò fortasse, quod pro sua pietate, & misericordia Christus Dominus auertat, irrepserit; in eo maximè elaboret, omni ope, vt quàm celerrimè depellatur: quique ea labe infecti erunt, uel suspecti, cum illis agatur, ad Canonum, sanctionumque Pontificiarum præscriptum.

5. Quę ad fi. tuẽ. ſtu. pert. §. eo.

De Sanctæ Inquisitionis Officio.

SVMMARIVM.

1 *Sanctæ Inquisitionis Officij congregatio instituenda.*
2 *Quando conuocanda.*
3 *In ea, quid agendum.*
4 *Ministris secretum indicendum.*
5 *Formula iuramenti eisdem præstandi.*
6 *Excommunicatio in reuelantes Congregationis secreta. Eius Congregationis*

gregationis initio, oratio de Spiritusancto recitanda, & quæ. De foro Episcop. num. 2.

7 Notarij huius officij, vt iurent.
8 Excommunicationem latę sententiæ reuelantes incurrunt.
9 Carceris custodes, quod iuramentum præstent.
10 Causarum acta non imprimenda.
11 Aduocati, & Procuratores, fidei professionem faciant.
12 In causis Sanctæ Inquisitionis, quales esse debeant. Facultas illis scripto est concedenda.
13 Quo iuramento adstringantur; quęq; illorum partes.
14 Quibus non patrocinentur.
15 Sanctæ Inquisitionis Officio Principes faueant.
16 Nihilq; in illo sibi vsurpent.
17 Inquisitionis Officium, res, & ministros lędens, vt puniendus.
18 Constitutio Pij V. aliquando promulganda. Constitutionis eiusdem tenor. De Constitut. num. 22.

Quintũ, quæ ad fi. tuẽ. ſtu. pert. §. Idem.

1 IDEM (Episcopus) prætereà vnà cum Inquisitore Congregationem, quæ certo numero constet, Theologorum, & Iurisperitorum hominũ instituat, qui ad causarum Sanctæ Inquisitionis consultationem adhibeantur.

2 Ea porrò Congregatio, vt opus erit, conuocetur, semelque in singulos menses, atque adeò crebrius, cum occasio tulerit.

3 Nec verò quicquam aliud in ea agatur, geraturve, nisi quod ad eiusdem Sanctæ Inquisitionis officium pertinet.

4 Et quoniam sępè contingit, causarum Inquisitionis acta, processusve, de quibus deliberandum est, ijs patefieri, explicari, atque communicari oportere, quorum consilio, uel damnationis, vel absolutionis sententia ferenda est: quò & accusatorum, denunciantium, testiumque periculis efficacius occurratur; & in ijs ipsis Inquisitionis actis, causisque, cautius agatur: id propterea omnibus singulisq; consultoribus, & ceteris item, qui in ea Congregatione adscribentur, admittenturve, Episcopus, vt Bonifacij VIII. Constitutionem cautum est, secretum, reticentiamque indicat.

ca. ſtatuta. §. iubemus, de hęret. in 6.

5 Atque ij ipsi porrò statim certa præscripta formula iurati eidem Episcopo sanctè spondeant, se, neque verbis, neque litteris, nec nutu, neque alia cuiuscumque generis significatione, ullove modo cuiquam patefacturos, aut euulgaturos esse Congregationis, in quam admittuntur, adscribunturve, arcana; nec uerò alia quæcumque sint, quæ vllis

Inquisi-

Inquisitionis, vel causis, uel hominibus, uel ipsi Cõgregationi, officiove præiudicium afferre aliquo modo possint.

6 Pœnã uerò excommunicationis latę sententiæ proponat, atq; edicat, etiam in Congregatione ipsa, ex ea Bonifacij Constitutione in omnes, & singulos, qui contra indictum secretum, aut iusiurandum quicquam patefecerint sine licentia eiusdem Episcopi.

7 At prætereà Notarij Sancti Officij hoc iurent, quòd nec causarum acta, nec testium nomina, neque testificationes, aliudve quicquam eius generis patefacient, aut euulgabunt, anteaquàm iudex patefecerit, euulgarive, aut euulgari iusserit. De sententijs itidem eorum, qui consultores adhibentur, consultationibus, deliberationibus, actionibusque Congregationis huius, idipsum præstabunt omninò; ac de suo officio in omnibus fideliter exercendo. Clemen. 1. §. porrò, de hęręt.

8 Si quis eorum quicquàm contra vllo pacto fecerit, excommunicationem latæ sententię ipse subeat; ac prætereà alijs pœnis, pro modo culpæ, arbitrio Episcopi, plectatur.

9 Custodes etiam carceris, priusquam suum exerceant officium, iusiurandum, ad prescriptam formam in Concilio Viennensi præstent: Idemq; etiam alij ministri ad id officium exequendum necessarij. Ead. Clem. & §. porrò.

10 Nè Inquisitionis causarum acta, breuiter, summatimq; descripta, quę summaria processuum dicunt, nec verò actorum relationes, nec facti narratio, neque alia quæcumque tam iuris, quàm facti itidem explicatio, instructiove cuiusuis generis, ad eas causas pertinens, nec denique ullæ scripturæ eiusmodi, quę, uel pro reo, vel contra eum conficientur, vllo vnquam modo in posterum typis edantur, imprimanturve: sed quæcumque acta sint, quę eas causas attingant, manu scripta, ijs solum, vel iudicibus, vel consultoribus; alijsve ministris dentur, quibus dari oportet.

11 Aduocati & Procuratores in causis Sanctæ Inquisitionis suscipiendis, agẽdisve nullum ante aditum locumve habeant, quam fidei professionem Episcopo præstiterint. Quintũ, quæ ad fi. tuẽ. stu. pert. §. Aduocati.

12 In causis fidei Episcopus, Iudexve, cum Aduocatus, Procuratorve reo dandus est, eum det, qui probus sit, de legalitate non suspectus, & procurator quidem vtriusque Iurisperitus, vterque verò fidei zelator, quique hæresis nomine numquàm, neque suspectus, neque accusatus, neque ea infamia notatus fuerit: id verò, nisi planè ostenderit, se ex Iudicis sententia innocentem esse, & ab omnibus hæresis labe, suspicioneve purum, atque integrum. 5. De eo. §. in causis.

Patrocinij autem in ijs causis suscipiendi facultas cum datur, litteris exarata detur: nec verò aliter quisquam suscipiat.

13 Qui porrò datur, is, antequàm patrocinium suscipiat, iuret, se benè, ac

nè, ac fideliter defensurum, legitimisq; defensionibus vsurum esse, nec dilationibus captiosis, cauillationibusq; causam prorogaturum.

Vbi verò patrocinium susceperit, sciat suas partes esse, admonere reum, vt veritatem confiteatur, pœnitentiamq; petat pro culpa, si quã habet; eiusq; responsionem Curiæ notificare, intimareve.

14 Meminerit verò Aduocatus, & Procurator, item nullum vmquã patrocinium, neque hæreticis, nec suspectis, neque credentibus, neque fautoribus præstandum esse; ne, prout Innocentij III. sanctio est, ab officio suspensi, perpetuæ infamiæ subiaceant.

Itaque vbi primum ex causarum actis, aliave vlla ratione animaduerterit, reum, qui delatus est, hæreticum esse, aut eo nomine suspectũ, id cùm ipsi reo, iudiciq; denunciet, tùm statim illius defensionem deserat. Nec verò, si quid erit, quod ad Sanctum Officium pertinens, in eiusdem causa reticeri oportet, cuiquam patefaciat, quod eidem officio præiudicium ferat.

Primum de prof. fid. §. sacro.

15 Sacro denique Inquisitionis Officio, in omnibus ex animo (Principes, scilicet, & Magistratus) faueant, & opitulentur; & vt eius edicta seruentur, auctoritatem etiam suam rogati interponant.

16 Cumq; eis à Sancta sede Apostolica concessum fuerit, vt causis fidei ad patrocinium Catholicæ veritatis adsisterent, nihil sibi in illis vsurpare, neque quidquàm, quod contra sacros Canones sit, attentare velint.

3. Quę ad fi. tuẽ. stu. pert. §. eo.

17 Quicumque autem Sanctæ Inquisitionis Officium, statum, res; & ministros aliquo modo læserit, violaritve, contrà eum, vt Pij V. Constitutione sancitum est, Episcopus agat ad illius sanctionis prescriptũ.

18 Quam grauissimam sanctionem aliquãdo, cùm expedire censuerit, promulgari iubeat.

De Iudæis.

SVMMARIVM.

1 *Iudæi morum Christianorum corruptores.*
2 *Pileo, ac birreto crocei coloris vtantur.* 20.
3 *Cum eis Christiani cibum non capiant,* & 5.
Neque ad eorum dies festos, & Synagogas accedant. & 23.
Ne item cum eis ludant, & choreas ducant.
4 *Ne in eorum famulatu quoque esse possint.*
6 *Christianæ mulieres Iudæorum non sint nutrices.*
Neque illarum opera vtantur ad fucum, & ornatum. 9.
7 *Christiani, Iudæis medicis non vtantur.*
8 *Neque eorum opera in matrimonijs contrahendis.*

Iudæis

10 *Iudæis Ecclesiæ agri non locandi.*
11 *In ædibus Ecclesiæ vicinis Iudæi non habitent: & proprias vendant.*
12 *Festis diebus non emant, aut vendant, secumq; Christiani contrahant.* 22.
13 *Tribus ante Paschа diebus domi suæ se contineant.*
14 *Christianorum dignitates, & officia obtinere non possint.*
15 *In vnum habitationis locum compellendi.* 19.
16 *In quibusuis rebus, cum Christiano contrahendis, sermone vulgari in suis libris vtantur.*
17 *Fraudulenta cum Christianis contrahendi ratio coercenda.*
18 *Constitutio Pij V. qua alia Pauli III. contra Iudæos edita continetur, promulganda.*
Synagoga vnica illis concedenda.
20 *Mares, & fœmine, signum patens ferant: sublata dispensatione contraria.* 21.
24 *Constitutio Gregorij XIII. de blasphemijs, & flagitijs Iudæorum sæpè promulganda.*
25 *Et doctrina Christiana prædicanda, & à quibus.*
26 *Ad conciones conueniant, seorsum tamen à parentibus, & natu maioribus.*
27 *Conuersionis signum dantes separandi, & in Cathecumenorum domo retinendi.*
28 *Cathecumeni, quomodo ad baptismum admittendi.*
29 *Baptizati, cuius curæ committendi.*
Eorumque institutio, quæ, & qualis. 32.
30 *Quorum consuetudine non vtantur.*
Diebus festis, quæ munera obeant. 29. & 32.
31 *Domus ad Neophitorum vsum paranda.* 27.
33 *Episcopus in his exequendis negligens, rationem cui redditurus.*
34 *Iudeis ad fidem conuersis, bona sua adimenda.*
Constitutio Pauli III. de Iudæis, et infidelib. conuentis, Neophitisq;.
De Constit. num. 36.

1 VT quantum possumus, Iudæis corrumpendi Christianorum mores, & eis bona per fraudem auferendi occasionem adimamus; ipsosque ad viam salutis traducere studentes, ex sacrorum etiam Canonum Decretis, edicimus. Primum de Iudeis, §. eo.

2 Vt Iudæi semper, & quocumque iter faciant; viri pileum, seu birretũ crocei coloris; mulieres impositum reliquo capitis integumento, pannum eiusdem coloris ferant.

Ne

3 Ne Christiani ad conuiuia, nuptias, vel dies festos, & Synagogas Iudæorum accedant; aut cum eis ludant, vel quod detestabilius est, choreas cum Iudæis agant.

4 Ne Iudęis Christiani in famulatu esse possint.

5 Ne Christiani, si in diem, uel horâ, Iudęis operas suas locauerint, apud illos cibum capiant.

6 Ne Christianę mulieres, Iudęorum nutrices in eorum domibus esse vllo pacto possint. Nec verò extrà eorum domos, nisi cùm necessitas, ordinario probanda, postularit.

7 Ne Christiani, Iudæos medendi causa, ad se accersant.

8 Ne conjungendis inter se matrimonijs eorum opera utantur.

9 Ne Christianę mulieres Iudæas fuci, pigmentorum, aut ornandi se causa adhibeant.

10 Agros, prędia Ecclesiastica, Iudęis locari, vasa, vestes, aliave sacra, vel ad vsum Ecclesiæ destinata, vendi, aut pignori dari ne liceat.

11 Ne in ędibus, quæ Ecclesijs vicinæ sint, Iudæi habitent; & si qui in eis nunc habitant, intra certum tempus omninò migrare cogantur.

12 Ne Christiani cum Iudęis in diebus festis, emptionis, uenditionis, vel alio nomine contrahere audeant.

13 Ne tribus ante Pascha diebus Iudęi in publicum prodeant: neque quidquam palàm, vel secreto, in contemptum Christianę religionis facere audeant.

14 Ne dignitatem, uel publicum officium, quod ad Christianos pertinere aliquo modo possit, Iudęi obtineant.

Hęc & reliqua, quæ de Christianorum cum Iudæis consuetudine sacris Canonibus constituuntur, curent Episcopi, & Principes, ac Magistratus, pro suæ quisque auctoritatis munere, pœnis contrà Christianos, & Iudęos acrioribus constitutis, ut inuiolatè seruentur.

15 Vehementer etiam à Principibus petimus, vt in singulis Ciuitatibus certum locum constituant, ubi Iudæi separatim à Christianis habitatum conueniant. Et si quas proprias ædes Iudęi in Ciuitate habęt; intra sex menses eas uerè, non autem simulato contractu, Christianis vendi iubeant.

16 Illud prętereà pro suâ pietate Principes statuere debebunt, ut Iudęi in quibusuis contractibus, & negotijs, quę cum Christianis habuerint, in libris suis conscribendis, litteris, & lingua uulgari nostra, non autem sermone, aut characteribus Hebręis utantur: si secùs fecerint, seuerè puniantur. Nullumque inde ius eis esse possit agendi, uel excipiendi.

17 Omni denique diligentia illos in eo eniti ęquum erit, ut fraudulentam, & insidiosam Iudęorum cum Christianis contrahendi rationem,

tionem, & eorum facultatibus inhiantem auaritiam comprimant, & coerceant.

De Iudæis Concilio Prouinciali primo multa cauimus, quibus hæc addenda statuimus, quo diligentius etiam perniciosæ eorum consuetudini, atque diuini cultus offensionibus occurratur. 5. Quę ad ſi. tuê. ſtu. pert. §. eo.

18 Quod olim Summorum Pontificum Constitutionibus, & præsertim Pauli IIII. & Pij V. qui eiusdem Pauli sanctionem litteris xiij. Calend. Maij M. D. LXVI. editis, renouauit, & auxit, sancitum fuit de vita, & habitatione Iudæorum, cùm ad Christianorum hominum fidei integritatem, & morum puritatem tuendam valdè pertineat; Episcopus, in cuius Diœcesi illi, vel habitant, uel aliquando diuersantur, singulis annis stata die eam Constitutionem Pij V. qua etiam illa, quæ ab eodem Paulo IIII. iam anteà edita erat, continetur, promulget: curetque omni diligentia, vt in primis, tum ex earum Constitutionum, tum etiam ex Concilij Lateranensis præscripto, in Ciuitate, oppido, pago, locove, vbi Iudæi habitant, si complures Synagogas habent, seu domos ad Synagogæ officium iam adhibent, tollantur omninò, cessentque omnes, vnà tantum excepta, quæ tamen ab ecclesijs fidelium distet. At uerò nouas construere, constituereve, aut penitus dirutas reficere ne patiatur: nec rursus ueteres altius extolli, aut amplificari, aut magnificentius aliquo modo exædificari.

19 Agat etiam cum Principibus, si opus erit, vt quemadmodum olim à nobis decreto Prouinciali, & eisdem Pontificijs Constitutionibus cauetur, sublatis impedimentis, verè tandem Iudæi omnes in vno, & eodem loco Vrbis, locive, ac si ille capax non erit, in duobus, aut tribus, qui inter se cõtinentes sint, & à Christianorum habitationibus seiuncti, ad præscriptum illarum Constitutionum habitent; domiciliũ verò non solum proximum; sed ne in conspectu quidem Ecclesię, oratorijve, quo populus conuenire soleat, constituere, habitareve vllo modo patiatur.

20 Vt mares, & fœminæ signum semper patens ferãt, quò in urbibus, municipijs, locisve omnibus, atque adeò in itinere dignoscantur ad earum Constitutionum præscriptum.

21 Qua in re quicquam à nemine concedi, permittive vllo quouis, etiam dispensationis nomine posse illis sanctionibus cautum est.

22 Ne Dominicis, uel aliis festis diebus, quos coli, & sanctificari præcepti, consuetudinisve est, Iudæi opus quicquam seruile, mundanũve publicè per seipsos, seu alios faciant.

23 Nec uerò fidelis quisquam in eorum Synagogis ullo modo, vt eo primo Concilio vetitum est, sed neque ullo usquam loco eorundem

cęremonijs, ritibusve interſit.

6. Quæ ad ſi. tuę pt. §. eo. Conſtit. Grego. XIII. infrà de Conſtit. num. 38.

24 Grauis illa ſanctio, qua ſummus Pontifex Gregorius XIII. Iudæorum blaſphemijs, & flagitijs obuiam ire voluit, in omni noſtra Prouincia, præſertim ubi Iudæos habitare permiſſum eſt, quotannis non ſemel, atque iterum, ſed etiam ſæpenumero, prout Epiſcopus opus eſſe cenſuerit, de more promulgetur. Atque ob eam cauſam Concilio huic ſexto in fine illam adiungi ſtatuimus.

Primum de Iudæis. §. eo.

25 Monemus verò Epiſcopos, ut ab hominibus pijs, ac peritis linguæ Hebraicæ, & rituum Iudæorum: vel ſi huiuſmodi non reperiantur ab alijs doctis, ac bonis uiris curent fidem, ac doctrinam Chriſtianam Iudæis prædicandum.

26 Ad eas conciones Iudæi omnes iuſſi conueniant; ſed pueri, ac puellæ ſeorſum à parentibus, atque alijs maioribus natu, concionatorem audiant: qui ipſos familiariter inſtituat, & interrogantibus benignè ſatisfaciat.

27 In quo ſignum aliquod conuerſionis cognitum fuerit, is ab alijs ſeparetur: & in domum aliquam, Cathecumenorum, ad id paratam deducatur; ubi diligentius omnia, quæ ſcire Chriſtianum oportet, doceatur.

28 Catechumeni ne baptizentur, niſi prius diligenter inſtructi, & examinati fuerint, præſertim ſi grandiores ſint.

29 Baptizati curæ alicuius probi uiri, ſaltem per annum committantur, qui uitam illorum ijs rationibus regat, ac moderetur.

Vt diebus feſtis Miſſam, Conciones, ac Veſperas obeāt. Alijs diebus aliquo artificio, quo uictum quærere poſſint, vtantur.

30 Ne cum Iudęis ullam omninò conſuetudinem habeāt: Neve cum Chriſtianis, quorum uita flagitioſa ſit.

5. Quæ ad ſi. tuen. ſtud. pt. §. eod.

De Iudęis nuper baptizatis, in Concilio Prouinciali primo aliqua conſtituimus, quibus hęc de illis ipſis, & de alijs etiam Neophytis adiungenda decernimus.

31 Epiſcopus igitur, in cuius Diœceſi Iudæi habitant, cum fieri poſſit, ut Deo uolente, eorum multi è tenebris ad fidei lumen accedant, illud aliqua ratione curet, ut certa domus, locusve pius, ſi commodè poteſt, eo potiſſimum nomine conſtituatur, ubi illi nuper baptizati, Neophytive alantur, ad uitęque Chriſtianę uſum inſtituantur. At uerò, ſi id fieri nullo modo poteſt; eos, ſi quos in Vrbe, Diœceſique habuerit, certè alterius loci pij Congregationi in curam tradat, aut aliquem certum ſacerdotem, ſpectata probitate uirum, ſpiritualisque uitæ ſtudioſum, deligat, qui illorum uitam inſtituat, ac moderetur.

32 Quo in genere eius, qui ab ipſo Epiſcopo delectus, eorum curæ

quouis

quouis modo præerit, studio, hæc ratio, quemadmodum infrà ineatur.

Vt non solum diebus festis, vt alio Concilio cautum est, sed inferijs etiam singulis; Missæ sacrificio intersint, Et conciones præterea, sacras lectiones, supplicationes, officiaque diuina, vesperas, præsertim festis diebus obeant: charitatisque Christianæ opera præstent, ægrorum publicas hospitales domos præcipuè visitando.

Vt singulis diebus bis, mane, & vesperi, certo breui temporis spatio sanctè orent.

Vt cum signum salutationis Angelicę ter in die datur, genua flectant, & attentè precentur.

Vt stationes, ecclesiasve indulgentiarum frequentent.

Vt octauo quoque die peccata confiteantur; & decimoquinto quoque die rursus confessi, sacram communionem sumant.

Vt quo die sumunt, in sancta oratione, sanctisque exercitationibus, & charitatis operibus illum totum consumant.

Vt feria sexta, & sabbato, qui per ætatem, & valetudinem possunt, ieiunent.

Vt sacra anni tempora, vtpotè Aduentus, Quadragesima, alięque statæ anniuersarię celebritates, cùm appropinquant; ad eorum, earumve mysteria instruantur, quò sanctioris vitę disciplina, & operibus, Christiana pietate dignis, sacrorum eorum temporum, dierumve cursum religiosius conficiant.

Abstineant a lautioris, & delicatioris uitę usu, longeque diligentius ab improborum hominum consuetudine.

Aliquam quoque cautionem adhibere curet Episcopus, vt hi homines, cum matrimonium ineunt, non inter se contrahant, sed cum ijs, qui à Christianis antiquam, perpetuamque originem ducunt.

Ne inter se item multam consuetudinem habeant, ut Pauli III. Pont. sanctione cauetur. Constit. Pauli III. videatur, titu. de Cõst. nu. 36.

Ne ulla in re Mosaycæ legis ritus retineant, aut sectentur.

33 Hoc in genere si Episcopus negligens erit; sciat se in Concilio Prouinciali, re omni diligenter perquisita, rationem redditurum ex eadem Pontificia Constitutione: quæ quotannis semel, vbi aliquis Neophytorum numerus est, in Ecclesia Cathedrali, Collegiatisque, de more promulgetur. certo die, quem idem Episcopus præstituerit.

34 Curet Episcopus, ut Iudęus, qui ad fidem se conuerterit, omnia bona sua habeat, ac, si filiusfamiliàs sit, legitima, & quęcumque alia bonorum pars, ei iure debita, à patre, etiam uiuente, detur. Vel,

si mulier fuerit, ei dos à marito restituatur, uel à patre constituatur, vnde ali possit, ex præscripto Constitutionis Pauli III. Summi Pont. præsertim in iis, quæ ille statuit de iis facultatibus, quæ ex vsuris comparatæ sunt.

De Cingaris.

SVMMARIVM.

1 *Cingari, Magistratus opera eijciendi, & 2.*
3 *Episcopi officium in eorum vita inquirenda.*
4 *Si publicè offenderint, vt emendandi.*

Primum de Histrio. Cingaris, & cæt. §. eo.

1 DE his etiam Principes, & Magistratus commonendos esse duximus.

Vt vagum, & fallax Cingarorum genus arceant; nisi certis sedibus collocati, vitam honestis artibus, & in reliquis omnibus, vt Christianos homines decet, agere velint.

5. Quę ad fi. tué. itu. pert. §. eo.

2 Quibus Prouinciæ locis vagum, & fallax Cingarorum genus adhuc versatur, & nondum ex decreto Concilij Prouincialis primi, Magistratus opera, atque officio à Prouinciæ finibus arcentur, hæc diligentia adhibeatur.

3 Primò, Episcopus, in cuius Diœcesi eos morari, aut vagari contigerit, diligenter inquirat, an, vt Christianos decet, in omni uita se gerant, anq; sanctæ Ecclesiæ institutis, & præceptis pareant.

Rursus an quicquam contra agant, quod Schismaticorum morem, vsumque præ se ferat.

An Quadragesimæ tempore, ieiunijque diebus, carne, & cibis vetitis vescantur; an nouis ritibus vtantur. Quod si contra Ecclesiæ instituta, ritusque ab illis aliquid agi, geri, fierive compertum erit, quodque præsertim eiusmodi sit, quamobrem hæresis nomine suspecti esse possint, in eos Episcopus grauiter agat, & animaduertat, etiam pro culpæ ratione ad sacrorum Canonum, Pontificiarumque sanctionum præscriptum.

4 Si verò eos vllo alio modo publicè offendere cognitum erit, ab Ecclesia diuinorum officiorum tempore eijci iubeat, quò ad emendatæ vitæ explorata testimonia, & exempla viderit.

De

De editione, & vsu sacrorum librorum, ac Indice librorum prohibitorum deq; Impressoribus, & Bibliopolis.

SVMMARIVM.

1 *Pernicioſorum, & falſorum librorum peſti occurrendum.*
2 *A Bibliopola, & alijs libri venales non exponendi Indice non confecto, obtentaq; licentia. 3.*
4 *Libri inuecti denunciandi, nullique commodandi, Indice nundum miniſtris exhibito.*
5 *Libri, opuſcula, &c. nondum recognita non euulganda.*
6 *Neque imprimenda.*
7 *Recognitionis ſcriptum libri principio imprimendum.*
8 *Libri exemplum auctoris manu, & nomine ſignatum, & impreſsum, quibus tradendum, & vbi aſſeruandum.*
9 *Libri, qui non edendi ficto alterius auctoris nomine.*
10 *Librorum impreſſioni litteræ grandiuſculæ cuius imaginis non adhibendæ.*
11 *Qui etiam characteres non adhibendi.*
12 *Libris impreſſis impreſſionis tempus adiungendum.*
13 *Libri imprimendi in Codicem referendi.*
14 *Libri, aliàs conceſſu editi, ſine noua facultate non imprimendi.*
15 *Libris à defuncto relictis non vtantur hæredes, neque illos vendant Indice non confecto, obtentaq; licentia.*
16 *Bibliorum, & Teſtamenti Noui vulgarium, certorumq; aliorum librorum vſus, quibus concedendus.*
17 *Libri de Officio Beatæ Virginis, qui non vendendi.*
18 *Libri paruuli, falſis, ſuperſtitioſisq; titulis aſperſi, niſi recogniti, & expurgati non retinendi, neque vendendi.*
19 *Libri alij peſtiferi, Indice Tridentino non notati, ab Epiſcopo interdicendi.*
20 *Librorum venalium, Index ab Epiſcopo ſubſcriptus habendus.*
21 *Libri venales à parocho, de improuiſo viſitandi.*
22 *Libri in Indicem non relati, Epiſcopo denunciandi, & ſequeſtrandi.*
Libri damnati vbi reperiantur, quid agendum.
Bibliopolæ, & Impreſſores } *Fidei profeſſionem emittant. De profeſs. Fidei, numero 16.*
23 *Indicis librorum prohibitorum, regulæ à quibus ſeruandæ.*
24 *Indicem ipſum, Theologi, Iuriſperiti, Medici, et alij litterarũ profeſſores habeant.*

25 *Conclusiones in publicum proponendæ à quibus probandæ.*
26 *Libellorum famosorum facinus prohibetur.*
27 *Laicorum, & clericorum illos euulgantium pœna.*

Tertiũ, quæ ad fi.tuẽ.ſtu. pert. Conc. Trid. ſeſ.4.De edi. & vſu ſacr. libr.

1 PERNICIOSORVM, & falſorum librorũ, cum perpetua quodammodo peſtis ſit, cui remedium ſemper afferre oporteat, de ijs ſæpè, & ſummorum Pontificum Conſtitutionibus, & ſacrorũ Canonum iure, cautum eſt. Poſtremò autem multa, tum Concilij Lateranen. ultimi Decreto, tùm nuper Tridentino Concilio, & Indice utiliter conſtituta ſunt. Quæ ut Epiſcopi ſtudio à Bibliopolis, Impreſſoribus, & reliquis item omnibus, quorum intereſt, diligentius, quàm hactenus factum ſit, ubique præſtentur; illa ferè omnia, aliaq; nonnulla eodem ſpectantta, quę addenda cenſuimus, ſimul complexi, Prouinciali hac Conſtitutione toto eo degenere ſic edicimus, propoſitis, eodem Lateranenſi, & Tridentino tum Concilio, tum Indice, & Pij IIII. Conſtitutione de eo Indice lata, pœnis ſancitis, & prætereà Epiſcopi arbitratu.

Trid. ſeſs. 4. de edit. &c. ver.ſed & im preſſorib. Seſſ.10. Seſs.4.

2 Vt quicumque artem librariam exercet, ab eo nè patiatur Epiſcopus libros uenales proponi; niſi confecto librorum ſuorum Indice, cui ab ſe, aut ab eo, à quo eam curam in recognoſcendis libris geri uoluerit, & ab Inquiſitore, etiam ſubſcriptum ſit: neque facultate ſibi ab eiſdem non permiſſa ullos alios cuiuſuis generis libros ille habeat, aut uendat, aut quauis ratione tradat, illo Indice non notatos.

Ead.ſeſ. & decreto, ver.neque illos.

3 Ne loco publico, portorijs, mercibusve importandis conſtituto, libros miniſtri publici eius loci exportari patiãtur; niſi, qui illos importarent, aut Bibliopolę, aut alij, quorum ſunt, ſcriptum, eorundem manu ſignatum, attulerint, quò exportandi poteſtas fiat.

4 Libri non publico mercium loco expoſiti, ſed alio in Vrbem inuecti, ab eo, qui inuexerit, uel inuehi iuſſerit, eiſdem denuncientur: nec libri à quouis inuecti, uel in Vrbem introducti, alijs commodentur, aut quauis alia ratione tradantur, antequàm is, qui introduxerit, illis, ad quos recognitio pertinet, Indicem eorum oſtenderit; ab eiſdemque item facultatem obtinuerit, idque, niſi libri id generis ſint, ut eos omnibus permiſſos eſſe perſpicuè conſtet.

Tridẽ.ſeſs.4. de edit. &c. ver.ſed &.

5 Ne quis opuſcula, libros, commentarios, aliaque id generis, quouis titulo, & nomine, quę manu ſcripta ſunt, euulget; niſi ab Epiſcopo, aut ab alio eius iuſſu, & ab Inquiſitore recognita ſint, atque approbata ſubſcriptionibus.

6 Ne prætereà quis librum, ſcriptumve cuiuſuis generis imprimat, impri-

imprimive curet; nisi ab eisdem, Episcopo, & Inquisitore recognitum, & scripto comprobatum. Conc. Trid. ibid.

7 Quod recognitionis, & comprobationis scriptum, libri imprimendi principio, recognitorũ manu notatũ principio itẽ libri imprimatur. Ead. sess. 4. de edi. ver. ipsa, Ibid.

8 Libri exemplum, auctoris manu, & nomine notatũ, ubi primum impressum est, recognitoribus tradatur asseruandum. Hoc decretũ per seq. abrogatum.

Vt fraudi occurratur, quæ plerumq; in opere impressorio fit, ea præter cęteras cautio adhibeatur, vt liber, ubi primùm impressus est, per recognitionis præfectos ante conferatur, quàm uenalis officinis, tabernisve librarijs ꝓponatur. Qui liber, ita accuratè collatus, auctoris subscriptione signatus, non recognitoribus, vt alio Cõcilio Decretum est; sed quò rectius custodiatur, Episcopo tradatur, qui eundem certo loco in Archiuio asseruari perpetuò iubeat. 5. Quæ ad fi. tuẽ. stu. pert. §. eo.

9 Moris olim fuit vitandæ glorię, ostẽtationisve causa, libros aliquando alterius nomine, etiam assimulato, euulgari: sed quoniam hęc tẽpora, quib. impressoria editione aditus esse potest, ad nefaria quæq; proseminanda, diligentiorem cautionem requirunt; interdictũ esse uolumus, mẽtito, fictove alterius auctoris nomine libros, uolumina, litteras, scriptave cuiusuis generis, argumentive, de quib. in Indice, seu Concil. Trident. cauetur, euulgari, edi, typisve imprimi, sine consensu illius, cuius nomine edentur, ac Episcopi permissu. 6. Quæ ad fi. tuẽ. pt. §. eo. Sess. 4. decre. de edi. & vsu sacr. libr.

Alioquin in delinquentem animaduertatur pro grauitate criminis, arbitrio eiusdem Episcopi.

10 Ne litteras grandiusculas, quas initio, uel librorum, uel capitum imprimi moris est, aliquam obscęnæ, turpisque imaginis speciem exprimentes, ad librorum impressionem adhibeant, qui artem impressoriam quouis modo faciunt: cùm eiusmodi sint, quæ hominum mentes aliquando, fœdè, turpiterque afficiant, & bonos itidem offendant, vt obscœnè scripta. 5. Quæ ad fi. tuẽ. stu. pert. §. eod.

11 Ad libros uerò, qui de rebus Ecclesiasticis, aut spiritualibus conscripti sunt, imprimendos, ne characteribus grandioribus utantur, in quibus expressa appareat alicuius rei prophanæ, nedum turpis, obscęnæ: species.

12 Libris impressis, appositio imprimentis nomine, adscribatur item annus, quo impressi sunt. 3. Quę ad fi. tuẽ. stu. pert. §. eo.

13 Libri, quos typis mãdari cõcessum, & in Codicem à recognitorib. referantur, notato cõcessæ facultatis anno, & die, descriptis etiam nominibus eorum, quibus eos imprimendi potestas facta est.

14 Ne liber, uel exiguus, quamuis superiorum concessu, aliàs sæpè editus, sine facultate iterum impetrata, typis in uulgus emittatur, imprimaturve. 6. Quæ ad fi. tuẽ. pt. §. eo.

3. eo. tit. & §. 15 Ne hæredes, vltimarumve voluntatum exequutores, libris à defuncto relictis, vtantur, aut alijs vtendos dent, vel uendant, aliave quauis ratione tradant, antequam illos, aut eorum Indicem ipsis Episcopo, & Inquisitori attulerint, facultatemque obtinuerint.

16 De Biblijs autem uulgariter redditis, & de Testamento Nouo, in uulgarem etiam sermonem conuerso, de libris præterea qui de rebus inter Catholicos, & hæreticos controuersis communi item lingua conscripti sunt, ea diligens cautio adhibeatur, vt illorum vsus iis tantũ concedatur, quibus Episcopus, aut Inquisitor, de consilio parochi, aut confessarij permittendum iudicarit.

17 Libri de officio, & precibus horarijs B. Mariæ Virginis uulgariter, vel Italicè, vel Hispanicè, vel Gallicè, vel Germanicè: vel partim Latino, partim uulgari sermone expressi, venales ne proponantur, neq; uẽdantur. Si qui verò eos adhuc habent, ad sacræ Inquisitionis officiũ statim deferre cõpellantur, vt edita à Pio V. Constitutione sancitum est.

18 Caueat Episcopus, ne libri illi paruuli, quibus preces uariæ continentur, falsis, superstitiosisque titulis aspersi, habeantur, aut vendantur; nisi suo, aut Inquisitoris, aliorumve Theologorum, quos huic muneri præfecerit, diligenti studio primum recogniti, & purgati sint.

19 Adhibeat idem aliquãdo aliquot suæ Ciuitatis peritissimos homines, quorũ opera, & studio accuratè cognoscat, si qui pestiferi libri sũt, Indice Tridentino non notati, quorum vsu, & lectione interdicẽdum sit, eiusdem Indicis auctoritate. Quos libros id generis cognouerit; ne in Vrbem, aut in Diœcesim suam illi inuehantur, caueat quàm diligentissimè, eorumque nomina, cum ad sacræ Romanæ Inquisitionis Patres deferenda curet, tum alijs Prouinciæ Episcopis significet, quò diligentius pesti obstruatur aditus.

20 Qui per Vrbes præterea, vicos, oppida, aliave loca, libros venales circumferuntur; eorum etiam Indicem habeant, cui ab Episcopo, & ab Inquisitore, aut ab ijs, quibus librorum recognitio ab illis delegata est, subscriptum sit.

21 Hos parochus, in cuius parochiæ finibus illi uenales libros exponunt, circumferuntve, de improuiso aliquando visitet. Ac si, aut illorũ Indicem non habere, aut alios præterea, eo Indice non descriptos, uendere, habereve compererit; tum eos Episcopo, aut Inquisitori denunciet, tum libros omnes sequestri nomine inhibeat, donec aliter ab eo, cui denunciarit, iussum erit.

22 Si libros, Indice Tridentino damnatos, improbatosve, apud eos deprehenderit; illos etiam comprehendi, aut sponsione saltem facta sibi ab illis caueri curet, vt ad certum diem se sistant in iudicio Episcopi, aut Inquisitoris.

Episcopi

23 Epiſcopi regulas Indicis de libris vetitis,ab ijs,qui illi negotio à Sacroſancta Tridentina Synodo prefecti fuerunt, ex authoritate Sanctiſſimi D. N. Pij IIII. editas, ab omnibus librorum impreſſoribus, ac Bibliopolis, ceteriſque omnibus laicis, & Eccleſiaſticis perſonis ſeruari iubeant. 1. de prof. fidei, §. eo.

Quorum librorum purgatio, eiuſdem Indicis iuſſu facienda eſt, eos legi, uendi, aut emi, haberive omnino uetamus, donec ab ijs, ad quos pertinet, purgati, & probati fuerint. Seſſio. 18. in princ. & ſeſſ. 25. c. fi.

24 Librorum prohibitorum indicem, iuſſu Tridentini Concilij confectum, iam pridem promulgatum, omnes, ſingulique apud ſe habere curent, ſiue Theologi, ſiue Iuriſconſulto, ſiue Medici, ſiue aliarum litterarum profeſſores, diſciplinarumq. ſtudioſi, & alij item, quicumq. librorum numeroſam ſupellectilem poſſident. Si quis uerò eorum, qualis, qualis ſit, eum non habuerit, tantum abſit, vt excuſationi legitimę locus relinquatur, quòd neſcierit, illos id generis eſſe, ut contra eũ pro librorum, quos uetitos, retinuerit, ratione ſeuerius agatur ad prę-ſcriptum regulę eiuſdem Concilij. 5. Quæ ad fidei tuẽ. ſtud. pert. §. eo. Seſſ. 25. de Indice librorũ, &c.

25 Quę de quauis ſcientia problemata, uel axiomata uel alia quęuis eius generis publicè exercendi ingenij cauſa, aliave ratione proponi ſolent, curet Epiſcopus ne in poſterum ante à proponantur, quàm ab ipſo, aut ab ijs, quos huic rei prefecerit, cognitum ſit, nihil in ijs ſubeſſe quod doctrinę fidei, & pietati Chriſtianę repugnet. 2. Quę ad fidei tuen. &c. Decreto 4.

26. 27 Libellorum famoſorũ graue facinus, unde alia prętereà peccata, & ſcelera, & mala exoriuntur, ut quantum in nobis eſt, è prouincia noſtra profligetur, ſtatuimus, ſancimuſque, eos, quicunque ſint, qui illos ſcripſerint, ediderint, diuulgarint, excommunicationis latè ſententię pœnam ſtatim ſubire. Si clericus uerò ſit, qui tale crimen admiſerit, beneficiorum etiam, ſi quę habet, amiſſione mulctetur, pręter alias pœnas, eo de genere Canonum legibus ſancitas. C. de fam. libell. l. vni. 5. Quę ad fidei tuẽ. ſtud. pert. §, eo.

A qua excommunicationis pœna nemo quiſquam, huius criminis reus, abſolui poſſit, niſi fama, & honore, cui iniuriosè detractum eſt, reſtituto, pro arbitratu Epiſcopi. Id verò ipſum, quanto difficilius eſt pręſtari, tanto diligentius, ſtudioſiuſq. pro ſuę quiſque conſcientię religione ab eo flagitio, ſcelereve cauere debet.

De abutentibus Sacra ſcriptura.

SVMMARIVM.

1 *Sacra ſcriptura abutentes ab Epiſcopo coercendi.*

Con-

2 Concionatores, Parochi, Confessarij } de huius peccati grauitate populum admoneant.

1. de abu. Sacra scriptura §. eo.

1 NEFARIA est eorum temeritas, qui Sacræ scripturæ verbis, vel sententijs ad iocum, assentationem, contumeliam, superstitionem, impietatē, aut ad quosuis profanos sensus abutantur. Quamobrem Episcopi eos, qui in hoc genere deliquerint, ex Sacrorum Canonum, & Tridentini Concilij Decretis grauiter animaduertant.

Trid. Conc. sess. 4. de edit. & vsu Sac. li. ver. posthæc.

2 Et vt detestabilis hæc licentia prorsus tollatur fidelem populum per concionatores, parochos, confessores de huius peccati grauitate frequenter admonendum curabunt.

De Ludimagistris.

SVMMARIVM.

1 *Ludimagistri quales deligendi.*
2 *Episcopi iudicio comprobandi.*
3 *Probatio eorum qualis.*
4 *Probationis facultas quamdiu duret.*
2 *Fidei professionem ijdem emittant. De profess. fid. nu. 5. & 6.*
2 *Ea nondum emissa, quid a parocho agendum. Ibid. num. 9.*
4 *Fidei professione ab illis facta, eorum mores, vita, & puerorum institutio obseruandi.*
6 *Quos libros interpretantur: quosque interpretari prohibeantur.*
7 *Profana ad Christianam institutionem conuertant.*
8 *Fidei rudimenta doceant.*
9 *Concilij Lateranensis iussa ut obseruent, quid ab illis agendum.*
10 *Pueros ad Missam, Concionem, Vesperas, Sacras lectiones doctrinaq. Christianæ scholas conducant.*
11 *Quotidianas ludi exercitationes pia prece inchoent, & concludant.*
12 *Tabellam Sacræ imaginis in ludo affixam publicè habeant.*
13 *An Ludimagistri superius dicta exequantur visitationis tempore inquirendum.*
Anque libros habeant improbatos, vel suspectos, & an pueri honestè educentur.
14 *Episcopi, quæ cura cum magistris ipsis.*

Prin-

PRINCIPES, & Magistratus in Domino vehementer hortamur, vt nulla sumptus sui habita ratione, publicos Ludimagistros in vrbes, & suæ ditionis loca conducant, non minus fidei, & vitæ, quàm doctrinæ, & scientiæ laude comendatos. 1. de Ludimagistris.

2 Quorum etiam omnium mores, antequàm ad docendum accedant, probare debebunt: alioquin de ijs pœnas, in eadem constitutione propositas, sumant. 1. de prof. fidei §. Episc. ver. Quorũ.

3 Et quoniam ad Christianam pietatem hoc valde interest, vt instituendę pueritiæ, atque adolescentiæ munus committatur viris, non scientia solum, sed fide, ac moribus, vitaque probatis: eam ob causã, à quo fidei professionem Episcopus recepturus est, ante ab eo, cùm vitę suæ rationes perquirat, tum si quod testimonium fidei, morumque à probatis viris habet, afferri iubeat. Quod si ea vel non afferuntur, vel eiusmodi sunt, quibus ipsius Episcopi conscientiæ ac iudicio non satisfiat, idipsum aliundè Episcopus quærat, ab ijs præsertim, apud quos ille diu fuerat: hocque diligentius inuestiget, si vel è longinquis, vel hæresis nomine suspectis, vel morum corruptela inquinatis locis illum esse, aut venire animaduerterit. 3. Quæ ad fidei tuẽ. stud. pt. §. eo.

4 Quo autem exploratiores vitæ, disciplinæq. Christianæ mores magistrorum, præceptorumve sint, eam Episcopus cautionem adhibeat; vt cùm illos moribus probat, huius probationis facultas, litteris exarata, nè diutius cuiquàm eorum suffragetur, quam per annum vel biennium, trienniumve ad summum. Quo tempore confecto, cum Episcopum adierint, qui illam proroget, confirmetve, tunc maximè is de illorum moribus, vita, ac etiam de docendi, instituendique rationibus item diligenter perquirat, sique eos nec præstare quę debent, vel in re aliqua offendere animaduerterit, facultatem nè proroget, neve confirmet, antequam illorum, vel negligentiam, vel aliam culpam, emendatam cernat. 5. Quæ ad p̃dicationem, &c. §. eo.

5 Hoc præterea diligentię adhibeat Episcopus, ut posteaquam aliquis, fidei professione, ad præscriptum facta, docendi curam susceperit, eius etiam vitæ, morumque ratio, & puerorum, institutio aliquando obseruetur, idque in ijs potissimum Ludimagistris, qui certa pacta mercede, in disciplinam suam traditos pueros domi educant. 3. Quæad fidei tuẽ. stud. pert. §. eo.

6 Qui verò litteras docebunt, non solum libros, Indice Sanctissimi Domini Nostri Pij IIII. authoritate edito nominatim vetitos, pueris non interpretentur, aut ab illis legi patiantur: Sed neque etiam alios, quibus obscęna, uel turpia contineantur. 1. de Lugimagistris. §. eo.

Quorum librorum lectione, explicationem puerorum, aut adolescen-

3. Quæ ad fidei tuē. stud. pert.

scentium animi depravantur, & mores facilè corrumpuntur; quo in genere ij sunt, qui res obscænas, & turpes continent: eos, vt Indice Tridentino sancitum est, è Ludimagistris prælegi, explicarive, Episcopus non patiatur, ac planè ∨etet, ac illis quicquam exponi, quod bonis moribus repugnet, quodque impietatem induçat, ∨t Lateranensi ∨ltimo Concilio decretum est.

5. Quę ad fidei tuē. stud. pert. §. eo.

Episcopi cura sit, tum pueros, adolescentesve, tum Doctores, ac Magistros prohibere ∨su eorum librorum, quos ex Decreto Concilij Tertij prouincialis, quoniam obscæna contineant, aut bonis moribus repugnent, aut ad impietatem inducant, certo Indice nos complectemur.

5. Quæ ad p̄dicat. verbi Dei, &c. §. eo.

7 Si quæ profana magis aliquando exponent, omnia ad rectam disciplinam, egregiamque morum indolem præclaris interpretationibus traducere studeant, quod facilè assequentur, si quid perpetuò in suis explicationibus interponēt, quod ad institutionem Christianæ pietatis studijs dignam, pertineat.

1, de Ludimagistris. §. eo. Sess. 9.

8 Prçcipimus etiam vt bonis moribus, & salutaribus prçceptis eos erudiant; in primisque in aliqua pia, & Christiana institutione, si Episcopo ∨idebitur, exerceant; cçteraque omnia officia, quæ Leo X. in Lateranensi Concilio statuit, præstent. In ijs si deliquerint, pro delictigenere plectantur.

3. Quæ ad fidei tuē. stud. pert. §. eo.

Iubeat Episcopus pueros, adolescentesve à Ludimagistris Christianę religionis præcepta, atque fidei rudimenta doceri, adhibitis ijs solū libris, quos Episcopus ipse præscripserit, prout ad illud instituendi munus eos idoneos esse iudicauerit. Dominicis verò, & festis diebus nullo alio prætereà doctrinæ genere illos instrui liceat, quod omne eo ipso Concilio Lateranensi præscriptum est.

5. Quæ ad p̄dicatio. &c. §. eod.

9 Ludimagistri, quo commodius prçstent, quod ex Concilio Lateranensi in Synodo nostra prouinciali tertia eis ad pueros in doctrina, pietateque Christiana rectè instituendos prçscriptum est, decernimus, tum hanc ipsam Decreti partem, tùm conscriptum de eadem doctrina libellum, cum libris rudimentorum Grammaticę cōiungi, eisdemque agglutinari. Nec ∨ero id generis libros, quos Episcopus intra suæ Diœcesis fines, in frequentiori puerorum vsu esse animaduerterit, talesque notarit, ac declarauerit, decreueritue, deinceps sine eo doctrinę Christianæ libello imprimi, ∨endi, in ∨sumve puerorum adhiberi liceat.

3. Quæ ad fidei tuē. stud. pert. §. eo.

10 Illud etiam eisdem prçscribat Episcopus, vt diebus festis, scholæ suæ adolescentes, pueroſve, aut ipsi conduccant aut frequentes illos cōuenire iubeant ad solenne Missę conuentualis sacrum, ad verbi Dei conciones, ad diuina Vesperarum officia, ad sacrarum litterarum inter-

preta-

pretationes; ad doctrinæ Christianę scholas; & ad alia denique ꝟitæ Spiritualis studia, atque exercitationes.

11 Quotidianas Ludi exercitationes, ac studia inchoent, & concludant item pia aliqua oratione, & prece, quæ antequam absoluatur, pueri è Ludo sine vrgenti causa nè missi fiant. 5. Quę ad p̃dicat. §. eo.

12 Proinde in gymnasio, loco decenti, & perspicuo tabella alicuius Sacræ imaginis appenditur, ad quam diebus singulis discipuli statas preces faciant. Ibid.

13 Hæc omnia, an ab ijs pręstentur, Episcopus visitando aut ipse, aut alius eius nomine inuestiget diligenter, tũ maximè, an libros isti apud se habeant, vel ob fidei doctrinam, uel ob morum institutionẽ damnatos, improbatosve: tum prætereà, an qui in eorum disciplinam traditi sunt, honestè educentur. 3. Quę ad fidei tuẽ. stud. pt. § eo.

14 His temporibus tanta puerorum licentia est, atque adeò effrenata, vt cum peccandi materiam afferat; tum disciplinę Christianę detrimenta importet nõ leuia: hinc in Scholis nimia petulantia, in Ecclesijs irreuerentia, turbulenta foris concitatio, atque in omni loco sese efferẽs impudentia, & penè proiecta audacia. 5. Quæ ad Matrimoniũ pert. §. eo.

Quare Episcopi, qui omni morum speculationi sanctè inuigilare debent, videant, ne grauiores offensiones inde existant: proinde, & cum Magistratibus, eD curionibusve agant, ut aliqua inita ratione ei rei occurrant: & prętereà Sacerdotes aliquot vitę probitate, castissimisque moribus pręstantes, aliosque pios viros, & salutis animarum zelo accẽsos deligant, qui puerorũ, scholas, sępè inuisant, mores, & vitam eorum perquirant, in Dei timore, officijsq; Christianę institutionis illos contineant: idque omne cum parentibus, magistris, pręceptoribusque agant.

Curentque, ꝟt pius aliquis Ciuitatis locus, piave Confraternitas id oneris suscipiat, quemadmodum alicubi fit, ꝟt huius generis vagantes pueri colligantur, eorumque effrenatis moribus opportunè consulatur.

Quod si hęc non successerit, aliam omnem, quę sibi potior ꝟideatur, rationem ineant, ut puerorum effrænatę libertati, quę multa spiritalia incommoda parit, rectissimè occurratur.

Nullo verò modo patiantur, ut huiusmodi pueri Ecclesiam perturbent: quòd ea maximè ratione præstabitur, si parentes, vel ij, ad quos id pertinet, liberos suos tenerę ętatis, apud se teneant, secum ducant, eisque ostendant, pie, suppliciterque orare, & sacris interesse.

De

De fidei initijs à Parocho tradendis, & Scholis Doctrinæ Christianæ.

SVMMARIVM.

1 *Parochi fidei initia quibus diebus pueros doceant: etiam si regulares sint. De parochijs, &c. num. 48.*
2 *Doctrinæ Christianæ sodalitas instituenda, vbi illa adhuc instituta, non sit 4.*
3 *Quibus locis ipsa sodalitas institui non poterit; quid agendum.*
5 *Institutæ, instituendæq; quibus regulis vtantur.*
6 *In pagis, & villis a parochiali istantibus, cuius cura, & auxilio constituendæ.*
In Hospitalibus errigendę. De piorum locorum adm. num. 32.
7 *Clerici Parochum adiuuent in tradenda Doctrina Christianæ, & num. 6.*
8 *Doctrinæ Christianę tradendę, & percipiendę ratio præscripta.*
9 *Vt illius ignorationi occurratur, quid præstandum.*
10 *Parentum, & dominorum negligentię, ut consulitur.*
11 *Quibus Confessarij remittere possint recitationem quatuor capitum Doctrinę Christianę.*
Doctrinæ Christianę rudis in nulla Confratria adscribendus. Quę ad sodalit. pert. num. 9.
Mendici nagentes ad scholas Doctrinæ Christianę ducendi, ut illa ediscant. De piorum locorum administr. 57.
12 *Indulgentię eisdē sodalitatib. concessę, a quib. & quādo promulgādę.*
13 *Scholę ipsę sępissimè uisitandę.*
14 *Visitatorum quod officium.*
15 *Confessarij, & Concionatores* } *plures eisdem scholis constituendi.*
16 *Ob concionem a prandio habendam scholæ ipsę non impediendę.*

1. de fid. init. &c. § eo. Sess. 24. ca. 4. Vt quisque de Vit. & honest. cler.

1 PAROCHI singulis Dominicis, & alijs festis diebus, qui Ecclesię prępcepto agi soleant, pueris singuli in suis parochijs initia fidei tradant; eosque ad obedientiam, primum Deo, deinde parentib. prępstandam, erudiant, ac propterea à prandio stata hora, proprio campanę sono, ad id munus assignato, ad Ecclesiam conuocandos curabunt.

2 Quo studiosius parochi in ea curam, quę constitutione de fidei initijs,

initijs, à parocho tradendis, superiori Concilio, præscripta est, incumbant: id etiam curet Episcopus, vt in singulis diœcesis suæ oppidis, & vicis Doctrinæ Christianæ sodalitas instituatur, quæ in eo munere ipsos parochos adiuuet. Cuius rei causa libellus, quem vnusquisque Episcopus in suæ Diœcesis scholis, eo nomine institutis, adhibere poterit, iussu nostro edetur. 2. tit. 1. dec. 2.

3 Quibus autem locis sodalitas eiusmodi institui non poterit, in ijs duo, treve homines saltem deligantur, authoritate grauiores, qui pro Christiana pietate, id sollicitudinis suscipiant; vt pueros, adolescentesve ad parochum inducant, à quo in Ecclesia illi fidei rudimetis imbuantur. Ibid.

4 Quibus in oppidis, vicis, ac locis, quæ ad suam diœcesim pertinẽt, Episcopus has necessarias doctrinæ Christianæ scholas, & sodalitates, vt altera prouinciali Synodo iussum est, non adhuc instituit, illas, quàmprimum, & quàm diligentissimè institui curet, studeat verò quàmplurimos cuiusuis conditionis, status, & ætatis homines probatos, tum mares, tum fœminas, ijs scholis iam institutis, vel instituendis, adscribi, adscriptosque operam illis nauare, vt concessi Indulgentiarũ muneris participes sint. 3. De scholis doct. Christ. §. eo.

5 Eas verò iam institutas, vel in posterum, instituendas, scholas, & sodalitates, ad illas præscriptas regulas, dirigi curet, quæ iussu nostro, ad communem earum vsum edentur in lucem.

6 Vbicumque in Diœcesis pagis, aut vicis præsertim frequentioribus, quoniam ab Ecclesia parochiali aliquantulum ea loca distent, aliáve ob causam Episcopus expedire censuerit scholas doctrinæ Christianæ institui, erigivè, præter eas, quæ parochialis Ecclesiæ loco institutæ sunt, Vicarij Foranei diligentia, & parochi cura quàmprimum illæ instituantur, in Ecclesia, Capella, oratoriove illis propinquiori, aut commodiori; tùm maximè opera, & adiumento Sacerdotum, & Clericorum quorumcunque illius pagi, uici, locive. 4. de doctri. Christ. §. eo.

Si quando præterea in diœcesi per pluuiæ vim, niues, aliamue temporis grauitatem, viæ, aut itineris difficultati adiunctam, ad eiusmodi scholas in parochiali Ecclesia, qui debent, conuenire difficilius possunt: eiusmodi Vicarij, & parochi cura sit, ut tunc in oratorijs, vel Capellis propinquioribus, aut saltem, si id non potest, alio honesto loco, per Clericum idoneum, seu per alios scholæ sodales, & vitæ, & doctrinæ Christianæ studio instructiores, aliqua tum tradendę, tum percipiendæ, eiusmodi doctrinę exercitatio fiat; ne ob ullam causam statis diebus hoc institutum, atque pabuli spiritalis vsus illis desit.

7 Clerici quicumque Dominicis, festisque diebus, qua hora in Choro diuinis officijs concelebrandis obstricti non sunt, parochum, intra

cuius

cuius parochię fines habitant, in Doctrinę Christianę scholis, vbicumque docti intra fines illius parochię constitutis adiuoent, idque in vrbe, & Diœcesi ad prescriptum eorum, quibus id curę ab Episcopo datum erit.

5. Quæ ad p̃dicat. ver. Dei & doct. Chr. pert. §. eo.

8 Ad salutem cum omnibus fidelibus admodum necessarium sit, Christianæ fidei rudimenta scire, tum certè huius in primis prouincię populis, qui hæreticis finitimi, nisi in fidei fundamentis firmi fuerint, ac stabiles, summopere verendam esset, ne fortè ab eis in aliquam impietatis, ac nefarię doctrinę fraudem facilius adducerentur.

Quamobrem nos multam hactenus diligentiam adhibuimus, vt omnes, ac singuli Christi fidelis, in fidei Christianę rudimentorum, institutione erudirentur: sed cum parum nos hucusque profeciſſe tanta in re cognouerimus; negotij periculique magnitudine adducti, hęc prętereà decreuimus.

Primo omnibus, singulisque animarum curatoribus, & cęteris Cõfessarijs siue Sęcularibus siue Regularibus, in virtute sanctę obedientię id pręcipimus, vt faciant, antequam confessiones audiant, orationem Dominicam, Angelicam salutationem, Symbolum fidei, & Decẽ prącepta Dei, quę Decalogo continentur, ut pœnitentes recitent, aut ipsis audientibus referant. Quarum rerum si quos ignaros, rudesque offenderint, hanc eorum spiritualem socordiam acriter repræhendant, ostendantque quàm grauis esse debeat illorum conscientię ignoratio rerum, quę ad salutem tantoperè necessarię sunt. Cum autem eos absoluunt, prętер alias pœnitentias, et actiones satisfactorias, id etiam imponant, ut quatuor hęc saltem potissima Doctrinę Christianę capita in posterum accuratè ediscant, certo illis, pro arbitratu suo prefinito congruo tempore, quod tamen ob necessariam aliquam causam semel, aut ad summum iterum prorogari liceat. Eo autem temporis spatio confecto, si eadem adhuc illos ignorare viderint, tunc nè illorum confessionem audiant; nisi Consilio, & assensu, aut Vicarij Foranei, si Diœcesani sunt, aut illorum, quos huic curę in Ciuitate Episcopus prefecerit, si in Ciuitate viuunt. Si qui verò semel ita admissi ad Sacramentũ pœnitentię, eos postea in rudi hac, crassaque ignorantia persistere cõperrum erit, de ijs ad Episcopum ipsum referatur, antequam amplius admittantur, qui illorum saluti diligentius, & efficacius consulat, vt viderit in Domino expedire.

9 Quo facilius porrò pernicioſę huius ignorationis incommodo occurratur, neque aliqua fideles excusatione suam negligentiam prętexant, illud eisdem animarum curatoribus mandamus, vt die festo, vel intrà Missarum solennia, vel in Vesperis, aut paulò ante, si frequentior tunc fidelium multitudo pręsens in Ecclesia aderit, clara voce, cum di-

sertis,

fertis, distinctisque verbis, quæ ab omnibus exaudiantur, modo vnum, modo alterum, aliquando plura ex ijs præcipuis doctrinæ Christianæ capitibus, prout opportunius sibi videbitur, recitent: simulque vniuersos, qui aderunt, hortentur, vt eadem verba, quibus ipsi præibunt, illi simul referant.

Et verò, quo populus doctrinæ Christianæ præceptis atque institutis in dies instructior fiat; ijdem parochi illo tempore, nunc vnam, nunc alteram eorundem quatuor illius doctrinæ capitum partem studiosè explicent. Qua in re Cathechismi Romani, aliorumque probatorum authorum, qui in hoc genere, piè, diligenterque versati sunt, doctrinam potissimum sequantur.

Nec verò propterea, quæ nunc decernimus, quicquam detractum, derogatumve sit, quominus tum qui pro captu suo apti sunt maiori eruditioni, aut pro ratione status sui explicatius, & plenius vniuersam doctrinam Christianam discere debent, præstent, quod debent; tum parochi, alijque ad quos illam docere spectat, cumulatè præstent quæcumque in hoc genere olim decretum est ab illis præstari debere, & reliquas prætereà omnes sui muneris partes.

10 Porro confessarii grauissimam pœnitentiam imponant, itemque concionatores diuinam vltionem denuncient, & patribus familias, & dominis, qui nulla, aut saltem parua diligentia adhibita, omnem rationem non ineunt, vt sui liberi, ad famuli Christianam doctrinam addiscant; neque eis, quos in famulatu habent, tantum diebus saltem festis vacui temporis concedunt, quo in Ecclesias, aliaue loca pia, vbi ea doctrina traditur, ad illam percipiendam conuenire possint.

11 Quo faciliorem executionem habeat decretum in Concilio Prouinciali Quinto editum, de quatuor præcipuis illis doctrinæ Christianæ capitibus confessario, ante confessionem à pœnitente recitandis, nos decernimus, & declaramus Episcopi iudicio, & prudentiæ hoc permissum esse, vt certis confessarijs, quibus concedendum esse ipse censuerit, concedat, detque facultatem, qua illam fidei rudimentorum recitationem eo Prouinciali Concilio decretam, ac præscriptam possint pœnitentibus aliquando remittere; quos certo sciunt illa capita rectè nosse; & ijs maximè, quibus pœnitentiæ sacramentum frequentius ministrabunt. At verò illud confessarius caueat, nè eius recitationis munus illis condonet, quos certo non scierit fidei rudimenta memoriter tenere, ac rectè nosse. Verum cum illis, qui ea ignorant, agat ad præscriptum eiusdem Concilij Quinti.

5. Quę ad pę nit. sacr. pert.

3. de Schol. doc. Chr. §. eo.

12 Quo maior in dies concursus, & progressio fiat ad doctrinæ Christianæ scholas, ad earumque studium vehementias excitentur iam institutæ, & in posterum Deo iuuante, instituendę eius rei nomine sodalitates: Indulgentiarum, quæ & à Pio V. & nuper à Sanctissimo Domino Nostro Gregorio XIII. earum sodalitatem hominibus concessæ sunt, donum quotannis per parochos duobus ante Calendas Maij diebus Dominicis proximis promulgetur, cum frequens populus adest. Illis autem constituis Calendis, earum sodalitatum homines, vt Indulgentias consequantur, confessi, Sacram Eucharistiam sumant; ac processionem præterea agant solenni ritu. Si verò sæpius id promulgari, vel alijs potius certis diebus hæc ab illis agi, Episcopus censuerit, id constituat arbitratu suo.

3 Ibid. 13 Scholas præterea quàm sæpissimè visitari, tum ab earum præfectis, tamen ab alijs etiam iubeat, quibus id negotij dederit. Ijque diligenter ei referant, cum de omni instituta earum ratione frequentiaque illorum qui conueniunt, tùm de reliqua earundem sodalitatum spirituali progressione.

Ibid. 15 Eisdem, quo plures poterit, constituat Confessarios Sacerdotes, & in concionibus habendis exercitatos, quorum & ministerio adiuuentur, & salutaribus monitis, cerebrisque cohortationibus inflammentur in dies magis, ad illud scholarum, & piarum exercitationum institutum, atque studium.

16 Si quam aliquando concionem sacram à prandio populo haberi contigerit ei certa hora ab Episcopo statuatur: ita vt neque concionator à doctrinæ Christianæ scholis, neque hæ ab illo impediantur.

De Præbenda Theologali, & lectione Sacræ scripturæ.

SVMMARIVM.

1 *Præbenda Theologalis quibus in Ecclesiis constituenda: cuique illa conferenda. 2.*
Theologali, pœnitentialique prębenda uacante, a quo proponendum edictum: & cui conferenda. De edicto proponen. num. 5.
3 *Theologalem præbendam obtinens, quę legat, & ubi doceat.*
4 *Consultus de Theologię quæstionibus, gratis respondeat.*

Qua

1 VAE Ecclesiæ Cathedrales, aut Collegiatæ in oppidis insignibus præbendam, aut stipendium quouis nomine Theologię interpreti assignatum non habeat, cum in illis Sacrum Concilium Tridentinum præbendâ primò uacaturam, ad hunc vsum constituerit, quam ei tantummodo, qui ad hoc munus per se præstandum idoneus sit, deferri voluit; id si adhuc re ipsa effectum non sit, curent Episcopi, vt quamprimum decreto Concilij satisfiat. 1. de præb. Theo. §. eo. Sess. 5. c. 1. de Ref.

3 Quicunque prębendam Theologalem, vel Tridentino decreto, vel alia authoritate, ratioueve institutam, in Cathedrali, Collegiatisue Ecclesijs obtinet, is, & quæ Sacrarum lectionum genera, & quibus diebus Episcopus præscripserit, vt interpretationis suæ munere fungatur, accuratè ad illius præscriptum præstet; ita vt etiam si expedire censuerit, & in Seminario, & in alijs Clericalibus, Sacerdotalibusve Collegijs doceat: in Basilica verò Cathedrali saltem die festo semper sacrā scripturam publicè interpretetur & exponat; nisi aliquādo aliud iusserit Episcopus. 5. Quæ ad benef. collat. attinent.

4 Idem ab Episcopo, aut ab alio consultus, Theologiæ quęstionibus alijsve eius generis gratis respondeat: cęteraque denique omnia præstet, quæ pro suscepti muneris ratione ab eo præstari debere idem Episcopus censuerit.

De Prædicatione verbi Dei sacrisve concionibus.

SVMMARIVM.

1 *Prædicatio præcipuum Episcopi munus, & quando illud exercendum. De Missa, & Vesp. Pontif. num. 2.*
2 *Impeditus per quos alios id præstet.*
3 *Ipseque tunc concionibus interfit.*
Quo tempore habendæ conciones. 4.
4 *Parochi quo tempore omnino prędicent; etiam si Regulares sint, & de parochijs, &c. num. 48.*
5 *Si rudes qua ratione prædicandi munus expleant.*
6 *Doctrina, & progressus eorum vt probandi.*
7 *Negligentium, & contumacium pœnę.*
8 *Inhabilibus quando coadiutores dandi.*
9 *Parochi quid præstent, ut officio concionandi satisfaciant.*
10 *Vltra parochi officium, quando ab Episcopo per Diœcesim mittendi prædicatores, & a quibus excipiendi.*

Prædicandi ratio concionatoribus proposita.

Episcopus
Parochus, & } quo ritu, & ratione vtatur in habendis concionib.
Alij

11 Concio noctu non habenda.
12 Eo intra Missarum solennia Euangelia scilicet recitato habenda.
13 Concionis tempore Missa non celebranda, horæ Canonicę non recitandæ, neque eleemosina quærenda, & de Concionatoribus, num. 26.
14 Episcopo concionante ab alio nemine concionandum.
15 Parocho sermonem habente a populo non discedendum.
16 Conciones sacrę à Canonicis, & clericis, ac laicis in sua parochia parocho monente audiendæ. 17. & 18.
Concionib. quo vestitu Clerici intersint. 17.
19 Iis audiendis loca mulierum sint distincta.
20 Ad eam audiendam, quæ præparatio.
21 Vt ex ea salutares fructus capiantur, quid docendum a parocho.
22 Eius rectè audiendę modus traditur, eaque absoluta quid agendum.
In Missa Conuentuali cõgregationum Foranearum habendi. De Vicarijs Foraneis. 8.
Indulgentię celebrantibus, & conuenientibus ad ipsam Missam congregationum Foranearum euulgandę. De Indulgentijs. 17.
In funere qualis habenda concio. De funerib. 35.
Ad Iudęos, vt etiam habeatur. De Iudæis. num. 25.
Vt conciones in vrbe, vel oppidis a rusticantibus audiantur certis tęporibus, & festis solennibus, parochi cura. De Sanctæ Eucharistię in Eccle. administr. num. 4

1. de prędic. ver. Dei. §. eo.

1 APOSTOLI, in quorum locum Episcopi successerunt, satis nobis aperiunt, verbi Dei prædicationem esse præcipuum illorum munus, qui in Episcopali sede collocantur.

Sess. 5. c. 2. ses. 24. c. 4. de Ref.

Quamobrem nos authoritatem sacrosancti Tridentini Concilij, & veterum patrum sequuti, in Domino Episcopos hortamur, vt toto pectore in hanc curam incumbentes, greges sibi commissos ipsimet, præsertim in Ecclesia sua, verbo Dei pascant.

2. Ibid.

Quòd si leui de causa, aut quodam animi languore impediti non secerint, sciant sibi prætermissi necessarij officij Iudici Deo pręcipuè rationem esse reddendam.

Sess. 5. cap. 2. Conc. Later. sub Inn. 3. c. 10.

2 Sin autem se interdum verè impeditos cognouerint, per viros idoneos, ex prescripto eiusdem Concilij Lateranen. deligendos,

hoc

hoc munus studiosissimè populo præstent.

Episcopus, si verè, legitimèque aliquando impeditus, in Cathedrali Ecclesia prædicationis munus p r se ipse præstare non pot st, vt certè Concilii Tridentini sanctione decretuíque prouincialibus debet, id per alios, qui idonei sint, ex eorum decretorum præscripto præstet impensis scilicet suis, nisi immemorabilis consuetudinis est, eas ipsas impensas ab aliis illo prædicationis nomine fieri. 5. Quæ ad p. dic. verbi Dei &c. §. eo.

3 Episcopi ijs diebus, quibus legitimè impediti prædicandi munus in suis Ecclesiis per alios præstabunt, eisdem sacris concionibus, quantum poterunt, interesse studebunt. 1. Ibid. §. eo.

4 In alijs verò Ecclesijs parochialibus, vel aliam curam animarum habentibus, saltem omnibus Dominicis, & solennibus diebus festis, ieiuniorum autem Quadragesimæ, & Aduentus tempore, quotidie, vel ijs saltem diebus, quibus Episcopus iusserit, proprio parocho, & curato, oues sibi commissas, pro earum sensu, & intelligentia, salutarib. verbis pascendas mandamus. Sess. 5. c. 2. Sess. 25. c. 4. Conc Magũtiacũ c. 25. Conc. Later. sub Inn. 3. ca. 10. c. inter cę tera, de offic. ord.

5 Si qui autem propter inscitiam id præstare non poterunt, ad peritos confugiant; quorum auxilium implorantes, vel homilias sibi præscriptas, vel latinos sermones authoris, ab Ecclesia recepti, in linguam vulgarem conuersos, approbatos tamen ab ordinario, aut memoriter, aut de scripto pronuncient.

Id autem tamdiu fiet, quoad liber Homiliarius ad hunc Curatorum vsum Metropolitani cura prodibit in lucem.

6 Sed vt norint Episcopi, & eorum industriam, qui Doctrina, sunt prædíti, & illorum diligentiam, qui aliorum verbis diuinam legem enunciant, iubeant, si eis ita videbitur, ab vnoquoque parocho, & Curato, unum singulis mensibus, ab eo habitum in Ecclesia sermonem ad se mitti.

Eorum autem in pascendo populo verbi Dei prædicatione, industria, & doctrina, & in eo genere salutaris progressus ab Episcopo cognoscatur, vel illis in Episcopales ędes, alioue, aliquando coram se ad concionandum, euocatis, vel etiam ex sermonibus, quos habuerint, aliquando ad ipsum Episcopum missis, vt prouinciali Decreto olim sanctum est, vel alia omni ratione, quam inierit idem Episcopus. 4. de ver. Dei pd. § eod.

7 Qui negligentes, aut contumaces fuerint, eos Ordinarij arbitrio suo puniant; & prętereà alios deligant, qui eorundem impensa opus illud explere possint; donec ipsi resipiscentes, munus suum expleant. 1. Ibidem. Sess. 5. c. 2.

8 Quo etiam modo illis occurrere poterunt, quos etiam, vel peritorum industria, vel homiliarium libris, uel alia quacunque ratione

adiutos, parum proficere; quosve ei muneri minus aptos esse, vel prædicatione destruere potius, quàm ædificare iudicarint.

4. de ver. Dei prædic. §. eo. Sess. 5. c. 2.

Parochis non idoneis ad munus suum obeundum in pascendo sibi commissum populum verbo Dei, coadiutor eo in onere sustinendo, tum toto temporis, anno, vt est à Tridentino Concilio sancitum, & primo etiam prouinciali nostro, Decretum, tùm maximè in Quadragesima detur ab Episcopo: cum ea mercede, aut eleemosina, ad eius sustentationem à parocho persoluenda, quæ eidem Episcopo videbitur congrua. Vide tamen, de concionatoribus, §. Populus.

4. Ibid. §. eo.

9 Parochi præterea, vt & concionando, & docendo fideles, sibi commissos, salutaribus institutis, sanctaque disciplina instituere possint; eos sibi libros, cum per facultates possunt, comparare studeant, quæ à probatis authoribus piè, & doctè conscripti viam, & rationes aperiunt, partim ad sanctissimam sacrarum litterarum explicationem, optimamq. concionandi normam; partim ad spiritualis vitæ institutionem, virtutumque Christianorum exercitationes; tum denique ad parochialis Ecclesiæ curam, sanctè, & religiosè gerendum.

1. de prædic. V. Dei. §. eo. Sess 24. c. 4.

10 Extra vrbem verò in vniuersa Diœcesi, præter officium, quod Curati præstabunt, tam multos distribuant Episcopi concionatores, vt in Curatis Ecclesijs, quæ in frequentioribus vicis sitæ sunt, cæterisque omnibus etiam non Curatis, in quibus ipsi opportunum iudicauerint, intra cuiusque mensis spatium, saltem semel in aliquo die festo Dei verbum prædicetur; Eos autem ab illis, in quorum Ecclesijs prædicabunt hospitio recipi volumus, suppeditatis omnibus rebus, ad eorum victum necessarijs, data etiam eleemosina aliqua ex fructibus beneficiorum, vel etiam largitione laicorum, si beneficia tenuiora iudicauerint Episcopi, quam vt id onus ferre possint; nisi sint, qui iure debeant, vel dare consueuerint. De hoc vide etiam in titulo de Concionatoribus.

Sacra concione noctu nũquam, sed opportuno tẽpore Episcopi prẽscripto habeatur.

11 Curent Episcopi, quod ueteris Ecclesiæ institutũ est, sermonem, sacramue concionem vbique intra Missarum solennia potissimum haberi, siue ab illo eodem Sacerdote, qui Missam tunc celebrat, canitve, siue ab alio habeatur: idque præterea, etiam si Missam sacrificiũ pro mortuis fiat: nisi sermo aliquando Episcopi concessu de mortui laudatione in Ecclesia habeatur, qui nullo modo in Missa, sed ea peracta, pronuncietur.

4. de ver. Dei præd. §. eo.

Cum verò concionis, sermonisve munus in Missę Sacrificio prẽstatur, id fiat semper statim, postquã Euangeliũ recitatũ est, vt Ecclesiastici ritus ratio postulat, non in alia Missę parte, aliove tempore.

Dum

13 Dum concio habetur, nec Missæ, aut horę Canonicæ, clara, aut submissa uoce in ex Ecclesia dicantur,

Dum vel Episcopus, vel parochus, vel alius sermonem concionemue habet, ne eo ipso tempore, in Ecclesia, vbi habetur, in eiusue aliquo sacello, aut in alia eiusdem parte, ac ne in ea quidem, quæ subterranea, Scuroli nomine vocatur, Missę Sacrificium ab vllo quouis Sacerdote fiat.

14 Quod à Clemente V. Pontifice Maximo in Concilio Viennensi de prædicatione verbi Dei constitutum est, id omnis Ecclesiastica ratio suadet ad vsum, vel reuocari, vel introduci. Qua igitur hora Episcopus, cuius precipuum munus est prędicationis, id officium præstat, ne quis alius, cuiuscunque ordinis est, illa ipsa hora, in ea vrbe, oppido, vico, locoue, ubi ille prędicat, etiam in Ecclesia regularium, aut aliàs exempta; sermonem, concionemue habeat, nisi facultate ab illo impetrata. Clem. Dudũ de sepult. Ibid.

15 Quoniam parocho concionante nonnulli, parum salutis suę memores, cum ad illius concionem conueniunt, sępè discedunt ea non absoluta, ideò debiti in hoc genere officii sui eos crebro Parochus admoneat, prout necessarium esse viderit. Quod si quos aliquando monitos ex verbi Dei, uel parochi concionantis contemptu in contumacia perseuerare animaduerterit, illos ad Episcopum deferat, qui pro culpę gravitate eosdem afficiat, tum aliis pœnis, tum si opus est, Sacramentorum communione priuet, ad Carthaginensis Concilijs prescriptum. 3. Quę ad Conc. pert. §. eo.

16 Qui verò dignitates, personatus, vel Canonicatus in Cathedrali Ecclesia obtinent, & alij eiusdem Ecclesiæ Clerici, Dominicis, ac festis solennibus diebus semper; Quadragesimę autem, & Aduentus tempore quam sępissimè verbi Dei conciones in eadem Ecclesia audiant. Quod officium à cęteris quoque ciuitatis clericis prestari diligenter curabunt Episcopi, ut ipsorum exemplo laici etiam ad audiendum verbum Dei studiosius confluant. C. Sacerdotes de cens. dist. 1. 1. de Prędic. verbi Dei, §. Episcopi ver. Qui uero.

17 Superiori Concilio iussum est, Canonicos, & alios clericos sacris concionibus interesse, quod cum ab eisdem non ita prestetur, ut debet, pœnis propositis, id efficiendum censuimus, quod iussu, & cohortationibus non potuit. Quare Canonici Cathedralium, tum Collegiatarum, etiam Ecclesiarum, & reliqui pręterea clerici si tempore Concilij superioris constitutione prescripto, non interfuerint sacris concionibus, aut ad eas sacrarum litterarum interpretationes lectioneue non accesserint, quas ipsis Episcopus prescripserit, mulctentur einsdem Episcopi arbitratu. 2. Quę ad Missa, &c. de cr. 27.

17 Canonici, & alij item dignitate prędditi, ac reliqui pręterea

4. de ver. Dei prçd. §. fi.

quicunque sint, cuiusuis Ecclesiæ Clerici cum in sua Ecclesia, concionibus, lectionibusue sacris intersunt, superpelliceis, eoque clericali, Canonicaliue habitu, quem in Choro Canonicarumq; horarum officijs obeundis uestiunt, induti omnino sint.

1. Quæ pert. ad celeb. Missæ. Sess. 24. c. 4. de Refor.

18 Moneantque eum diligenter, debere vnumquemque, vt à Sacra Tridentina Synodo traditum est, in parochiam suam, vbi id fieri commodè potest, conuenire ad audiendum verbum Dei.

1. de prædic. verbi Dei.

19 Conciones audiendę causa, loca uirorum, & mulierum si fieri potest Episcopi cura distinguantur, qui ad id exequendum idoneos aliquot viros adhibeat, & à secularibus magistratibus, si opus erit, auxilium petat.

5. Quæ ad prd. ver. Dei &c. §. eo.

20. 21 Magna in verbo Dei uis inest ad commouendos animos, si qui audiunt, ita se instituant, atque adeo parent, vt vtiliter audiant. Parochi igitur sępè moneant, ac doceant, quo scilicet modo fideles salutares vtilitates, spiritualia que emolumenta, & fructus vberrimos è Sacra Concione capiant.

22 Doceant igitur hæc in primis.

Vt cum quis ad verbi Dei concionem accedit, non concionem profanam, sed Sacram, religiosam, sanctæ disciplinę institutis excultam, atque charitatis studio elaboratam, se auditurum putet; proindeque persuadeat, se à Deo, qui concionatoris ore tunc sanè loquitur, salutaribus præceptis, consilijsque eruditi ad optimè agendum.

Vt in Ecclesiam ingressus, hæc à Deo precetur, primum sibi peccata remitti, tum etiam sibi aperiri aures cordis, ut audiat, oculosque mentis, vt videat, agatque adeò ad instituendæ vitæ rationem, & vsum accommodet quę concionator enunciarit.

Vt firma, fixaque animi deliberatione statuat, se velle perficere, atq; exequi, quæcumque in ea concione sibi dicta putauit.

Vt quæ è concione audierit, ne planè ad alium quemquam, sed ad seipsum omnino referat.

Vt animo nō uanè distracto, sed collecto, atque attentissimo concionatorem, tamquam eum, qui Dei verba, non sua pronunciet.

Vt neque eloquentiam, neque actionem, artemve concionantis spectet, aut admiretur, eiusque sermone, tanquam carmine musico, inquit propheta, quod suaui, dulcique sono canitur, tantum oblectetur, ita vt verba audiat, & non faciat ea: sed totus in eo sit, ut diuini uerbi spiritū hauriat, quo incensus, quæ audierit, studiosè efficiat, atq; exequatur.

Vt dei verba, quæ è concionantis ore exeunt, non solum aurium sensu, sed intelligentia, menteque ita religiosè percipiat, vt animi

volun-

voluntatem, ardentemque affectum simul accendat ad omne sanctè agendi officium.

Vt concione absoluta, si modo ibi moraturus non sit, quò ad Missæ solennis sacrificium peragatur; ne tamen statim de Ecclesia abeat, sed in oratione paululum consistat; tùm verbi Dei, quod audierit, præcipua capita, quæ præsertim sibi conueniant, tacita cogitatione secum repetat, rationemque certam concipiat, atq; ineat, qua res tam salutares rectè exequi possit.

Vt de templo à concione, orationeque egressus, ne de concionante intemperanter loquatur, ne temerè iudicet. Ne rursus ad inanes confabulationes, profanaque colloquia se conferat, vt ne effluat, quod & audiendo, & meditando castè, sanctèq; concepit.

Immò verò amicis obuiam factus, cum illis salutaria instituta, quæ concionator explicauit, studiosè, & opportunè communicet.

Domum reuersus, familiam item sæpè commonefaciat, quæ de sanctæ uitæ institutione ab eo accepit.

Quæ in hoc Titulo desiderantur, vide in Titulo sequenti de Concionatoribus.

De Concionatoribus, siue Episcopi, siue Parochi, siue alij quicumque sint, etiam regulares.

SVMMARIVM.

1 *Concionatores fidei professionem faciant. De profes. fid. nu.* 11.
Illis prædicandi ratio proposita.
Vt sacram scripturam Catholicè interpretentur.
2 *Vt allegorijs tantum approbatis vtantur.*
3 *Vt Antichristi, extremique iudicij certum aduentum non prædicent.*
4 *Vt historias ex apocryphis scripturis non narrent.*
5 *Vt miracula falsa non referant.*
6 *Vt fabulas non recenseant.*
7 *Vt hæreticorum argumenta omittant.*
8 *Quando, & qua ratione referant.*
9 *Vt res dubias, & obscuras vitent, &c.*
10 *Vt inanes quæstiones fugiant.*
11 *Vt Euangelium, Symbolum, Orationem Dominicam, Angelicam salutationem, Decem præcepta, Ecclesiæ Sacramenta, & sacros Ritus explicent.*
12 *In reprehendendis vitijs, vt se gerant.*

Prauas

13 Prauas consuetudines reprehendant.
14 Cum Prælatis, & Magistratibus, quales se ostendant.
15 Populum, vt doceant, & moneant.
16 Vniuscuiusque munera ostendant.
17 Virtutumq; officia demonstrent.
18 Quæ vitia euellenda, quæque virtutes disseminandæ, certificentur.
19 Concionatoribus, ab Episcopo, loci Parocho, Vicarioq; foraneo, morum corruptelæ loci, quo mittuntur, significandæ &c.
20 Concilij Tridentini decreta, populo inculcent.
21 Ecclesiæ præcepta seruandi modum doceant.
22 Consilia amplexanda commoneant.
23 Bonis, vt vtendum sic, doceant.
24 Ipsorum Concionatorum vita, qualis.
Quales item Concionatores Monialium. De Concion. Monial. num. 1.
Cum Monialibus colloqui non licet, ibid. num. 2.
25 Indulgentias populo non publicent.
26 Nemine paupertatis nomine commendent: neque permittant, vt à quoquam illa petatur; & quid seruandum, vbi licentia pauperi concedatur.
27 Pecuniam collectam, quando faciant pro se, aut alijs.
Qui doctrinam Christianam Iudæis prædicent. De Iudæis, num. 25.
Qua forma vtantur in Saluatoris passione exponenda. De actionibus & repræsent. num. 2.
28 Episcopus, quo ritu, & ratione vtatur in prædicando: quique illi assistant.
29 Parochus item, & alij quem modum obseruent.
30 Suggestum, quando concionaturus ascendat: ineoque vt stet.
31 Episcopus / Parochus } sacrum Euangelium tractaturus, librum ante se habere potest.
32 Si Episcopus fuerit, quem ministrum adhibeat.
33 Episcopus / Parochus / Alijq; Concionatores } anniuersaria mysteria, cultū, cęremoniarūq; significationes dierum solennium populum statis ijsdem diebus doceant.
34 Supplicationum Iubilæorum agendorum causas explicent.
35 Festis, Dominicisq; diebus proximè antecedentibus idem præstent.
36 Ieiunijs Aduentu, & Septuagesima, instantibus idem faciant præstetur.
37 Pentecostes diebus, de Sacramento Chrismatis, populum instruant.
38 Instructio ipsa, qualis.
Indulgentiam concessam accusantibus blasphemos, sæpè denuncient. De blasphemia, num. 7.

Quas

Quas Constitutiones cohortationibus adiuuent. De iurisdictione Episcopali, num. 10.

Feria sexta hebdomadæ Sanctæ Crucis effigiem de suggestu proponant. De ratione diui. off. 61.

Concionemque habeat post recitatam Domini passionem. Ibidem.

39 *Concionatores regulares in Ecclesiis suorum ordinum prædicare non possunt absque licentia suorum Superiorum, & Episcopi benedictione. 42.*

Contrafacientes puniantur. 43.

40 *Neque in Ecclesiis alijs absque Episcopi licentia, idque Parochi cura.*

41 *Concionandi facultas, etiam in loco exempto ab Episcopo impetranda.*

Benedictio Episcopalis petenda.

43 *Concionatorem deligendi Episcopi cura.*

44 *Concionator examinandus, & à quo.*

45 *Concionandi facultatis, susceptæve benedictionis litteris Concionatorum institutiones describendæ.*

Concionatorem quis excipiat. De prædicatione verbi Dei, nu. 10.

46 *Ad eius sustentationem, qui compellendi.*

Concionandi causa examinati, in libros à Cancellario referendi an probati, improbative sint. De Cancellario, & Notarijs, num. 30.

1 HIS autem, qui prædicandi officio, aut quacumque ratione fidelibus Christianam doctrinam tradendi, munere funguntur, hanc viam, & rationem ineundam proponimus. Primum, de prædica. ver. Dei, §. eod.

Vt sacram Scripturam interpretentur eo sensu, quem Catholica Ecclesia, & consentiens Sanctorum Patrum auctoritas comprobauit; neque quidquam ab Ecclesia, aut à Doctoribus Ecclesiæ probatis alienum proferant.

2 Vt, si quando ad auditorum vtilitatem vtendum erit allegorijs, eas ex receptis ab Ecclesia scriptis seligant.

3 Ne certum tempus Antichristi aduentus, & extremi iudicij diem prædicent: cùm illud Christi Domini ore testatum sit: Non est vestrũ nosse tempora, uel momenta. Neve quidquam præterea futurum ex sacris litteris diuinare, eique euentui certam diem præfinire audeant. Neque temerè, id sibi diuinitus reuelatum esse, affirment.

4 Ne historias, ex apocryphis scriptoribus populo narrent.

5 Neve miracula, quę probata Scriptoris fide nõ cõmendentur. si quæ tamen auditoribus salutaria iudicarint; ita commemorent, vt à certa

certa eorum affirmatione abstineant.

6 Ne ineptas, & ridiculas fabulas recenseant: Neve superuacaneas, & parum fructuosas.

7 Ne hæreticorum opiniones, & argumenta referant apud imperitam multitudinem.

8 Quod si alicubi necessitas postularit, ut eorum falsa dogmata accuratius, ac liberius confutentur, id non longa disputatione, sed graui redargutione faciant, quod facilè assequentur, si Catholicam veritatem expromentes, sanctæ Ecclesiæ, Conciliorum, & probatæ veteris consuetudinis auctoritate, ac Sanctorum Doctorum, quos probat Ecclesia, testimonijs roborarint; & sacræ Scripturæ locos, quorum sensus ab illis ad corrumpendas simplicium hominum mentes depranantur, & ex aliis eiusdem Scripturæ locis, & ex Sanctorum Patrum sententia fideliter interpretentur. Sic enim fiet, vt dogmatum peruersitas, quæ falsa interpretatione nitebatur, Catholicæ veritatis vi, & rectæ interpretationis pondere corruat.

9 Ne quid ambiguum, ancepsve loquantur, quod auditoribus variè intelligendi occasionem præbere possit. Neve concisè, & obscurè quidquam exponant, qua ex re auditorum animi expectatione incerti, & suspensi relinquantur.

10 Ne ostentandæ doctrinæ, & eloquentiæ causa, difficiles, atque inanes quæstiones, fucumve orationis, & pigmenta cóquirant, vnde sui ipsius potius, quàm Iesu Christi prædicatores esse uideantur.

11 Sed præcipuè in Euangelij, Symboli, Orationis Dominicæ, Angelicæ salutationis, Decem præceptorum, Sacramentorum Ecclesiæ, & sacrorum Rituum dilucida explicatione versentur.

12 In reprehendendis vitiis ita se gerant, vt pietatis, & caritatis studio eos adductos, non hominum, sed peccatorum odio id facere omnes intelligant.

Diligentes, ac vehementes sint in ijs vitiis, & peccatis exagitandis, in quibus magis uolutatum populum, aut ad ea procliuiorem uident.

13 In prauas etiam Consuetudines inuehantur. Et in eas, quæ, etsi malæ non videntur, tamen facilè peccandi causam afferunt.

Ne quemque nominatim, aut tacitò illum designantes, insectentur.

Ne in ordinem ullum, statum, aut uitæ genus ab Ecclesia receptum, inuehantur.

14 Ne Episcopos, aliosve Prælatos, neve Ciuiles Magistratus cum auditorum offensione asperius obiurgent; sed piè potius admoneant.

15 Populumq; doceant, præpositis suis, etiam discolis obedire.

2. Tim. 2. Quem etiam sæpissimè moneant ex Apostoli sententia, ut faciat obsecratio-

secrationes,orationes, postulationes,gratiarum actiones, pro omnibus hominibus, qui in sublimitate constituti sunt; præsertim verò pro iis, qui peruigilant, quasi rationem pro animabus eorum reddituri; vt quietam, & tranquillam vitam gerant, in omni pietate, & castitate.

Ita afficere studeant auditores, ut sua peccata dolenter defleant: quos interdum propositis supplicijs æterni ignis, à flagitijs, & facinoribus deterreant; interdum cõmemoratis cœlestis vitæ præmiis, ad uirtutes, in primis uerò ad Dei,& proximi amorem accendant.

16 Omnes hortatu,& præceptis ad pietatem erudiant; & quę cuiusq; sit propria virtus,quod officium patris, filij, uiri,vxoris, domini, serui, laici, clerici, priuati,Magistratus,omnium denique ætatum,generum, ordinum,partes,& munera,assiduè commemorent.

17 Verbi Dei prędicatio, tractatiove multiplex illa quidem, & magna, nos hoc admonet, ut pręter illa, quæ superioribus Concilijs nostris Prouincialibus eo de genere constituta sunt,hęc etiam pro dignitate rei, proque vtiliori, ac faciliori illius muneris præstandi ratione decernamus. 4. De uerb. Dei p̃d.§.eo.

Illud proprium, ac peculiare sit,non solum Episcopi, sed etiam parochi,genus docendi, ut beati Pauli Apostoli exemplo sigillatim cuiuscumque status homines,uterque instruat, & pręcipua uirtutum officia demonstret;modo filios,modo parentes,nunc seruos,nunc Dominos,nunc uiros, nunc uxores, nunc senes, nunc iuuenes erudiens, ac diligenter,quę cuique propria sunt, prescribens, paterna charitate, & solliciitudine,fideles sibi commissos,à uitiis deterreat: tùm ad uirtutes accendat,& testimoniis diuinarum litterarum, & Sanctorum Patrum doctrina,atque exemplis, & sacris Ecclesiæ traditionibus, & similitudinibus,& sanctioribus etiam figuris. Quod sanè officium, si graui oratione, & ab omni, uel artificii,uel hominis sua spectantis,suspicione aliena,tractabitur; maiorem inde fructum, iuuante Domino, fore sperandum est. Nec verò minus in publicis sermonibus, quàm in priuatis etiam colloquiis, & secretis confessionibus Apostoli præceptum uterque implere studeat,arguendo,obsecrando, increpando, in omni patientia, & doctrina.

18 Id planè sibi proponat,optimè nosse,quę in populo uitia,peccata ve potissimum euellenda; quę rursus virtutes in primis disseminandæ sint; eoque intendat maximè omnem uim prędicationis suę. Nec verò semel,atque iterum,sed sępè,prout usu uenerit, in eodem unius,uel uirtutis suadendę,uel uitij detestandi studio uersetur; quò ad, quantũ in se est,perenni quadam doctrinę perseuerantia; & perpetua quasi pugna, & contentione,id quod olim Sanctissimos Episcopos,Ambrosium,Augustinum,& Chrysostomum feciisse constat,fidelium animos,

etiam

etiam in malè agendo penè obfirmatos, expugnet, deprauatosq́; uiuendi mores, iam inueteratos, radicitus iuuante Deo, euellat.

19 Quod ipsum, vt Concionator omnis præstet, atque exequatur cùm ad aliquem locum mittitur; tunc, & Episcopus, & loci parochus, & Vicarius Foraneus, si ad locum Diœcesis mittitur, conquisitas, collectasque paulò antè diligenter morum corruptelas, tunc frequentiores eò loci, vbi concio habenda erit, verbi Dei concionatori, tempestiuè significabit: rursusque eundem admonebit, si quod pietatis opus est, quod in illa parochia, locove, eo tempore, vel institui, vel vehementius excitari velit.

Primũ, ibid. 20 Decreta Concilij Tridentini, præsertim, quæ ad mores, & disciplinam Christianam restituendam pertinent, & has nostras Constitutiones populo studiosius inculcent.

21 Hanc præterea rationem habeant, vt non solum Dei, & Ecclesiæ præcepta seruanda esse doceant; sed modũ illis tradant, quò ea ex Dei voluntate seruare oporteat.

22 Commoneant, vt non solum præceptis seruandis, sed etiam consilijs amplectendis, ad perfectiorem vitam in dies magis contendere studeant.

23 Doceant, quo modo vtendum sit bonis animi, corporis, & externis: Quove modo secundis, & aduersis rebus, vt ea sint illis tamquam instrumenta, ad consequendam vitam cœlestem.

24 Maximè verò caueant, ne quod præceptis, & hortatu ædificant, id vita, & moribus destruant; ne cum alijs prædicauerint, ipsi reprobi efficiantur.

25 Indulgentias populo nè publicent, nisi de consensu Episcopi.

26 Neminem populo paupertatis nomine commendent: nisi is testimonium ab Episcopo scriptum attulerit.

Neque ei inter concionem permittatur, vt eleemosynam à quoquam petat in Ecclesia: sed aut ad fores Ecclesiæ stet; aut per eos, qui eam curam susceperint, id negotium ita commodè, ac celeriter agatur, vt minimè concionem impediant.

27 Concionator in Vrbe ne sine scripta Epi facultate pecuniæ collectam inter cõcionandum proponat, faciatve: neq; itidẽ in Diœcesi, sine Vicarij Foranei licentia. Liceat tamen concionatoribus Regularibus in eorum ecclesiis, absq; facultate illis tradita ab Episcopo, siue eius Vicario; sua Monasteria populo commendare.

Nec verò eleemosynæ causa concionatori seipsum commendare liceat: ab aliis tamen piis, honestisque hominibus eius causa de Episcopi licentia conquiri, & colligi vetitum non sit.

4. De verb. Dei prædic. §. eod. 28 Episcopus, cùm in Missæ solennis sacrificio sermonem, aut concionem

nem habet, Mitra, Episcopaliq́ue sacro omni vestitu, quem in Missa adhibet, indutus sit.

Cui Concionanti, ministri Ecclesiastici, sacris vestibus ritè induti, septem, ut antiquo Canone iussum est, vbi potest, sin minus, pauciores, ab utroque eius latere assistant.

Adsit etiam, vel dignitate præditus, vel Canonicus, vel alius deniq; ad quem ex probato instituto spectat baculi pastoralis sustentatio, pluuiali indutus; qui ante ipsum à latere sinistro baculum manu sustineat.

Si uerò sermonem in Missę sacrificio non solenni habet, sacris item vestibus, Missę sacrificio dicatis, vtatur, & mitra, & cum baculo item adsit minister. Eiq́; assistant prætereà ministri duo ad minimum, superpelliceo, aut si Canonici, uel dignitate præditi sint, suo in chori officijs stato habitu quotidiano induti; nisi pro alicuius celebritatis, solennisve actionis, ac populi concursus ratione, aliis sacris uestibus eos amictos esse aliquando iusserit.

Id porrò muneris obeat, sedens in medio altari, in saldistorio, aut in sede, loco eminentiori collocata, aut in cathedra Episcopali; aut etiam, suggestū, ambonēve ascendat: ubi itidē sedēs, & mitra item ornatus, cęterisq́; vt suprà adhibitis, cōmodius à populo cōspiciatur, & audiatur.

In alia verò actione, quàm in Missæ sacrificio, aliove tempore, prout actio solennis, populive frequentia est, sermonem ijsdem, vt suprà locis, arbitratu suo, habeat, pluuiali, & mitra etiam indutus; adhibitis quoque, vel pluribus, vel duobus saltem, qui digniores aliis in Ecclesia sint, vbi de more illius Ecclesiæ Episcopo in sacris actionibus ij assistere solent, vel Archidiacono, & altero diacono, qui digniori loco sedet; aut demum duobus, ut Episcopo videbitur, canonicis diaconis, sacro diaconali amictu uestitis.

Quod si cappa Episcopali, & stola potius, quàm pluuiali, & mitra vti maluerit: illi duo assistentes, non sacro diaconali amictu; sed & ipsi, & alij ministri, superpelliceo, aliove sui canonicatus, dignitatisve in chori officiis insigni induantur: adhibeaturq́ue prætereà, non solum, qui pastoralem baculum, sed alter ēt, qui mitrā à dextero latere teneat.

Cùm uerò sermonem, aut concionem minus frequenti populo, aut in actione minus solenni, uel in Ecclesia non insigni habebit; poterit roccheto, & mozzeta indutus id præstare, stola etiam adiuncta.

Nec uerò propterea omittet; quo minus, si per temporis, & loci opportunitatem liceat, & assistentes, & alios ministros, vt suprà adhibeat, cum insignibus Episcopalibus. Si quando autem tunc duo illi canonici, cum superpelliceo, uel cum indumento, habituve canonicali non assistent, ecclesiastici tamen ordinis homines aliquot grauiores, præsentes adesse, conueniens erit.

Triplex

Triplex porrò hæc ratio, vel pluuiali, uel cappa Episcopali, uel rocheto, mozzetaque cum stola utendi, cum sermonem non in Missæ sacrificio, sed in alia functione, aliove tempore Episcopus habet, non ita ei præscripta est; quia modo unam, modo alteram, modo tertiam, prout maluerit, & temporis, loci, personarumve ratio tulerit, adhibere possit. Nec præterea prohibetur ex tempore, ut aliquando usui uenerit, ubique etiam sine stola gregem suum verbo Dei, & salutaribus monitis pascere pro munere suo pastorali; cùm eius & dicta, & facta, quasi perpetuam quandam prędicationem ministrare, præbereve debeant.

29 Parochi uerò, Præpositi, & alii, Episcopo inferiores, cùm in altari id munus obibunt, tunc capite aperto stare debebunt, ad sacerdotalis libri prędscriptum.

30 Quò autem facilius à frequenti populo audiantur, suggestum eos ascendere opportunius erit; tuncque casulam deponere, si maluerint, licebit: quam statim, sermone habito, ad altare reuersi, induant.

In suggestu concionem, aut sermonem, cùm habent, operto sint capite, & sedeant, aut stent, prout maluerint.

Cùm non is Sacerdos, qui sacrificium Missę facit, sed alius intrà Missę celebrationem, sermonem, concionemve habiturus est, is suggestum ascendat: intereà uerò sacerdos celebrans, loco à laicis segregato, & ab altari paululum remoto, non extrà tamen capellę fines, in qua Missa celebratur, sacris uestibus indutus, cum duobus ministris, scilicet diacono, & subdiacono, si illi in Missa tunc adhibiti sunt, ab utroque latere considentibus, sedebit.

31 Episcopus, parochusve, sacrum Euangelium, aut etiam Scripturæ sacrę partem, coram populo, etiam è loco superiori tractans, collocatū ante se aliquando, cùm uiderit expedire, habeat euāgelij, aut sacrę scripturę librum: de quo ipse, aut etiam minister, cùm Episcopus est, per membra, clausulas, & sententias distinctè eiusdem Euangelij; sacręve Scripturę uerba: quę ipse scilicet, uel Episcopus, uel parochus concionando, quo ordine leguntur, sigillatim populo explicet.

32 Minister uerò, in hoc munere legendi, Episcopo Archidiaconus sit, uel diaconus canonicus, aliusve denique, quem Episcopus elegerit; isque ante illum capite aperto stans, de libro verba distinctè pronunciet.

3. Quę ad Cōciū. pert. §. eo.

33 Anniuersaria festorum, solenniumq; dierum quadam quasi uicissitudine, & statis pro solennitatum, temporumq; ratione sacris cęremoniarum Ritibus Dei Ecclesia à Spiritu sancto instructa redemptionis nostrę mysteria, & sacras alias actiones in anno, tamquàm uno libro descriptas, fidelibus proponit: qui si minus ad ea instructi sunt, nec quę

sanctè,

sanctè, religiosèq; aguntur, intelligunt, non eum fructum, quem alioqui perciperent, capiunt. Quò igitur diligentius illi instruantur, indiesq; magis accendantur ad publicas sacras actiones, & mysteria colenda, quæ statis anni solennitatibus, & temporibus Ecclesia Dei celebrat; Episcopus tum ipse aliquando, tum Concionatores, & parochi, certis ijs diebus, quibus illa agi, celebrariuè contigerit, populum doceant, cum sacrosancta ea mysteria, tum religiosum eorum anniuersarium cultum, tum sanctiores statarum ijs colendis sacrarum cęremoniarum, ac rituum rationes, & significationes.

34 Itidem, cum solennes aliquæ statæ processiones, vel aliæ supplicationes, aliqua publica causa indictę, aguntur, vel Iubilæum in vniuersa Ecclesia indictum, celebratur; conciones ab eisdem habeantur: quibus præter cætera, explicetur causę, quamobrem aut Iubilęum celebretur, aut illę supplicationes fiant; tum excitentur, atq; admoneantur fideles, quàm religiosè incumbendum sit ei Sanctę actioni, quidq; ab illis prę standum, vt illius Iubilęi spirituales diuitias ipsi consequantur.

35 Vt autem religiosa animi prępara tione si solennes dies à fidelibus colantur; non satis illi id esse putent, mysteria illa à se sermonibus, concionibusve ijs ipsis diebus, quibus celebrantur, explicari, sed festis etiam, aut Dominicis diebus eas sacras, vel solennitates, vel actiones proximè præcedentibus eosdem concionibus instruant, & eorum animos, mentesque prępara re, atque inflammare studeant, cùm ad omnẽ religiosum mysteriorum, quę sanctè agẽtur, cultum; tum maximè pro solennitatum ratione, ad pœnitentię Sacramentum, & ad sacram Eucharistiam sumendam.

36 Id verò etiam seruetur, cum stata ieiuniorum tempora, Aduentus Domini, Septuagesima, & eiusmodi instant.

37 De Sacramento, etiam Chrismatis populum instruant in illis Pentecostes diebus, quibus potissimùm ab Episcopo id Sacramentum solenniter ministrari solet.

38 Parochi autem id omne instruendi populi officium prestent ad prescriptum instructionis, quę eo nomine cura nostra conficietur, ad communem Prouinciæ vsum.

39.40 Ne patiatur parochus, cuiusuis ordinis Regulares in ordinis sui ecclesijs, intra fines parochię sue sitis, concionẽ habere; nisi ex scripto testimonio perspexerit, eos, muneris eiusmodi in illis ecclesijs obeundi causa, se ad Episcopum cum concionandi facultate, quàm à Superioribus suis ipsi obtinuerint, contulisse; & benedictionẽ, vt Tridentino Concilio cautum est, ab eodem petiisse, neque itidem in alienis eiusdem parochię Ecclesiis; nisi, ibi concionandi facultatem sibi ab Episcopo litteris concessam, illi ostendant.

3. quę ad Cõcilio pti. §. eo. Sess. 5. c. 2. de Refor. & sess 25. c. 4. de Regu. & Mon. sess. 24. c. 4. de Refor.

6. Quę ad cõcionat. pert. §. eod.

41 Ne in Monasteriis quidem, & locis, vbi Regulares spiritualem, tẽporalemque iurisdictionem habent, quisquam Ecclesiasticus homo, ét Regularis exemptus, prædicationis munus obeat; nisi primùm ab Episcopo probatus, intra cuius Diœcesis fines ea monasteria, locave sunt.

42 Regulares verò à suis Superioribus approbati, ac de eorum licentia in Ecclesijs suorum ordinum prædicaturi, antequàm prædicare incipiant, coram Episcopo personaliter cum ipsa licentia se præsentẽt, ab eo benedictionem accepturi: sine qua benedictione, aut Episcopo contradicente, prædicare non præsumant.

5. Quæ ad ꝑdi. &c. §. eo.

43 Si quis cõtrafecerit, ei pœnæ, & censuræ constitutæ sint, contrà alios sancitæ.

Episcopi solùm sit, abrogatis quibuscumque contrarijs consuetudinibus, & priuilegijs, & in Ecclesia Cathedrali, & in aliis non modo iurisdictioni suę subiectis; sed etiam in exemptis, quæ curatæ sunt, concionatorem liberè deligere, atque constituere. Idemque ad eum spectet in Regularium, etiam Ecclesiis, vbi, pro maiore commoditate, consuetudinis, morisque est, populi, Vniuersitatisve, aut pij loci, Scholæ, aut Confratriæ, etiam laicalis sumptibus, uel eleemosynis, collectis, vel legato pio, aliave huiusmodi ratione quotannis certo stato tempore permissu Episcopi concionem haberi.

Nec verò illius deligendi, constituendive ius vlla ratione cõpetat, neque ipsis Regularibus, etiam per turnum, neque Vniuersitati, neque Magistratui, neque loci pij administratoribus Confratriæ, Scholęve etiam laicali, nec alij cuiquam laico; etiam si ei eleemosyna, alimentave è publico, aut è Confratria, aliove modo, vt suprà suppeditentur, subministrenturve. Quæ, vt nihilominus subministrentur, atque adeò persoluantur ab ijs, qui solent, aut alia quacumque ratione debent, omni appellatione postpositа, Episcopus cogat, ut Concilio Prouinciali quarto cautum est.

vt inf. nu. 60.

44 Nemini autem concionandi facultatem concedat Episcopus; nisi prętèr alia, uel examine, uel alia ratione, pro arbitrio suo illius scientiã, & peritiam in eo munere probant.

vt inf. de Cõcionũ. examine. 3. quæ ad Cõcion. pti §. e.

45 Quę in Concilio Prouinciali primo, De prędicatione verbi Dei, & quęcumque item alia Cõcionatoribus à nobis prescripta sunt, ea, quò diligentius seruentur, illam cautionem adhibent vnusquisque Episcopus, ut cum eorum cuiquam in sua Diœcesi concionandi potestatem faciat, vel benedictionem impartiet, illa omnia, & alia eo de genere in nostram Concionatorum instructionem, ad communem Prouincię vsum simul redacta; & quæ item Episcopus Ecclesię suę rationibus accommodata ab illis seruanda censuerit, illis litteris describi iubeat; quibus, uel concionandi facultas permittetur, uel prędentationis,

postula-

poſtulatęq; benedictionis teſtimonium fiet.

46 Populus,& Vniuerſitas detrectans ſubminiſtrare victum,ut anteà conſueuit,Concionatori;ſolitamve eleemoſynam ad eiuſdem vitę tan quam ſuſtentationem,omni iuris ratione,etiam interdicti pęna ab Epi ſcopo ad id compellatur.Vide etiam ſupra,num.47. 4. De uerb. Dei pd.§.co.

Quę hic deſunt,videantur in Titulo. De prędicat.verbi Dei.

De examine Concionatorum,& ſacræ Scripturæ interpretum.

SVMMARIVM.

Examinatorum officium in Concionatoribus approbandis, quale. Quę ad Sacr.ord.pert.46.

1 *Concionatores, & ſacrę Scripturæ interpretes,de quibus interrogãdi. Sacrę lectionis interpretandæ cauſa examinati,in librum à Cancellario notandi, an probati,reprobatiuè fuerint. De Cancellario.30.*

1 IAM eſt locus examinis Concionatorũ,& ſacrę Scripturę interpretum, à quibus hęc quęrãtur. 5.Ibidem.

Primò de doctrinę articulis, dogmatibusve Concilio Tridentino explicatis, vtpotè de Canone Scripturę; de peccato originali, de iuſtificatione, de Sacramentis, & generatim de ſacrificio Miſſę,de Purgatorio,de Inuocatione, & veneratione Sanctorum,de Sacris reliquijs,de Imaginibus Sanctorum,de Indulgentijs;poteſtate, & auctoritate Papę;de Ieiunijs,de diebus feſtis, & reliquis multis.

An prętera habeat reliquos Theologię notos, & tractatos locos.

Quem in Scholaſticis pręſertim auctorem familiarem habeat.

An ſæpius Sacrorum Bibliorum volumina,cum gloſſa,aliove commentario ſtudiosè euoluerit: anque in iis ipſis ita diligenter verſatus, vt inde locos facilè, apteque promere poſſit ad omne ſacrę tractationis genus.

An Sanctarum interpretationum vſu literatè peritus.

An ex antecedentib.& conſequentibus verum Scripturę ſenſum elicere norit:anque item ex Euangeliſtis, in eodem narrationis genere verſantibus.

An rurſus temerè, pro ſuoque libito ſacram Scripturam à vero ſenſu detorqueat.

An tropologicos,moralesve ſenſus,cum litterali ſenſu non cohęrentes,commentetur.

An explicãdis parabolis rectum, præcipuumq; rerum sensum spectet, prætermissis explicationibus, quę nihil ad propositum faciunt.

An traditionum Apostolicarum, Ecclesiasticarumq; notitiã teneat.

An in Sanctorum Patrum scriptis, atque sermonibus peritè versatus sit.

Quem item è Patribus, maximè in concionando sequatur, atque imitetur.

An sacrorum temporum mysteria norit, anve sacrorum Rituum significationes habeat.

An rerum in Ecclesia sancta gestarum, & Conciliorum præsertim vniuersalium cognitionem teneat.

An Sanctorum vitas, historiamq; veram norit.

An congruam Canonum scientiam teneat.

An Summorum Pontificum iura, atque instituta sciat.

An Conciliorum, Prouincialium præsertim, & Diœcesanorũ decreta in promptu habeat; vt in parochorum examine præscriptum est.

An casuum conscientiæ doctrina instructus sit.

An Theologię illius mysticæ, quæ tota in spiritualis uitæ institutis tradendis; quæq; in purgandis affectibus, in reformationeq; interiori uersatur, præcepta, atque exercitationes benè norit.

An denique Sanctarum meditationum, orationisque mentalis vsum habeat.

An morum doctrinæ, Christianæque disciplinæ locos, non solum ordine collectos, sed rectè notos habeat.

Quos locos teneat, quibus auditorum animi excitantur, uel ad Dei amorem, uel ad cœlestis patriæ desiderium, uel ad uirtutum studium; uel ad detestationem scelerum, uel ad misericordiam, uel ad certas præterea affectiones, quæ ad cœlum excitatę Christianas virtutes pariunt.

An apti denique sint, atque idonei ad concionem concipiendam, & explicandam, non solum Theologiæ locorum tractatione, sed similitudinibus, quę ab agricultura, vinea, semente, aliisque rebus ducuntur, quę sub sensum cadunt, atque intelligentiam, præsertim eorũ etiam rudium, ad quos concio habetur.

An ad concionis ingressum recta ratione, & ab ijs vitiis refugiat, quę plerique eo in genere admittunt.

An totam concionem rectè, ordineque disponat.

An dilucidè distinctèq; narret.

An bene pronunciet.

An illius verba pondus habeant, anq; uim item, ut non solùm audientium aures attingant, sed animos intimè penetrent.

An in

An in tota concione, pro cuiusq; rei, de qua agit, ratione, rectè, aptè, decorè, & congruenter agat.

Quo in genere omni, & perquirendo, atque explorãdo, tum in alijs diligentius indagandis, examinatores, prout occasio tulerit, quàm diligentissimè instructiones adhibebunt, quæ de Cõcionatoribus ad Prouinciæ vniuersæ vsum ex Concilij Prouincialis auctoritate, iussu nostro editæ sunt.

De cultu Sanctorum.

SVMMARIVM.

1 *Sancti Ambrosii festum celebrandum, commemoratioq; agenda.*
2 *Sancti Barnabę festum in Prouincia colendum.*

1 DEVOTIONE cõgrua, & debitis honoribus beatus Christi Confessor Ambrosius Eps, Sãctę Ecclesię Metropolitanæ Mediolanẽsis pater pariter, ac patronus, cuius doctrina etiam tota illustratur Ecclesia, ut à Prouinciæ nostræ fidelibus colatur; eius, & diem festum, qui septimo Idus Decembris agitur, sicut reliquos dies festos, quos coli præceptum est, quotannis à clero, populoq; celebrari, & commemorationem de eo, quibus diebus ex Ritu Ecclesiæ eiusmodi commemorationes fieri licet, in vespertino, matutinoque officio antiphona, & oratione à clero fieri perpetuo, pro suæ pietatis studio, Episcopi, omni etiam adhortatione curent. Quartũ, de S. Ambrosio.

2 Dei munere, beneficioq; cùm Ecclesia Mediolanensis prædicatione Sanctissimi Apostoli Barnabæ primùm fidei mysterijs imbuta, tùm alię pleręq; huius Prouinciæ Ciuitates Euangelij lumine illustratę, eam sam oẽm festi illius diei, præcipuè colendi habent. Quamobrẽ dies eius Natalis, qui est tertio Idus Iunij, vt de more aliorum dierum festorum, qui à clero, populoq; ex præcepto coluntur, piè, & religiosè sanctificetur, Episcopus curet, ubi in sua Diœcesi non colatur, sanctificeturve. Sextum, de diebus festis.

Cætera ad cultum Sanctorum pertinentia, uideantur in Titulo de festorum dierum cultu.

De Sanctarum Reliquiarum veneratione, atq; custodia.

SVMMARIVM.

1 *Reliquiæ nouę ab Episcopo recognoscendę.*
Eæ à Regularibus, & exemptis non proponendæ; nisi etiam ab Episcopo recognitę. 5.

2 Recognitionis, quæ forma.
3 Recognitæ in librum describendæ; in quem deinceps aliæ referendæ.
4 Is liber vbi asseruandus.
6 Quo loco retinendæ: quoque ornatu, & sepimento.
7 Quando in priuato oratorio retineri possint.
8 Clauibus quot occludantur, & à quibus retineantur.
9 Sanctorum corpora, arca marmorea inclusa, in scurolo, vel altaribus custodienda: quoque alio loco 11.
10 Arca ipsa qualis. In eam capsa alia includenda, & qualis. 14.
11 Arca alia, qualis conficienda, & vbi collocanda, cum non in scurolo, vel altaribus, sed alibi ipsa reponenda.
12 Arca queuis, vt munienda.
13 Reliquiarum, sub pauimento reconditarum locus crate ferrea sternendus.
15 Reliquiæ in capsa seruandæ quo panno sint contegendæ.
16 Capsa, theca, vel vascula ante benedicenda, quàm imponãtur reliquiæ.
16 Arca, diuersa Sanctorum corpora, vel reliquias continens, vt distinguenda, cum tabella earum nominum.
18 Reliquiarum nomina inscribenda.
19 Sanctorum capita à corporibus disiuncta, vt accommodanda.
20 Sanctorum corpora in altari, vel arca recondita, vt inspici queãt, quo modo altare, vel arca struenda.
21 Reliquiarij formæ tres.
22 Prima } loci forma qualis.
23 Secunda }
24 Tertia }
25 Vascula, loculiq; reliquiarum quales, & qualia, & quot.
26 Reliquiæ, quo panno inuoluendæ.
27 Inscriptio annectenda, & seq.
28 Inscriptio exesa, vel malè composita renouanda.
29 Reliquiæ permixtæ, uno, eodemq; loco, & quomodo recondendæ.
30 Reliquiæ ignotæ loculo uno, & qua ratione reponendæ.
31 Imagines Sanctorum, quorum sunt ipsæ reliquiæ, ubi pingendæ.
32 Virgæ duæ parandæ ad coronas precarias appendendas pro reliquijs tangendis, & quales.
33 Sanctorum corpora, reliquiæq; tabella marmorea describendæ: eaque ubi collocandæ.
34 Scripta ad illas spectantia, in sacristia, uel Archiuio reponenda.
35 Sancti, cuius reliquiæ sunt, historia, in Codice referenda.
36 Codex is ubi custodiendus.
37 Lampas, quando coram eis præluceat.

Alia

38 *A laicis eâ non tractandę.*
39 *Thurificatio, quando illis adhibenda.*
40 *Quando illę ostendendæ.*
41 *Non ostendendę nudæ, nec quæstus gratia; neq; ad ęgrotos deferendę.*
42 *Cùm exponuntur, quæ seruanda.*
43 *De loco ad locum non transferendę; neque donandæ.*
44 *Contrafaciens, tàm donans, quàm donatarius excommunicationem incurrit, etiam si sit Regularis.*
45 *Translatio, ut fiat.*
46 *Translationis scriptura publica; ac memoria in tabula conficienda.*
47 *Cùm transferuntur; ornandus locus, ubi illæ collocantur: Illisq; occurrendum hymnorum, & psalmorum decantatione.*
48 *Translationis officium agendum: quamquè in feriam cadat.*
Breuis Apost. tenor de Reliquijs non transferendis. De Constit. 49.
Campanæ, quando ob insignes reliquias pulsandæ, locaq; vestibus, & candelis ornanda. De festorum dier. cultu. 35.

1 AD ea, quę de sacris reliquijs, per nos primi, & tertij Cócilij Prouincialis decretis sancita sunt, hęc pro religiosa, illas & recondendi, & exponendi, & transferendi, & asseruandi ratione, piaque earundem ueneratione, atque cultu adiungenda censuimus. Quartum, de sacris Reliquiis, Miraculis, & Imaginibus.

Sanctorum corpora, & sacras reliquias, Episcopus à religiosis, peritisq; Sacerdotibus, quos eo potissimum nomine deligat, tum in Vrbe, tum in Diœcesi sua, quibuscumque in ecclesijs, locisve illa sint, recognosci quamprimum iubeat. Qua in recognitione hęc præstentur. Quartũ, ibi. Sess. 25. de Inuoc. vener. & reli q. Sanctorum.

2 Primò, ut scripta, tabulæ, litterę, certi annalium Codices, aliaue cuiusuis generis monimenta, quę in ijs ipsis ecclesijs, earumve atrijs, atque ędibus, aut aliis locis extant, schedulęq; uasculis, arcisve sacrarum reliquiarum affixę, includęue recognoscantur accuratè, & diligenter: unde illarum, uel translatio, uel collocatio ibi facta, cognosci, aut alia eiusmodi notitia earundem haberi queat. Testes præterea conquirantur, si qui sunt, qui testimonium dent antiquæ, constantisque traditionis, ex qua certa earum cognitio, constet, aut alia, sicut opus erit, id generis diligentia ad rei perspicientiã adhibeatur.

Deinde, ut singulę ipsę sacrę reliquię, quas extare compertum est, re ipsa cernantur: ita tamen, ut ubi sub altaribus, alijsue subterraneis eiusmodi locis, corpora Sanctorum collocata, reconditaue sunt, nec ostium, neque fenestra insit, vnde inspici queant, non aperiantur, aut

effodiantur; nisi ob causam aliter Eps aliquando faciendum censuerit.

3 Qua omni recognitione facta, diligentiaq; adhibita, librum præcipuum, certumq; confici Episcopus curet: in quo singulæ, quæ in Ecclesijs, & Vrbis, & Diœcesis sunt, reliquiæ sacræ, rectè, atq; ordine describantur: notatis etiã diligenter, non solum iis ipsis ecclesiis, ubi recõduntur, sed scriptis etiam, annalibus, tabulis, aliisve monimentis, è quibus illarum testimonium constet.

4 Is verò liber in Archiuio Episcopali certo loco custodiatur, & asseruetur perpetuò.

5 In eo item libro, rectè referantur, si quas deinceps sacras reliquias comperiri, aut aliundè asportari contigerit; ubi primùm ab Episcopo illæ recognitæ, & probatæ sunt.

Nec verò sine scripta Epi probatione, etiam à Regularibus, & alijs exemptis, illas nouas reliquias euulgari, aut populo exponi, uenerandasve proponi patiatur Episcopus; antequam à se recognitæ, & probatæ illæ sint. Qua in probatione seruet is omninò formam à Tridẽtino Concilio ea de re præscriptam.

Inf. de Miraculis nouiis, Nouisq; Reliq.

6 Reliquiæ Sanctorum ne in priuatis ædibus, neve apud laicos homines; sed in ecclesia, loco conspicuo, bene septo, atq, vndiq; ornato, collocentur, & asseruentur. Atque ita eo loco decenter, ac piè, uel arcis, ~vel capsulis, uel vasibus, loculisve reconditæ, includantur: vt & pro illarum ratione, ac pro ecclesiarum dignitate, & facultatibus, formæ instructionibus nostris præfinitæ, omni ex parte respondeatur.

Primum, de Sanctarũ Reliq. vener.

Vt Sanctorum Reliquijs, quæ debetur, veneratio, & cultus adhibeatur, statuimus; ut in locis honestissimis, ac decoris uasculis, qua debent, religione asseruentur.

4. de sacr. Reliqu.

7 Liceat tamen aliquando, quibus Episcopus rationabili & pia causa id concedendum censuerit, asseruari in priuato oratorio, tuto, ornato, ac decenti, eiusdem Episcopi iudicio.

8 Is porrò locus duabus saltem clauibus, ijsq; diuersis, claudatur: quarum vnam Eps, alteram Rector ecclesiæ, ubi sunt, custodiat diligenter. Vbi verò consuetudinis est, ab ~vniuersitatis, sodalitatisve hominibus, aut à Syndicis, laicis hominibus, clauem etiam teneri; illam tertiam illis permittere poterit Episcopus arbitratu suo.

Instr. Fab. li. 1. ca. 15. §. Sãctorũ igitur.

9. 10 Sanctorũ corpora, quæcũq; recõdenda sint in ecclesia partem illam subterraneã habente, quæ confessio, uulgò Scurolũ dicitur, in ea præsertim, & in altaribus ipsis lapideis, aut subter ea, ut antiqui instituti est, piè, decenterq; recõduntur. Quam ob causam è marmore, vel saltem è solido lapide arcam, leuigato opere intus expolitã fieri cõueniet: quæ ex operculo eiusdem generis fastigiato constans, sacraq; corpora, bene inclusa continens, intus, subtusve in illis firmiter colloçetur.

Alio

11 Alio etiam præter altaria, Ecclesiæ loco conspicuo, reponi poterũt; tunc que arca è marmore pretiosiori exstruatur: quæ extrinsecus etiam opere sculptorio elaborata, pio religiosoq; ornatu emineat.

Hæc igitur quattuor, pluribusve, si pro situs ratione commodè potest, columnellis itidem marmoreis aptè confectis, sustentata, aut in gremio Ecclesiæ, prout loci amplitudo fert, aut in capella insignioris præterquàm in ea, vbi Sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum asseruatur, decentius collocabitur.

Si in gremio Ecclesiæ ponetur, à pariete, omnique alio opere vndique disiuncta extet: si uerò in aliqua capella à posteriori eius parte, vel a latere altaris collocari poteait; aut parieti inhærens, aut in illius decenti continuitate paululum inclusa, à pauimentoque capellæ altaris cubitis quattuor extructa, extabit.

12 Arca vero omnis, quocumque loco conspicuo posita, siuè è pauimento, siue è pariete emineat, clathris ferreis, pro situs ratione aptè, decoreque munir idebet.

13 Si autem non in altari, neque subter, sed alio loco sub pauimento, iam recondita sunt sanctorum corpora; sternatur tamen omnino locus ac muniatur clathris ferreis ab omni latere, tum è parte superiori densè confectis.

Corpora sanctorum, quæ non sub altari, sed sub Ecclesiæ pauimento collocata sunt; nisi decentiori Ecclesiæ loco recondenda Episcopus censuerit, saltem crate ferrea politè, ornatèque confecta, ne pedibus, eorum locus irreuerentius tractetur, vndique sepiantur, atque obtegantur, ex instructionum præscripto. 4. de Reliq. &c. §. eo.

14 Vt autem sanctorum corpora, sacrauè ossa, incorrupta, atque inuiolata, ab omniq. sorde, & puluere purà, tum ab omni vi, ac iniuria perpetuò tuta conseruentur, hæc sanè cautio adhibeatur; vt cum arca omnis, vel conspicuo loco, vel in altari, subtusve posita ita extrinsecus inter se solidè compacta, & fibulis etiam ferreis, plumboque ab omni latere conglutinata sit, vt nè rimula quidem appareat: tum præterea in eã alia capsa, vel aurea, vel argentea, stamneave, eaque inaurata, firmiter quoque confecta, includatur; in qua Sacra corpora recondantur. Inst. Fab. lib. 1. c. 15. §. eo.

15 Sin autem cum in ipsa capsa reconduntur, inuoluta, & vestita pãno serico, aut pretiosiori velamine coloris ad sanctum, sanctamve, cuius sacra ossa reponuntur, ex Ecclesiæ instituto ritè accommodati.

16 Capsa autem vel theca, vel loculi, vel vascula, cuiusmodi sint, stata prece in libro pontificali, rituulive præscripta, ritè prius benedicantur, quàm reliquiæ sactæ in illis includantur.

17 Qua verò in arca, diuersa sanctorum corpora reponenda sunt, vt inter se distincta, internoscantur, arca eiusmodi fiat, quæ opere

sculpto-

sculptorio pro sacrorum corporum, sacrarumve reliquiarum numero bipartita, & tripartita sit; aut tabulatis, marmore, aliave ratione decenter, aptèque diuisa, aut saltem ipsis solum capsulis argenteis, stanneisve distincta.

Tabella item ænea singulis capsulis includatur: in qua incisę litteræ, nomina sanctorum indicent.

18 Inscriptio prætereà in arcæ lapide incidatur: ex qua sanctorum nomina, & corpora, quo tempore recondita, rursusque vnde translata, & alia id generis, si modo certa sint, perspicuè cognoscantur.

19 Sanctorum autem capita, quæ à corporibus disiuncta sunt, vt aliquando statis diebus, pro pietatis studio fidelibus ostendantur, exponanturve; separatim à corporibus locis infra præscriptis reponi conueniens erit, inclusa scilicet in theca aurea, aut argentea: vel, vbi præ inopia non potest, ænea inaurata, quæ capitis, cum collo dimidia toque pectore formam, similitudinemque exhibeant.

20 Si quæ verò corpora sanctorum adhuc integra, membrisque suis omninò coniuncta, vel in altari, vel in arca conspicua recondantur, vt cerni aliquando possint; ita altare, arcaue struatur, vt à fronte fenestellulam cancellis ferreis, æneisve munitam, quæ firmi uasculis, ad præscriptam infra rationem, claudatur, ornatè confectam habeat, vnde inspici queant.

21 Quibus verò locis Sacra aliqua sanctorum membra, insignesque sacræ reliquiæ asseruantur; ibi certus locus, in quo illæ decenter, religiosèque recondantur, ad vnius, aut alterius formæ, infra primo loco descriptæ, modum, sacrarum Basilicarum Romanarum exemplo, extrui poterit.

22 In Ecclesiæ naui, quæ ampla sit, à latere Euangelij longèque à columnis, pilisvè naualibus, quattuor, aut quinque cubitis, suggestus struatur, magnitudine cubitorum item circiter quinque, isque quattuor columnis è marmore, aut è solido lapide confectis, altitudine sex, aut octo cubitorum suffulciatur, & sustentetur.

Super suggesti extructione armarium, vbi Sacrę reliquię reponantur, è marmore, alioue lapide, ornatè, & decorè fiat: quod intrinsecus tabellis nuceis, pretiosioribusve vndique vestiatur, sericoque ornetur, coloris, ex ritu Ecclesię, sacris illis reliquijs, quę recondendę sunt, accommodati: tum prętereà ostiolo constet, quod valuis, extrinsecùs ęre intectis, & serico eiusdem coloris intrinsecus ornatis, claudatur: ad quod etiam claudendum pessuli duo, seræ duę saltem, claues totidem, eęque singulę diuerso fabrili opere, adhibeantur.

A summa columnarum parte, loco suggesti plano, podium etiam extruatur cubito vno, & dimidio latum, tamque longum, prout est eius-

dem

dem suggesti longitudo.

Quod podium à parte anteriori repagulum habeat: idque vel ex ære fusili, vel è ferro, vel è marmore, alioue solido lapide, vel è ligno, tornatili opere sit.

Scalas nullas coclides, aliave forma habeat: sed eę ligneæ gestatorię tunc solum adhibeantur, cum sacrę reliquiæ certis solennibus diebus populo ostenduntur.

23 Si quę verò Ecclesię, non satis ampla magnitudine, reliquias insignes, vt suprà habent; in earum ferè ipso medio, propius tamen altari maiori, vel apud parietem qui in capite Ecclesię extrà capellam maiorem à latere Euangelij est, podium extruatur: quod parieti affixum, longè, latèque pateat, ad formam superioris prescriptum.

In intima parte parietis, cui illud affixum, agglutinatūve est, armarium, in quo illę asseruentur, è marmore, aliove solido lapide, fiat: tabulis querneis, aut alterius generis, ad diuturnitatem accommodatis, intrinsecus circumuestitum, ac serico item eius coloris, qui ex instituto Ecclesię cum sanctis, quorum illę reliquię sunt, conueniat, vndique ornatum, quod valuis æratis, & seris duabus, ijsque diuersis, vt suprà, claudatur.

Huic scala lapidea, ligneave, qua podium ascendatur, accommodari potest, si modo à posteriori parte armarij fieri commodum sit vt Ecclesię spatium non impediatur, alioqui scala gestatoria, vt supra adhibeatur.

24 Forma loci tertia hęc sit: eaque in Ecclesijs reliquias sacras habentibus, vbi nullus locus, ad primę, aut secundę formę, supra prescriptę, modum extructus est, aut extrui potest.

In capella maiori, intra eius scilicet septa, à parte Euangelij, armarium, quod ad altare maius versus, vbi potest, recta spectet, ita latè, longè, altè, profundeque in ipso pariete concauetur, prout sacrarum reliquiarum, quę in eo asseruandæ sunt, multitudo, ac magnitudo, postulat. Altè a pauimento capellę, ad solum suum vsque extructum sit cubitis quattuor, intus tabulis vndique sepiatur, tum aliquo panno serico eius coloris, qui sacris reliquijs conueniat, circumornetur.

Benè muniatur, & claudatur valuis, ære extrinsecus munitis, ijsque decentibus, sera solida, duplicique claue, & vnaquaque fabrili opere diuersa.

Quo in armario, ità ornatè instructo, Sacrę reliquię, vasculis, loculisve, inclusę, ordine recondantur.

25 Vascula quib recondantur, ex auro, argẽto, aut è crystallo, aut ex aliquo metalli genere sint, eaq. artificio elaborata, atque inaurata, prout ilę insignes sunt, & Ecclesię, ubi asseruantur, facultates ferunt.

Ea

Ea totidem sint, quot sanè illarum genera, quæ habentur, vt singulæ, binæve, aut plures, singulis vasculis distincto ordine separatim asseruentur; singula vela sint, quibus illa vasa integantur, eaque colore distincta, pro sacrarum reliquiarum, quæ in vasculis asseruantur, ratione.

Si quæ Sacræ reliquiæ eiusmodi sunt, quæ tenues non vascula maiora, sed loculos minores requirunt, ita recondantur.

Tabula sectilis, è nucea, ligneave alia, & pretiosiori etiam materia, vt potè eburnea, argenteave deligatur: quę fabri opere politè elaborata, tam latè, longèque pateat, vt ad vsum, cuius causa paratur, satis esse queat. In ea totidem capsulę, seu loculi, iique singuli trium vnciarum mensura concauentur, quot Sacrę reliquię recondendę, asseruandęve sunt.

Ij loculi vndique à parte summa paruulis coronicibus inauratis ornentur.

Hęc tabula, his loculis extructa, opere vitreo operiatur ita, vt singulis loculi vitro pellucido contegantur.

Quod vitreum integumentum, coronicis ligneę inauratę, vel pretiosioris etiam materiæ ornatu vndique muniatur: vt fixum firmumque hęreat.

26 Singulę sacræ reliquię serico taffetano duplici, ormesinove, aut aliquo serico pretiosiori, auro, argentove intexto inuiolatè recondantur, eo distincto serici colore, qui pro sanctę matris Ecclesię ritu, sanctis, vel Apostolis, vel Martyribus, vel Virginibus, vel Confessoribus, quorum reliquię ibi recondantur, conueniat.

27 Eę in quocunque loculi, armarij, vasculive genere reconditę sint; singulę, quarum nomina constant, inscriptionem in carta pergamena, patentibus litterulis expressam, earumque vnicuique vel potius serico, in quo illę singulę inuolutę sunt, affixam habeant: qua vniuscuiusque Sancti, Sanctęve reliquię, quę in ijs reconduntur, planè significentur.

28 Quę reliquię inscriptionem habent, non vetustate consumptam sed integram, & ex præscripto instructionum nostrarum confectam; ità vt est, illa inscriptio retineatur, & conseruetur. Quarū uerò inscriptiones aliqua ex parte exesę sunt, aut aliàs non ad præscriptum factę, eę in carta pergamena rectè exaratę, renouentur.

4. de reliq. §. quæ reliq.

Quę nihil inscriptum habent: sed tamen constat quorum sanctorū, sanctarumve illę sint; ijs singulis nomina propria inscribantur, ad instructionum præscriptum.

Inst. Fab. lib. 1. c. 15. §. eo.

29 Si quę verò ex certis monimentis constat, quorum potissimum sanctorum sint, ita tamen inter se permixtæ apparent, vt diudicari non

queat,

queat, quę præcipuè propriè huius, atque illius sancti sint; eę in vno eodemque loculo, vasculove recondantur: cui loculo, vasculove, singula eorum omnium eorum sanctorum nomina inscribantur, quorum reliquiæ in eo asseruantur.

Idem de inscriptione vasculive, loculive, in quo sacræ reliquiæ, quæ in eo asseruantur, inscriptiones quidem habent, at ab illis seiunctas, varièque ita permixtas, vt ijs ipsis adhibitis nulla distinctionis ratio iniri possit.

30 Rursus si quę sunt, quarum nomina non constant, in loculo vno recondantur, inscriptione etiam hac adiuncta: RELIQVIAE SACRAE, QVARVM NOMINA IGNORANTVR.

31 In Armarij item, vbi sacræ reliquię reconduntur, pariete etiam adiuncto, sanctorum pictura, religiosè, decorèque exprimatur, quorum insigniores præsertim reliquiæ in ea reconditæ, asseruantur.

32 Fiat virgæ duæ è ligno eburneo, aut, quod vocant, traxilio, aliove genere decenti; ac tricubitales sint: quæ a summa parte, lamina argentea, exiguisque vncis binis constet, vnde fidelium coronæ precariæ appendantur ad sacras reliquias, vel potius earum vasa tangenda.

33 Quacunque deniq. in Ecclesia sanctorum reliquiæ, corporaue sũt, in ea loco cõspicuo, atq. illustri, utpotè in colũna capellæ maioris à latere Euangelij, aliove insigni loco, tabula, vel ænea, vel marmorea litteris grandiusculis incisa, firmiter parieti, columnęue agglutinata, collocentur: in qua res tota de reliquiis ibi recondĩtis, breuiter, summatimq. narretur, extat etiam in cons. 4. decretum sequens.

Sanctorũ reliquiæ, præsertim insignes, & sacra corpora, sacraq. membra, quæ ex certis monimẽtis, in vlla quauis Ecclesia recondi constat, in tabula ærea, aut marmorea, lapideaue litteris incisa, quo accuratius memoria perpetuò conseruetur, diligenter, ordineque Episcopi cura, describantur: tum præterea in capellæ, maioris colũna, latereve, aut in gremio Ecclesiæ, loco aperto, ac perspicuo, ea tabella, parieti calce conglutinata, in omnium conspectu sit. 4. de reliq. §. cod.

34 Scripta tabulæ, & antiqua monimenta, ad illas spectantia, in earundem Ecclesiarum Sacristia, archiuioue reponantur, vbi tuto asseruentur.

35 Vniuscuiusque sancti, sanctæue, cuius corpus, vel sacrę reliquię, præsertim insignes, assumentur, vitę aut Martyrij historia, ex probatis authoribus breuiter collecta, ab Episcopo ante recognita, & comprobata in tabellam, aut in aliquem certum codicem, charta pergamena exarata, referantur. Qui.

36 Codex in Ecclesiæ Sacristia, certo loco diligenter asseruetur. Vnde illa

illa autem vitę, breui narratione ex certis monimentis, antiquaue traditione, omnique alia, quę constet, ratione, exponatur deinceps, in extrema scilicet parte, ac paucis item uerbis, quo tempore, quouè, modo, sacrę illę reliquię eò translatę, uel reconditę sint.

37 Sacris autem reliquijs, si Sanctissimo Eucharistię Sacramento nó ita propè quidem eę collocatę sunt, ut illius lampade harum cultui satisfiat, lampas propria assiduè perluceat: nisi hanc impensam, nimia, & Ecclesię, & populi egestas Episcopi iudicio non patitur. Cęterum corporibus sanctorum, & reliquiis, Episcopi iudicio insignibus lampas omnino una semper colluceat. Vbi uerò plures, aut ex legato, seu alia obligatione, usuvè adhibeantur, aut pro reliquiarum ratione, uel Ecclesiæ amplitudine, facultatibusuè adhiberi Episcopus iusserit, id etiam seruetur.

38 Nè sacrę reliquię per laicos, etiam cuiusuis ordinis, dignitatis homines ullo modo tractentur: nec uerò tangantur, cum hoc sacrilegum ac minus propterea ferendum esse, sanctus Gregorius Pontifex scribat.

39 Cum uerò ab Ecclesiastici ordinis hominibus illę cum suis loculis, uasculisuè suscipiantur, uel populo ostendantur, uel in altari exponantur, uel in processionibus ferantur, primum illis thurificatio adhibeatur: sique in uia ferantur, tunc acoluthus, sacerdoti illas ferenti prę-eat, qui item thurificet.

40 Ne passim omni tempore, sed certis tantum festorum dierum celebritatibus, utpotè in Natiuitate Domini, Epiphania, Pascha Resurrectionis, Ascensione, Pentecoste, & eiusmodi, festoque ipso die exponantur, ostendaturuè, quo illius sancti, cuius reliquiæ sunt, uel Ecclesię, in qua reconditę sunt, celebritas solemni, festoque officio agatur, tum prętereà quo die, ob aliquam causam Episcopus iusserit, cõcesleriuè.

1. de sanct. re reliq. ven. 4. de eo. §. eo.

Ne temerè exponantur omnium oculis.

41 Nullo autem modo unquam illę ab operimetis, aut uelis nudæ ostendantur, exponanturuè.

1. de san. reliq. vener. 5. de Indulgẽtiis, & sac. reliq. §. eo.

Ex loculis uero, & receptaculis, ubi conditę sunt, nè educantur. Neuè quęstus gratia.

Ne sacrę reliquię in Ecclesię Sacristia reconditę, è loco, ubi asseruantur; ad ægrotos ullo modo exportentur, nè consuetudinis quidem prętextu.

4. de reliq. §. eo. 1 de sanctarũ Reliq. ver. §. eo.

42 Cum in altari autem exponuntur, hæc seruentur. Primo in illis exponendis, processio per Ecclesia, ubi illę sunt, ab eiusdem clero agatur, certo luminum numero adhibito: prout etiam primo Concilio statuitur his uerbis.

Cum populo pietatis causa ostenduntur, lumina accendantur.

Rur-

Rursus idem præstetur, cum reconduntur.

A sacerdote, qui post Episcopum in illa Ecclesia digniorem sacerdo talem locum obtinet, nisi aliquando Episcopus ipse munus sibi obeundum censuerit, exponantur, & recondantur. 4. Ibid.

Isque superpelliceo, & stola, vel pluuiali etiam, pro reliquiarum, Ecclesiæve ratione indutus sit.

Dumque exponuntur, & item cum reconduntur, hymnus, vel de Apostolis, vel de Martyribus, vel de Confessoribus, uel de Virginibus canatur, prout sunt sancti, sanctorumve reliquiæ, quæ exponuntur: tum Antiphonæ, & alia eiusmodi ad rem accommodata, vltimoque loco, oratio de sanctis illis: si verò sanctus, sanctave est, cuius proprius hymnus, Antiphonæ, oratioue extet, illæ canantur.

Cum item exponuntur, de statu eo libro, tabellave supra præscripta, vniuscuiusque Martyrium, aut vitæ historia breuiter explicata, uulgari sermone grauiter in populi frequentia pronuncietur: ad quam rem præterea sacerdotis, de diuinis illorum sanctorum uirtutibus, cœlestiq. vita, & rebus per eos fortiter, ac mirificè gestis, grauitur, breuique tractantis, officium, vbi potest adhibeatur: quo ardentius populi, sacras reliquias spectantis, animi ad omne pietatis studium inflammentur.

Dum in altari expositæ sunt, candelæ, saltem quattuor, grandiores ac censæ ibi colluceant: ad earumque custodiam adhibeatur, qui semper assistat, unus, duouè, sacris maioribus ordinibus initiati, iique moribus probati, ac superpelliceo induti.

Horum uero clericorum, non laicorum opera, ministerioue adhibito, liceat fidelibus pietatis, & religionis causa, calculorum coronis sacrarum reliquiarum uascula, loculosue attingere, qua hora Episcopus concesserit.

Cum reliquiæ sanctorum non in altari exponuntur, sed è loco superiori, alioue, in quo reconditæ sunt, populo ostenduntur, omnis eadem ratio plenè seruetur, processione excepta.

In quibus autem processionibus illas, uel per Ecclesiæ, uel extra portari contigerit, debito cultu, apparatuue ferantur ab iis, qui in Sacerdotio constituti, post Episcopum Ecclesiastica sacerdotali dignitate, Canonicatuue aliis in illa Ecclesia præstant, nisi Episcopus id munus ipse obeat.

43 Sacras porrò reliquias, uno in alium locum transferri ne liceat, sine iusta, & legitima causa, & facultate scriptis ab Episcopo permissa.

44 Ne sine Episcopi concessu, facultateue litteris consignata, extra Diœcesim sacras reliquias, asportari, nec uerò quæ etiam aliundè allatæ sunt, intra diœcesis quoque fines, ab vna Ecclesia eiusue Rectore, etiam 5. De cultu Sanct. §. eod.

etiam de consensu Capituli, alteri Ecclesiæ donari; minus verò cuiquã Ecclesiastico, aut laico homini earum particulam aliquam priuatim cõcedi, tradi, donarive liceat, proposita excommunicationis pœna, quam subeat, tum is, qui dederit, concesseritue, tum ille qui acceperit, vel asportauit, etiam Ecclesiæ suæ nomine. Idque omne quod de reliquijs neque dandis, neque transferendis, hoc Decreto alijs præceptum est, vt Regulares etiam, atque exempti seruent, eos in Domino monemus.

quarta Ibid. 45 Sicut sacrarum reliquiarum translationis memoriam, festa solenni ue celebritate fieri, religiosè, iam ferè ab initio nascentis Ecclesiæ institutum, perpetua Ecclesiæ consuetudine sanctè retentum est, ita, si quando sanctorum corpora, membrauè, aut sacras reliquias, Episcopi iudicio insignes, transferri contigerit, vel ab vno oppido, vrbeue ad aliã; vel in ea ipsa etiam vrbe, oppidouè ab vna ad aliam Ecclesiam, id ritu solenni religiosoque cultu præstari oportet.

Itaque hæc decernimus.

Primum aliquot ante diebus si opus erit, aut certè, omnino pridie illius diei, quo sacræ reliquiæ transferendæ sunt ab Episcopo, alioue, vbi adhiberi potest, Ecclesiastica dignitate prædito, cui nominatim is id muneris dederit, accuratè, diligenterque recognoscantur, testibus aliis sacerdotibus grauioribus adhibitis. Quæ recognitio fiat, vt suprà diligenter conquisito omni monimentorum genere.

Recognitæ vbi sunt, ordine componantur, tum in arca duabus saltẽ, ac diuersis clauibus quarũ altera ab Episcopo, aut ab eo, quẽ ipse maluerit, asseruetur: inclusæque signo Episcopali obsignentur.

Dies translationis, tum in loco, vnde transferuntur, tum ad quem transferuntur, tum etiam quibus locis transeundum est; per parochos Episcopi iussu, Dominico die, vel festo proximè præcedenti nuntietur.

Idemque illis locis iubeatur coli, manè, saltem, vt dies festus, significetur etiam proximis ante diebus frequenti sono campanarum illius Ecclesiæ, ad quam translatio facienda est.

Pridie verò translationis, vespere significatio celebritatis detur solenni campanarum omnium vtriusque loci sono.

Eo die ieiunium à Clero Ecclesiæ, ad quam transferendę sint, seruetur: noctuque item arca cum sacris reliquiis, si commodè super altari Ecclesiæ, vnde trãsferendę sunt, si verò non potest, alio decenti loco collocata, & adhibitis præterea ad earum uenerationem, sex saltem luminibus ab eodem Clero, & aliis item Ecclesiasticis hominibus, quibus Episcopus id iusserit, vigilię fiant: statoque tempore nocturna itidẽ ritè de sanctis decantentur, quorum reliquię transferuntur.

Mane quo die transferuntur, processio solennis, psalmis, hymnis, &

cauticis

Canticis, omnique prece agatur, ad Ecclesiam, in quam translatio fit: vbi iterum illis recognitis, tum de eorum vita, deque historia sanctarum reliquiarum, olim eo loco reconditarum, de causis item translationis, ab Episcopo, vel ab alio, eius iussu, sermo appositè habeatur: nisi commodius censuerit Episcopus posteà habendum inter Missarum solennia: deinde adhibita primum illi thurificatione, clero, & populo ostendantur: ab illis ijsdem debitus cultus, & veneratio tribuatur.

Transferantur autem inclusæ in arca, pro earum ratione, proque ritu Ecclesiæ decenter ornata, & vmbella præterea adhibita, vt Episcopus censuerit.

Arca vero humeris portentur à Sacerdotibus, qui digniores sint, et in toto clero, & in ea Ecclesia, ad quam translatio fit: illique vicissim, prout Episcopus iusserit, id onus subeant, sacris vestibus indutti, tum capite aperto: præeant verò duo Acoluthi, semper thurificantes.

Clerici præterea aliquot, superpelliceo amicti, qui capite item aperto sint, lumina deferant, hincinde congruo numero, & ordine accensa: hæque præter cereos, quos accensos reliquus etiam clerus, & populus, laicorumque hominum sodalitates, & cæteri, earum piè prosequentes, pro sua pietate manibus gestarint.

Verum si Episcopus in loco adest, ipse quoque cum sacerdotib. qui in Cathedrali Ecclesia, Sacerdotali dignitate præditi sint, canonicatumve sacerdotalem habentes, digniores sunt, humeros sacræ arcæ portandæ subijciat, idque saltem paululum, tùm initio, tum in fine processionis, quæ translationis causa agitur.

Cum verò arcā non portat, eam proximè subsequatur, reliquo omni clero præeunte.

Vasculo, quod ab vno ferri possit, reconditæ sacræ reliquiæ, ab Sacerdote item portentur, qui dignior est, cæteris etiam seruatis, supra mox præscriptis.

Vbi ad Ecclesiam ventum est, in qua collocandæ, recondēdæue sunt, per Episcopum, aut per alium Sacerdotem, eius iussu, Missarum solennia celebrentur de sanctis, quorum translatio facta est: idque solenni ritu, nisi horæ tarditas impediat.

Peractis Missarum solennibus, certo loco benè septo, & clauso vt ne populus propius accedat, in altari exponantur, vbi per illum diem sint, accensis saltem sex luminibus, & adhibitis ad custodiam duobus sacerdotibus, vel vno saltem, alioque clerico in sacris ordinibus constituto: quorum Sacerdotum cura sit, Sacras reliquias custodire, & earum arcam, aut loculos precatoriis fidelium coronis, quæ porrigentur, religiosè tangere.

Confecto translationis die, sub occasum solis constituto loco ab Episcopo, vel alio quem miserit, cum thurificatione, psalmis, hymnis, canticis, Antiphonisue religiosè recondantur.

46 Translationis tabulæ, publicè à notario confectę, in librum, in Sacristia illius Ecclesię asseruandum referant, tum rei gestæ, litterę in ære, vel marmore incisę in eo reliquiarum loco, ad perpetuitatē collocētur.

47 Corpora sanctorum, sacrauè membra, aut insignes sacrę reliquię, cum aliunde è loco longè remoto transferuntur, si vel nauigio vel curru vehuntur, illius locus, parsve, vbi pro vectione collocantur, piè ornetur, vna etiam, vel duabus pluribusue lampadibus accensis. Si ad vectionem iumentum adhibetur, decenter item sternatur.

Quacumque illis transferendis iter sit, per vrbes, siuè per oppida obuiam solenniter procedatur: ita vt Psalmis, Hymnis, & Canticis illas, cū clerus vniuersus, sacris vestibus indutus, religiosè excipiat; tum populus item, luminum numero, portarum, & viarum publicarum apparatu, religioso ornatu, pięque venerationis studio, & spiritualis lętitię significatione.

48 Dies translationis in vrbe, oppidum, aut saltem in Ecclesia, in qua collocantur, ut Episcopus iusserit, anniuersario Canonicarum horarum officio de sanctis celebretur, quorū sacra corpora, reliquięue eiusdem Episcopi iudicio insignes transferuntur.

Quod officium, vt solemniter, & cumulatè prestetur, id prospiciatur, vt dies, quo celebritas translationis, agenda est, in feriam certam cedat, quę sanctorum, quorum reliquię translatę sunt, cultui dicari possit, vniuersè, vel, in ea saltem Ecclesia.

De Miraculis, nouis, nouisque reliquijs.

SVMMARIVM.

1 *Forma à Tridentino Conc. miraculis nouis approbandis, & nouis reliquijs recipien. præscripta ab Episcopo seruanda.*
2 *Episcopi quid agant, vbi quid pro miraculo euulgetur.*

Quartū de Reliq. &c. §. eo. Sess. 25. de Inuoc. vener.

1 FORMAM à sacra Synodo Tridentina, miraculis nouis approbandis, & nouis reliquiis recipiendis traditam, Episcopi seruent diligenter in omnibus, etiam Regularium, & alijs exemptis Ecclesijs.

Ibid.

2 Nec verò patiantur, causa a se non cognita, & scripto probata, altare propterea erigi, aut imagines vllas

vllas extra morem ornari, votauè, aut oblationes suspẽdi, aut quicquam noui ea in re omninò geri. Sed quia plerumque fit, ut vulgi concursu, populique clamore, aliquid pro miraculo, aut sacra reliquia euulgetur, quod re uera non est, studeant hoc summoperè, ubi eiusmodi occasio se obtulerit, ut primis illis uulgi clamoribus piè obsistant, donec rei ueritas, legitimè comprobata, constet. Si quis uerò dubius, aut difficilis abusus sit extirpandus, uel omninò aliqua de ijs rebus grauior quęstio incidat: Episcopus, ante quam controuersiam dirimat, Metropolitani, & prouincialium Episcoporum in Concilio prouin. sententiam expectet, ita tamen, ut quemadmodum ab eodem Tridentino Concilio pręscriptum est, nihil inconsulto Sanctissimo Pontifice, nouum aut in Ecclesia hactenus inusitatum decernatur.

De Imaginibus sacris, & profanis, Deque pictoribus, & sculptoribus.

SVMMARIVM.

1 *Imagines Sacræ, quæ, & quomodo pingendæ.*
2 *Quæ historię pingi prohibentur.*
3 *Quę seruanda: quæque cauenda in imaginibus sacris.*
4 *Imagines, vt exprimendæ pro earum decentia.*
Earum habitus, ornatus, locus ab Episcopo inspiciendus.
5 *Sanctorum insignia apponenda.*
6 *Nomina quoque inscribenda.*
7 *Quæ ornatus causa illis addi non debeant; quęque liceat.*
8 *Quibus in locis non pingendę.*
9 *Pictores, & Sculptores conuocandi, docendique à quibus cauere debeãt in sacris imaginibus effingendis.*
10 *Ii, parocho inconsulto, Sacram imaginem non pingant.*
11 *Contrafacientes vt puniantur.*
12 *Interdicto ab Ecclesia plectẽdi insolitam imaginem pingentes.*
13 *Rectores verò id permittentes, excõmunicatione, & mulcta feriendi.*
14 *Imaginib. effingendis, quę difficultatem habent, Episcopi iudicium a parochis requirendum.*
15 *Imagines, quę delendæ, uel corrigendæ.*
16 *Veteres renouandę: sordidæ delendæ.*
17 *Tabulæ pictæ, ob vetustatem, comburendæ.*
18 *Imagines sculptę, si deformatæ, sub pauimento collocandæ.*
19 *Imagunculę cereę profano ornatu compositæ, non permittendæ.*
20 *Eæ minimè vendendę. Ipsæque cuiusmodi sint.* 19

21 *Sanctorũ imagines, benedicendę, nitidęq. conseruandę, & cuius studio.*
22 *Instruendus populus, quẽ admodũ sacręimagines, & picturæ uenerãdæ.*
23 *Imaginibus sanctorum patronorum vniuscuiusque Ciuitatis Prouincię Metropolytana Ecclesia decoranda.*
24 *Imago Sacra in cubiculis Episcopalibus, & collocanda.*
25 *In Gymnasio Ludimagistri.*
26 *Imagines obscęnę, etiam à laicis non recitandę.*
28 *Obscæna in apparatu processionum non adhibenda.*

1. Quę seruãda sunt in Sacr. Imagines. Sess. 25. de Inuoc. ven. & reliq. sanctorũ.

1 CVM Sacrosancta Tridentina Synodus decreuerit, nemini licere vllo in loco, vel Ecclesia, etiam quomodolibet exempta, vllam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit: eiusque diligentiæ & curæ commendarit, vt in sacris effingendis imaginibus, nihil falsum, nihil profanum, nihil inhonestum, nihil præposterè, nihil non rectè, atque ordine adhiberetur, illud in primis caueant Episcopi, nè quid pingatur, aut sculpatur, veritati scripturarum, traditionum, aut Ecclesiasticarum historiarũ aduersetur: nè cuius lectio prohibetur, eius imago populo proponatur.

2 Historiæ quoque quibus neque Ecclesia, neque probati scriptores authoritatem vllam dederunt; sed sola vulgi vana opinione commẽdantur, effingi prohibeantur.

Instr. Fabri. li. 1. cap. 16.

3 In Ecclesia, alioue loco, nè imago sacra exprimatur, quæ falsum dogma contineat: quæque periculosi erroris rudibus occasionem præbeat: quæue Sacræ Scripturæ, uel traditioni Ecclesiæ, repugnet: sed quæ ueritati scripturarum, traditionum, Ecclesiarumve historiarum, matrisque Ecclesiæ consuetudini, & vsui conueniat.

Præterea sacris imaginibus pingendis, sculpendisue, sicut nihil falsum, nihil incertum, apocryphumue, nihil superstitiosum, nihil insolitũ adhiberi debet: ita quicquid profanum, turpe, vel obscænum, inhonestum, procacitatemue ostentans, omnino caueatur: & quicquid itẽ curiosum, quodq. non ad pietatem homines informet; aut quo fideliũ mentes, oculiq. offendi possint, prorsus vitetur item.

In illis autẽ, sicut sancti, cuius imago exprimenda est, similitudo, quo ad eius fieri potest, referenda est, ita cautio sit, vt nè alterius hominis viuẽtis, vel mortui effigies de industria repræsentetur. Effigies præterea iumentorũ, canum, piscium, aliorumve brutorum animãtiũ in Ecclesia aliove sacro loco fieri non debent, nisi historiæ Sacræ expressio, ex matris Ecclesiæ consuetudine aliter quandoque fieri postulat.

Effigies iumentorũ, canũ, aliorumue brutorũ animaliũ in Ecclesia nè fiant.

fiant: cum aliquid inhonestum, aut profanum in ea apparere nefas sit, ex Tridentini Concilij sanctione; idque planè etiam septima Nicena Synodo œcumenica vetitum sit. 4. de reliq. &c. §. eod.

Si verò historiæ sacræ expressio, ex Sanctæ Ecclesiæ matris consuetudine, aliter quandoque fieri postulat, hoc sanè non vetatur. Ibid.

4 Sacrarū imaginum expressio, tota prototypi dignitati, & sanctitati aptè, ac decorè corporis habitu, statu, & ornatu respondeat. Inst. Fab. vt supra de decore sacrarum Imaginum.

Vt hæc omnia ad protypi dignitatem, & sanctitatem apta sint, & decora, atque ex imaginis inspectione pietas excitetur; nulla verò turpis cogitationis detur occasio, vniuscuiusque, imaginis os, corpus, corporis habitum, & statum, ornatum, & locum inspiciendum curent Episcopi. 1. Quæ seruãda sunt in sacris imag. effin. §. Deinde.

5 Quæ præterea ob significationem rei sacræ, imaginibus sanctorum appinguntur, eiusmodi apponantur, quæ ex Ecclesiæ instituto aptè, decoreq; conueniant, vt corona, quæ sicuti rotundi instar sanctorum capitibus apponitur; palmæ in manibus martyrum, mitra, & baculus pastoralis, quæ Episcopis dantur, & alia id generis; tum quod proprium est, ac præceptum insigne cuiusque sancti. In quibus omnibus diligentia adhibenda est, vt ex historiæ veritate, Ecclesiæ vsu, ac patrum præscripta ratione exprimantur. Videndumque est, vt Christi Domini corona, à coronis sanctorum distinguatur, crucis figura. Inst. Fab. vbi supra de insignib. sanctorum.

Hoc cauendum est item, vt eiusmodi corona nemini apponatur, nisi quos Ecclesia canonizauit.

6 Nec verò alienum illud est, vt in multitudine sacrarum imaginum, quæ in Ecclesijs exprimuntur, imaginibus minus notis, nomina sanctorum subscribantur, quod & veteris consuetudinis est, & sanctus Paulinus illo versu ostendit. Inst Fab. li. 1. c. 16. de nominib. SS. inscribendis.

Martyribus mediam pia nomina signant.

7 Parerga, vtpotè, quæ ornatus causa imaginib. pictores sculptoresve addere solent, nè profana sint, nè voluptaria, nè delicioſa, nè denique à sacra pictura abhorrentia, vt deformiter efficta capita humana, quæ Mascharoni vulgo nominant, non auiculæ, non mare, non prata uirentia, non alia id generis, quæ ad oblectationem, delitioſumque prospectũ atque ornatum effinguntur, nisi eiusmodi sint, quæ cum historia sacra, quæ exprimitur, uerè conueniant: aut tabulæ votorũ, in quibus, & capita, & alia vt supra, ad eorum explicationem pinguntur. Ornamenta itẽ, indumentaue alia, quæ sacris imaginib. appinguntur, nihil ineptum, nihil deniq. habeant, quod nihil parumve cum sanctitate conueniat. Inst. Fab. vt supra de parergis, &c.

8 Nec verò sacra imago, etiam in Ecclesia humi exprimatur neque locis item uliginosis, quæ picturæ corruptionem, ac deformitatem aliquo temporis spatio gignunt, effingatur: neque sub fenestris, vnde aliqua Inst. Fab. lib. 1. c. 16. de locis picturæ, &c.

pluuiæ gutta stillare possit: neque eo loci, vbi claui aliquando figendi sunt: neque rursus humi, sordidoque lutulentoue vllo loco.

Quo loco ne historia quidem Sancti, Sanctæve exprimatur: nec verò vlla sacrorum mysteriorum figura: neque præterea vllus eorundem typus, significatiove.

4. de reliq. §. eod. Quod de sacrosanctę crucis effigie, in Concilio prouinciali Tertio per nos sancitum est, itidem interdictum sit, sacras alias scilicet imagines, ac sanctorum, sanctarumve historias, sacrorumuè mysteriorum figuras, & significationes in vllo quouis humi strato, pauimento, aut loco sordido, etiam extrà Ecclesiam, insculpi, pingi, effingiuè.

1. Quę seru. sunt in sacr. imag. effing. §. eod. 9 Hæc & reliqua huiusmodi ex Tridentini Concilij præscripto, vt cómodius Episcopi exequantur, conuocent suarum Diœcesum pictores, & sculptores, omnesque pariter doceant, à quibus cauere debeant in sacris imaginibus effingendis: curemque nè illi, inconsulto, parocho, aliquam sacram imaginem publicè, vel priuatim effingant.

1. Ibid. 10. 11 Quod, si qui deliquerint, puniantur, tam ipsi artifices, quam ij quorum sumptibus, vel iussu effictæ erunt imagines.

4. de reliq. §. eod. 12 Pictoribus, & sculptoribus grauis mulcta, ac pœna etiam interdicti ab Ecclesia, Episcopi arbitratu proposita sit, si quid inordinatè, aut præposterè, aut tumultuariè accommodatum; si quid profanum, aut inhonestum finxerint, aut effinxerint, contrà eiusdem Concilii Tridentini decretum.

Sess. 25. de Invoc. vener. &c. 13 Rectoribus etiam Ecclesiarum, qui vllam sacram imaginem insolitam, contraque illius Concilij sanctionē, in suis Ecclesis etiam exemptis, poni permiserint, pęna, etiam excommunicationis, mulctauè constituta sit, arbitratu Episcopi, pro ratione culpæ irroganda.

Ibid.

3. vt su. §. eo. 14 Parochi verò Episcopo significent, quæ ille iudicarit in sacris imaginib. effingendis ad se propter difficultatem deferri debere.

1. ut sup. 15 Quod si quæ iam pictæ imagines, fictaue simulachra ob artificum temeritatem, aut inscitiam, eiusmodi fortasse fuerint, ut ferenda nullo modo videatur, ea curent Episcopi, doctorumetiam, & peritorū virorū Consilio adhibito, ut omninò deleantur, vel saltem aliqua ratione corrigantur.

4. de Reliq. §. eo. 10 Si quę sacræ tabulæ, imagineſve pictæ nimia vetustate, carie, situ, aut sordibus penè deletæ indecenti aspectu sunt; eas Episcopus, pia religiosaque pictura ab ijs, quorum interest, renouari iubeat; aut si id non potest, omnino deleri.

17 Ne tabulæ sanctorum imaginib. expressæ, vetustate contemptæ, in vilem, & sordidum, profanūque vsum conuertantur: sed, vt de altaris pallis, ac velis, temporis vsura penè confectis, Beati Clementis Pontificis, & Martyris decreto sancitum est, in ignem conijciantur: tum cine-

res

res præterea, ne pedibus inquinentur, in pauimenti fossis collocentur.

18 Imagines quoque Sacræ sculptæ, si deformatæ sint, amoueantur, & sub pauimento Ecclesiæ, aut saltem sub cæmiterij solo collocentur.

19 Imagunculæ illæ paruulæ, fictili opere effectę, si ita fuco, alioque apparatu concinnatę sint, vt Episcopi iudicio, vanitatem præ se ferre, aut offensionem præbere videantur, ad altare nè adhibeantur in posterũ.

Votorum item tabulæ, donaria, ex cera fusiles imagines, & eiusmodi aliæ, quæ ad memoriam, vel recuperatæ valetudinis, vel periculi depulsi, vel beneficij diuinitus, mirabiliterque accepti in Ecclesijs, ex antiquo more, institutoque suspendi solent; cum sæpè falsò, indecorè, turpiter, superstitiosèque affingantur, in ijs ipsis exprimendis cautio sit, suprà præscripta. Inst. Fab. ecc. lib. 1. c. 16. de tabulis uotorum.

20 Ne imagines cereæ, uoti causa, Ecclesijs, pijsq. locis oblatæ, venditari vllo modo possint; ac nè confractæ quidem etiam vetustate temporis, nisi concessu Episcopi in vsum Ecclesiæ conuertendæ. 4. de parochijs, &c. §. eod.

21 Cruces, & sanctorum imagines, solenniter, statisq. precib. ex Ecclesię ritu benedicantur. Ex institutionibus item fabricæ, de imaginum benedictione hæc habentur. 4. de reliq. §. eod.

Nec verò loci solum habenda ratio est, sed antiqui, Ecclesiasticiq; ritus, vt cum scilicet expressæ sunt sanctorum imagines, solenni benedictione, statisque precibus Pontificaliuè libro præscriptis, consecrentur. Inst. Fab. lib. 1. c. 16 d ritu bened. imagin.

22 Curet præterea, atque adeo efficiat Episcopus, vt & per se, & per alios, Theologiæ scientia peritos, ac illos in primis, qui illius interpretãdæ, aut populi docendi munus, in vlla quauis Ecclesia quouis modo sustinent, fidelibus accuratè enucleateque exponantur, quæcumque & de sanctorũ intercessione, inuocatione, atque cultu, & de sacrarũ reliquiarum, imaginumque veneratione, & de historijs mysteriorum nostræ redemptionis, pictura, aliaue similitudine expressis, eos instrui, docerique Tridentina Oecumenica Synodus iussit. 4. de Reliq. §. eo. Sess. 25. de Inuoc. §. ven. Sanctorum.

23 Aequissimum est, cum ratione q. pietatis coniunctũ, sanctorum patronorum vniuscuiusque ciuitatis Prouinciæ huius sacris imaginibus Ecclesiã Metropolitanam splendescere: cum eorum etiam intercessionem, patrociniũve ibi diuinis Officijs, & Litanijs implorari moris sit. Quamobrem id cum in primis ad religionis cultum, tum ad eiusdem Ecclesię ornatum, splendoremuè prestetur. 6. de cultu sãctorum. §. 1.

24 In cubiculis omnibus, reliquisque domus locis frequentioribus nè desit aliqua imago sacra. Quartum de Epis. §. eod.

25 Proinde in gymnasio, loco decenti, & perspicuo tabella alicuius sacrę imaginis appendatur, ad quam diebus singulis discipuli, statas preces facient. 5. Quę ad pd. &c. §. eo.

26 Et quoniam Christianorum hominum mentes facilè corrumpun-

3. Dejs quę partim ad ordinis sacramentum, &c. §. eod.

tur, peccandi libidine inflammatę, ob rerum turpium, atque obscenarum imagines, ideò illas effingi vetitum est constantinopolitanę synodi canone.

Itaque curet Episcopus, vt quicumque laici homines, id generis imagines habent, uel tabulis, vel parietibus, expressas, pro pietatis Christianę, cui addicti esse debent, studio, eas abijciant, vel planè deleant, vel ad honestatem reconcinnent.

2. tit. 2. decis. 18.

27 Cum Christianę pietatis rationi illud alienum sit ad ornatum templorum adhiberi ea, quę non modo religionem non excitant; sed intuentium mentes facilè illiciunt in fœdas, turpesque cogitationes: id propterea nè quis ad illa ornanda peristromatis, aulęisque vtatur, quę obscęnis figuris intexta sint; neque item pictas imagines, & signa adhibeat, quę vel ethnicorum hominum, vel aliarum rerum, loci sanctitati repugnantium formam, ac speciem prę se ferant.

28 In omni prętereà publicarum supplicationumve apparatu, quę obscęnarum rerum speciem ostendunt, ea nè adhibeantur.

De imagine sanctę Crucis, & Pilis structilibus in vijs publicis constituendis.

SVMMARIVM.

1 *Cuius insigne in frequentiorib. triuijs proponendum, certisue alijs locis, & ex qua materia. Et eiusmodi. 2.*
3 *Humi exprimendum.*
4 *Statis precibus benedicendum.*
Sub capellæ maioris fornicato arcu proponendum. De Eccle. fabrica. 29.
Crucis adoratio feria sexta in parasceue qua hora in omni Ecclesia celebranda. De diu. off. 60.
Quaque animi humilitate, & corporis prostratione. Ibid. 62.

3. Quę ad sacramentualia, & sacram. gener. pert.

1 CHRISTIANAE pietatis ornamentum, in quo populum fidelem gloriari oportet, altare est cœlestis holocausti, sacrosancta illa arbor crucis, in qua auctor humanę redemptionis pependit Christus Dominus. Quamobrem ad Christianę religionis gloriam insignis admodum fuit ea veterum pietas, vt Crucis signum non in templis solum, sed domi, foriſq. in parietib. ac vestibulis, pas-

passimq; in Vrbe expressum appareret, tamquàm & præclarum populi Christiani trophæum, & clarissimum Diuinæ misericordiæ monimentum, & sempiternum denique testimonium, quo palam fieret, fideles cum inimicis Crucis Christi, Iudæis, Ethnicis, & Hæreticis nihil habere commune; sed contrà eos omnes liberè profiteri, quem colunt, Dominum Iesum, & hunc Crucifixum. Hoc igitur maiorum religioso exemplo, atque instituto, cuius etiam vestigia in hac Prouincia aliquot locis perspici licet, excitatus Episcopus, illud curet, vt hoc Sacrosanctæ Crucis insigne, vel ligno, vel lapide, ∽vel, vbi commodè per facultates fieri potest, marmore expressum, in Vrbe, & Diœcesi sua, ∽vbi trinia frequentiora sunt, publicè proponatur, atque erigatur: quò crebrius, perspecta ea Sacræ Crucis arbore, fideles sese erigant, tũ ad summi mysterij, in ea peracti, gratam memoriam, tum ad ueram illam gloriam, ad quam Christo duce, populus fidelis, qui populus est acquisitionis, contendere debet.

2 Pilæ quædam structiles, in vijs publicis constructæ, cum sancta aliqua imagine, vel cruce, edito loco picta, aliove modo expressa, à superiori parte tectæ conseruentur, ne corruant. 4. de Oratorijs ĩ via sitis.

Curetúrque item, vt aliæ eiusmodi pilæ ad hominum pietatem excitandam certis congruis locis ædificentur.

3 Quod præterea à aliàs sancitum est, id pro Sacrosanctæ Crucis cultu, & veneratione seruari Episcopus iubeat, ∽vt ne ea humi exprimatur, neve sordidis, & aliqua labe inquinatis locis. Tertiũ, ibid.

Quod de Sacrosanctę Crucis effigie, in Concilio Prouinciali tertio, per nos sancitum est; itidem interdictum sit, sacras alias scilicet imagines, ac Sanctorum, sanctarumve historias, sacrorumve mysteriorum figuras, & significationes, in vllo quouis humi strato, pauimento, aut loco sordido, etiam extrà Ecclesiam insculpi, pingi, effingi. 4. de sacris reliq.

4 Cruces, & Sanctorum imagines, solenniter, statisque precibus, ex Ecclesiæ ritu, benedicantur. Ibidem.

De Indulgentijs.

SVMMARIVM.

1 *Abusus, quauis causa, in Indulgentias introducti, à Metropolitano ad summum Pontificem deferendi.*

2 *Concionatores Indulgentias populo non publicent, sine Episcopi concessu. 8.*

Principes, & Magistratus, curantes obseruari decreta Concilij Lateranen. contra blasphemos, quam indulgentiam acquirant.

De

De Blasphemia, numero 7.
Quam item accusatores, & iudices contrà eosdem procedentes, Ibidem.
Sodalitati nominis Dei ad blasphemiam tollendam, quæ indulgentiæ elargitæ. De Constitut. 7.
Indulgentia per associantes Sanctiß. Sacramentum cum ad ægros defertur acquisita, denuncianda. De sancta Eucharistia ad ægros defer. 24.
Indulgentia quoque sodalitatibus Corp. P. à Paulo III. concessa, sæpè promulganda. ibid. 25. & 26.
Indulgentia altera à Gregorio XIII. eisdem sodalitatibus elargita, sæpè publicanda. Ibid. 27.
3 De Indulgentijs doctrina instituenda, & à quibus, num. seq.
4 Instructiones editæ de Indulgentijs.
5 Indulgentiæ omnibus Ecclesiis concessæ, colligendæ, & in certum librum describendæ.
6 In quem deinceps aliæ concedendæ, referantur.
7 Indulgentiarum Codex, vel Tabella, vbi tetinendi.
Indulgentiarum omnium exemplar in Archiuio asseruandum. Ibid.
8 Indulgentias, quibus publicare non liceat.
9 Quæ Indulgentiæ quotannis statotempore publicandæ.
10 Indulgentiæ causa, collecta eleemosyna, quibus attribuenda.
11 Indulgentiarum litteræ propè eleemosynarum capsam non statuendæ.
12 Concionatores, Parochi } qua ratione hortentur fideles ad eleemosynam tribuendam tempore acquisitionis Indulgentiæ.
Propè Indulgentiæ locum capsa eleemosynæ non collocanda. Ibidem.
13 Conuenientibus ad orationem quadraginta horarum, quæ Indulgentiæ concessæ.
14 Orantibus item sine intermissione
15 Et in eleuatione Corporis Domini. quæ tributæ.
16 Conuenientes ad Concionem, Missam Conuentualem, ad Vesperas, Completorium, ad orationem q; & processionem sub vexillo.
17 Item ad Missam Congregationum forancarum, quam indulgentiam acquirant.
18 Orantibus certa hora pro defunctis, quæ Indulgentiæ concessæ.
19 Aegrotos visitantibus, quæ traditæ Indulgentiæ.

EX

1 EX præcepto sacri Concilij Tridentini collegimus, & cognouimus abusus omnes, qui in Indulgentias ex superstitione, ignorantia, irreuerentia, aut quauis causa in Prouincia Mediolanensi irrepserunt; vt Metropolitanus de ijs, ex sententia Synodi ad Summum Romanum Pontificem referat, cuius auctoritate, & prudentia, constitutis ijs, quæ huic Prouinciæ nostræ expedire videbuntur, fideles salutarem indulgentiarum fructum piè, & sanctè percipiant. Primum de pœnis, & aliis decr. in gñe. Sess. 21. ca 9. de Refor. & sess. 25. decr. De Indulgentijs, &c.

2 Indulgentias populo ne publicent Concionatores, nisi de consensu Episcopi. 1. De prædi. uerb. Dei.

3 De sanctis indulgentijs tractatio, prout vsu venerit, accuratè in sermonibus item habeatur; vt & earum cœlestem vim, & pietatis officia ad illas consequendas necessaria, populus intelligat: seque propterea omni intima mentis, animiq; religione, & Christianæ charitatis actionibus atque operibus, ad vberrimas, salutaresque earum utilitates assequendas diligenter paret. 4. de Indulgẽtijs, §. 1.

4 Id autem omne officium per parochos, & alios, quorum interest, præstari Episcopus iubeat, ijs præsertim instructionibus, quæ eo de genere, nostra in Concilio Prouinciali auctoritate confectæ, ad communem Prouinciæ huius vsum in lucem emittentur. Ibid. cũ seqq.

5 Quæcumque indulgentiarum, quæ olim, uel nuper cuiuis etiam Regularium, aut aliter exemptorum ecclesiæ perpetuò concessæ sunt, tabulæ, scripta, monimẽtave alia omnia eiusdem generis extant; ea ubi illa sint, siue in Vrbe, siue in Diœcesi, Episcopus studiosè conquirenda curet: tum illa conquisita, indeque summatim exscripta, in librum certum, eo nomine confectum, qui in Archiuio Episcopali asseruetur, diligenter, rectèque referri iubeat.

6 Quæ præterea indulgentiæ Vrbis, Diœcesisque suę ecclesijs in posterum perpetuo, uel ad certum tempus concedentur, ubi primum ad se, aut ad Vicarium Episcopalem, qui illas recognoscat, delatę sunt, eodem, aliove libro notentur, ordineq; deinceps describantur.

7 Singulę autem ecclesiæ quibus uel concessæ sunt, uel cõcedentur, proprium eiusdem generis Codicem, in quo illę exscribantur, accuratè confectum, aut tabellã eiusdem generis in Sacristia habeant; illarum exemplari in Archiuio, vel in Sacristia asseruato.

8 Ne cuiuis Rectori Ecclesię, etiam exemptæ, quouis modo, neque ulli ordini Regularium, neque cuiquam Scholę, Confratrię, etiam Rosarij, & Crucesignatorum, locive pij Collegio, prętextu, causave, vel priuilegiorum, etiam antiquorum, vel indulgentiarum, quas sibi quouis modo concessas, etiam instar ecclesiarum, locorumque piorũ, Confratria- 5. de Indulgẽtiis, §. eod.

fratriárũve Vrbis Romę hẽc liceat illas ipsas ĩ suis ecclesijs promulgare.

Sess. 21. ca. 9. de Refor.

9 Sed, vt decreto Tridentino cauetur, per Episcopum adhibitis duobus de capitulo, illæ quotannis stato tempore publicentur, atque euulgentur.

Ibidem.

10 Eleemosynæ item, atque charitatis subsidia, quęcumque eo nomine, occasione vè à fidelibus offerentur, per eos ipsos colligantur; & Ecclesiæ, locove; cuius causa indulgentia concessa est, omninò attribuantur; idque gratis, ac nulla prorsus mercede.

Conc. Tridẽ. sess. 21. ca. 9. de Refor.

11 Ne indulgentiarum litterę, inscriptionesve, earum nomine exaratę, eo loco, ubi capsa ad eleemosynam colligendam apparata est, etiam extrà ecclesiam, proponantur, affiganturve, sed, vel in altari maiori, vel in alio, ubi indulgentię causa statio, oratiove constituta est.

12 Ac proinde statis ijs diebus, quibus Episcopus indulgentiam promulgandam decreuerit, cùm fideles ad eleemosynam Ecclesię, locove pio tribuendam, vbi illius indulgentię celebritas agitur, parochus, concionatorve excitabit, doceat simul diligenter, eius consequędę causa non esse necessario præstitutam eleemosynę largitionem; vt cœlestem eum Ecclesię thesaurum, spiritaliaque munera exponi omnes intelligant non ad quęstum, sed ad peccatorum satisfactionem, & ad pietatis exercitationem.

Si verò aliquando, Episcopi concessu capsa, in quam eleemosynæ fidelium conijciatur, palam ponitur; intus in ecclesia, loco longè ab altari, ubi Indulgentiæ statio agitur, decorè collocetur, de eleemosynæ verò seruetur ratio suprà præscripta.

6. de Indulgen. &c. De Const. num. 30.

13 Quò uberiores ex orationis instituto fructus existunt, eo sæpius ad illius exercitationem fideles cohortandi sunt. Officium igitur Parochi sit, quò magis illos proposito spirituali dono alliciat, crebrò, cùm occasio tulerit, indulgentiam euulgare, iis concessam, qui orationi quadraginta horarum ordinarię, aut extraordinarię, Episcopi iussu expositę, uacauerint. Hoc officium, vt is præstet indulgentię litteras unà cum hoc Concilio in fine edi volumus.

6. ibidem. De Constit. num. 42.

14 Idem præstet de indulgentia ijs data, qui in oratione, quæ dicitur sine intermissione, versabuntur. Idque ex litteris Pontificiis, infrà huius Concilij vltima parte eo nomine editis.

6. ibidem. De Constit. num. 47.

15 Idipsum præterea sępenumero agat de indulgentia fidelibus data, qui uti fuerint in eleuatione Corporis Domini orauerint. Cuius etiam Indulgentię, litterarum monimenta, infrà eo nomine impressa sunt.

6. quę ad processs. pt. §. eo.

16 Supplicationibus publicis obeundis, fideles suę quique Ecclesię parochialis uexillo prælato, vt frequentes ordine procedant, eos parochus sępenumero, prout occasio tulerit, accuratè moneat, valdeq; accendat,

cendat, dono, munereque indulgentiæ, quam Summus Pontifex Gregorius XIII. pro sua paterna charitate Prouinciæ Mediolanensi concessit: cuius Indulgentiæ Pontificias litteras in fine huius Cõcilij sexti impressas, ob eam causam frequentet parochialibus suis euulget. De Constit. num. 44.

Quò frequentiores item in concione sacra, in Missa maiori, Vesperis, & Completorio, præsentes adsint, iisdem Indulgentiæ litteris illos crebrò cohortetur, & moneat.

17 Indulgentiæ, cuius etiam litteræ in vltima parte huius Concilij editæ sunt, Congregationis nomine concessæ, singulis mensibus à Sacerdotibus foraneis, ex Decreto Prouinciali in singulos menses euulgentur, quo die missa illius Congregationis celebratur. 6. q ad Synodũ, &c. §. eo. De Constit. num. 45.

18 Parochi præterea, quò magis, atque magis huius pietatis studium, exardescat, (vt scilicet oretur pro defunctis,) sæpè accurata cohortatione ad illius studium, vsumque perpetuum, parochiales suos inflammare studeant: & quò magis eosdem alliciant, indulgentiam proponant ijs concessam, qui sono campanæ moniti, atque excitati ad orationem, pro mortuis piè recitauerint Psalmum, De profundis; aut Orationem Dominicam, Salutationemque Angelicam ter dixerint: cuius Indulgentiæ Pontificias litteras, ut parochi aliquando de scripto euulgent, in fine huius Concilij loco suo impressas extare voluimus. 6. quæ ad funera, &c. §. e. De Constit. num. 46.

19 Sanctissimus Pontifex Gregorius XIII. vt salutarem aliquam ægrotis medicinam afferret, certis Apostolicis suis litteris, Episcopis huius Prouinciæ auctoritatem dedit, Indulgentiæ ægris concedendæ, quos vel ipsi, vel eorum nomine alij visitauerint. Quæ litteræ, ut omnibus notæ sint, proindeque ægroti salutare medicamentum contriti, & confessi capiant ex visitatione Episcopali, illæ à parocho, prout usu venerit, studiosè, accuratèq; euulgentur. 6. de visit. infir. De Constitu. num. 48.

De actionibus, & repræsentationibus sacris.

SVMMARIVM.

1 *Actiones, & repræsentationes Passionis Domini non agendæ.*
2 *Passio Saluatoris, vt exponenda.*
3 *Repræsentationes martyrum itidem prohibitæ.*

1 QVONIAM piè introducta consuetudo repræsentandi populo venerandam Christi Domini Passionem, & glorioſa martyrum certamina, aliorũq; Sanctorũ res gestas, hominum peruersitate eò deducta est, ut multis offensioni, multis etiam risui, & despectui sit; ideò statuimus.

Vt

2 Vt deinceps Saluatoris passio, nec in sacro, nec in profano loco agatur. Sed doctè, & grauiter eatenus à Concionatoribus exponatur, vt, qui sunt vberiores concionum fructus, pietatem, & lachrymas commoueat auditoribus, quod adiuuabit proposita Crucifixi Saluatoris imago, cæteriqúe pij actus externi, quos Ecclesiis probatos esse Episcopus iudicabit.

3 Item Sanctorum martyria, & actiones ne agantur; sed ita piè narrentur, vt auditores ad eorum imitationem, venerationem, & inuocationem excitentur.

De Magicis artibus veneficijs, diuinationibusq; prohibitis.

SVMMARIVM.

1 *Magia prohibita.*
Magi, & Maledici } *è societate fidelium exterminandi, ac puniendi.*
2 *Diuinatio vetita, Diuinatoresq; coercendi, & eijciendi.*
3 *Eos consulentes, auctoresque consulentium puniendi.*
4 *Annuli ad superstitiosos, & magicos vsus vetantur.*
5 *Astrologorum licentia, & eorum, qui illos consulunt, coercetur.*
Veneficijs, & fascinationibus matrimonia impedientes excommunicati. Quæ ad sacr. matr. pert. 46.
Illis etiam soluendis verba improbata adhibentes, excommunicati. Ibidem.
Consilium quoque mandatumve adhęc dantes, eandem censuram incurrunt. Ibid. 47.

Primum, de Magicis artibus, &c.

1 MAGOS, & maleficos, qui se ligaturis, nodis, characteribus verbis occultis mẽtes hominum perturbare, morbos inducere vel expellere; corporum figuram, & constitutionem immutare, uentis, tempestati, aeri, ac mari incantationibus imperare posse sibi persuadent, aut alijs pollicentur: cęterosque omnes, qui quouis artis magicę, & veneficij genere pactiones, & fœdera expresè, vel tacitè cum dæmonibus faciunt; Episcopi acriter puniant; & è societate fidelium exterminent.

2 Deinde omnem diuinationem ex aere, aqua, terra, igne, ex inanimatis, ex unguiũ, & lineamentorum corporis inspectione ex sortibus, somnijs,

somnijs, mortuis, alijsque rebus, quibus per dæmonum significationē incerta pro certis affirmātur, futura prædicere furta, thesauros absconditos commonstrare se posse profitentur, & huius generis reliqua, per quæ curiosorum, & imperitorum hominum mentes facilè decipiuntur, coerceant, & eijciant.

3 In eos etiam, qui huiusmodi diuinatores, sortilegos, coniectores, ariolos, & cuiusuis generis magos de aliqua re consuluerint, vel vt consulerentur cuique auctores, adiutores, hortatoresve fuerint, vel eis fidem habuerint, seuerè animaduertant.

4 Si quis etiam annulos, vel aliud ad magicos, vel superstitiosos vsus fecerit, aut vendiderit, graui pœna afficiatur.

5 Astrologi, qui ex Solis, Lunæ, & aliorum astrorum motu, figura, & aspectu de hominum actionibus, quæ à libero voluntatis arbitrio proficiscuntur, certo aliquid euenturum affirmant, grauibus pœnis plectantur. Quæ pœnæ etiam ad eos pertineant, qui ad illos de huiusmodi rebus detulerint.

Denique pœnas sumant Episcopi de ijs omnibus, qui in itineris susceptione, aut cuiusuis rei institutione, vel progressione dies, tempora, & momenta obseruantes, quadrupedum voces, auium garritum, aut volatum notantes, ex occursu etiam hominum, uel pecudum, suscipiendi operis fœlicitatem augurantur.

De Superstitionibus.

SVMMARIVM.

Superstitionum causa Eucharistia, sacris ve rebus abutentes, ab Episcopo absoluendi. De Confessario, num. 22.

1 *Parochi &* } *cura in superstitionibus euellendis.*
2 *Confessarij* }

Superstitionis causa nihil in feretro, &c. apud mortuum ponendum, De funeribus, & exequijs. 8.

Quartū, de Superstitionibus.

1 QVANTVM in religione stabilienda, atque augenda laboris ponendum est, tantum in superstitione, ex hominum mentibus euellenda, curæ, ac diligentiæ est impendendum. Quare parochi diligenter ei rei inuigilent: ac si quod superstitionum genus in suæ parochiæ hominibus animaduertant, id semper ante proximam Synodum, tempore, quod Episcopus præstituerit, ad illum inscriptis

scriptis deferant, vt ei malo occurri opportunè possit.

2 Confessarij quoq; diligentes in eo genere se præstent, inuestigētq; num pœnitentes aliquod remedium valetudini, aut vulneribus adhibeāt; quod non à medica arte, & cognitione, sed à superstitione proficiscatur: tum præterea, num tempora, aut loca, aut quid eiusmodi superstitiosa opinione obseruent: & quos ea in re peccare notierint, grauiter obiurgent; & ab eiusmodi vano sensu, atque errore deterrere, & auertere conentur.

De Blasphemia.

SVMMARIVM.

1 *Blasphemandi temeritas coercetur.*
2 *Clericus palam Deum, et Sanctos blasphemans, qua pœna puniendus.*
3 *Laicus, vt etiam plectendus.*
4 *Deum, & Sanctos occultè blasphemans mitius puniendus.*
5 *Blasphemo in foro conscientiæ, grauis pœnitentia imponenda.*
6 *Blasphemi accusandi: serui domo eiiciendi.*
7 *Principes, & Magistratus hortantur ad seruandum decreta contra blasphemos; & quid ob id lucrentur.*
Eos accusantibus indulgentia tributa. Ibid.
Indulgentia ipsa sæpè à parocho, & Concionatore denuncianda. Ibid.
8 *Iudices non castigantes blasphemos, quibus pœnis subijciantur.*
Quando ad Confessionem, & Communionem blasphemi non admittendi. De Euch. in eccl. adm. 11.
9 *Vt blasphemiæ occurratur, Sodalitas nominis Dei instituenda: quæq; eidem sodalitati Indulgentiæ concessæ. De Constitut. 7.*
Quæ etiam pœnæ contra blasphemos, & Constit. Pij V. proposita. De Constit. num. 11.

Primum de Blasphemia. 1 BLASPHEMIAE impudentia, & impietas eo prolapsa est, vt in ea coercenda vix satis diligentiæ adhiberi posse uideatur. Itaque sacris concionibus, & Pontificū decretis, maximè verò ijs, quę Leo X. in Lateranenti Concilio decreuit, innixi hæc mandamus.

Sess. 9. tit. de Refor. Cur. 2 Vt quicunque Deo palàm, seu publicè maledixerit, contumelioſisq; aut obscœnis verbis Dominum nostrum Iesum Christum, vel gloriosam Virginem Mariam, eius matrē, expresè blasphemauerit; si clericus sit, primum fructibus vnius anni beneficiorum Ecclesiasticorum, quæcumq; habuerit, mulctetur. Si iterū in eo peccarit, eo

rit, eo beneficio, quod habet, priuetur; & si plura obtineat, eo priuetur, quo ordinarius priuandum censuerit. Si tertio blasphemarit, dignitates, ac beneficia omnia, quæcumque habuerit, eo ipso amittat, ad eaque deinceps retinenda, aut obtinenda inhabilis sit. Innouationē ac auctionem pœnæ, uide ī Bulla Pij V. cūm primū, inf. de Constitutio. nu. 11.

3 Si verò laicus fuerit; primum, aut etiam secundo, pecunia mulctetur, ex præscripta in eodem Concilio ratione: tertio grauem pœnitentiam publicè agat, eo modo, quo à sacris Canonibus præscriptū est.

4 Qui verò Sanctos blasphemauit, aut in Deum, & gloriosam Virginem Matrem maledicta; non tamen palam, aut publicè, contulerit, mitius aliquanto iudicis arbitrio puniatur.

5 In foro autem conscientiæ, ei, qui blasphemiæ reus fuerit, grauem pro modo culpæ pœnitentiam confessor imponat.

6 Qui blasphemantem audierit, si possit sine periculo, asperius obiurget; omninò autem intra triduum eius nomen ad iudicem ecclesiasticum, vel secularem deferat. Si plures simul audiuerint, singuli idem faciant; nisi inter eos conuenerit, vt unus pro omnibus eo fungatur officio. Quòd si domini; mercatores, aut artifices, famulos, aut ministros audierint blasphemantes, semel monitos, si iterum in eo genere peccarint, domo eijciant.

7 Principes autem, & Magistratus, per Dei gloriam, quæ blasphemia maximè violatur, obsecramus, vt hæc omnia diligentissimè seruari studeant, vberrimam piæ curæ à Deo mercedem expectantes, præter decem annorum indulgentiam, quam Leo X. in eodem Lateranensi Concilio, & ipsis, & iudicibus, & deferentibus elargitus est. Sess. 9. de ref. Curiæ.

Parochus & Concionator sæpè, prout opus esse animaduerterit, illam decem annorum indulgentiam edicat, ac denunciet, quam Sūmus Pontifex Leo X. in Lateranensi Concilio toties cuiuis concessit, quoties aliquem blasphemantem accusarit. 3. quę ad Cōcion. pt. §. e.

8 Quòd si seculares iudices, quòd minimè futurum speramus, blasphemiæ convictos, iustus pœnis non affecerint; sciant ijdem pœnis, quas de fontibus sumere neglexerunt, ex eodem Concilio se teneri. 1. de blasphe. in fine.

9 Vt detestabile blasphemiæ scelus, quàm diligentissimè fieri potest, tollatur, præterea, quę superiori Concilio Prouinciali sancita sunt, id Episcopi studeant, ut in sua quisque Vrbe, & Diœcesi, hominum, qui zelo religionis accensi sint, sodalitatem Dei nominis instituant, præscriptis eidem sodalitati regulis, vnà cum Indulgentijs in Bulla expressis, quam fel. record. Pius IIII. eius rei causa confecit. 2. titu. 1. Decreto 3.

De Festorum dierum cultu.

SVMMARIVM.

1 Festi dies colendi.
2 Festis diebus seruilia opera, atque infra notata vetantur.
3 Nundinæ, emporia, mercatus.
4 Contractus, rerum medicinalium, & necessariarum exceptis, & his seruatis conditionibus.
5 Officinæ apertę.
6 Collectæ, Taleę.
7 Librorum, imaginum, signorum venditiones.
8 Ad aleæ vsum pertinentia.
9 Tonsoribus, pistoribus, sutoribus, calcearijs, & alijs opificibus certa præscribendę regulæ.
10 Choreę quoque, saltationes, tripudia.
11 Commessationes.
12 Comędię, ludi scenici, theatrales, hastiludia, ludi equestres, &c.
13 Circulatorum spectacula.
14 Tortura reorum.
15 Testimonium, tam in ecclesiastico quàm sęculari foro.
16 Arborum incisio, erectioque Calendis Maij.
17 Contrafacientes arbitrarijs pœnis, tam decretis prouincialibus, quàm Pij V. Constitutione puniendi. De Constit. 11.
18 Quibus actionibus diebus festis incumbendum.
19 Parochi, & Concionatoris officium in admonendo populo, vt diem festum utiliter traducat.
20 Modus ritè festi diei consumendi prescriptus.
21 Epi officiũ in occupādis fidelibus, ut se abducāt à profanis actionib.
22 Festis diebus nullus iter faciat Missa nondum audita.
23 Ecclesiastici à domo, & ab ecclesia sua nō discedāt, nisi ob vrgētē cām.
24 Principes, & Magistratus, quibus diebus ad Cathedralem cōueniant: eaque in re Episcopi officium.
25 Dies, veteri instituto, votove colendi, ab Episcopo inuestigandi.
26 Vota item, piæque consuetudines obseruandæ.
Eiusdem Episcopi, ijs obseruandis, quæ cura. 28.
27 Monimenta festorum dierum, et piorum institutorũ, quæ in Archiuio Episcopali, & quæ in Ecclesia parochiali asumenda. 30.
29 Vigiliæ, festiq; dies obseruandi, in Synodo decernendi, atque in Calendarium referendi.
30 Ii, Dominico die publicandi: docendumq; quid vigilijs, festisq; colendis, agendum.

Quę

31 *Quæ etiam pia opera infrà hebdomadam præstanda, quæ stationes, & indulgentiæ publicandæ, quæ orationes, processiones, et anniuersaria agenda, quæque alia à parochis seruanda ipsis diebus festis.*

32 *Sancti, Sanctæve, cui parochialis Ecclesia dicata, vigilia, festumque agendum, & quibus officijs celebrandum.*

33 *Eiusdē Sācti, Sāctæve vita, & gesta, post Vesperas, pronunciandæ.*

34 *Vitæ Sanctorum, qui in vrbe, & diœcesi coluntur, vno libro ab Episcopo contexendæ.*

35 *Festo die Sancti, cuius reliquiæ adfuerint, quid agendum.*

36 *Festi dies edicto Episcopali sanctificandi, à Regularibus ēt obseruādi. Eorumque Tabellæ in Sacristia etiam à Regularibus retinenda.*

37 *Ieiunia quoque ab eisdem obseruanda.*

38 *Festi dies, & celebritates, & quæ alia in librum referenda.*

39 *Liberis singulis mēsibus ad episcopum afferendus: à quo quid propterea agendum.*

40 *Eorum dierum corruptelæ ab Episcopo corrigendæ, & qua ratione.*

31 *Ieiunium in festum incidens, nihilominus obseruandum.*

Quibus festis diebus, templa, ecclesiæve decentius ornandæ. De ornatu ecclesiarum, num. 10.

Festus dies Ecclesiæ Monialium, non magnifico apparatu celebrandus. De eccle. Monial. 28.

Neque tunc admittendi Musici, nec figuratus cantus. Ibid.

Vt certis festis, & tpibus solennibus in vrbe, & oppidis habitent rusticātes, parochi cura. De Sanctæ Euch. in eccle. administr. num. 4.

1 MAXIMAM in eo diligentiā, ac studiū Ēpi ponere debent, vt dies festi, piè, sanctèq; obseruentur ab oībus. Cum enim ij potissimū ad celebrādas Dei, & Sanctorū laudes salutariter instituti sint, curandum est etiam diligenter, vt ne ijs ipsis quisquam ad diuinā offensionem, & animæ suæ perniciem abutatur.

Primum de festorū dierū cultu. Conc. Trid. sess. 25. de delect. ciborum &c.

2 Prohibeant igitur ij, ne illiberales artes exerceantur, aut ullum opus fiat eo tempore alienum, *Quæ sequuntur infrà dicentur.*

3. de fest. dierum cultu. sess. 25. Sess. 25. decr. de inuo. Sāc. Sess. ead. dec. de delec. cib. Primum, p. 1. de fest. dierū cultu.

Sacrosancta Tridentina Synodus cum statuit, fideles religioso festorum dierum cultu abuti non debere ad comessationes, ad luxum, & lasciuiam, tum pastores omnes vehementer in domino obtestata, debitam, sanctamque eorundem obseruantiam pastorali diligentiæ magnoperè commendauit. Quamobrem primo Prouinciali Concilio, de illorum cultu quamuis à nobis sancitum sit: tamen hac Constitutione, eo ipso de genere diligentius decernendum

censuimus;cùm eæ sint morum corruptelæ,is deprauatus vsus, ab omni, & diuina,& humana lege alienus,vt Deo dicati dies, sanctisq; rerum officijs cõsecrati,ac Spiritussancti doctrina instituti,tum ad recolenda diuina beneficia,tum ad honores debitos Sanctis tribuẽdos,ad eorumq; vitę imitationem excitandam, non modo, ut oportet,sanctè non colantur;sed,quod grauissimũ est,nefariè violentur,operibus,officijs,rerumq; actionibus,ab eorum cultu, & pietatis Christianę studio alienis.Itaq; in maxima hac offensione,nos sacrę illius Synodi auctoritate,Canonum iure,Summorũ Põtificum sanctionib.& Pij V.Pontificis Constitutione,eo nomine edita,Patrum item institutis,tum ipsis Imperatorijs legibus adducti,edicimus;vt ne quid seruilis operis sacris ijs diebus qui Sanctæ Matris Ecclesię instituto, aut vniuscuiusq; loci consuetudine,vtove publico coluntur,fiat; nec quicquam deniq; quod in illis agi, geri, fierive non liceat.

Sess.25. Const.Pij V. de obser.fest. edita 1566.

Et quoniam in ijs, quę sequuntur, maximè peccatur, hęc nominatim vetamus.

3.ibid.§.eo. 3 Ne ijs diebus nundinę,emporia,mercatusve agantur: ne quicquã prętereà fiat,exerceaturve,qđ ad earũ nundinarum,vel mercatus apparatum pertineat,etiamsi in diem proximè sequentem, illæ cadant.

1.ibid.§.eo. Ne fiant nundinę,sed quę festo die fieri consueuerint,in antecedentem,vel sequentem diem,qui festus non sit,transferantur.

3.ibid. 4 Ne contractus ulli cuiusuis generis sint, neve ullę rerum exequutiones fiant;nisi cum iure nominatim permissum est.

1. ibidem. Nequid ematur,aut uendatur,pręter id,quod ad uictum illius diei, vel ad ægrotorum curationem necessarium sit.

3 ibidem. Ne quas res ad uictum necessarias,uendi licet; illę propè Ecclesias, in eorumve conspectu uenales proponantur.

Neque eatum ipsarum rerum, prętęr quam panis à Sole aut pluuia defendendi causa,in foro,locisve publicis tentoria, rastrave sint, quibus illę exponantur.

Neque earũdem rerum occasione,causave officinę apertę ullo modo sint:sed earum ostiolum paruulum patens sit licet, reliqua omni parte clausa.Quo in genere prętereà Episcopus,illarum rerum vendi-tioni certam horam, & modum pręscribat; ne ex uenditione aliquid existat scandali,offensionisve, aut occasionis, qua distrahantur homines à diuinis officijs.

1.ibid.§.cod. 5 Ne officinę,aut omninò, aut aliqua ex parte apertę habeantur.

Pro officinis apertis,rebusve uenditis,si filius famulus,ministri,deliquerint,etiam pater,dominus,& artifex pœnam subeant.

3.ibidem. 6 Ne collectę,taleęve in oppidis, pagis,uicis,ut ex deprauata cõsuetudine quibusdã ĩ locis factum est, festis diebus exigantur, præsertim,

quo

quo tempore, vel sacra fiunt, vel concio habetur, vel processiones, vel alia diuina officia celebrantur, vel scholarū doctrinæ Christianæ exercitationes aguntur. Nec verò vllo prætereà vmquam die in Ecclesia, in cœmeterio, atriove ecclesiæ illas exigi liceat.

7 Ne libri, imagines, signa, & alia id genus vsquam venalia proponantur, aut circumferantur.

8 Neque ad aleæ lusum pertinent, neque laruę itidem, nec vestes ad personatorum hominum vsum vendantur, vel locentur.

9 Tonsoribus prætereà, pistoribus, sutoribus, calcearijs, aliisq; eiusmodi, & reliquis item opificibus, quibus præscribi oportet, Episcopus certas regulas præscribat, ne deinceps dierum festorum cultum violent, in quo maximè peccare plerique solent.

10 Quoniam autem vsu iam hac in prouincia nimis compertum est, depranatis hisce temporibus, & moribus, ad choreas, trepudia, saltationes, & id genus alia numquàm ferè conueniri sine multis, & ijs quidē grauissimis Dei offensionibus; idque cum ob turpes cogitationes, obscœnè dicta, inhonestas actiones, morum corruptelas, & pernicioſas ad omnia opera carnis illecebras, illis perpetuò coniunctas, tum propter cædes, rixas, dissidia, stupra, adulteria, aliaque mala plurima inde consequentia quam sæpissimè: his tot offensionum, & peccatorum semina rijs locum dari, ijs præsertim diebus, qui dies propitiationis sunt, & ijs istis diebus fideles plerosque, nefarijs istis Sathanæ blanditijs illectos, à diuinis officijs, religiosis supplicationibus, lectionibusque sacris abduci, auertique rudes à percipiendis fidei rudimentis, aliosque ab alijs Christianæ pietatis officijs, in quæ eo tempore religiosè incumbendum est, abstrahi, & amoueri, hoc certè grauissimum est in conspectu Dei, & Ecclesiæ. Quare festis ijs diebus saltem horis, quibus diuina celebrantur officia, interdicimus ne saltationes, tripudia, choreæ ducantur, aut fiant.

Choreæ, & saltationes in vrbibus, suburbijs, oppidis, vicis, aut vsquā omninò ne agantur. 1. de fest. dierū cultu, §. c.

11 Prohibeat verò diligenter Episcopus, atque omninò efficiat, vt nō modo nō saltationes, & choreę, verùm ēt ne conuiuationes in honorē Sanctorum, ludi, aliæve profanę actiones, ab eorū festorū dierū, & piorum institutorū cultu alienæ, vllo quouis modo, ēt illorum prętextu, occasioneve introductæ, publici ijs ipsis diebus fiant. 3. de fest. dierū cultu, §. c.

12 Ne item comędiæ, ludi scenici, vel theatrales, hastiludia & alia cuiusuis generis spectacula agantur. 3. Ibid.

Ne ludi equestres, certamina, aut alia ludicra, & inania spectacula adhibeantur. 1. Ibid.

13 Ne circumforanei circulatores, & id generis nebulones, prestigias 3 Ibid.

suas, inaniaque ea spectacula agant, neq; quicquam omninò uendāt, ne medicamenti quidem prætextu.

Primum, p. 2. Commun. de rat. diuin. off. § eo.

Episcopi ne patiātur circulatores, circū foraneos, & id fallax hoīum genus tempore diuinorū officiorum in foris, & plateis ecclesiarum versari, ne populus illecebris eorum artificij ab ecclesiis euocatus, salutares cogitationes abijciat.

4. de ferijs, §. eod.

14 Rei ne festis diebus, diuino cultui dicatis, torqueantur, si modo criminis atrocitas aliud non postulet.

Ibidem.

15 Ac ne testes quidē ijs diebus testimoniū dicāt, ēt si feriali die iurati id sint, nisi in causis, in quib. licet eisdē diebus iusiurandū illis deferri.

Id omne sanè Episcopus, cùm in Episcopali foro, tum in sęcularibus iudicijs caueat, vt seruetur.

c. quę ad dies festos &c. §. e.

16 Calendis Maij, qui dies Sanctorum Apostolorum, Philippi, & Iacobi solennitati consecratus est, eum prauum vsum passim in prouincia nostra retineri ad nos perlatum est, vt incisę arbores frondescētes, per vrbes, oppida, vicos, & pagos in plateis, ac triuiis ludibundo spectaculo erigantur.

Id porrò graue, atq; eiusmodi esse animaduertimus, vnde pestiferū quoddam seminarium existit non paucorum malorum, cùm quidam homines illius ridiculæ actionis cupiditate, atque uoluptate prolapsi, Missæ sacrificio adesse, eo die festo, perniciosè negligant, tum arbores alienas, sæpeq; in prędijs ecclesiasticis consitas, furtim per vim, atque iniuriam prędicant. Hinc illa manant conuitia, rixæ, contentiones, iniurię, odia, inimicitiæ, & aliquando cędes. Accedit præterea tum uulgi clamor, tum bellicorum instrumentorum vehemens strepitus, quo diuina officia, sacręve conciones valdè perturbantur; & comessationes deinde, & comporationes fiunt, quibus cum ebrietates, obscœnè dicta, inhonestę actiones, pernicioseq; ad omnia opera carnis illecebrę, & alia plurima mala ppetuò coniuncta sunt, non sine noīs Christiani iniuria. Nos igitur, & sacrorū canonum iure, & sacrosanctis sanctionibus, & Concilij in primis Tridentini decretis, quibus corruptelas à pietatis Christianę vsu, & à dierū festorum prędertim cultu alienas, omni pastoralis vigilantiæ officio tolli iussum est, & nostrę ēt curę, officijq; munere adducti, tantæ, tamq; publicę offensioni occurrendum censuimus. Quare Eps, tum pœnis, quouis iure sancitis, in eos animaduertat, qui in ea occasione diem illum festum, vel opere seruili, vel alia actione, illius rationi, sanctitatiq; aliena, violarint: tum prętereà expositis grauissimis peccatis, & cōmōstratis detrimentis, ac damnis, quę plurima inde animę, corporiq; eueniunt, fideles sibi in curam traditos, à re illa pniciosa, quę tamquam gentilitię superstitionis specie quandam exhibet, ei Epali cohortatione, & officio reuocare studeat ad oēs partes religiosi cultus,

cultus,quo eorum Apostolorum dies festus illis Calēdis coli, sanctificariq; debet. Ac proinde quidem, abiectis illis ludibundis spectaculis, quę turbulenta illa pręcisarum arborum erectione, voluptario quodā, profanoq; clamore, ac multiplici strepitu agebantur, fideles pietatis opera diligentius amplexi,eum diē festum de ecclesię more celebrent, hymnis,canticis,supplicationibus,processionibus, alijsq; sanctè agēdi officijs.Arborum prętereа loco,excitati imitatione Sancti illius Apostoli Philippi,qui pro Dei gloria Cruci affixus est, Sacrosanctum arborē Crucis, in qua auctor humanę Redemptionis pepēdit Christus Dñs, tantò religiosius locis conspicuis publicè erigant,quantò inutilius olim profanas eas arbores frondescentes erexerint.

Atqui in omni re hac efficienda,atq; exequenda Episcopus,si quando usui erit,Magistratuum etiam laicorum,auxilium, opemq; implorabit,prout expedire censuerit.

17 Qui secus fecerit, seuerè plectatur,Episcopi arbitratu.

Vt aūt hę oēs de festorum cultu leges ab oībus seruētur; contrà eos, qui non paruerint,Eps agat pęnis, & alijs item remedijs arbitratu suo.

1 de fest.dier. cultu, §.eo. 3 de fest.dierū cultu, §.e. 1. Ibid. Const. Pij V. inf. de Cōsti. num.11. 3.Ibid.

18 Doceant verò populum debere vnumquemque eo potissimum tempore,in diuinis officijs, & concionibus audiendis frequentem esse, ac in precibus, recolendisque Dei maximis beneficijs, assiduè versari.

Festis diebus Sacrosancto Missæ sacrificio fideles omnes interſint.

Neque uerò excusentur puellę nubiles,neque deinceps uiduę,ne pmissu quidem primi nostri Concilij,ob recentem mariti mortem, neque vllo alio cuiusuis consuetudinis prætextu.

Primum, p.2. quæ pert. ad celeb.Missæ, §.moneant. 3. Ibid.

19 Vt verò ij dies omni pietate, & religiosius colantur, hæc crebrò populum Parochi,& Concionatores admoneant, atq; hortentur,vt illorum dierum tempus, quod Deo, eiusque cultui debetur,in ijs actionibus totum consumant,in quibus sanctè consumendum est.

20 Vt concionem mane,& sacram lectionem à prandio,ubi explicari solet,audiant.

Vt diuinis, Vesperarum pręsertim, officijs præsentes piè, religioseq; adsint.

Vt in Christianæ doctrinę rudimentis, ac præceptis, vel percipiendis,uel recolendis versentur.

Vt in operibus, officijsque pietatis se exerceant, ægros homines visitando, morientes piè consolando, & alia eiusmodi præstādo.

Vt denique ab illis actionibus, vnde omnis peccandi materia, atque occasio existit, feriati, in ea opera incumbant, ob quæ sunt ill sacri instituti dies.

21 Episcopi igitur cura sit,uel litaniarū,processiones, vel orationis,

aliarumq; Christianatũ virtutum exercitationes instituere, in quibus per festos dies occupati fideles, abducant se à profanis actionibus.

5. quæ ad festos dies, &c.

22 Ne quis diebus Dominicis, festisque ex ~vrbe, oppido, alioue loco, cum iter facturus est, ante discedat, quàm Missæ sacrificio interfuerit, nisi ad eum locum proficiscatur, vbi in tempore interesse possit.

23 Ecclesiastici ~verò hoies, quicũque sint, ex ij præsertim, qui diuinorũ officiorũ celebritatib. in choro adesse debent, videant, atq; adeo caueant, ne sacris illis diebus, quos in Dei laudibus, religiosisque pietatis officijs, & in ecclesia potissimũ à clero consumi oportet, iter, nisi ob urgentem causam suscipiant: vt hoc etiam eorũ exẽplo excitati fideles, sacris illis diebus à diuinis officijs opere itinerario non auocentur.

3. de fest. Dierum cultu.

24 Sicut Principes, & Magistratus, qui gubernationi præsunt, dignitate præcellunt, ita prælucere debent, exemplo, quo reliqui incendatur ad perpetuum piè agendi studium. Quamobrem pro muneris sui officio, eos paternè cohortando, & admonendo Episcopus curet, ~vt ipsa per annum solennibus diebus, & in quibus potissimũ humana redemptionis mysteria peraguntur, in Natiuitate scilicet Domini, die Circũcisionis, & Epiphaniarum, in hebdomada Sancta, Pascha Resurrectionis, Ascensione, Pentecoste, in solenni die Corporis Domini, ad Cathedralem Ecclesiam conueniãt, Episcopalique Missæ sacrificio, quod solenni ritu fit, diuinisque Vesperarum officijs intersint.

Idem præterea efficiat, cum ob Iubilęum, vel ob aliam publicã causam generales processiones, & supplicationes aguntur.

25 Ẽps id curæ, diligentięq; adhibeat, ut tũ ex ecclesię suę libris veteribus, manuq; scriptis, tũ ex publicis Ciuitatis scriptis, monimentisve, atque aliunde perueſtiget, si qui dies sunt, quibus colendis, vel ~veteri instituto, usuq;, uel publico voto ciuitas adstricta est, aut alius item quiuis diœcesis suę locus.

26 Qua pręterea diligentia vtatur in conquirendis reliquis, tam ~votis, tum pię consuetudinis institutis.

27 Si uerò eiusmodi monimenta compererit, ea diligentius conscripta, in Episcopali Archiuio asseruanda curet.

28 Certosq; illos dies festos, ijs monimentis notatos, coli, & alia huiusmodi pia instituta præstari iubeat.

29.30 Vigilię aũt, & festi dies Sanctorum, qui publico Ciuitatis voto, aut consuetudine coli debent, diœcesanę Synodi Cõstitutione ab Epo decernantur: Et in Calendarium quotannis relati, die Dominico, prout ~vniuscuiusq; eorum Sanctorum festus dies in aliquam hebdomadam inciderit populo à parocho denuncientur.

Monimenta verò festi diei, uel piorum institutorũ, quæ in aliquo solo diœcesis, oppido, locove voti publici, aut consuetudinis ratione seruari

seruari oportet, in eius etiam loci parochiali Ecclesia asseruentur: cum autem dies illæ festus, ∨el quo pium institutum seruari debebit, inciderit, parochi sit, die Dominico, proximè præcedenti, illum populo indicere, ac denunciare.

Dominicis diebus parochus non solum festos dies populo denũciet, sed etiam illum sæpè doceat, quæ officia tum in illis, tum in eorum ∨igilijs colendis ab eo religiosè prẽstari oporteat. 3. de parochis, §. eo.

31 Eidem prætereà significet, atque indicet Stationes, & Indulgẽtias, quæ Episcopi iussu promulgandæ erunt, & publicam, si quæ aliquando ob aliquam causam indicta est, orationem, & processiones, & officia mortuorum in sua parochiali Ecclesia obeunda, si quę eiusmodi in eam hebdomadam inciderint, ut fideles, parochi sui ∨oce moniti, aut illis officiorum significatione campanarum sono, cum iam ante commoniti intelligant, quæ precationes, quæue officia in Ecclesia fiant: ipsi etiam, quamuis absint, ∨el domi, ∨el alio loco, vbicumque sint, piè Deum precentur.

Cum autem dies festus, ∨el quo pium institutum seruari debebit, inciderit, parochi sit, die Dominico, proximè præcedeat; illum populo indicere, ac denunciari. 3. de fest. die. cultu, §. Monimenta, verbo. eod.

In omni Ecclesia Cathedrali, & parochiali, singulis Dominicis, Anniuersaria, quæ in hebdomadam proximè sequentẽ, in ea Ecclesia celebranda erunt, fidelibus denuncientur. Idem de septimo, & trigesimo, & alio eiusmodi officio præsterur, qua in denunciatione, Parochus cohortatione illos excitet ad orandum pro mortuis, proposita etiam humanæ vitæ conditione. 6. Quę ad funera pert. §. eod.

Cætera à parochis seruanda ijs ipsis diebus festis, videantur in titulo de Parochis.

32 Quo religiosius incolæ vniuscuiusque parochiæ festum diem colãt, illius Sancti, Sanctæue, cuius patrocinio parochialis Ecclesia dicata est, cohortationibus parochus, vt pridie eius diei illi sanctè ieiunent, animo piè repetentes, tum ieiunia, tum religiosas alias eius sanctarum uirtutum exercitationes: quarum meritis in cœlum ille vocatus, cum sempiterna gloria perfruatur, pro charitate, qua abundat eorum, quorum salutis patrocinium suscepit, preces Deo offert, ieiunia item, & lachrymas. Tum eidem illos admonere, atque ∨ehementer in Domino cohortari non desistat, vt pietatis Christianæ officijs, sanctis operibus, debitaque veneratione, sancti illius diem festum colant, utque ab omni seruili opere abstinere studeant. 3. Ibid.

33 Eodem prætereà die sancti, qui parochiæ patronus est, & custos, quo ad illius imitationẽ magis fideles inflammentur, id parochus præstet, ut peracto uesperarum officio, cum frequentior in Ecclesia populus

lus

lus adest, aut ipse, aut alius in suggestu, aliouè loco superiori, de libro quo illius vita, verè expressa continetur, res eius sanctè, admirabiliterque gestas, religiosæ vitę institutа, morum disciplinam, pietatis studia, virtutes, pronunciet.

34 Quoniam verò Sanctissimis Summorum Pontificum constitutionibus, & Prouincialis Concilij primi nostri Decreto sancitum est, ut quę apocrypha sunt, iu Ecclesia nè legantur: de vitis sanctorum, qui in vnaquaque huius prouinciæ vrbe, Diœcesiuè certis potissimum locis coluntur, liber ab Episcopo conficiatur, doctis, & pijs viris adhibitis, tum ex probatis auctoribus, tum certis suę Ecclesiæ scriptis, ac traditionibus.

35 Sanctorum, qui in Domino dormierunt, sacris sepulchris, & reliquiis colendis, & venerandis, eò maximè augetur gloria Dei, quo religiosius illa coluntur. Quo igitur die sancti alicuius dies festus agitur, si in aliqua vrbis, diœcesiuè Ecclesia, sancti alicuius corpus reconditum est, sacrave eius membra, vel aliæ insignes reliquię asseruantur; eo die, & significatio detur frequenti campanarum sonitu, & ille Ecclesiæ locus, vbi ea sunt, sacrarum uestium apparatu, & candelarum lumine ornetur, tum ad maiorem cultum diuina officia solennius celebrentur.

5. Quæ ad dies festos, §. eo. Sess. 25. c. 12. de regul.

36 Quos dies festos Episcopus in vrbe, diœcesique sua coli, sanctificarique edixerit, ac præceperit, ij ab uniuersis cuiuscumque ordinis regularibus quauis ratione exemptis, colantur, sanctificentur, atque obseruentur. Dierum autem festorum, quos in ea vrbe, aut diœcesi coli consuetudinis est, ille tabellam conficiendam curet, quam certo Sacristiæ loco affixam, ijdem etiam regulares habeant.

37 Ieiunia præterea, quæ certis pręcipuis locis, vbi monasteria illi habent, à reliquo clero, populoque vniuerso obseruari moris consuetudinisue est, curet Episcopus, vt ipsi itidem, sicut cæteri omnes ritè, rectèque colant, celebrent, atque obseruent.

6. de dieb. festis.

38 Quo religiosius in vnaquaque vicinia, tam vrbis quàm diœcesis, dies festi colantur, & sanctificentur, Episcopus certum librum constituat, in quem à Cancellario, cum omnes, singuliq. dies festi parochiales, alijve, qui vbique in uicinia aliqua, vel vrbis, vel diœcesis vniuersè, sigillatimuè agantur; tum reliqui etiam discretè, atque ordine referantur, quibus Indulgentiæ Iubilei, alteriusuè celebritatis causa ad Ecclesias concursus esse solet. Quo libro deprauati prętereà mores, abususuè notentur, si qui illis celebritatibus esse in ijs ipsis uiciniis solent. Atque ijs quidem diebus exscribendis Episcopus ad cognitionē certam parochos singulos adhibeat, quorum etiam officium sit, si quę noua in dies Indulgentia Ecclesijs suis accesserit, si quæuè alia celebri-

tas,

tas, cauſaue denuo inciderit, quamobrem populi concurſus in parochiali vicinia ad aliquam Eccleſiam fiat, de ea Epiſcopum cutiorem facere, vt illa, quęcumque ſit, in eundem librum referatur.

39 Porro eum ipſum librum accuratè exſcriptum, notatis menſibus, & diebus, quibus pręcipuè illæ celebritates ſingulis in viciniis, lociſuè aguntur, Epiſcopus ad ſe in ſingulos menſes afferri iubeat; vt cum vniuſcuiuſque regionis, atque adeo pagi, lociuè celebritatem certo die agi perſpexerit, de illius ſanctificatione, cultuque litteras etiam paſtorales opportunè ſcribat, tum aliam prætereà omnem diligentiam eo nomine adhibeat. Ibid. Seſſ. 25. de inuo. vener. & reliq. SS.

40 Et uero ijs litteris, officijſuè parochus, cleruſque monitus, vſque adeò parochorum ſtudiis etiam adiuuentur, vt & vitę ſancti, quem pręcipua veneratione colit, exempla ad imitandum, & Epiſcopi monita paterna, & Decreta quoque prouincialia, diœceſana que eo de genere ad exequendum ſibi planè proponat: Sicque à morum corruptelis, quas praua conſuetudo introduxit, in feſtorum dierum ſanctificatione abſtineat.

41 Si quando dies feſtus ſancti, ſanctæuè, cuius celebritas à clero, populoque colitur in diem vigilię, ieiunijque incidit, qđ ex præcepto Eccleſiæ ſeruetur; nè fideles ob feſti diei ſolennitatem, quam agunt, id quod a pleriſque committi ad nos delatum eſt, ieiunium vllo modo uiolent; ſed vt inſtituti ratio Eccleſiæque matris præceptio poſtulat, rectè, pièque colant. Quare Epiſcopus, ſi quid iſtius modi in ſua diœceſi patrari, committiuè animaduerterit, huic graui peccato, & offenſioni, omni paſtoralis officij ſui ratione occurrere quam diligentiſſimè ſtudeat.

De Clericorum ad feſtorum dierum celebritates conuentu.

SVMMARIVM.

1 *Parochus feſtis diebus ad alienam Eccleſiam Miſſam celebraturus abſque licentia, non accedat.*
2 *Quæ licentia quibus, & à quibus detur.*
3 *Sacerdotes quot conuocandi.*
4 *Parochi non adhibendi, vbi ſacerdotes alij adhiberi poſſunt.*
5 *Parochus à ſua Eccleſia abfuturus, Sacerdotem alium ſubſtituat, & qualem.*
6 *Si ſubſtituendum habere non poterit, quid agat.*
7 *Vbi plures vocandi Sacerdotes, qui, & quibus ſeruatis euocandi.*

In

8 *In euocandis Sacerdotib. & clericis, qui ordo seruetur.*
9 *Euocati, in choro superpelliceo mundo induantur.*
10 *Sacerdotes, Clericique* } *haud uocati, non admittendi.*
11 *Alieno nomine missi, quantum eleemosynæ capiane.*
12 *Plures præscripto numero admittentes, non vocati; licentia carentes, eosque excipientes, mulctandi.*

4. de clericorum ad fest. dierum celebrit. cõuẽtu.

1 NE diebus festis, quæ præcepto Ecclesiæ, aut cõsuetudine votove coluntur, ad alienam Ecclesiam, Missam celebraturus, parochus accedat; nisi ab eo, cui id curę Episcopus dederit, facultatem, scripto exaratam impetrarit.

2 Quam facultatem illi tantum ijs det, quos omnibus benè consideratis, ad Missarum solẽnia, diuinaque officia in Ecclesia, vbi celebritas in vrbe, diœcesiuè agitur ritè concelebranda necessarios esse viderit.

3 Qua in celebritate, cum ab aliis Ecclesiis Sacerdotes euocandi sũt, nè vllo prętextu plures euocentur, quam quattuor, vel sex ad summum: id verò nisi vel legati pij; vel fundationis iure aliquando plures adhiberi necessarium sit.

4 Iem diligenter hoc Episcopus caueat, vt si ad celebritatem sacerdotes alij, quam parochi adhiberi possint, nè parochos à suis Ecclesijs euocari, abesseve eadem causa ijs diebus vllo modo patiatur: si verò aliter fieri non potest, viciniorib⁹ solum parochis, pauciorem̃q; populi multitudinem habentibus, eam facultatem permittat.

5 Tum prętereà videat, vt qui parochus festo die ad celebritatem euocatus, abfuturus est, Sacerdotẽ alium, vel ordinarium, vel conductum habeat: qui illo die Missæ sacrificium in Ecclesia parochiali faciat: quique cætera, vt ipse, si prẽsens adesset, omninò præstet, ante ab Episcopo in ijs fructionibus obeundis probatus.

6 Si verò Sacerdotem eiusmodi quandoque habere non poterit, festo die celebritatem, ad quam vocatus est, prẽcedenti, populo sũto significet, se ob eam causam in Ecclesia parochiali Missam celebraturum non esse: sed in ea, ad cuius celebritatem vocatus est; proinde illum moneat, vt ad eam ipsum Ecclesiam, aut aliam propinquiorem, vbi Missæ sacrificio interfit, se conferat.

7 Sin autem pro Ecclesiæ, in qua celebritas agitur, amplitudine, & dignitate, aliquando ad solennitatem concelebrandam sacerdotibus pluribus opus esse censuerit, alijs item aliquot sacerdotibus, etiam parochijs; hoc det, vt in Ecclesijs suis primum sacro peracto; sique paro-

chi

chi sint, habita etiam concione, ac alijs præstitis, quæ inter Missarum solennia ab ipsis, pro parochialis curæ munere præstari debent, tum ad Ecclesiam, ubi solennitas celebratur, proficiscatur, illius Rectorem in diuinis concelebrandis officijs adiuturi; nec verò desint Ecclesiæ suæ reliquis eo die obeundis parochialibus muneribus, & officijs.

8 In euocandis quidem, admittendisue Sacerdotibus, & clericis ad dierum festorum celebritates, ratio atque ordo seruetur infra in Decreto de exequiis eorundem euocationi præscriptus ad funera concelebranda. De funer. & exeq. §. funeribus.

9 Illi porrò omnes, qui euocabuntur, in choro dum diuina officia fiunt, superpelliceo mundo decenter induti, semper adsint.

10 Nec verò præter clerum illius Ecclesiæ, alius Sacerdos, clericusve qui ad celebritatem vocatus non sit, in chorum, quouis prætextu ascisca tur, recipiaturue; neve eleemosynarum quæ in ea celebritate tributæ sunt, aut tribuuntur, participes ullo modo sit; nec præterea in mensa excipiatur.

11 Neque rursus quisquam à Præposito, Archiepiscopo, parochoue missus, plus capiat, quàm si proprio solum nomine esset euocatus.

12 Quicumque præter cõstitutum numerum, aliquem asciuerit, qui item minimè vocatus, quiue sine prescripta facultate accesserit; ac rursus, qui admiserit, quiue exceperit, qui denique plus acceperit, mulctetur arbitratu Episcopi.

De obseruandis à Christi fidelibus in Aduentu, Septuagesima, Sexagesima, Quinquagesima, Quadragesima, aliisque Ieiunii diebus, ac sacris quattuor Temporibus, & Feriis, rogationibusque.

SVMMARIVM.

1 *Ieiunium commendatur.*
2 *Ieiunantes à quibus abstineant.*
3 *Quadragesimale ieiunium quibus diebus præscripta.* 12. *Et eius initium quando.*
4 *Sacra quattuor tempora, ac uigiliæ, ieiunandæ, & quæ faciendum* 6.
5 *Rogationum tempore in Mediolanensi Ecclesia etiam ieiunandum. Et de proces.* 19.
8 *Ieiunij lege, qui legati, & soluti.* 11.

Episco-

Episcopi, & eius familiæ ieiunium. De vita & hon. Episc. 19.

9 Quadragesimæ ieiunium, vt religiosè colatur, cauetur.

20 De eius religioso cultu proponendum edictum die Dominico Quinquagesimæ.

13 Cibi Quadragesimali tempore vetiti, qua ratione vendendi.

14 Qui contrafecerit, quibus pœnis afficiendus.

15 Parochus & ℣. fideles accendant his Quadragesimæ diebus ad hæc Concionator ℟. præstanda.

16 Vt vitæ disciplina seueriori se astingant.

17 Vt humili amictu vtantur.

18 Vt simultates, &c. deponant, carnemque reprimant.

19 Vt Matrimoniali vsu abstineant.

20 Vt a iocis, verbis scurrilibus, otiosis, noxijs, &c. se contineant.

21 Vt à venationibus caueant.

22 Vt ciborum varietates ne exquirant.

23 Vt conuiuia dominicis etiam diebus, ne condicant.

24 Vt in oratione frequentiores sint.

25 Vt eleemosynas vberiores conferant, & oblationes largiores.

26 Vt Ecclesiam sæpius frequentent.

27 Vt Missæ sacrificio quotidie interfint.

28 Vt sacris concionib. adsint.

29 Vt Dominicis saltem diebus confessi, Eucharistiam sumant.

30 Aegroti cibos vetitos, sibi concessos, separatim comedant.

31 Id intimi tamen animi dolore, & quare.

32 Iidem caueant, ne alios ad ieiunium violandum prouocent.

33 Quadragesimæ, quatuor temporum, & ieiuniorum aliorũ diebus manè ius non dicendum; coque tempore quid agendum. 34.

Neque tunc officinę maneant apertę.

35 Parochi, ante initum Quadragesimæ hęc cum populo agant, videlicet.

36 Dissidentes reconcilient.

37 Concubinarios a peccandi libidine reuocent.

38 Alios malè viuentes, ad salutis viam perducant.

39 De quibus alijs uirtutibus commonefaciant.

40 Vitia, & crimina detestanda curent.

41 Excommunicationum sententię quę primo Dominico die Quadragesimæ in Ecclesiis de scripto legendę.

Primo quoque Dom. die Aduentus, & Quadragesimę, docendus populus quid de solutione decimarum Tridentinum Concilium statuerit. Quę pert. ad bonor. & vir. &c num. 27.

Eisdem diebus populo recitandum decretum eiusdem Concilij contra occu-

occupantes fructus bona, &c. Ecclesiarum eod. num. 28.

Die Dominico Aduentus vltimo, & Quadragesimæ secundo Decretũ de Notarijs pia legata non denunciantibus, promulgandum.

De piorum locorum administr. nu. 59.

Quadragesimæ initio solennis pœnitentia quibus imponen. De sacram. pœnit. num. 23.

Promulgandum etiam aliud decretum Concilij tertij. De sacram. pœniten. num 4.

Aduentus, & Quadragesimæ initio confessariorum regularium nomina ad Episcopum deferenda. De confessario, num. 32.

Aduentu, & Quadragesima in eunte, parochus patres familias ad parochialem Ecclesiam conuocet, ibique quid cum illis agat. De patribus famil. num. 5.

42 Septuagesimæ, & Quinquagesimæ hebdomadis spectacula, ludi scenici, &c non fiant.

43 Neque lauratorum hominum ficta simulachra incẽdantur, nuptię inanes fingantur, &c.

Ieiuniorum diebus Aduentu, & Quadragesima instantibus inflammentur fideles ad confessionem, & communionem suscipien. De concionat. num. 36.

Quinquagesimæ Dominico die utilitates ex benedictione cinerum prouenien. ab Episcopo parocho, concionatore denunciandæ. De sacramẽtis in genere Sacram. num. 54.

Dominico die Rogationes præcedẽte, admoneatur populus à Curato, ne esculenta, &c. deferat. De proces. 18.

Quattuor anni temporibus Episcopus aduocet parochos pro habenda informatione vitæ subditorum suorum. De diligentia adhiben. in Statu vniuscuiusque parochi cognosc. num. 6.

44 Dominico die, ac quarta feria, ea tempora præcedentibus concio habenda, & cuius tractatus.

45 Ea in re officium parochi.

46 Sabbato conuentus fidelium.

47 Temporibus ijs denunciandis formula prescripta adhibenda.

48 Formulæ denunciationis ieiunij quatuor temporum tenor.

Iis ipsis temporibus eleemosynæ colligendæ pro pauperibus, & quib. De piorum locorum administr. 53.

Dominica vero proximè precedenti eleemosynarum collecta indicenda, ex prescripta formula. Ibidem. 54.

Sancti, aut sanctæ loci patroni vigilia agenda. De fest. dier. cultu. 32.

Ieiunia edicto episcopali seruanda, etiam à regularibus obseruẽtur. Ibidem, 36.

Ieiu-

Ieiunium in diem festum incidens, obseruandam, Ibid. 41.
Vt in Quadrag. & certis alijs diebus solennibus in vrbe, & oppidis habitent rusticantes, parochi cura. De S. Euch. in cal. adm. 4.

Sess. 25. in decr. de delectu ciborum. 1. Quæ pert. ad sac. pœnit. administr. §. eod. Sess. 25. in decr. de delect. cib.

1 SACRA Tridentina Synodus pastores omnes hortatur, atque obtestatur, vt omnem adhibeat diligentiam ad fideles cohortandos, vt ea, quę ad domandam carnem conducant præsertim ciborum delectum, & ieiunium, omni studio amplectantur.

Itaque eius nos authoritati, & sacrorum canonũ decretis innitentes, edicimus:

2 Vt omnes carne, cęteriſque omnibus, quę à carne trahunt originem, vt ouis, lacte, caseo, butyro, & huiusmodi per totam Quadragesimam abstineant.

3 Sciantque singulis Quadragesimę diebus, Dominicis exceptis, ieiunij lege se obstrictos esse. Sunt enim illi quadraginta dies, quasi totius anni decima quędam, quę in oblatione ieiunij, pro fidelium omnium salute, Deo consecratur.

4 Vt per sacra quatuor anni tempora, Vigilias Natalis Domini, Assumptionis Beatissimę Virginis Marię, Beatorum Apostolorum, exceptis Ioannis Euangelistę, & Philippi, & Iacobi Vigiliis. Item diei festi omnium Sanctorum, Natiuitatis Ioannis Baptistę, & beati Laurentij ieiunium seruent.

5 Vt triduo etiam Rogationum post Ascensionem Domini, ex veteri instituto, in Mediolanensi Ecclesia ieiunium adhibeatur.

6 Edicimus præterea, vt in prouincia nostra proxima quarta feria post Quinquagesimam, omnes Quadragesimalis obseruantię initiũ faciant: præter Ciuitatem Mediolanensem, easque diœcesis partes, vbi ex Diui Ambrosii instituto diuina officia celebrantur.

Illorum uero damnamus ingluuiem, qui primis quinque Quadragesimę diebus, Romanę Ecclesię more institutis, Mediolanum se conferunt, patrię ritum in ieiunio, & ciborum abstinentia fugientes.

7 Caueant autem ieiunii cultores, nè dum vetitis cibis abstinent, aliarum rerum delitias, luxuriamque consectentur: immò verò moderato cibo, & potu carnis vitia coerceant: vt liberi mentes ad cœlestium rerum amorem, & contemplationem erigant; & ad pietatis opera expediti inueniantur. Vide etiam seq.

8 Ab his autem omnibus eos excipimus, quos vrgens necessitas, vel imbecilla ętas a ieiunii lege eximit; eos etiam, qui euidentis morbi, alteriusve iustę causę excusationem habent: sed horum iudicium Episco

po

po tantum, vel ijs, quos ei muneri ipse præfecerit, scripto faciendum relinquimus: idque quò ad morbum attinet, de medici consilio.

Quod autem ex diuinarum litterarum sententia, parũ homini prodest, se per ieiunium cibo temperasse, si animus in peccatis sit intemperans: idcirco fideles in ieiunio præcipuè studeant, vt dum caro ab alimentis abstinet, mens pariter à culpa ieiunet: omnesque in Dei laudibus, eleemosynis, alijsq; piis officiis occupentur: hoc est enim ieiuniũ, quod se Dominus Esaiæ ore delegisse testatur.

Esai. 68. 5 quę ad dies festos, &c.

9 Omnis sacrorum temporum celebritas, cùm ab Episcopo singularem solicitudinem tum à populo obseruantiam, cultumque ei solennitati debitum planè deposcit. Atque in ijs quidem vnum, quod piè, religiosè, sanctèque coli à fidelibus maximè oportet, totum Quadragesimale tempus virtutum Christianarum disciplinæ, atque exercitationibus dicatum. Est enim plenum sacris mysterijs, quodq; non sine mysterio magnam illam Paschæ Resurrectionis Domini celebritatem, qua vna omnium solennitatum dignitas, inquit Leo Pontifex consecrata est, proximè præcedit. Fuit porrò ieiunium Quadragesimale à Christo Domino dedicatum, & ab Apostolicis vsque temporibus in vniuersa Ecclesia Dei religiosè obseruatum perpetuò: atque ita quidem, vt qui in Quadragesima, quemadmodum olim Canone Tolerano cautum fuit, neglexerit, cõtempserit ve, Quadragesimalis abstinentię, ieiunijq; disciplinam, prohibitisq; cibis illam violarit, is non solum reus censeretur Resurrectionis Dominicæ; sed etiam alienus fieret ab eiusdem diei communione, ac præterea toto illo anno carnium esu abstineret. Quare, vt tempus hoc sacrum, tamq; religiosum, in quo colendo, sanctèque obseruando veterum pietas mirificè admodum eluxit, à prouinciæ nostræ fidelibus, maioris obseruantiæ studio, abstinentia, ieiunijs, eleemosinarum largitionibus, oratione, continentia, carnis macerationę, omniq; salutaris pœnitentiæ disciplina colatur, hæc, ut infrà, sancimus, atque edicimus, præterea, quæ superioribus Concilijs sancita, & constituta sunt.

10 Quæ omnia, & singula, Episcopus curet, ac efficiat, ut vulgari sermone reddita, quotannis die Dominico, Quadragesimæ initium proximè antecedenti, populo in omni sua diœcesi, proponantur, edicãtur, ac promulgentur: ita tamen, ut ijs ipsis ab illo, pro arbitratu suo addi liceat.

11 Omnis igitur, quem vrgens necessitas, vel imbecilla ætas à Quadragesimali lege non eximit, quocumque etiam gradu, ordine, potestate, dignitateve præditus sit, carne, cęterisq; omnibus, quæ, vt Concilio Prouinciali primo cautum est, à carne originem trahunt, vtpotè ouis, lacte, caseo, butyro, & alijs id generis, toto Quadragesimæ tempore,

abstineat,ijs exceptis, quos ob iustas causas Episcopus,aut illi, quibus eam curam ipse delegarit,facultate,vt infra, eaque scripta, speciatim excusarint.

12 Omnis præterea quicumque sit,qui ieiunij lege astrictus est, singulis Quadragesimę diebus,Dominicis exceptis,ieiunium seruet:alioqui enim peccato mortali alligatum se esse nosse debet.

13 Ne cibi vetiti,ad ægrotantium,imbecilliumque hominum vsum passim venales publicè exponantur, sed certis tantū constitutis locis.

Ne tabernarum valuis omninò patentibus, sed magna parte clausis, vendi liceat.

Ne in foro,aut in via publicè vmquam exponantur,ne à rusticis quidem,alijsve cuiusuis generis hominibus.

Neque passim item ab omnibus vendi fas sit,sed ab ijs solum, quibus facultatem,litteris exaratam,Episcopus permiserit.

Nec verò omne carnis genus ab ijs vendi liceat, sed vitulinum, aliudve,quod vsui sit ægrotantium corpori.

Neque omnibus vendatur licet,sed ijs solum,qui scriptam ab Episcopo facultatem habuerint. Quæ facultas etiam nullo tempore præfinito,data, tunc planè extincta sit,cùm primum causa, ob quam data est, cessarit.

At verò si decem dierum spatio diuturnior causa erit; iterum ea facultas impetretur:alioqui rescissa sit. Idem deinceps decimo saltem quoque die fiat quamdiu opus erit.

Nec verò sine ea scripta facultate, ac sigillatim, nominatimque data, cauponæ, tabernarij, & alij, qui cœnacularia faciunt, eos uetitos in Quadragesima cibos uendant, uenalesue exponant, etiam hospitibus,peregrinis, viatoribusue, quales, quales sint. Nec uerò eos mensæ apponant.

Nec præterea illos,alio loco coctos,condimentisue apparatos, non modo in caupona,taberna, hospitioue suo, aut loco curæ suæ subiecto, comesse cuiquam permittant, sed ne aliundè quidem apportari, nedum in mensa apponi patiantur.

14 Quicūque uerò contra sanctionis huius capita quicquam cōtrafecerit;is pœnis,mulctisue,in locorum piorum usum erogandis, & censuris,aliisque Canonum iure,& Pontificijs Constitutionibus omnique alio modo contra Quadragesimæ uiolatores, sancitis pœnis, uel aliis, quas pro personæ ratione,& culpæ, cōtumaciæue grauitate Episcopus arbitratu suo irrogandas censuerit,afficiatur.

15 Sacro præterea Quadragesimæ, & aliorum ieiuniorum tempore, quæ religiosè olim à Christianis hominibus præstita esse, & sanctissimi Pontifices, & grauissimi Ecclesiæ patres, & Canonum decreta

ostēn-

oſtendunt, vt ea pro gloria Chriſti Domini, proque ſtudio ſalutis animarum, in quo quiſque adiutrice Dei gratia, omni ſanctarum actionũ ſpiritalium exercitationum, & ſalutarium operum contentione, vt maximè poteſt, elaborare debet, a fidelibus prouinciæ noſtræ præſtentur, Dominum omnipotentem ſuppliciter exoramus, ac monemus. Atque ea quidem hæc ſunt, ad quæ exequenda ſuum quiſque populum parochus, & Concionatores item, vt occaſio tulerit, omni verborum vi ſanctiſſima, omniq; ſuaſione accendant.

16 Primò ijs Quadrageſimalibus, aliisq; ieiunij, pœnitentię, & publicæ ſupplicationis diebus, fideles ſe vitæ diſciplina ſeueriori aſtringãt: ſanctisq; inſtitutis, & moribus, ſacro illi tempori conuenientibus, ſe, ſuosque qui patresfamiliàs ſunt, quàm rectiſſimè in omnes partes conforment.

17 Pretioſas veſtes non induant, ſed amictum, ſi non humilem, & demiſſum omninò, at cum pœnitentiæ, ieiunijque tempore congruentem.

18 Simultatem, odium, inimicitias, rixas, deponant, pacem cum omnibus concilient.

Carnis vim, impetum, non modo religioſa abſtinentiæ, ieiunijque lege, ſed cilicio, & verberationis diſciplina coerceant, & humi aliquando cubent, vt à pijs etiam laicis factum eſſe, memoriæ proditum eſt.

19 Cùm autem id olim obſeruatum ſit, vt per totam Quadrageſimã ab vxore fideles abſtinerent, ad Elibertani Canonis præſcriptum; meminerint, qui matrimonio iuncti ſunt, ſtudendum ſibi, vt eo ſacro tempore, mutuo conſenſu, diebus ſaltem Dominicis abſtineant, vt hoc de genere ſanctiſſimi Pontificis Nicolai Primi, reſcriptum extat.

20 Omni tempore à iocis Chriſtianum hominem abſtinere cõuenit, at Quadrageſimæ, ac ieiunij tempore, tantò diligẽtius, quantò frequentius, ſtudioſiusque orationi, abſtinentiæ, omniq; pœnitentiæ generi incumbẽdum eſt. A iocis igitur, à verborum ſcurrilitate, à colloquio inani, otioſo, longeque cautius à noxio, & criminoſo, ſe continere ſacro pœnitentiæ tempore ſtudeat, vt Pontificio, Apoſtolicoq; illo reſcripto cauetur.

21 A venationibus item, vt eodem reſcripto continetur, abſtineat itẽ, eo ipſo Quadrageſimali tempore, quo neque carne veſci, neque adeò carnalia conſectari licet.

22 Ciborum Quadrageſimalium ſuauitates, ac delitias ne exquirat: nec multiplici epularum apparatu menſam exſtruat, ſed frugalem parſimoniam adhibeat.

23 Conuiuia autem in Quadrageſima non condicat, nec verò apparet, ne Dominicis quidem diebus, vt idẽ Nicolaus Põtifex reſcribit.

24 In orationis studio frequentior sit: dolenter peccata, & sua, & aliena lugeat: pro quibus Dei misericordiam omni pietatis, pœnitentiæq; officio imploret.

25 Eleemosynas, cũ per facultates potest, vberiores pauperibus, egentibusq; in sustentationem conferat, in aliaq; pietatis officia, atque opera liberali charitate eroget. Oblationes offerat largiores.

26 Frequentius ad Ecclesiam conueniat; Psalmis, Hymnis, canticis spiritualibus, precumq; diuinis officiis, omni attentione, & religiosa meditatione assistat.

27 Missæ sacrificio quotidie interfit, alia omni negociatione posthabita.

28 Diuinis colloquijs, sacrisq; concionibus præsens adsit.

29 Moneatur, vt item sanctitati ita incumbat, vt singulis Dominicis saltem diebus confessus, sacram Eucharistiam sumat, si singulis diebus non potest: id quod olim in consuetudine, vsuq; fuisse ex eiusdem Nicolai Pontificis rescripto, liquido constat.

2. tit. 1. Decreto 20.

30 Quibus, ob infirmam valetudinem, aut ob aliam iustã causam permissum erit Quadragesimæ diebus, carne, aut aliis eo tempore vetitis cibis vesci, eos Parochi piè illud admoneant, ne publicè, neve etiam cum domesticis, sed separatim in remotiori ædium loco, eius generis cibum capiant, ut ob corporis imbecillitatem, aut morbum potius, quo laborant, quàm ob ingluuiem facere cognoscantur.

5. Quæ ad dies fest. &c.

31 Aegroti, cum per inualetudinem corporis ieiunare non possint, quodam intimi animi dolore, gemituque, vt Sanctus Augustinus monet, cibum capiant, pro eo, quòd alijs ieiunantibus, ipsi abstinere non possint.

32 Caueant autem, quod alio Prouinciali Concilio ex eiusdem Sancti Augustini sententia cautum est, ne alios suo exemplo ad violandum ieiunium prouocent.

4. de feriis.

33 Quo tempore ad salutem animæ toto corde, totaq; mente, atque omni Christianæ pietatis officio incumbendum est; in iudiciali foro tunc aditus patefieri non debet, ad iudicia, ad lites, & ad causas, quibus sæpè distrahuntur homines à pietatis officijs: ne aliquando Isaiæ prophetæ illis vocibus nos Dominus grauissimè arguat; Ecce in die ieiunij vestri inuenitur voluntas vestra, & omnes debitores vestros repetitis: ecce ad lites, & contentiones ieiunatis. Quare ne Quadragesimæ, quatuor Temporum, & aliorum ieiuniorum diebus, id quod & Liberij Pontificis Maximi, & Concilij Triburiensis Canone sancitum est, in aliquo foro, mane, quo tempore Missæ sacro, diuinis officijs, & verbi Dei prædicationi Christianos homines interesse potius oportet, ius dicatur, iudicia exerceantur, aut quicquam agatur, quod ad iudicij forensis

rensis ordinem pertineat. Id verò pro pastorali gregis Dei cura, quàm suscepit Episcopus, ab omnibus præstari quàm diligentissimè studeat.

34 Nihil nõ aggrediũtur, atque omni astu semper agunt hostes fidei Catholicæ, vt impietatum suarum virus disseminent: venenatasq; suas voces in omnium aures infundant. Ecclesiæ igitur pastoribus, omni, quomaximo possũt, studio elaborandum est, ut cum omni tempore, ac diligenter, tum in Quadragesima, verbi Dei prædicatione, tãquàm pabulo vitæ, fideles nutriantur, atque confirmentur. 5. Ibid.

Quamobrem quod multis huius prouinciæ locis, & alijs bene institutis Ciuitatibus antiqui, religiosique instituti est, vt eo Quadragesimali tempore, quo frequentissimi fideles ad prædicationem conueniant, nullę neque tabernæ, neque officinę patẽtes vsquam sint, dum concio sacra habetur, id, quod sanctissimæ consuetudinis est, vt perpetuò retineatur, omni officio Episcopi omninò efficiant: vbi verò hoc ipsum, vel intermissum, vel in more positum non est, vt ad usum inducatur, atque adeò restituatur itidem curabunt Episcopi.

35 Parochi hebdomada, Quadragesimæ initium proximè præcedente, populum, curę suæ commissum, ad se conuocent: tum hęc cum illo graniter, solliciteq; agant, prout antiqui, religiosiq; instituti, & consuetudinis in Ecclesia sancta fuit.

36 Vt canonica auctoritate reconcilient, si quos in eo dissidentes scierint, dissensionum semina extirpare studentes.

37 Concubinarios homines ab illa peccandi libidine, vt maximè possunt, reuocent: proinde sanctiones Episcopales, eo de genere hominum editas cùm de scripto legant, tum communi sermone planius explicent.

38 Singulos, denique à Christiana uiuendi via aberrantes, ad semitam iustitiæ, & salutis studiosè perducant.

39 De humilitate, patientia, castitate, benignitate, misericordia, eleemosynis, pœnitentia, cæterisque Christianę Religionis virtutibus omnes accuratè commonefaciant, vt Cabilonensis Concilij Canone, piè, vtiliterque cautum est.

40 Rursus uitia, & crimina, pro quibus homines, sicut eiusdem Concilij uerbis expressum est, cum diabolo deputantur, detestanda, fugienda, atque adeò abijcienda omninò illa quidem curent, atque in ijs, quę ab Apostolo, commemorantur, fornicatio scilicet, immunditia, luxuria, ueneficia, inimicitiæ, contentiones, emulationes, irę, rixę, dissensiones, sectæ, inuidię, ebrietates, commessationes.

41 Quęcumque excommunicationum sententię, uel à Summis Pontificibus, vel Tridentini, aliorumque generalium, & prouincialium 3. de ijs, quæ ad pœni. facr. pert.

Mediolanensium Conciliorum decretis, uel diœcesanarum cuiuscũque Vrbis synodorum Constitutionibus latæ sunt, quibus ipso facto, vel iure homines irretiuntur, hæ omnes, summatim vulgari sermone expressę, & in tabellam aliquam ordine relatæ, die primo Dominico Quadragesimæ in singulis Cathedralibus Ecclesijs, de suggestu frequenti populo de scripto legantur, quo fideles meminerint, diligenter ab illis cauendum esse. Idque etiam fiat in parochialibus illis Ecclesijs singulis, vbi id fieri Episcopus expedire censuerit.

3. de fest. dierum cultu.

42 Studeat etiam Episcopus, vt quo tempore in Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ hebdomadis Ecclesia mater, & officiorum ritu, & hymnis, canticisque fidelium mentes ad mœstitiam, atque ad pœnitentiam excitantibus, & omni denique tum vestimentorum, tum aliarum rerum apparatu populum Dei instruit, ac præparat tot antè diebus ad sanctè recolendam Christi Domini Passionem, & Crucem, eo potissimum tempore fideles, sibi in curam traditos, spectacula, ludos scenicos, & alia, quæ gentilitatis speciem præ se ferunt, tunc præsertim morum corruptelis introducta, illa ipsa tamquam à sanctissimis Ecclesiæ institutis abhorrentia, omninò fugientes, ad pietatis Christianæ studia, & ad orationem attentiores sint, proposita omni Christianarum actionum exercitatione.

4. quæ ad festos dies, &c.

43 Graue est, nec propterea ferendum, vt quibus diebus sancta Ecclesia ad ieiunium, ad pœnitentiam, ad omneque pietatis officium animos fidelium excitare, & accendere studet, in ijs maximè sęculi homines operibus Sathanicis operam nauent.

Quare corruptelam illam, quam in nonnullis prouinciæ huius Vrbibus, locisque insignibus, deprauato vsu adhuc retineri accepimus, vt primis illis sacri Quadragesimalis temporis diebus laruatorum hominum efficta simulachra incendantur, inanes nuptiæ fingantur, concursationes nocturnæ, tumultusque fiant, radicitus euellere cum maximè cupiamus, hoc decreto vetitum, interdictumque sit, vt ne quid tale in posterum, neque quicquam aliud eius generis religioso illo tempore usquam fiat, agatur, committaturve: nec verò agi, fieri, admittive, permittatur, pœna ijs omnibus, & singulis, qui contrafecerint, interdicti proposita, quam eo ipso subeant.

Parochus uerò, in cuius parochiæ finibus id criminis, etiam si à pueris solum, qui tamen doli capaces sint, committi solet, primò in eam curam ipse incumbat omni studio, vt nè offensiones hę, peccataque id generis fiant. Deinde verò si occurrere nullo modo poterit, rem omnem in tempore, si in Vrbe est, ad Episcopum, si in diœcesi, ad Vicarium foraneum deferat, quo uel aliis rationibus,

uel

vel grauiori pœna eiuſdem Epiſcopi arbitrio, ijs morum erroribus conſultum, ac prouiſum ſit omninò.

44 Sacra quatuor ieiuniorum tempora, ex ſancti Spiritus doctrina ſalutariter inſtituta, ſicut olim, & frequenti fidelium conuentu, & ſolenni celebritate, & religioſo ſupplicationum officio colebantur, ita ad illorum cultum, paſtorali cura eruditis fidelium mentibus, in vſum antiquæ pietatis reuocanda ſunt. Quare in omni Prouinciæ noſtræ Eccleſia, vel cathedrali, uel parochiali, non ſolum die Dominico, illa tempora præcedenti; ſed etiam ubi populus erit frequens, feria quarta proximè ſequenti, eo de genere concionem ſacram haberi ſtatuimus: qua fideles excitati, ſolennibus his feriis, quarta ſcilicet, ſexta, & ſabbato, pro antiquæ deuotionis conſuetudine frequentiores Miſſæ ſacro, diuinisque officiis, ut in Moguntino Concilio primo cautum eſt, interſint, orationes, ieiunia, eleemoſynas, cęteraque pietatis opera preſtent: quibus, quò ſpecialius illę feriæ preſtitutę ſunt, eo uehementiori Chriſtianę virtutis contentione ad illa paratos eſſe oportet. 4. de ſacris quatuor tem por.

45 Ad quam diligentiam parochi prętereà fidelium charitatem omni religioſo propoſito ita prępparare ſtudeant, vt unanimiter, auxiliante Chriſto, ſtatarum illarum feriarum ſolennitatem, religioſa piorum operum ſollicitudine celebrantes, Sabbato ſub Veſperum frequentiſsimi ad Eccleſiam, vt pię conſuetudinis fuit, conueniant: vbi ſanctis precibus, cùm pro ſacra ordinatione; tum pro his commodis, quę ſingulorum annorum reuolutione conſequimur, omnium bonorum largitori Deo, gratia habeatur, ſicut, & inſtituta illorum temporum ratio, & Chriſtianę religionis cultus depoſcit.

47 Ijdem ſtatis ijs temporibus, populo denunciandis, formulam hanc, ex Sanctiſſimi Pontificis Leonis Primi, verbis conceptam, adhibeant: cuius ſententiam, etiam vulgari ſermone explicent uberius.

48 Quod ſacrorum temporum ratio, & deuotionis Chriſtianę admonet conſuetudo, paterna vobis dilectiſſimi, ſollicitudine denunciamus, menſis. N. ſacrum celebrandum eſſe ieiunium, diuinitus inſpirata doctrina præceptum, ac ſtatis menſium curriculis diſtributum: vt lege abſtinentiæ omnibus adſcripta temporibus, & alijs Chriſtianę militię preſidiis, ad mentium noſtrarum, corporumque ſanctificationem diuinę inſtitutis, ſtato dierum interuallo, ſine ceſſatione renouatis, nos ardentiori cura, maiorique ſtudio in ſalutis curſu progrediamur, quò ſpecialius preſtituti ſunt dies ad pietatis officia. Quarta igitur, ſexta feria, & Sabba-

tho ieiunemus: frequentes in cathedrali, parochialiqueEcclesia ad Litanias, orationemque conueniamus, & quò sacris illis ferijs à cibo abstinentiores esse debemus, eo abundantiori eleemosynarum liberalitate, erga Christi pauperes effusiores simus: tum Sabbatho sub vesperum orationem parochialem communem celebremus: qua, & pro spe fœlicitatis æternæ, ad quam per fidem currimus, & pro sacra ordinatione, quam eo die à Reuerendissimo Episcopo haberi solenne est, & pro ijs commodis, quæ singulorum annorum reuolutione consequimur, Deo omnipotenti, gratias agamus: eundemq; religiosis supplicationibus oremus, quatenus Sanctorum, quorum patrocinia imploramus, suffragantibus meritis, eius misericordiam in omnibus impetremus, Per Dominum nostrum Iesum Christum, qui cum patre, &c.

De Oratione.

SVMMARIVM.

1 *Oratio nostræ indigentiæ interpres.*
2 *Institutio orationis communis, seu vespertinæ.*
3 *Indulgentiæ eius rei causa concessæ, quando à parochis publicandæ.*
4 *Certa hora, & campanarum signa præscribenda, ad conueniendum. 2. 6.*
5 *Calamitatibus imminentibus à clero, & populo, ex præscripta ratione, orationi vacandum. 14.*
7 *Vbi Sacerdos, vel clericus desit, qui hoc signum det, quæ ratio ineunda.*
8 *Oratio quando in Ecclesia facienda.*
9 *Quando item in oratorijs, capellis, &c.*
10 *Vt saltem in oratorijs fiat Sacerdotum, & clericorum opera requiritur.*
11 *Domi, quando fiat.*
12 *Matutinæ orationis quotidianæ communis vsus, etiam introducendus.*
13 *Vbi exercendus.*
15 *Parochi cura procellis imminentibus.*
16 *Eiusdem & Concionatoris officium in admonendo populo, vt ante operis inchoationem, oret.*
17 *Vtque cibum benedicat, & eo sumpto gratias Deo agat.*
Orantibus sine intermissione, quæ indulgentiæ concessæ. De indulgentijs, num. 14.

Quæ

Quæ & orantibus in eleuatione corporis Domini, Ibid. num. 15.
Quæ item conuenientibus ad orationem 40. horarum, ad concionem, Missam maiorem, Vesperas, Completorium, & ad orationem, processionemq; sub vexillo: ac ad Missam Congregationum foranearum, Ibidem. 13. 16. 17.
Initio quarum Congregationum, quę oratio dicenda. De foro Episcopali. 2.
18 *Oratio pro Defunctis, vespertina introducenda.*
19 *In vnaquaque diœcesi instituenda.*
20 *Prima hora noctis facienda, & in Vrbe, in Cathed. Ecclesia.*
21 *Fidelis vniuscuiusque officium.*
Parochi ad illius studium suos parochiales inflamment: indulgentiam denunciando orantibus pro Defunctis concessam. De indulgentijs. 18.
Indulgentiæ eiusdem concessionis litteræ. De Constitut. nu. 46.
Oratio Quadraginta horarum, quo loco, & modo habenda. De oratione Quadrag. hor. 2. & 3.
Oratio, quibus in Ecclesiis instituenda pro summo Pontifice ægrotante. De diuin. off. num. 48.
Quibus etiam in Ecclesiis instituenda pro ęgrotante Episcopo. Ibidem. 46.

1 VNA omnium optima indigentiæ nostræ interpres, & conciliatrix eorum, quæ necessaria, tum ad animæ, tum ad corporis bona à Deo patre expetuntur, est oratio sancta. Cuius studium, ut proprium fidelium est, sic necessariũ, atque omnino iussu diuino debitum: id cœlestis magister, Christus Dominus, exemplo docuit, verbo præcepit, crebris cohortationibus monuit. Eo igitur studio fideles, quò vehementius exardescerent, seseque quotidie singuli certa hora colligentes, id quod Christianarum mentium est, vitæ à se illo die actæ rationes inspicerent, maleque actæ pœnitentes, ardenti oratione veniam precarentur, & Deo gratias agerent de beneficijs, quę acceperint. 3. de iis, quæ ad matrimonii Sac. pert.

2 Instituta est in hac prouincia orationis cõmunis exercitatio, quę ad Christianæ pietatis progressionem introducta ut & perpetuò conseruetur, & augeatur item, id cum omni studio Episcopus curet, tum propositis spiritualis gratię muneribus, sedis Apostolicæ benignitate, eius rei, causa concessis.

3 Itaque à parochis suis singulis sanctissimi Dñi N. Gregorij XIII. litteras

litteras de Indulgentia, huius prouinciæ hominibus concessa, qui in orationis communis instituto sese exercuerint, ter in singulos annos descripto, vel summatim pronunciari iubeat, semel ineunte Aduentu, iterum Dominico die Quadragesimę primo, tum solenni die Pentecostes.

4 Episcopus pretereà pro temporum ratione certam horam statuat, qua datis huius rei causa campanarum signis, patresfamiliàs, suę quisque domi, vna cum reliqua familia certo loco ad orandum conueniant. Vt autem, qui in eo precandi instituto se exercuerint, Indulgentię concessę donum consequantur, diem itidem Dominicum Quadragesimę, proximè precedentem, is constituat, quo illi confessi omnes simul sacram Eucharistiam sumant.

5 Imminentibus verò calamitatibus, quo tempore cùm nullum certius præsidium sit, quàm illud, vt fideles ad Deum patrem misericordiarum assiduis precibus confugiant, certam aliquam prætereà rationem is diligenter ineat, vt & à clero, & à populo sine intermissione, ac religiosius in orationem incumbatur.

4. de oron. 6 Orationis vespertinę, olim in hac prouincia institutę, signum distinctis campanę ictibus, vt Episcopus præscripserit, detur. Vbi verò in vicis, & pagis, ob campanę exiguitatem, sonus ita difficilius exauditur, non intermisso, sed continenti sono per horę quadrantem illius significationem fieri, si ita censuerit, iubeat Episcopus.

7 Rursus, qua in ecclesia parochiali, diœcesis præsertim, ob uacationem, uel ob aliam causam, nullus, uel sacerdos, vel clericus aliquando est, qui huius orationis signum campana det, alia per Episcopum, vel Vicarium foraneum ratio ineatur, qua illius significatio fiat, campanę item sono.

8 Vbi domicilia, inter se proxima, aut continentia sunt, in ecclesia, tum maximè diebus festis, illam à populo fieri conuenientius est: quem frequentem conuenire, omni officio parochus curet. Ipse verò si adesse neglexerit, intermiserit ve, mulctetur Episcopi iudicio. Curet autem parochus, vt in Ecclesiam non tardius multò ducatur, quam ad statam horam, qua sub crepusculum noctis Salutationis Angelicę signum datur.

9 Si ex pagis, & vicis, præsertim frequentioribus in Ecclesia parochiali fideles difficilius conuenire possunt: quoniam ab ea aliquantulum illa loca distant; constituat Episcopus Ecclesiam, aut capellam, Oratoriumve illis singulis propinquiorem, aut commodiorem, aut denique crucem, sacramve aliam imaginem in trium

erectam,

erectam, quo etiam sub dio ad orationem ℣espertinam conuenire liceat.

Quæ orationis ratio in capella, in oratorio, ℣el in Ecclesia, quæ parochialis non est, etiam adhiberi poterit. Si quando præterea, alijs etiam diœcesis locis, pluuiæ uis, niues, aliaue temporis grauitas, itineris difficultati adiuncta, difficiliorem fidelium conuentum ad Ecclesiam parochialem faciat, ne ob vllam causam à tam salubri orationis instituto, & multiplicibus Apostolicæ Sedis priuilegijs commendato, ℣llo die populus desistat.

10 Quo in officio in ijs locis adiuuetur, maximè opera sacerdotum, & clericorum quorundamq; illius pagi, locive.

11 At ubi, neque his rationibus fieri poterit, vt fideles omnes ℣niuscuiusque loci in vnum conueniant ad hanc orationis communis exercitationem, domi saltem ab vnoquoque, qui ad Ecclesiam non conuenerit, cum familia sua certo loco fiat.

12.13 Norint porrò fideles, quod etiam Concilio Aurelianensi quarto olim iussum est, sibi sæpius singulis diebus orandum esse: quod si aliquando frequentius non possunt, saltem non vesperi solum; sed etiam mane id à se præstari oportere. Quare Episcopi cura sit, illum vespertinæ orationis quotidianæ communis vsum; mane etiam, paulo scilicet ante auroram, aut sub ortum Solis, id quod in plerisque huius prouinciæ locis iam seruari cœptum est, vbique locorum, cùm in Vrbe, tum in diœcesi sua paulatim introduci, atque ea ratione institui, vt, vel in Ecclesia, ℣el suæ quique domi, cum familia certo loco, vel in officinis, tabernisve, ℣el in ipsis etiam agris, atque adeò in itinere, uel in alijs denique locis, ubicumque, (vtillo Concilio cautum est,) ea matutina hora sunt, & patresfamilias, & liberi, & famuli, & artifices, opificesve, & operæ, institoresve, & cęteri quicumque sunt, siue mares, siue fœminæ, huius matutinæ orationis officium, antequam artificium, negotium, remve ℣llam aggrediantur, precibus, litanijs, omnique oratione, ac toto animo, menteq; vacent; sicque quotidianarum actionum, operum, & negotiorum initium à Deo faciant, finemque itidem, &c. 16.

14 Nimbis, procellisve imminentibus, sicut Ecclesiasticæ consuetudinis est, campanis sonetur, tum ad tempestatem ℣i diuinæ, quæ ex solenni prece, sacraque benedictione illis inest, depellendam, tum ad Dei misericordiam implorandam Christianæ pietatis orationibus: ita fideles, earum sono tunc excitati, in ecclesiam, ℣el cathedralem, ℣el parochialem, ℣el in aliam saltem propinquiorem ad orandum conueniant: si minus possunt, saltem ℣bicumque sint, siue domi, siue foris, supplices Deum orent, tum clerici, Psalmis,

Lita-

Litanijs, precibus, & orationibus, quæ ex ritu sanctæ Matris Ecclesiæ ad arcendam tempestatem dicuntur, Dei misericordiam deprecentur.

15 Parochi verò in primis sit, cùm in ecclesia sua hoc officium religiosè præstare ad præscriptum libri Ritualis, aut Sacerdotalis, tum sollicitè conuocare clericos, & populum, vt ob eam causam Deum sanctè precaturi, ad ecclesiam frequentes concurrant. Idque ipsum, prout in concionando vsu uenerit, aliquando fideles paternè, diligenterque monere meminerit.

5. de oratione ante op. inchoat.

16 Non decet Christianum hominem, opus aliquod ante suscipere, aggredive, quàm Dei auxiliũ religiosis precibus imploret. Dixit enim Dominus, sine me nihil potestis facere.

Parochus igitur, cuius est populum ad optima quæque instituta erudire, Concionator item illum, prout vsu venerit, cohortetur, ac moneat, vt neque publicè, neque priuatim quicquam aggrediatur, nisi primo sanctis precibus Deo adhibitis.

17 Neque cibum sumat, anteaquàm stata prece benedicat. Post cibum, item Domino gratias precatione agat. Id enim à nobis expectat, qui nos pascit Deus, vt pro præstitis ab eo escis illi gratias referamus, & saturati donis ipsius, laudes ei dicamus, inquit sanctissimus Pater noster Ambrosius.

6. quæ ad funera pert.

18 Pro fidelibus defunctis religiosas Deo preces, orationemque adhibere officium est salubre, illud quidem sanctum, Christianeq; pietatis studio planè dignum. Quam ob causam Summus Pontifex Gregorius XIII. Romę instituit, prima hora noctis pro illis in singulos dies piè orari: cuius exemplo nobis ad imitationem proposito maximoperè excitati, cùm iampridem proximis annis orationem vespertinam quã communem dicimus, pro uiuis decreuerimus, hanc alteram pro mortuis iam nunc constituimus.

19 Itaque vnusquisque Prouinciæ Episcopus, pro salutis animarum zelo, quo præcipuè incensus esse debet, in eam curam incumbat, vt vbique locorum in sua Diœcesi religiosè celebretur, omnique ardentissimo charitatis, & precationis spiritu.

20 Illius horam pro ratione temporis, vel brumalis, uel æstiui, proque prudentia sua, sub primam noctis vigiliam ita statuat, vt iam decreta oratio vespertina nullo modo impediatur.

Præfiniat in Vrbe Basilicam Cathedralẽ, & certas alias ecclesias, in quibus stata hora, statoque campanæ signo significatio huius orationis, precationisve fiat.

21 Vnusquisque autem fidelis, ubi sit, vel domi, vel foris ad memoriam mortis excitatus, primum paulisper tacitus in mortis suę, quam

breui

breui fortasse obibit, meditatione versatus, tum se accendat ad orationem pro mortuis, quam Psalmo, De profundis, aut precatione Dominica, & Salutatione Angelica sæpius repetita intimo religiosi cordis affectu perorabit, vt Defunctorum animæ, è Purgatorij supplicijs ereptæ, Dei misericordia ad sempiterna cœlestis vitæ premia perducãtur. *Quod sequitur videatur in Titulo de Indulgentijs.* 18.

De Religiosis Peregrinationibus.

SVMMARIVM.

1 *Peregrinationi clericorum præscripta ratio.*
2 *Sine dimissorijs litteris &c. non peregrinetur: quibus hæc adscribenda.* 3.
4 *Peregrinationis comites.*
5 *Substitutio in parochiali, capella, aliove beneficio.*
6 *Confessio peccatorum, Missæ celebratio, vel communio, &c. antè peregrinationis initium, & cum ad peregrinationis locum peruentum fuerit.* 19.
7 *Qualitas habitus, & tonsura.*
8 *Horarum canonicarum recitatio, ieiuniorumq; obseruatio.*
9 *Missæ à Sacerdote quotidie celebratio, vel præsentia, etiã clericorũ*
10 *Itinerarij recitatio.*
11 *In itinere boni exempli præstatio.*
12 *Hebræorum, & mulierum societatis vitatio, etiam in cauponis.* 17.
13 *A profanis cautionibus, &c. seiunctio, & abstinentia.*
14 *Mendicationis prohibitio.*
15 *Ecclesiæ visitatio, ante hospitij ingressum.*
16 *Hospitiorum vitatio, vbi alibi excipi possint.*
18 *Mensæ benedictio: & gratiarum actio.*
20 *Susceptę peregrinationi intentio, curiositatum vitatio, & ecclesiarum deuota visitatio.*
21 *Alio uagandi prohibitio.*
22 *Episcopi, uel Vicarij aditio post peregrinationem, testimonijque sanctæ peregrinationis exhibitio.*
23 *Laicis quoque peregrinandi hęc ratio præscripta, Consilij sanctè peregrinandi à parocho captio, litteræq; Ep.les, & cuius facultatis.*
24 *Benedictionis à parocho petitio.*
25 *Confessio, & Eucharistiæ sumptio ante discessum, & ubi ad loca uisitanda peruenerit.* 35.
26 *Deuotionem impedientium euitatio, ieiuniorumque obseruatio.*
27 *Missę auditio, & Eucharistię sumptio.*

Itinerarij

28 *Itinerarij recitatio.*
29 *Eleemosynarum largitio, & orationi, meditationibusq; instantia.*
30 *Hebræorum certarumque mulierum in curru, nauigio, hospitio, vitatio.*
31 *Profanorum canticorum, & colloquiorum prauęque societatis, etc. abstinentia.*
32 *Mendicationis prohibitio.*
33 *Ecclesię aditio, ante hospitij introitum.*
34 *Sacrorum locorum, & reliquiarum deuota visitatio.*
36 *Benedictio suscipienda à parocho post reditum.*
Peregrinationis causa absentes, distributionum non fiunt participes. De distribut. num. 33.

Quartũ, de relig. peregrin.

1 VT ex Sanctorum Patrum institutis fideles prouinciæ nostrę sanctas peregrinationes suscipiãt, salutisque vberiorem fructum, diuina auxiliante misericordia inde capiant: hæc illis seruanda proponimus: ac primo ecclesiastici ordinis hominibus, tum laicis item.

2 Ne quisquam Sacerdos, clericusve cuiusuis ordinis, peregrinaturus, itineri, peregrinationis causa, sine litteris dimissorijs, ac testimonialibus Episcopi se committat, vt Canone veteri sancitum est, tum prætereà nec sine benedictione, quam Episcopus sacerdoti, clericove peregrinaturo, statis precibus, libro Sacerdotali, ritualive præscriptis impartiet.

3 Iis sanè litteris à Cancellario ascribantur hæc singula capita, sacerdoti clericove peregrinanti, infra præscripta, quò accuratius ab eo illa seruentur.

4 Peregrinationis comites, quos sibi adiunxerit, cùm in viam se daturus est, Episcopo, aut Vicario exponat: quorum comitum nomina à Cancellario litteris dimissorijs adscribantur.

5 Si quis item peregrinaturus, ecclesiam parochialem, aut capellam, aliudve cuiusuis nominis beneficium ecclesiasticum obtinet, cui ministerium aliquod debeat, is, vt Episcopus opus esse censuerit, sacerdotem, vel clericum, qui eidem Episcopo, Vicariove probatus sit, pro ratione ministerij ante substituat, quàm iter suscipiat, ne ecclesia debito ministerio, cultuque careat, cuius rei, per se præstitæ, testimonium scriptum, aut Episcopo, aut Vicario exhibeat. Ei verò, quem substituerit, aut alij, quem Episcopus maluerit, si aliquot dierum peregrinationem facturus est, vestes sacras, ornamenta, libros, scripta, omnemque ecclesiasticam supellectilem committat, indice eorum omnium sigillatim, ac

ac diligenter confecto, eo scilicet præsente, cui hoc munus Episcopus dederit; ne ex eius absentia aliquod detrimentum Ecclesia patiatur.

6 Deinde is, uel Sacerdos, vel clericus, antequam peregrinationi sè committat, peccata primò confessus, tum si sacerdos est, Missæ sacrificium, quod est, pro iter agentibus offerre: si clericus inferior, sacram Eucharistiam sumere studeat.

7 In itinere, clericali habitu contractiori, ad Conciliorum præscriptum, omnis sacerdos, & clericus, dum in peregrinatione est, uti possit: pileum autem induat, clericali ordini congruentem, & à laicali vestitu distinctum.

Tonsuram clericalem perpetuò habeat.

8 Ne itineris causa canonicas horarias diuini officij preces omittat, ac tum etiam stata de præcepto ecclesiæ ieiunia seruet, nisi cum legitimè excusatus est.

9 Si Sacerdos est, vbi probatus fuerit, Missam quotidie celebrare curet: at uerò Dominicis & festis diebus id facere ne omittat. Singulis verò diebus, siue Sacerdos, quando ipse non celebrat, siue clericus, Missæ sacrificio interesse studeat.

10 Mane singulis diebus, præter officium diuinum debitum, preces etiam illas piè recitare curet, quæ itinerarij nomine appellantur.

11 In omni denique itinere, quòd sanctæ peregrinationis causa suscepit, cum se vitæ moribus, omnique actione præstare studeat, ut piè, religiosèque peregrinandi exemplum laicis præbeat, quorum si aliquem socium, & comitem habet, sanctis peregrinationis exercitationibus, atque rebus ad salutem instruere curet.

12 Hebræis, & mulieribus comitem non se adiungat, neque eodem curru cum eisdem uehatur, neque item eodem nauigio, vt scandalum euitetur, si aliter sibi consulere poterit.

13 Neque ijs etiam se adiũgat in uia, nisi necessitas coegerit, qui dum iter faciunt, profanis cantionibus, cytharis, alijsve musicis instrumentis vtuntur.

Abstineat item ipse à profanis canticis, & colloquiis eiusdem generis, quorum vsu, pietatis in peregrinatione suscepta studium refrigescit. Psalmis, Hymnis, canticis, precariæ coronæ beatæ Mariæ recitationi, ac rerum diuinarum meditationibus vacet: & spiritualibus item sermonibus, si comites habet, quibuscum loquatur, corporis, vel animi lassitudinem subleuet.

14 Ne mendicet, ostiatim ve victum quæritet, nisi ex uoto, uel alia causa, ab Episcopo probata, & facultate nominatim scriptis impetrata.

15 Cùm ad aliquem locum vesperi perueniet, ecclesiam, quæ eo loco est, antequam ad hospitium diuertat, religiosè adeat, si potest, vbi supplex

plex litanias, vel alias religiosas preces recitet.

16 Si apud religiosos homines, vel apud alios uiros honestos diuersari potest, ab hospitijs publicis abstineat.

17 Ad cauponas verò, si diuertere necesse habet, nec unà cum eisdem Hebrèis, aut mulieribus accumbat in publico hospitio, aut alio omni loco, & tempore.

18 Antequam discumbat, mensę benedicat: tum pransus, aut cœnatus gratias agat: cęteraque obseruet, quæ de temperantia, frugalitate, & modestia clericali decretis prouincialibus præscripta, accuratè præstare debet.

19.20 Cum primùm ad peregrinationis locum peruenerit, confessario probato confiteatur, & Missam Sacerdos celebrare, & sacram communionem clericus sumere curet, totusq; peregrinationi susceptæ intentus, non rerum nouarũ curiositates, non loci antiquitates, non quicquam aliud, à peregrinandi proposito alienum, consectetur, sed religiosa animi prępparatione ecclesias, sacrasq; reliquias, quas potissimũ deuotionis, uotive causa uisitatum uenit, tum alias etiam sollicitè visitet, qua visitationis sollicitudine, pietatis sibi ardorem excitare studeat, vt maximè potest.

21 Nec verò vbi sanctam peregrinationem absoluerit, alio longius uagetur.

22 A peregrinatione reuersus, Episcopum primo, aut Viçarium cum litteris dimissorijs, quas dedit, conueniat: sanctæq; suæ peregrinationis testimonium ab ordinario loci, aut saltem à præfecto Ecclesiæ asferat, ad quam peregrinationis causa iter suscepit, nisi litteris dimissorijs alius nominatim ab Episcopo exprimatur, cuius allato scripto testatum facere debet.

23 Laici item, antequàm peregrinationem suscipiant, suum quique parochum conueniant: à quo sanctè peregrinandi consilium capiant, & litteras habeant ab Episcopo canonicas, vt Canone expressum est, quarum etiam fide, testimonioue eis liceat ubique, & cuiuis cõfessario, ab ordinario loci approbato, peccata confiteri.

24 Deinde benedictionem ab eodem parocho petant, qui superpelliceo, & stola indutus, illis bene precetur, & benedicat, statis religiosis precationibus, quę ex ecclesiæ instituto peregrinis adhibentur.

25 Peregrinationis verò iter suscipiant, vbi ritè confessi, sacram Eucharistiam religiosè sumpserint.

26 Peregrinando omnia fugiant, quę deuotionis studium perturbant, aut impediunt, & illa amplectantur, quibus illud excitari solet.

In itinere stata prępcepto ecclesię ieiunia seruent, nisi cum legitimè excusati sunt.

Sin-

27 Singulis diebus Missæ sacro interesse studeant: Dominicis verò & festis, ne vllo modo desint, tum sacram communionem sumere curent.

28 Mane preces, quas Itinerarium vocant, piè recitare studeant, qui legere nouerint.

29 Eleemosynas, si per facultates possunt, largiantur.

Instent potissimùm orationi: Psalmis, Hymnis, canticis, precariæ coronæ beatæ Mariæ recitatione, & rerum spiritualium meditationibus, & sermonibus lassitudinem subleuent.

30 In curru, nauigio, & hospitio, cum Hebræorum maximè, tum mulierum etiam, nisi quas cognatione, affinitateve iunctas, aut etiam ex familia sua sancta peregrinationis socias habeant, omne consortium vitent, nisi necessitas aliud coegerit. At sanè verò in hoc sancto piè peregrinationis proposito, ac studio, ad vsum reuocari cupimus, quod olim factum esse ex sacris litteris, patrumque monimentis animaduertimus, ut scilicet, qui etiam eiusdem familiæ essent, cum templum, locaque sacra visitatum irent, viri à fœminis iter separatim facerent.

31 Abstineant item à profanis canticis, colloquijs, cytharis, aliisque musicis instrumentis, atque adeo ab eorum societate, qui in itinere ijs, aliisve eius generis actionibus, operam dant, quibus pietatis studiũ in peregrinatione susceptа languefiat.

32 Ne mendicatim eleemosynam quæritent, nisi ex voto, vel necessitate, aliave causa Episcopi litteris, & testimonio probata.

33 Ad loca, vbi primùm vesperi diuertunt, ecclesiam precandi causa prius adeant, quàm in hospitium veniant, si temporis tarditas, aliudve non impedierit.

34 Ad sacra loca, quæ religiosè visitaturi sunt, cùm peruenerint, nihil aliud sibi propositum habeant, quàm vt, aut Iubilæum, indulgentiamve consequantur, aut vota sanctè persoluant, sacras reliquias, & sacra loca piè visitent, ab omni curiositate, peccandique occasione abstinentes.

35 Itaque primo confessi, cum sacram Eucharistiam sumpserint, tum religiosè Sanctorum statas ecclesias visitent; ita vt ex ipsorum locorum admonitione maior affectus in ipsis resurgat ad excitandam pietatem, & Sanctorum, quorum auxilium implorant, orationibus adiuuentur.

36 Reuersi à peregrinatione, primò parochum conueniant, à quo benedicantur, adhibitis ex Ecclesiæ instituto præscriptis Sanctis orationibus.

De Votis, & Consuetudinibus pijsve institutis.

SVMMARIVM.

1 Voto publico nuncupando Episcopus consulendus, & quando non.3.
2 Eius nuncupandi formula, eiusdem Episcopi sententia concipienda.
4 Ad illud nuncupandum vniuersitatis consensus accedat. Nuncupatio ad Altare maius Ecclesiæ maioris faciẽda.8.& ad offertoriũ.13.
5 In eius nuncupatione hæ præparationes, & ceremoniæ adhibendæ, vbi autem adhiberi non possint, illę præstandæ cum primum licebit.19.
6 Primò adulti, confessi, communionem sumant.
7 Pridie diei nuncupationis ipsius, sero campanæ pulsandæ: quo populus sequenti die conueniat.
9 Congregato populo, processio agenda.
10 Ea peracta, Missa celebranda.
11 Concioque in Missa habenda.
12 Sacerdotum, & clericorum præsentia.
13 Missam celebrans, ad offertorium, voti formulam, per delectos ab Vniuersitate pronunciari mandet.
14 Quod ab ipsis delectis, flexis genibus fiat.
15 Communio ministranda.
16 Voti nuncupati instrumentum quando ad Episcopum mittendum, & vbi asseruandum.
17 Votum ipsum, causa, & conditiones tabella lapidea incidenda.
18 Ea conspicuo Ecclesiæ loco ponenda.
20 Vbi à ciuitate nuncupandum sit votum, ritus, ceremoniæq; celebriores adhibendæ.
Veteri instituto, vsuque vel publico Ciuitatis voto, qui dies festi colendi, ab Episcopo intelligendum. De fest. dier. cultu. 25.
Votis etiam, & pijs consuetudinibus conquirendis, eadem diligentia ab Episcopo præstanda. Ibid num. 26.
Vigiliæ, & festi dies Sanctorum publico Ciuit. voto aut consuetudine colendi Synodo notandi, in Calendarium referendi, & publicandi. Ibid. num. 29.
Festorum dierum, & institutorum voti publici, aut consuetudinis ratione seruandorum monimenta, vbi asseruanda. Ibidem numero 27. & 30.

1 SI quando ob calamitatem imminentē, aliamve causam, à populo, vel ab Vniuersitate, uel à vicinia parochiali votum Deo fieri deliberandum est, vt de hoc genere toto quàm rectissimè statuatur, parochus Episcopum, ad quem præsertim in graui, quæ ad spiritales res pertineat, deliberatione, confugiendum patres censuerunt, etiam per litteras, vbi opus est, consulat: de cuius sententia formula uoti ritè concipiatur. Quintū, de Votis.

2 Si uerò aliquando temporis angustia non patitur, id quod in pestilentia euenire aliquando solet, ut ille consuli non possit, cum populo agat, vt uotum nuncupetur: at sanè, quæ speciatim ad illius rectè exequendi modum pertinere possunt, eæ rationes omnes in ipsa uoti nuncupatione, Episcopi sententiæ, iudicioque relinquantur, quò sanctius, religiosiusque uoti nuncupati ratio omnis ad executionis vsum perducatur.

4 Caueat item parochus, rectorve Ecclesiæ, vt vniuersitatis consensu, atque omni alia opportuna, necessariaq; ratione votum nuncupetur, vt firmum, ratumq; sit, ac proinde ab uniuersis, quorum interest, piè obseruetur, atque præstetur.

5 Quo præterea, & ardentiori pietatis studio ad illud nuncupandū, & uehementiori sollicitudine ad idem ritè exequendum populus incendatur, hoc præterea parochus curet, ut in voti nuncupatione statæ tum præparationes, tum etiam cerimoniæ adhibeantur, omni externę pietatis, sanctiq; cultus ratione, & significatione, in eum, qui sequitur modum.

6 Primò igitur, ut illius Vniuersitatis adulti omnes, quo die uotum fiet, antegressa peccatorum confessione, sacram communionem sumant, curet idem parochus omni cohortatione.

7 Pridie etiam diei, quo uotum nuncupabitur, sub uesperum campanarum sono signum detur: quo populus excitatus, ad ecclesiam frequens conueniat, ubi postridie illud publicè, sanctèq; nuncupet.

8 Videat vero, vt in ecclesia parochiali, primariave ad altare maius nuncupetur.

9 Vbi populus conuenerit, processio uoti causa de more agatur.

10 Missarum solennia, processione peracta, à parocho, rectoreuè Ecclesię eo nomine celebrentur.

11 In qua Missę celebratione de uoto concio habeatur, ac de eius causis, tum exponantur rationes, quibus sanctissimè deuincti, qui uouerint, uotum quàm diligentissimè præstare debent.

12 Huc actioni omnes parochialis vicinię, aut oppidi, locive Sa-

cerdotes, & clerici interſint.

13 Parochus autem, aliusve Sacerdos, qui Miſſarum ſolennia eo nomine celebrat, cùm Offertorij tempus eſt, ab ijs, qui Vniuerſitatis nomine delecti erunt, voti formulam in conſpectu Dei de ſcripto ſibi ritè, diſtinctèque pronunciari mandet.

14 Quod illi genibus flexis, ſupplices præſtent.

15 Deinde, cum celebrans ipſe corpus, & ſanguine m Domini in Miſſa ſumpſerit; tum qui præparati acceſſerint, eiſdem ſacram communionem miniſtrabit.

16 Voti nuncupati inſtrumentum, Notarij manu confectum, auctoritateque munitum, ad Epiſcopum menſis ſaltem ſpacio afferatur, vt in Archiuio Epiſcopali aſſeruetur perpetuò. Cuius inſtrumenti etiam exemplum, eiuſdem Notarii teſtificatione, fideq; roboratum, in Eccleſia illius populi, Vniuerſitatisve, quæ vouit, vt diligentiſſimè poteſt, cuſtodiatur ad perpetuitatem.

17.18 Vtque voti, cuius executio in perpetuum præſtanda ſit, monimentum in conſpectu omnium extet, idem curet, in tabella lapidea votum, votiq; cauſam, & conditiones incidi, eandemq; loco Eccleſiæ conſpicuo, atque illuſtri collocari, atque parieti agglutinari.

19 Vbi autem, cum votum nuncupatur, præſcripta ratio, cæremoniæ, ob peſtem, aliamve cauſam neceſſariam præſtari non poſſunt, tunc omninò eas præſtari curet parochus, ubi primum poterunt.

20 Hanc omnem rationem, tum celebriores etiam ritus, cæremoniaſque adhiberi Epiſcopus curet, ſi Ciuitatis ipſius populus uotum nuncupare deliberarit.

FINIS LIBRI PRIMI.

CON-

CONSTITVTIONVM, ET DECRETORVM Synodalium Prouinciæ Mediolanensis

Liber Secundus.

De Sacramentis in genere, ac sacramentalibus.

SVMMARIVM.

1 *Sacramentis administrandis ratio præscribitur.*
2 *Diœceses implicatæ distinguendæ.*
Vt Sacramenta commodè administrari possint populo extramœnia existenti, quæ ratio ineunda. De Parochijs, &c. num. 34.
Ad Sacramenta Parochianis administranda, &c. tot Sacerdotes, Rectoribus adiungantur, quot satis esse possint. Ibidem 33.
Incommodum Parochis in administratione Sacramentorum, & populo in illorum susceptione, ob parochiarum confusionem, vt tollendum. Ibidem 26.
3 *In Sacramentorum administratione, nihil exigendum.*
4 *Ritus ex more Romanæ Eccl esiæ adhibendi.*
5 *Inferiores Ecclesiæ Cathedralis ritus sequantur.*
6 *Quo Rituali in Prouincia Mediolanensi utendum.*
7 *Sacramenta administrantes, superpelliceum, ac stolam adhibeant.*
8 *Eorum vis ab Episcopo, & parocho explicanda.*
9 *Idem ab Episcopo præstandum, cum consecratur Ecclesia, vel altare, campanæ benedicuntur, velanturq; Moniales, &c.*
10 *Populus à parocho admonendus ad frequentandam confessionem, & communionem, & quibus diebus. De sanctæ Eucharist. in Eccles. administ. 29 31.*
11 *Parochi, ægrotos inuisant, & de Sacramen. extremæ vnction. numero 10. & 24.*
12 *Ad aliam Ecclesiam transeuntes, successori libros baptizatorum, confirmatorum, matrimonioque iunctorum, tradant.*
13 *Sacramenta suscipientes, compatresque arma deponant: exteriorique habitu reuerentiam demonstrent.*
14 *Fons baptismalis in Ecclesiis solum parochialibus, & quibus alijs sit, eiusque clauem quis teneat. 15.*

16 Vnaquæque parochia vascula duo sacrorum oleorum Chrismatis,& Cathecumenorum,extremæq; vnctionis habeat.17.

18 Vbi parochi plures,totidem etiam vasa infirmorum adsint.

19 Vasculorum,ad sacra olea Chris.& Cathec. in parochiali Ecclesia retinenda,cum cotyla,ac sacculo,forma.Vbi retinenda.20. Et de Baptisterio,num.3.

21 Vasculi olei extremæ vnctionis,forma.Vbi asseruandum.22.

23 Vasculorum vsui Plebanæ Ecclesiæ forma.

24 Oleis nouis acceptis,vetera comburenda.

25 Oleo deficiente,quid agendum. Quantumque superaddendum.26.

Claues armarij,in quo asseruantur,apud quem retinendæ, supra numero 15.

27 Oleorum sacrorum in Cathedrali Ecclesia distributor,librum habeat, in quem referat,quibus illud tradiderit.

28 Plebani, Præpositique notent, quibus etiam parochialibus,& ipsi distribuerint.

29 Olea sacra deferenda ab existentibus in sacris.

30 Sacrum Chrysmatis oleum accipiendum ante Pascha. Eiusque consecrationi qui interfint. Ibidem.

31 Regulares ab Ecclesia Cathedrali sacra olea sumant.

32 Puerperæ post partum domo exeuntes ad Ecclesiam accedant.

33 Si infirmæ accedere nõ possint, parochus illarum domum ingrediatur ad preces super eis fundendas.

Quibus panis benedictus sub hostiæ forma non præbendus. Ibid.

34 Infantem infrà annum mulier in lecto sine præscripta cautione tenens,excommunicatur:quæque illi pœnitentia imponenda.

35 Dispensant Episcopi,dispensandique facultatem eo in genere Vicarijs foraneis delegare possunt.

36 Qui alij in eandem excommunicationis pœnam incidant ob causam prædictam.

37 Parochi monitio,ne infantes in lecto teneantur.

38 Singulis diebus Dominicis,Sacerdos ante Missam, aquam benedicat.

39 Aqua benedicta per domos à quo aspergenda.

40 Agni benedicti,minio, auro,& c.non inficiendi, neque uendendi.inficientium pœna.

41 Iidem decenti loculo recondendi,colloq; appensi,vt gestandi.

42 Nihil profani ornatus habeant.

43 A fabris thecis non includendi, sed à clerico in sacris constituto. Ac nè minima quidem particula,quò pluris opus vendatur.

44 Annulo non gestandi: Illos gestantes nihil turpe agant.

45 In agrum non proij ciendi,arborique suspendendi.

46 Eorum suffumigatio in agris adhibenda ad depellendas tempestates.

47 Candelæ / Palmę aut / Oliuæ } in Ecclesia benedictæ, singulæ singulis pluribus distributæ, manibus gestandæ in processionibus.

48 Quibus etiam absentibus tradi liceat.

49 Earum candelarum vsus, benedictionisque ritus mysteriorum plenus.

50 Parochus / Concionator } has ex illarum benedictione vtilitates exponant.

51 Vt scilicet valeant ad sanitatem animæ & corporis.

52 Ad dęmonem depellendum.

53 Ad corda fidelium sancti Spiritus splendore illustranda, charitatisq; ignem in animis accendendum. 61.

54 Benedictionis Cinerum vsus antiquissimus.

55 Salutares ex eorum benedictione vtilitates ab Episcopo, parocho, Concionatore, Quinquagesimæ Dominicę docendæ, & quæ.

56 Parochus ipso die Cinerum populum moneat, qualiter ad illos suscipiendos accedat. 61.

57 Illius ministerium in cathedrali, propriaque parochiali agendum.

58 Benedictionis Palmarum institutum sacris mysterijs plenum, à parocho & concionatore explican. & quando. 60.

59 Illius fructus & vtilitates.

61 Quo ordine candelæ, cineres, & palmę capiendę.

62 Benedictionis ædium vsus, restituendus: ritualis forma seruata. 67.

63 Atque hac ratione Conciliari decreto prescripta.

64 Parochi in ea officium, & partes. 68. 71.

65 Quę ędes minimè benedicendę.

66 Benedictio noctu non peragenda.

69 Qui adsint.

70 Benedictionis causa nihil accipiendum.

72 Patrisfamilias ędium benedicendarum, preparatio, & officium.

73 Benedictio mense à maiori ordine initiato facienda.

74 Vestes in diuinis officijs non adhibendę, antequam sint benedictę.

75 Ea, indumentaque, & vasa quis benedicere possit.

76 Libri sacri ecclesiastici ve ne ad vilem, & sordidum vsum non adhibendi.

77 Tabernaculum omne benedicendum, antequam Eucharistię Sacramentum in eo recondatur.

Tabernaculi clauis à quo custodienda, suprà num. 15.

Primũ, de ijs, quę ad Sacrament. admin. generatim pertin.

1 QVO maior, & uberior est Sacramentorum fructus, quàm ut eius uis explicari facilè possit, eo diligentiùs, & intima animi pietate, & externo cultu ac uenerationè tractanda, ac percipienda sunt: Quod officium ut omni studio, & opera nostra adiuuemus, præter ea, quæ ad salutarem hanc rationem constituit sacra Tridentina Synodus, quæ & Episcopi, & parochi inuiolatè seruare debebunt, nonnulla etiam ad tollenda incommoda, & abusus, quos in prouincia nostra hominum, uel culpa, uel negligentia in Sacramentorũ administrationem inuexerat, statuenda duximus.

Sess. 24 ca. 7. de Refor.

2 Primum autem magnoperè hortamur Episcopos, quorum diœceses inter se implicatæ, & confusę sunt, ut communi uoluntate, atque sententia rationem inire studeant, qua explicari, & commodius distingui possint; adhibita etiam, si opus erit, prudentia, ac diligentia uicinioris Episcopi, ut amicè sublatis impedimentis, negocium de cõmuni eorum sententia Sedis Apostolicæ auctoritate, conficiatur.

3 Cùm Sacramenta Ecclesiæ non solum sine simoniæ labe, uerùm etiam sine auaritiæ suspicione prębenda sint, caueant omnes, ne in eorum administratione quidquam exigant, aut etiam uerbis, uel signis, directè, uel indirectè petant. Qui secùs fecerit eum, & pœnis, iure communi statutis, & alijs arbitrio Episcopi plecti uolumus.

Can. institutio, de cõsec. distin. 2. dist. 100. c. cõtra morem.

4 Studeant Episcopi, ut in Ecclesia sua cathedrali in Sacramentorũ administratione, in Exorcismis fontium, & sponsorum benedictionibus, ritus, & cęremoniæ ex more Sanctæ Romanæ Ecclesię adhibeantur.

Dist. 12. c. de ijs, de consec. dist. 3. c. nosse in fi.

5 Omnes uerò inferiorum Ecclesiarum, quęcumque illę sint, Rectores, in his omnibus ab obseruatione Cathedralis Ecclesię nulla ex parte discedant.

4. quę ad sacrament. &c.

Parochi singuli, quatuor ad summum mensium spatio, librum Ritualem, sacramentale mve habeant, qui ab Episcopo probatus, in Ecclesia Cathedrali adhibetur: ut ne, quod Prouinciali Concilio primo cautum est, ulla ex parte inferiores Ecclesię à Cathedrali ea in re discordent: Rituales autem libri, qui ab eo Cathedrali dissimiles, ac diuersi essent, statim Episcopi cura amoueantur.

5. quę ad sacramentalia, &c.

6 Illud in cęteris parochialis curę officijs, maximè à parochis requiritur, ut sanctissima Sacramenta, quę diuinę gratię instrumenta, ad sanctificandas animas à Christo Domino instituta sunt, non solum purè, sanctè, religiosèq; ipsi tractent; uerum etiam ritus, ac cęremonias teneãt, atque adhibeant, quę in illis administrandis sanctę Ecclesię instituto, atque usu comprobatę sunt. Et quoniam liber Ritualis Sacramentorum,

mentorum, qui una, & eadem certissima cęremoniarum regula constet, quique omni ex parte absolutus sit, ad sanctam illam administrationem, in prouincia nostra nullus ferè extat; nos præterea iubemus, librum eo de genere Reuerendissimi Dominici Bolani Episcopi Brixiæ iussu iampridem confectum, à iurisperitis, quos delegerimus, primo recognitum, & necessarijs aliis partibus auctum, ab omnibus, ac singulis Sacerdotibus prouinciæ nostræ, qui Ritu Romano Sacramenta ministrant, huius decreti prouincialis auctoritate, cùm primum nostra cura typis in lucem prolatus erit, ad vsum recipi, atque adeo introduci, ut in Sacramentorum administratione cęremonijs, & ritibus, eo libro præscriptis, utantur, neque ullis præterea alijs. Id uerò tamdiu, quò ad Ritualis liber Romanus emittetur.

7 Sacerdotes in Sacramentorum administratione semper superpelliceum, & stolam adhibeant. Primũ de iis, quę ad sacramen. administrat. &c.

8 Epi in administrandis Sacramentis, illorũ uim, & vsum, pro eorũ, qui sumpserint, & adfuerint, intelligentia, diligenter explicabunt.

Idem quoque facient parochi, ea ratione, ac sententia, quæ in Catechismo Romæ edendo auctoritate sanctissimi D. N. præscribetur. Interim verò aliquo Catholici Scriptoris Catechismo ab Episcopo deligendo utantur. Conc. Tridẽ. sess. 24. ca. 7. de refor.

9 Quò magis fideles ad rerum diuinarum cultum excitentur, Episcopus, non in Sacramentorum solum administratione; verùm etiã, cum consecrationis, quæ cuiquam Ecclesiæ, altarive adhibetur, vel benedicendæ campanæ, vel velandæ Monialis, vel alterius cuiusuis rei consecrandæ munus in conspectu populi aggreditur, illius mysterij, quod tractat uim, & rationem piè explicet. 2. tit. 1. dec. 7.

10 Parochi crebris cohortationib. in id maximè incũbant, ut populus sibi cõmissus, ad cõfessionem, & cõtionem frequenter, præcipuè aũt in Natiuitatis Domini, & Pentecostes, ac alijs solennitatibus accedat. Primũ, ibid.

11 Aegrotos verò, etiam non uocati, inuisant, ut ad Sacramentorum susceptionem inducant, & eorum animabus, quacumque ratione possunt, sollicitè consulant.

12 Si parochi ad aliã ecclesiam transierint, antequã à priore migrẽt, successori libros tradant, in quibus eorum, qui baptizati, confirmati, matrimonio iuncti fuerint, nomina describi, infrà iubemus. Qui secùs fecerit, grauissimè ab Ordinario puniatur. Primũ, vt sup.

13 Moneat sępè parochus, hocq; tum maximè cum Sacramenta ministrat, vt fideles, quibus ea ministratur, & qui Compatres ad Sacramenta, Baptismum, & Confirmationẽ adhibentur, ensem, pugionẽ, & eiusmodi deponãt: memores se in oĩ spiritu humiliratis, sanctęq; pietatis studio adesse oportere sacris illis mysterijs. *Vide tit. seq. num.* 15. 3. quæ ad sacramentalia, &c.

Vt

5. quæ ad sacramentalia, &c.

Vt sanctissimis Sacramentis debitus religionis cultus, etiam externus ab ijs tribuatur, qui ea suscipiunt, ne Episcopus, parochusve patiatur, quemquam ad illa suscipienda accedere, nisi exteriori quoque habitu, vestiumque modestia debitam illis venerationem, ac reuerentiam præ se ferat.

3. vt supra.

14 Fons baptismalis, ne vsquam in alijs Ecclesijs, quàm in parochialibus sit, vel Episcopi concessu in illis locis, vbi propterea quod parochialis Ecclesia longius distat, idem populi commodo magis consulendum esse censuerit.

4. quæ ad sacramentalia, &c.

15 Et tabernaculi, vbi sacratissimum corpus Domini asseruatur, & armarij item, vbi sacra olea, statis vasculis inclusa, custodiuntur, & fontis prætereà Baptismalis, claues Rector Ecclesiæ, animarumve curator, diligenter, cauteq; apud se custodiat: ac ne clerico quidem ministro illas vllo modo committat. Nec verò prohibetur, quo minus eadem muneris alicuius præstandi causa aliquando Sacerdoti committat, quem in officij parochialis cura coadiutorem habet.

4. ibidem.

16. 17 Vnaquęq; parochia vascula duo sacrorũ oleorum, Chrismatis, & Cathecumenorum, vascula item duo extremæ vnctionis habeat: quæ confecta, & ornata sint ad formam in libro instructionũ præscriptam. Idque vt die sacro Cœnæ Domini, illa vacua, diligenter ante absterſa, ac benè parata, nec verò ampullæ, aut alia eiusmodi, ad olea sacra recens consecrata, ferenda adhibeantur, aliaque rursus retineantur ad asseruandum quod reliquum est sacrum oleum vetus, quod vsui esse possit, si in sua parochiali cura opus esset, dum illa recentia, apportantur.

18 Vbi verò plures parochi, animarumve curatores, aut alij sunt, qui parochialis curæ portionem, vel officium habent, totidem vasa olei sacri infirmorum sint.

Instr. fab. libro 2. De vasis sacrorũ oleorum in Parochia. eccl.

19 *Vascula parochialis Ecclesiæ, ad vsum sacra olea seruandi, vbi prę inopia ex argento fieri non possunt, è stanno puro, eoque nobiliori fient: tum perpolita, mundaque omninò sint.*

Tria autem parentur, forma rotunda, atque eiusmodi, quæ inter se nulla planè dissimilitudine sint: atque sic quidem aptè coagmentata, coniuncta-ve, vt trianguli figuram exhibeant.

Iis omnibus vasculis simul contegendis operculum vnum solidum adhibeatur, ita confectum, vt & paululum vasculorum contegendo vndique capiat, & cum illa operiuntur, hoc non disiungatur, sed in vna parte fixum hæreat, totumq; vasculorum opus operiatur.

Id operculum, etsi totum solidum vnumque est, triplici tamen circulo distinctum, tripliciq; concauitate ab interiori parte constans, rursus ab exteriori paululum eminens, quæ concauitas vsui sit ad reponendum bombi-

cem,

cem, quo sacrum oleum opertum est, cùm illud posteà ad ministerium adhibetur, & intrinsecus, & extrinsecus, in vnoquoque circulo litteras apertè expressas habeat: quibus uniuscuiusque sacri olei uasculum distinctè internoscatur.

In imo uasculo sacrum oleum Chrismatis asseruetur.

In altero oleum Cathecumenorum.

Operculum vasculi sacri Chrismatis insculpitur his litteris, C H R.

Alterum, quo uasculum olei Cathecumenorum, insculpitur C A T H.

In tertio uase alterum uasculum, quod minusculum sit ex argento, aut stanno, aut è salice, inseratur operculo contectum.

In hoc ipso uasculo, sal asseruetur, ut, cum sal renouari opus est, hoc exiguum uasculum inde tutò, depromatur, ac periculum euitetur sacri olei effundendi, aut permiscendi.

Cotyla prætereà, quam scatulam dicunt, è nuce, aliaue materia solida opere tornatili cum operculo fiat, totumque corio contegatur, cuius operculum corio item intectum, ornatu aliquo impresso, atque inaurato decoretur.

Tum scatula, & operculum à parte interiori aliquo ornamento serico albo uestiatur.

Quæ ita confecta sit, ut paulò depressior sit, quàm vasculi altitudo, quò facilius aperiantur, neque necesse sit inde depromi.

Sacculus è serico confectus sit albo colore: si quando usu uenerit, in locis montuosis, facultate ab Episcopo data, baptismum ministrari in alia ecclesia, quàm in parochiali, quæ remotior sit.

20 Sancti item Chrysmatis, & sacri Cathecumenorum olei vascula, ne alibi, sed in Ecclesia religiosè asseruentur in ciborio aliove eiusdē Ecclesiæ certo constituto loco, quem Episcopus comprobant. 3. quæ ad sacramentalia, &c.

21 Vasculum sacri olei extremę unctionis ex argēto, aut stanno pretiosiori sit, idque à reliquis sacrorum oleorum uasculis separatum. Instr. fab. li. 2. De vascu. extre. vnct.

Cui operculum in medio pauliſper concauum affixum ita sit, ut cum uasculum aperietur, non disiungatur. Eius inscriptio hęc sit. E X T. V N C T.

Ad hoc uasculum asseruandum scatula item, ut suprà, adhibeatur.

Sacculus item sericus, coloris uiolacei, cuius forma sit eadem, quę sacculo præscripto uasis Chrysmatis, & sacri olei Cathecumenorum constituta est.

Fundum habeat, forma non quadrata, sed rotunda, instar paruulę rosæ, chordulas item sic oblongas, ut parocho, animarum vè curari usui esse possint ad uasculum collo appendendum.

22 Sacrum prætereà oleum infirmorum in Ecclesia itidem custodiatur uase, ab aliorum sacrorum oleorum uasculis distincto, nisi quibus parochis Episcopus propter eorum domicilij à parochiali Ecclesia distan- 3. quæ ad sacramentalia pert. &c.

distantiam, illud domi tunc aliquando solum asseruari concesserit, cum in parochiæ finibus grauius ægrotantes habent, quibus usu uenire potest, vt quam celerrimè succurrendum sit illius Sacramenti administratione.

4. quæ perti. ad ext. vnct. Quibus parochis Concilio Prouinciali tertio permittitur, domi ali quando habere sanctum oleum infirmorum, ij feneſtellam in ipsa domo loco decenti, ac tuto constituant, panno serico circumuestiant, valuis, & claue claudant, vt, & in honore, & rectè custodiatur.

Inst. fab. li. 2. de vasculis sacror. oleorũ in Pleb. Eccl. 23 *Vascula sacrorum oleorum vsui Plebanæ Ecclesiæ grandia sint, pro Ecclesiarum, quibus distribuenda sunt, numero.*

Quę vascula argentea sint, aut saltem è stanno pretiosiori, litteris, vt infrà, inter se distincta: quibus singula sacra olea interno scantur.

Instar phialæ sint, operculoque duplici integantur, vno, quod in os vasis inseratur, altero, quo vasis collum extrinsecus tegatur: quod vtrumque in gyrum obliquè torqueatur, vt ijs ita firmiter opertis, oleum sacrum effundi nequeat.

Capsulam habeat, quę seruandis, portandisque sacrorum oleorum vasculis vsui sit, cùm ad ea ab Ecclesia Cathedrali accipienda, statо Paschę tempore mittetur.

Ea capsula è ligno sit, in tresq; partes distincta, vt in singulis partibus vnumquodque sacri olei vasculum cum bombacio aptè collocetur.

Corio decenti, vndique pro integumento muniatur; ornatuque serico rubro intrinsecus circumuestiatur.

Operculum habeat eiusmodi, quod extrinsecus planum non sit, sed forma paulò eminentiori.

Claue, & sera ita claudatur; vt cùm ad accipienda sacra olea portatur, aperta tradita, possit à Cathedralis Ecclesię ministro, postquam is olea tradiderit, claudi digito paulu lum, à superiori eius parte presso: nec aperiri subinde alia claue queat, quàm illa ipsa, quę apud prępositum asseruatur.

4. quæ ad sacramentalia, &c. 24 Parochus, vbi primum olea sacra noua acceperit, vetera statim cõburat in lampade, quæ ante sanctissimum Sacramẽtum collucet, bombice in sacrario planè exusto. Vascula autem ubi anno proximo asseruata sunt, diligenter, politeq; abstersa, accuratè in Sacristia conseruet, vt anno sequenti vsui sint, quibus afferantur itidem olea sacra.

Ibidem. 25.26 Sacro oleo deficiente, si tempus non patitur, ut id aliundè haberi possit; illa ratio ineatur, Canone præscripta, vt cum oleo consecrato, misceatur non consecratum: id uerò non consecratum, guttatim ita infundatur, vt semper, quod infunditur, minus sit oleo cõsecrato, quod vel exiguum in uase reliquum est.

2. tit. 1. dec. 9. 27 Cui in Ecclesia Cathedrali id muneris datum est, ut oleum, aut Chrysma

Chrysma sacrum Plebanis,aliisve distribuat,is in librum,eo nomine confectum, illarum Ecclesiarum nomina referat, quibus dederit.

28 Pari ratione Prępositi, Plebanive libro notent eas Ecclesias parochiales,quibus singulis annis sacra olea distribuerint.

29 Ij verò omnes ne illa alijs deferenda dent,nisi ijs,qui sacris ordinibus initiati sunt.

30 Ad sacri Chrysmatis oleum accipiendum, quotannis ante Pascha mittantur,qui accipiant,vt ueteri Canone decretum est. 3. quæ ad sacramentalia, &c.

Cum oleum Chrysmatis consecratur, omninò interfint, & qui dignitates, seu personatus obtinent,& Canonici, ac reliqui Cathedralis Ecclesię clerici: & quos ex alijs ecclesijs suæ Ciuitatis,& diœcesis Episcopus uocandos censuerit. 1. quæ pert. ad baptis.administ.

31 Monachi,Regularesve cuiusuis ordinis,etiam exempti,non aliunde,sed ab Ecclesia Cathedrali intra cuius diœcesis fines habitant, olea sacra sumant. Si secùs fecerint, arbitrio Episcopi, in cuius diœcesi manent, puniantur. 6.de sacramẽtalibus.

32 Moneant parochi puerperas, vt cum primùm post partum domo exierint,mox ad Ecclesiam,Deo acturæ gratias,accedant, ubi benedictionem à parocho suscipiant. 1. quæ pert. ad bapt. adm.

33 Ad preces,quæ suprà puerperam funduntur, cum post prolem emissam,illa actura gratias,ad Ecclesiam se confert,parochus puerperę domum ne ingrediatur, etiam si mulier ob aduersam ualetudinem Ecclesiam adire nequeat. 3. quæ ad sacramentalia pert.&c.

Fœminis præterea,post puerperium ad Ecclesiam uenientibus,panis benedictus,sub hostiæ forma ne præbeatur. Ibidem.

34 Graue, atque inane facinus est,infantes per imprudentiam suffocari,qui eos,ne annum quidem natos, in cubili, nulla cautione collocant. Qui quoniam neque alia ratione,neque rei grauitate, qua Deus in primis offenditur,nec verò immanitate nefaria in officio contineri hactenus potuerunt,nos tale facinus pœnis coerceri censuimus.Itaque quæcumque mulier,infantem,anno ætatis non expleto, secum in lecto iacentem,non ea cautione tenuerit, quam ab Episcopo præscriptam,parochus vnusquisque ei sigillatim demonstrauit, excommunicationis pœnam ipso facto subeat: cuius uinculo irretita, non absoluatur, nisi graui, atque insigni imposita pœnitentia, quæ cęteris exemplo sit. 4.quæ pti.ad Sacram.bapt.

35 Grauissimo suffocationis infantium, qui nondum ætatis suæ annũ expleuerunt periculo,vt occurreretur,pœna excõmunicationis, quam mulier in eo genere delinquens,ipso facto subiret,in Concilio Prouinciali Quarto sancitæ. Verùm, cùm aliquando causæ, & difficultates incidant, ob quas non omninò præstari potest, quod salutariter cautũ 6 de Baptis.

est;

est;ideo hoc Prouinciali Decreto eam cautionem adhibere nobis vi-sum est,vt pro conscientiæ suę religione,Episcopus in grauioribus casibus dispensare,dispensandique aut habilitandi facultatem eo in genere Vicariis foraneis delegare possit,alijsque item ecclesiasticis hominibus prudentia,& rerum vsu præditis.

36 Quod si quis,quicumque sit,etiam præter nutricẽ,& matrem non adhibita illa cautione,neque dispensatione impetrata, infantem, contra præscriptum,in lecto tenuerit,aut matrem, nutricemve id facere coegerit,aut impedierit,quo minus eo decreto prescripta cautio adhiberetur,is eadem pœna irretitus sit,quę illo Decreto, mulieri in eo genere delinquenti constituta est.

4.quę pti. ad Sacr.Bapt.

37 Parochus verò tùm sæpè populum moneat,ne huiusmodi infantes secum in lecto vmquam teneant, tum etiam euulget decretum istud, pœnamque in decreto sancitam.

3. quæ ad sacramentalia, &c.

38 Singulis diebus Dominicis Sacerdos,Missæ parochialis sacrum facturus,antequam illud inchoet,aquam sale aspersam benedicẽdo renouet,eamq; vt moris est, aspergat.

6.de sacramẽtalibus.

39 Aquę benedictæ,quę vel sabbatho Sancto,vel in Vigilia sacri diei Natalis Domini, vel alio tempore pro locorum consuetudine ædes parochialium hominum aspergi solent,aspersio, cùm plena mysteriorum est,tum propria Parochorum. Quamobrem statо tẽpore ne alius Sacerdos,quàm proprius Parochus illas aspergat,aliusve ab eo constitutus, neve item sabbato Sancto ante ille aspergat, quàm benedictio solennis fontium celebrata sit. Aspergendo autem,precibus ritè vtatur Parochus ad præscriptum libri Ritualis.Illud autem in hoc aspersionis munere caueat omninò, vt ne signo quidem aliquo, ac nutu, nedum verbis eo sanctæ aspersionis nomine quicquam petat, exigatve.

3.quæ ad sacramentalia pert.

40 Sanctissimi Domini nostri Gregorij XIII. Pontificis constitutio, qua excommunicationis pœna proposita,ipso facto incurrenda,interdictum est,ne innocentissimi Agni imagine figuratę certæ illæ formę, & per Romanos Pontifices statis temporibus consecratæ,minio,auro, aut vllo colore inficiantur,neque uenales proponantur, promulgetur in Ecclesia eo anno,quo illas consecrari moris est in Pascha,& quoties item Episcopus opus esse censuerit.

5. quę ad sacrament. &c. pert.

41 Sanctissimi item,veteriq; instituti est, à summo Pontifice formas illas certas,quas Agnos Dei,à figura impressa vocamus, solenni benedictionis ritu,multisque religiosis cęremonijs, non solùm primo, sed septimo quoque Pontificatus anno consecrari. In quo consecrationis munere, sicut ille Christi Vicarius, cuius oratio tanto maioris est momenti,quanto eius officium in Ecclesia sublimius, & cum eodem

Christo

Christo Domino coniunctius, multa sanctè precatur à Deo illis concedi, qui animo pio, deuotoque eos agnos apud se habuerint: ita à fidelibus magna deuotione ijdem gestandi sunt, ad eosque vsus religiosè adhibendi, ad quos sacræ preces, & Ecclesiæ institutio referuntur. Qua re decreto Concilij Prouincialis tertij, quod ex Constitutione sanctissimi Pontificis Gregorij XIII. de illis minio non inficiendis cautum est, hæc etiam adiungenda censuimus.

Primò cum illi domi asseruantur, vt piæ consuetudinis est, loculo decenti recondantur: cum autem collo appensi gestantur, in thecam aut eam, argenteam, eburneam, christallinamve, aut alterius generis decentis rectè inclusi sint, ita vt tactu violari non possint.

42 Neque ad ornatum habeãt quicquam, quod profanum sit, quodq; minimè deceat.

43 Thecarum fabri ne vllo modo eos tangant, attrectentque, ne chyrothecis quidem, forcipe, aut vllo alio instrumento; sed ad eos thecis includendos, clericus, in sacris constitutus, adhibeatur.

Ne minimam item particulam sacræ illius ceræ, è qua agni imago est, in eis includant, quo pluris opus suũ vendant; sed ab eo accipiant, qui thecam agni causa faciendam locarint.

44 Neque autem quisquam sacrum illum agnum annulo gestet: cum ita parum religiosè gestetur, vt aliqua fœditate, turpive tactu violari facilè queat.

Qui sacros agnos gestant, hoc religiosius caueant, ne quid impurè, turpiterue agant, aut à sacra eiusmodi re alienum.

45.46 Nec præterea in agri campum hi agni proiiciantur, nec verò cuiquam arbori affigantur, neque è ramis suspendantur; sed, quod antiqui est instituti, eorum cera adoleatur, ad suffumigationem in agris, vineisq; ob imminentem tempestatem, aliàsve diabolicas illusiones depellendas.

47 Quod pietatis, & Dei honoris causa ab sancta Matre Ecclesia institutum est, vt festo die Purificationis B. Mariæ Virginis candelæ, & palmæ, aut oliuæ, prout locorum consuetudo est, Dominico die, qui de palmis dicitur, in Ecclesia solenni ritu benedicantur: eæque candelæ accensæ statis illo tempore processionibus circumferantur, non sine sanctissima mysteriorum significatione: id, vt instituti ratio postulat, ita religiosè celebrari debet. Quamobrem edicimus, ne alio loco, nisi in Ecclesia, neque dum manibus laicorum tenentur, sed constituto loco positæ, solennibus ceremonijs benedicantur, & singulæ singulis distributæ, tum palmę, tum candelę accensę manibus per eos, qui acceperint, gestentur, ex Ecclesię instituto, dum statis illis diebus processiones, & sacrę alię actiones habentur.

3. quę ad sacrament. &c. pert.

Vtque

Vtque prætereà introducto eiusmodi abusui occurratur, quo multis locis in hac prouincia fit, vt illæ, vel candelæ, vel palmæ, oliuæ, sacro eo ritu benedictæ non in Ecclesia à quibusdam sumantur; sed ad eos domum deferantur: & quod grauius est, à laicis quibusdam quasi tributum quoddam sibi à parochis, vel ab aliis quibuscuis debitum, illæ exigantur, decernimus, vt saluo, si quod patronus aliquis beneficij habet, illas
48 exigendi iure, ijs solum, qui in Ecclesia intererunt; & illis item tantum tradi liceat, qui ijs ipsis diebus ad illam Ecclesiam cõuenire solent; sed non potuerunt, vel quia ægroti, vel alia legitima causa impediti.

5. quę ad sacrament.

49 Die sacro Purificationis beatissimæ Marię Virginis, vsus, ritusq; benedictionis candelarum, cereorumve, cum plenus mysteriorum est, tum salutarium vtilitatum: quas non solum ex orationibus, quibus Ecclesia in ea benedictione vtitur, sed ex omni Rituali libro probato, parochis, concionatorve, eo ipso die fidelibus studiosè exponat, quò religiosius illas, & gestent, & habeant.
50

Nam cum illius benedictionis precario ad alia multa referatur, tum adhęc in primis.

51 Vt candelę valeant ad sanitatem animæ, & corporis, terræ, marique.

52 Vt de locis, vbi accendentur, dęmon, & quicquid dęmonis astu molitur, machinaturve, depellatur.

53 Vt mentes, & corda fidelium, igne, & splendore sancti Spiritus accendantur, illustrenturque, ac depulsis vitiorum tenebris, videant, quę sint Deo grata, & saluti vtilia.

Hęc sibi omnia à Christo Domino, qui est Deus verus, & splendor lucis ęternę, sibi concedi precantur intercessione, & sanctissimis meritis beatæ Marię Virginis quicumque fideles in illius honorem candelas, quibus benedictionis preces eo die adhibitę sunt, deuotè gestant.

5. Ibidem.

54 Sacrorum cinerum vsus in Ecclesia Dei antiquissimis est, ac non solum ad significandam, sed ad excitãdam etiam pniam introductus.

55 Quare Episcopus, parochus, & concionator die Dominico qui feriam aspersionis Cinerum proximè prędecedit, populum salutares eas utilitates doceat, quas in eorum benedictione multis orationibus Ecclesia petit. Atque hę quidem, pręter cęteras, sunt.

Vt fideles, qui sacro cinere aspergũtur, ad intimam cordis humilitatem adiuuentur.

Vt in eos benedictio cœlestis descendat, qua adiuti, uerè, intimeq; toto animo peccata doleant; hoc mente secum reputantes, ob hominis peccatum terram maledictam fuisse, nosq; omnes in cinerem, ac terram redituros.

Vt detur corporis valetudo ad pœnitentiã peccatorum peragendã.

Vt ani-

Vt anima diuino auxilio protegatur.

Vt à Deo impetremus, quæ ad illius voluntatem petimus.

Vt constanti animo in bene agendo perseueremus.

56 Hæc bona, quæ mater Ecclesia pro sacrorum Cinerum ritu à diuina benignitate precatur, vt piè fideles consequantur, parochus illos eo ipso die moneat, quàm religiosa intimi animi pietate, quàm humili, contritoque corde, quàm humili, demissoque vestitu ad eam actionem conueniunt, quamque seriò secum statuant, illos ieiunij dies in amaritudine animę suæ traducere ad peccatorum satisfactionem.

57 Hoc aspersionis Cinerum ministerium Episcopus studeat potissimum in Cathedrali, propriaue parochiali Ecclesia ab vnoquoque suscipi.

58 Sanctissimi præterea, & antiquissimi instituti in Ecclesia Dei est, die Dominico, Pasca Resurrectionis Domini proximè antecedente, ramos palmarum, oliuarum, solennibus precibus benedici, ac fidelibus tradi, qui gestent, domiq; religiosè, atque decenter asseruent. Et sicut ritus is, & insignem illum Iesu Christi Domini ingressum ad Vrbem Hierosolymam, & triumphum illum commemorabilem significat, quem passione, & morte sua superatis hostibus, idē Dominus resurgens reportauit; ita alijs etiam mysterijs plenus, à parocho, & à concionatore explicetur, quò ardentius ad religionem illius fideles accensi, spirituales fructus capiant, quos à Deo eis Ecclesia precatur: suntque hi præsertim.

59 Vt accipiant mentis, corporisq; vim ad salutis opem, Deique gratiam implorandam.

Vt quemadmodum rami foliis virent, ita opera nostra, & iustitia, & omni virtute sancta quàm florentissima sint.

Vt sicut populus Hebręus, Christo ramis obuiam factus, vnà cum eo Hierosolimā ingressus est, ita nos sanctissimis officiis, atq; piis operibus Domino obuiam procedamus, illiusq; vestigia secuti, in cœlestē patriam eo auctore, & duce recipiamur.

Vt veluti Christus Dominus de Sathana hoste Cruce sua triumphauit, sic nos quàm sæpissimè id misericordię opus animę ita repetamus, vt Christi amore incendamur ad pugnam, & ad victoriam de dęmone, carne, & mundo reportandam.

Vt quocumque hi rami introducentur, eius loci incolæ benedictionem Dei consequantur, omnique re aduersa propulsata, virtute altissimi defendantur.

60 Has, & alias salutares vtilitates parochus, & concionator fidelibus exponat: vt, qua debet pietate, religiosoq; animo sacros ramos capiendo, gestando, & asseruando, ita Dominum precentur, vt & per passio-

nem,mortemque suam,qua dęmonem fregit,ac superauit', & per misericordiam illam immensam,qua id egit, non solum corpora à malis tueatur,sed animæ gratiam suam cęlestem infundat: sicque ipsi multis virtutibus,bonisque operibus florentes, Christum Dominum sequantur: hostibusque omnibus superatis,ad gaudia cęlestis Hierosolymæ introducantur.

61 Bini omnes ad candelas, & rursus ad cineres capiendas accedant, ad palmas etiam,ramosq; oliuarum suscipiendos, sine strepitu, ac tumultu,sed religioso silentio.

Qui extra ordinem accesserint,à ministris ejciantur, neque digni sint, qui sacrorum ramorum tunc participes sint, nisi aliud Episcopus censuerit.

4.de Eccle.& alt.cõsec.&c. 62 Antiquus ille benedictionis ædium', quæ vel recenter ędificatæ sunt, vel immundis spiritibus,aliave ratione vexantur, Ritus, ubi in usu esse desijt,Episcopi cura restituatur.

In illa porrò benedictione parochus ritum,preces,psalmos,orationes,in libro Sacerdotali,Ritualive præscriptas, adhibeat.

5. quæ ad sacramentalia, &c. 63 Veterem illum ædibus', atque ædificijs benedicendi morem, ritumq; ex sanctæ Ecclesiæ instituto introductum,ac decreto prouinciali,quod in Concilio quarto confecimus,restitutum, vt parochi, & reliqui animarum curatores, ad quos religiosæ illius benedictionis munus pertinet,piè,sanctèque obseruent: & laici, quorum ædificijs,domicilijsq; benedicendum est, spiritualia inde commoda vberrima in Domino capiant,hęc in illis benedicendis ratio sit.

64 Primò parochus huius benedictionis munus aggrediatur pro voluntatis proposito,& quo debet,religionis officio.

Pridie autem illius diei, quo benedicendi munus aggreditur, præcipuo sanctæ precationis studio, & aliquando ieiunio se parare curet.

Quo item die ad benedicendum aggreditur, anteaquàm aggrediatur,Missæ sacrificium celebrare studeat: in quo ob hanc causam orationem de spiritu Sancto piè recitet.

65 Ne ædibus benedicat, vbi aliquis excommunicatus habitet.

Nec verò illis,quas fœneratores,meretrices,publici peccatores,manifestoq; criminosi homines incolunt.

Neque ijs item, si quæ aleis,ludisque vetitis publicè expositæ sunt.

66 Ne noctu,sed interdiu benedictionem peragat.

67 Ritu vtatur ad præscriptum formulæ,quę in libro Sacerdotali,Ritalive concepta,extat.

68 Dum ad benedictionis munus accedit,in eoq; versatur, superpelliceo,& stola vtatur.

Clericus

69 Clericus adsit, qui crucem in uia, & in benedictionis ministerio præferat.

Alter item, qui aquę benedictę ꝛvasculum cum aspergillo ferat.

Cęteri Sacerdotes, & clerici, si qui alij adsunt, ordine distincti, bini præcedant, & suo quique superpelliceo de more induti.

70 Benedictionis huius causa, occasioneve nihil planè quicquam vel minimum, neque is, neque sacerdotes, clericive, quos sibi socios, adiutoresve adiunxerit, petant, exigant, ac ne sponte quidem ultròque oblatum, donove datum capiant.

71 In hoc benedictionis officio, ne ommittat ex Institutionum præscripto, Concilijq; Prouincialis decreto, patresfamiliàs docere, rectèq; erudire ad optimam familiæ educationem. Cuius etiam rei argumentum satis amplum habebit, ex statis illis religiosis precibus, & orationibus, quæ adhibentur.

72 Paterfamiliàs autem, cuius ędibus domicilijsve benedicetur, piè se præparabit ad eam sancto desiderio suscipiendam.

Ideò ante familiam suam rectè recognoscet, monebitq; uniuersos, & singulos, ad præscriptum regularum, quæ de Christiana familię institutione editę sunt.

Amoueri curabit quęcũque domi suę sunt, Christianę familię instituto insignia, quęq; Dei oculos offendunt.

Libros de rebus obscœnis, turpibus, impudicis, inanibus, ac de cantionibus inhonestis, cęterisque id generis, inflammati curabit.

Libros de ꝛvitę religiosę, spiritalisq; institutis, atque exercitationibus introducęt.

Imagines obscęnas, & turpes incendat: profanas ꝛverò, quęque ad inanem uoluptatem alliciant, amouere studeat.

Sacras Christi Domini, beatissimę Virginis Marię matris, & Sanctorum præsertim Imagines, quos patronos habet, ubique domi suę, locis honestis statuat.

Tesseras, aleas, aleatorias ve tabellas; pictasq; ad aleę ludum pagellas, procul abijcere curet.

Sacram Communionem in parochiali ecclesia simul eo die, ut sumant omnes de familia sua, procuret.

Sacerdoti, ad benedictionis munus accedenti, obuiam, uel ad ecclesiam, uel ad primariam ędium ianuam simul cum tota familia procedat, eiudemque benedictionem omni domus loco prosequatur religioso pietatis studio.

Dùm Sacerdos benedicit, nemo domi, uel in officina, cui benedicitur, quicquam seruilis, mundanive operis faciat.

73 Ne minoris ordinis clericus, alio, qui maiore ordine initiatus est,

præsente,mensę benedicat: sed hoc munus sit,uel Sacerdotis,uel illius, qui maioris ordinis clericus præsens in mensa adest.

2.ti.2.dec.20 74 Quę uestes,& ornamenta cuiusuis generis, ad usum sacrum comparata,Ecclesię instituto benedici debent,ea in Missę sacrificio, cęterisque diuinis officijs ne prius adhibeantur, quàm solennibus precibus ab Episcopo, uel ab alio,qui auctoritatem habeat, benedicta sint.

6. de Sacramentalib. 75 Ne quis Episcopo inferior,uestes,indumenta, ~vasaue ad Missę sacrificium,diuinorumq; officiorum cultum, aut ad altaris ornatum parata,sine sedis Apostolicę facultate,benedicat;nisi si alicui de iure talia benedicendi facultas competeret. Quę autem ab Episcopo,aliove auctoritatem habente benedicta non sunt, (ut alio Concilio cautum est,) stara solenni prece benedicantur.

2. tit. 2. decre. 21. 76 Libri sacri, Veteris & Noui testamenti, uolumina item Sanctorũ Patrum,nostrę fidei interpretum, tùm scripta etiam ecclesiastica, quibus & res,& uerba diuina consignata sunt, etsi temporis uetustate omninò consumpta,ad rerum tamen uilium, ac sordidarum usum,ne ullo pacto conuertantur,sed in ignem potius conijciantur.

c. Altaris,pallam,de cõsec. dist. 1. 6. de Sacramentalib. 77 Sacra prece, ex formula libri Pontificalis, tabernaculum etiam ligneum, in quo sanctissima Eucharistia recondatur, ante benedicatur,quàm ad illius recondendę usum adhibeatur.

Quæ alia ad hunc titulum pertinere aliqua ratione possent,videantur in titulis propriis de Sacramentis.

Quæ pertinent ad Sacramentum Baptismi.

SVMMARIVM.

1 *Baptismus domi prohibetur: quoque tempore ministrari vetatur*
2 *Quo casu permittitur: & à quo eo in casu administrari potest.*
3 *Eius forma,& à quo tradenda,& vbi,& qualiter.*
4 *Domi baptizatorum baptismus notandus.17.*
Ante nonum diem infans baptizandus;aliàs excommunicatio, & à quibus,incurritur.1.
5 *Baptizatus rectè domi,in Ecclesia intra nonum diem sistendus.*
6 *Baptizaturus Sacerdos,quid consideret.*
7 *Infantes suę parochiæ tantum baptizet, extrà necessitatem.*
8 *In Ecclesia Cathedrali tantum quo tempore baptizandum.*
9 *Nomina eorum,qui in Cathedrali baptizantur, vbi notanda.*
10 *Infante ab obstetrice baptizato,de formula adhibita, inquirendum.*
11 *Obstetrices, in diœcesi à Vicario foraneo probandę, in Ciuitate verò à quo.*

12 *Eæ cùm baptizant, duas mulieres testes adhibeant.*
13 *Infans, quo vestitu ad baptismum deferendus.*
14 *Quales compatres eligendi: eaque in re parochi officium. Quique non admittendi.*
15 *Compatrum ipsorum quę partes. Et suprà, num. 13 Et de Sacramental. num. 13.*
16 *Baptizatum infantem in altare collocandi, vt muneribus compatrũ redimatur, consuetudo tollenda.*
Compatres nihil infantibus aut parentibus largiantur.
17 *Compatres in Ecclesia adhibiti in librum referendi.*
18 *Baptismi cęremoniæ à quo non adhibendæ.*
19 *Qua stola, quo ritu, quo vase ad infundendam aquam, quo Chrysmate vtendum.*
20 *Chrysma, linteola q; Chrysmate inuncta à laïcis non attingenda.* 21.
22 *Iudæi, infideles q; alij præsentes esse, non permittendi.*
23 *Fideles, vt religiosè intersint, à parocho monendi.*
24 *Nomina baptizandi, quæ imponenda.*
25 *Baptismi susceptí dies piè celebrandus.*
26 *Infans expositus, vt baptizetur.*
27 *Pluribus infantibus oblatis, qui ordo seruandus.*
Mas prior fœmina baptizandus.
28 *Adultis baptizandis diligens cautio adhibenda.*
29 *Iudęis, Turcis, Mauris, alys q; infidelibus baptizandis, quę item adhibenda cautio.*
Baptizatus Iudęus, cuius curę tradendus: quaque consuetudine is non vtatur. De Iudęis. 29 30.
30 *Liber baptizatorum à parocho habendus, in quem compatrum etiam nomina referenda.*
31 *Benedictio puerorum, cùm primum ad Ecclesiam introducuntur.*

1 NEMINI liceat quemquam intrà domesticos parietes baptizare, sed natum infantem ij, quorum ea est cura, ante nonum diem ad susciplendum baptismum in ecclesiam deferendum curent. Quod si neglexerint, excommunicationis pœnam subeant. Primũ, quę pert. ad Bapt. admin.

2 Permissa est tamẽ, si instet periculum, facultas baptizandi in priuatis ędibus Sacerdoti, uel si is absit, alteri sacris initiato, uel si non adfuerit, laicis, primo mari, aut demum fœminę, qui rectè nouerint ⌜veram baptismi formam⌝;

3 Ego te baptizo in nomine Patris, & Filij, & Spiritussancti.

Quibus uerbis nlhil prorsus ab ipsis addendum, uel detrahendum esse, crebrò populum suum parochus admoneat.

4. quæ perti. ad Sacramẽ. Baptis. Baptizandi formulam ipse non solum, ut primo Concilio Prouinciali iussum est, populo generatim; sed etiam priuatim, ac præcipuè obstetricibus in ecclesia tamen, planè ostendat, ac tradat; quam ẽt an illæ rectè teneant aliqñ eodem loco accuratè videat, ac diligenter quærat.

Ibidem. 4 Infantis, qui domi ob necessitatem baptizatus est, baptismus in libro baptizatorum à parocho de more referatur; notato patrini nomine, & qui domi ante baptismum, & qui in ecclesia ad catechismum, exorcismumve adhibitus est. *Vide etiam infrà num.* 17.

Primũ, vt sup. 5 Quod si domi baptizatus posteà uixerit, omninò intrà nonum ab ortu diem, uel cum primùm per ualetudinem licuerit, eum in ecclesia sistant, ubi si rectam baptismi formam seruatam esse constiterit, ei tantum ritus, ac cęremonię baptismi adhibeantur.

6 Sacerdos baptizaturus, primùm, quam actionem suscepturus sit, diligenter ipse animaduertat; & ad tanti muneris functionem sanctè, grauiterque accedat.

4. quæ pert. ad Sacr. bapt. 7 Videat parochus, ubi primùm infans baptismi causa ad se delatus est, an suę parochię sit: quem si alienę esse norit, eum, nisi instante necessitate, ne baptizet: sed ad parochũ proprium, à quo baptizetur, deferri iubeat.

8 Si qui infantes intrà alicuius urbanę parochialis ecclesię fines à Sabbato Sancto, usque ad Sabbatũ in Albis: & à Sabbato item vigilię Pentecostes, usque ad Sabbatum proximum nati, baptizandi sunt; ad Cathedralem Ecclesiam, cui pro obseruantię officio, proq; ueteris instituti usu, statis illis hebdomadis hoc tribui debet, deferantur; si modo cuiquàm, ob mortis periculum in Parochiali Ecclesia, quę propius abest, baptismum statim ministrare necesse sit.

9 Baptizatorum uerò eiusmodi nomina, & cętera id genetis præscripta, in libro, tum Cathedralis, tũm propriæ Parochialis Ecclesię, ut

Sess. 24 ca. 2. de reform. Tridentino, & Prouinciali primo Concilio iussum est, notentur.

Primũ Prou. vt ins. à. 10 Parochus uerò cùm perquiret ex decreto Prouinciali, an infans baptizatus sit, diligenter obstetricem, & testes etiam de verbis prolatis interroget; ut sibi constet, an baptismi forma rectè adhibita sit, an uerò secus, quamobrem oporteat infantem à se baptizari.

5. quæ ad baptis. pert. 11 Obstetrices, tribus, post huius decreti promulgationem, mensibus, pœna arbitratu Episcopi proposita, officium ne præstent; nisi per Vicarium Foraneum, si in diœcesi sunt; si uerò in Vrbe, per eum, cui Episcopus id curę dederit, scripto probatę sint idoneę ad Sacramentum Baptismi, cum necesse erit ministrandum.

12 Quę autem probata est, cùm baptizabit, curet, quòad eius fieri

potest,

poteſt,vt duæ ſaltem mulieres,ac mater præſertim,ſi poteſt, teſtes præſentes adſint,quæ in baptizando verba ab ea prolata audiant.

13 Quoniam in baptiſmo vnuſquiſque piè,ac religiosè pollicetur, operibus Sathanæ renunciare, eiusque pompas deſerere, id parochus, cùm vſu uenerit,populum doceat, præſertimque baptiſmi tempore præmoneat,non ſolum quomodo, &, quàm ſimplici amictu ad illum infans deferendus ſit; ſed quam religioſa in Deum pietate, quàm humili ſpiritu,& quanta etiam veſtitus moderatione compatres,commatresve adeſſe debeant.

Nec verò vllum,vel ornamentum,uel aliud quicquam, quod mũdi huius pompam prę ſe ferat,adhiberi patiatur:cùm minimè conſentaneum ſit,in ipſo vitæ Chriſtianæ ingreſſu ſtatim ijs rebus ſtuderi, quibus potiſſimum ſolenni ſponſione renunciatur.

14 Fideles in baptizandis filijs eos potius eligant compatres, qui eorum animæ conſulere, quàm qui inopiæ ſubuenire poſſint. Primũ, ubi ſupra.

Cuius officij ſæpius eos parochus admonebit, curabitq; vt compatres tales deligantur, qui fidei, & morum ratione,ſuſcipiendo muneri ſatisfacere poſſint.

Cùm id noſtra ſuperiori Prouinciali Synodo de compatribus præſcriptũ ſit,vt illi tales deligãtur,qui ſuſcepti muneris partes explere poſſint,id aũt ipſi pręſtare non queãt, ſi nè rudimenta quidẽ fidei norint: idcircò ea cura ſit parochis, vt quos cõpatres ita imperitos nouerint, ut Symbolum fidei,ſiue ea,quę in ſymbolo continentur,ignorẽt, illos eo officio ſuſcipiendi de baptiſmo infantes,fungi ne patiantur. 2. tit. 1. decre. 10. De conſe. diſtin. 4. c. Vos ante.

Parochus, ante quam baptizet, accuratè in primis uideat, an qui adhibendi ſunt in baptiſmo compatres,tales ſint, quales eos eſſe debere,Concilijs Prouincialibus noſtris præſcriptum eſt: ac ſi quos aliundè certò non ſit,orationem Dominicam ſaltem, Salutationem Angelicã, & fidei Symbolum tenere eos experiendo cognoſcat. Quam ob causã ea doctrinæ Chriſtianæ rudimenta ſibi ab illis ante recitari mandet. 4. quę perti. ad Sacr. bapt.

Caueant parochi,ne excõicatos,vel eos,qui eo anno Paſchę tpe,ex ꝑcepto eccleſię peccata confeſſi nõ fuerint,& ſanctiſſimã Euchariſtiã non ſumpſerint, admittant ad leuandũ baptizatum de ſacro fonte. 1. quæ pert. ad baptiſ. adminiſt.

In baptiſmo etiam compater ne ſit, qui ſacro chriſmate cõfirmatus non eſt;Eademq; de commatre cautio ſit.Proinde parochi erit,ſtudioſè de hoc ante perquirere.

Ne præterea compater adhibeatur,neque in Confirmationis Sacramento item, qui minor natu ſit quattuordecim annis, ſed qui maior, vel potius ætate ſit prouectiori,vt non re ſolùm,ſed animo, atq; ſeriò ad interrogata,quæ in baptiſmo fiunt, reſpondeat, ac planè intelligat ſuſcepti à ſe muneris partes. 5. quę ad Baptiſ. pert.

Primũ, ut supra.

Deinde cõpatres moneat, vt iocis oĩbus, nugisque semotis, piè, ac religiosè, quid agatur, attendant: intelligentes Christos filios spũaliter generari, teneriq; se pro suo susceptionis officio, eos Catholica fide, & probatis moribus instituere, si parentes id facere omiserunt.

16 Detestabilem consuetudinem baptizatos infantes in altare collocandi, vt muneribus compatrum inde redimantur, Episcopi seuerius uindicabunt.

Compatres, & commatres nihil infantibus, quos susceperũt, aut eorum parentibus baptismi tempore largiantur.

6. de Baptis.

17 Eorum, qui domi, aut in Ecclesia tãquam compatres ad baptismũ adhibiti sunt, nomina, in librum baptizatorum Parochus notet: ne impedimentum matrimonij contrahendi ignoretur.

5. quę ad Bapti. pert.

18 Nemo, nisi parochus, aut is, cui ille, Episcopusve nominatim concesserit, in baptismo ministrãdo statas solennes cęrimonias adhibeat, etiam si ob necessitatem ministret.

Ne ante ortũ, nec verò post occasũ Solis baptismus in ecclesia ministretur, nisi aliter fieri aliquando temporis ratio, necessitas ve cogat.

5. vt sup. §. nemo, ver. eodem.

19 Quo in ministerio non alterius cuiusquam, sed albi coloris stola vtatur.

4. quę perti. ad Sacr. Bapt.

Baptizandi ritus, accuratè seruetur: nec verò vllo modo cõfundatur, ita scilicet, vt pro Ecclesiæ vsu, per Episcopum probato, vel aquæ infusione, uel immersione baptismus ministretur.

5. quę ad Baptis. pert.

Ad aquam baptismalem infundendam, ne manus, sed vas, quod ob eam causam paratum, in fonte baptismali, eiusve ciborio asseruari debet, adhibeatur.

Ad aquam baptismalem, quæ capiti illius infunditur, qui baptizatur, eamve excipiẽdã, qua Sacerdotis manus, sacro oleo illitę, abluunt, peluis ne adhibeatur, quæ Ecclesiæ tantum vsui addicta non sit.

4. Ibidem. ca. si quis, de conse. dist. 4.

Parochus, Sacerdosve baptizans, caueat ne ad infantem baptizandum alio Chrysmate vtatur, quam eo, quod illo ipso anno consecratũ est, vt ueteri Canone cautum est.

1. quę perti. ad bapt. administr.

20 Caueant parochi, ne sacrum Chrisma in baptismo à laicis attingatur.

21 Neve linteola, quibus in baptizatis sacri Chrismatis vnctio extergitur, ad hoc asseruent, ut ijs tangenda tradant, quos parentes baptizati sibi compatres, uel commatres fieri cupiunt.

5. quę ad baptis. pert.

22 In baptismo, parochus, sacerdosve baptizans præsentem adesse non patiatur, neque Iudęum, neque denique alium quenquam à fide Christiana auersum.

23 Fideles uerò, qui præsentes adsunt, piè, religiosè, omnique animi attentione adesse sæpè moneat, memoria tacitè, studioseque repeten-

repetentes, quę Deo, cum baptismum ipsi susceperunt, sanctè sponderunt.

24 Curet idem, vt infantibus proprio nomine in baptismo appellandis, ea nomina non imponantur, quæ turpia, aut ridicula sunt, quæve gentilium, atque adeò impiorum, & impurorum hominum memoriam referant, sed illorum, qui ob veræ pietatis, ac sanctæ religionis, virtutisque Christianæ laudem Sanctorum numero adscripti sunt, vt & in ipso vitæ ingressu cum Ethnicis ne nomen quidem commune, fideles habere uelle protestentur, & ipsi infantes etiam, cum ætate processerint, nominum similitudine, ad eorum, à quibus illa accepta sunt, imitationem excitentur; & præterea, quos imitari studeant, eosdem quoque frequentius precentur, ac sperent eos potissimum sibi ad salutem, tum animi, tum corporis aduocatos fore. 4. quæ pti. ad Sacr. baptis.

25 Religiosi instituti olim fuit, diem Baptismi quotannis à fidelibus piè celebrari, id quod S. Gregorius Nazianzenus aliquando ostendit. Quæ sanè institutio, cùm ad pietatis Christianæ cultum, piamque morum disciplinã non parũ adiumẽti, in primis adiutrice Dei gratia afferre possit: eã in usum reuocari vehementer in Domino cupimus. 6. de Baptis.

Itaque Parochus, & Confessarius, prout occasio tulerit, cohortationis officio in id incumbant, vt fidelium, quorum curam gerũt, vnusquisque quo die baptizatus est, quotannis ardentiori prece, eleemosyna, si per facultates potest, omnique charitatis opere, atque officio, spiritalisque gaudij celebritate, recolat; memor se Chyrographo damnationis deleto, hæreditatis cœlestis participem in Christo Domino factum esse.

Qua in cogitatione, cùm semper aliàs, fereque in singulos dies, vt beatus Chrysostomus monet, tum eo potissimum die sanctè sese excitet ad præclaram illam sponsionem, & Christianam professionem, quam in sacro lauacro per sponsores solenniter edidit; Repete, inquit, Sanctissimus pater noster Ambrosius, quid interrogatus sis, recognosce, quid responderis. Renunciasti Diabolo, & operibus eius; Mundo, & luxuriæ eius, ac uoluptatibus: Memor esto sermonis tui, & nunquam tibi excidat tuæ series cautionis. Parentum curasit, diem ob eam causam notare, quo eorum filius Christo renatus est; Ideoque parochus cum baptizauerit, moneat etiam, vt id ab illis fiat, præter scriptionem, quam ipse eodem genere in Codicem statum parochialem referre debet. Baptismi verò dies, qui soleani illa abrenunciationis sponsione, professioneque insignis est, ad omnem pietatis exercitationem, usumque non pompis sęculi, non conuiuiorum apparatu, non luxu, non operibus tenebrarum, cum dies lucis sit, celebretur: sed sanctæ charitatis erga Deum, ergaque proximum officijs.

Infans

3. de bapt. infantiſi expoſitorum. Arg. c. paruulos, & c. ſeq. de cõſ. diſt. 4.

26 Infans expoſitus, licet appenſum collo ſcriptum habeat, quo ille baptizatus ſignificetur, ſi tamen, re diligenter perquiſita, quemadmodum Catechiſmo Romano expreſſum eſt, adhuc dubium ſit eum baptizatum eſſe, ea conditionis formula baptizetur, ſi tu es baptizatus, ego te iterum non baptizo, et ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo, &c.

5. quę ad baptiſ. pert.

27 Si duo, pluresve infantes offeruntur, qui eodem tempore baptizentur, eorum ∨nicuique catechiſmum, exorciſmum, & reliquas ſtatas cęrimonias, baptiſmumque parochus ſigillatim miniſtret, atque adhibeat.

Cùm duo infantes, mas ſcilicet, & fęmina ad baptiſmum offerũtur, is ordo ſeruetur, qui antiquiſſimi ritus eſt, ∨t mari primùm, deinde fęminæ miniſtretur; niſi neceſſitas aliter cogit. Idemq; ſeruetur, ſi plures offeruntur, partim mares, partim fœminæ.

28 Libris Ritualibus, canonumq; legibus permulta tradita, atq; explicata ſunt, quę in adultis baptizãdis adhiberi ritus poſtulat. In ijs omnibus Eps cùm diligens erit, tum magnam in eo curam ponet, vt illis prę ter doctrinæ Chriſtianę rudimenta, quę neceſſariò ſcire debent, admiſſorum ſcelerum malè actæ uitę pœniteat, tum ∨t ijdem in poſterũ à peccatis omnibus abſtinere ſtatuant. Vix enim ∨lla alia cauſa eſſe poteſt, quamobrem qui adulti baptiſmum ſuſcipiunt, non modo ∨llam in Chriſtianis virtutibus progreſſionem faciant; ſed plenumq; flagitiis nefarijs inquinati præcipites ad perniciem, interitumque ruant, pręteream unam, quod non ita, ut par eſſet, affecti ipſi, nec ∨verò ab alijs exculti, ad tantum Sacramentum accedunt.

29 Quod uerò, licèt horribile dictu ſit, aliquando tamen eueniſſe compertum eſt, aliquem ſcilicet, ad turpem quæſtum, iterum baptiſmum ſuſcepiſſe, id ne vmquam porrò accidat, Epiſcopus, antequàm baptizet, omne diligens ſtudium adhibeat, quo iſtos homines, vel Iudęos, ∨el Turcas, Maurosve, qui baptiſmum ſibi conferri petierint, planè dignoſcat, de illorumque conditione, ac ſtatu omni, quantum licuerit, à probatis viris accipiat teſtimonium obſignatum, idemque exigat omninò.

1. quę pert. ad Bap. adminiſtr.

30 Parochus librum habeat, diligenterq; cuſtodiat, in quo baptizati, parentum, & compatrum nomen, cognomen, diemque natiuitatis, ac baptiſmi, & an ex legitimis nuptijs procreatus ſit, deſcribat: & quotannis ſingulorum annorum ſcriptę eius rationis exemplum det Epiſcopo, qui id fideliter aſſeruandum curabit.

4. Ibidem.

31 Qđ pij inſtituti, ſanctęq; conſuetudinis eſt, id ad vſum vbiq; reſtitui, introducive nos in Domino cupiẽtes, monemus à parocho, vbi primum parochię ſuę pueri in eccleſiã introducuntur, illis pia precatione

benedici,

benedici, ad Sacerdotalis, Ritualisve libri præscriptum.

Hoc autem, vt diligentius præstet, aliquando, prout vsu venerit, parochialis suæ ecclesiæ fideles instituti huius, & cõsuetudinis admoneat.

Quæ hic desunt, videantur seq. tit. & De Sacramentalibus.

De Baptisterio, vasis, instrumentisq;, & alijs, ad baptizandi vsum pertinentibus, cum eorum formulis.

SVMMARIVM.

1 *Baptisterium in vnaquaque Parochiali Ecclesia collocandum, & quibus in alijs ecclesiis.*

2 *Eius forma ex Concilij Prouincialis decreto 14. & 15. Ex Instruct. verò fabricæ eccles. formæ tres præscribuntur. 21. 35. 41. Quæque magis respondeat formæ Conciliari, num. 41.*

Baptisterio, sequentia adiunguntur.

3 *Ciborium, cum tabella, eiusq; forma. 24. 38.*

4 *Conopeum, & quale, 29.*

5 *Sæpimentum* } *cuiusmodi.*

6 *Tegmen* }

7 *Imago Sancti Ioannis, & vbi pingenda. 34.*

Vascula sacrorum oleorum, Chrysmatis, & Cathecumenorum, & cuius formæ. De Sacramentis in genere, & Sacramen. 19.

Vas ad aquam infundendam, cochlearve, & quale. 30. & quę pert. ad Sacram. baptismi. 19.

8 *Mantilia, quot, & qualia. 9. Eadem ad profanũ vsum non adhibẽ. 10.*

Vas item vnum, vsui suscipiendæ, & ferendæ aquæ baptismalis ab Ecclesia Cathedrali, vel Plebana, & cuiusmodi.

11 *Situs.*

12 *Baptisteria in Ecclesiis, capellisve separatim extructa, toleranda: & non extructa, vbi ædificanda.*

13 *In eis sepulchra non exstruenda.*

14 *Baptisteria, cum sacrario annexo, quibus in ecclesiis conficiantur. 15.*

16 *Baptisterij formæ tres, cùm ex Instructionibus ecclesiasticę fabricæ præscribantur, quibus in Ecclesiis formæ primæ adhibendum.*

Prima Baptisterij forma, cum illius situ, more Romano, qualis. 21.

17 *Capellæ Baptisterij ipsius locus, & forma.*

18 *Altare capellę ipsius.*

19 *Capella ipsa vbi exstrui non possit, qui locus alius deligendus.*

20 *Baptisterij, more Romano, & Ambrosiano distinctio.*

22 *Baptisterij, more Ambrosiano, situs, & forma.*

Baptiste-

23 Baptisterij Romani,& Ambrosiani,communia sunt hæc.
24 Ciborium, & quale.
25 Mensa ciborij, & qualis.
26 Situs, eiusque forma.
27 Sepimentum, & cuiusmodi.
28 Eiusdem sepimenti ornatus, & tectum,& cuius qualitatis.
29 Conopæum,& cuius panni,coloris q́, ac formæ, & suprà num.4.
30 Armarium sacrorum oleorum,& quale.
Cochleare,ad aquam infundendam,& quale, quidque aliud.34.
31 Baptisterium aliud angustius,vbi,& quando conficiendum.
32 Baptisterij Romani,Ambrosianiq; vsui, quæ altera Sacelli, situsve forma,& quibus in ecclesiis constituenda.
33 Baptisterium à latere dextro,quando collocandum.
34 Imago Sancti Ioannis Christum Dominum baptizantis.
35 Secunda Baptisterij forma,more Romano,qualis.
36 Qualis item Ambrosiano more.
37 Communia vtrique secundæ Baptisterij formæ.
38 Ciborij,& armarij vtriusque forma.
39 Ciborij altera forma.
40 Valuæ ciborij,quales.
41 Tertia Baptisterij forma ex vsu Romano tantum.
Baptisterij clauis à quo custodienda. De Sacramen.in genere, & sacramentalibus.
42 Fontis benedictio,vbi,& quo tempore agenda.
43 Qui & quot ad illam conueniant,& qui excusentur.44:
45 Cùm ipsa benedictio in Cathedrali fit,ab Episcopo obeunda.
46 Aquæ benedicēdæ mos,baptismi tempore, ob fontis defectū,tollēdus.
Cætera,quæ ad baptismi Sacramentum administrandū pertinent.Videantur superiori tit.Quæ pert.ad Sacram. Baptismi.

Primum,quę pert.ad Bapt.. administr.

1 Singulæ parochiales Ecclesię, singulos fontes habeant, in quibus diligenter toto anno seruetur aqua baptismatis, solenni Ritu benedicta.

3. quæ ad sacramentalia, &c.

Fons baptismalis, ne vsquam in aijs ecclesijs quam in parochialibus sit,vel Epi concessu in illis locis, vbi propterea quod parochialis Ecclesia lōgius distat,idem populi commodo magis consulendum esse censuerit.

4. quę pert. ad Sacramen. baptis.

2 Fons baptismalis è marmore,aut è solido lapide constet: qui si primulis,aliave ratione,eiusmodi est, vt inde aqua sensim effluat, lapis alius bene firmus,solidus,ac tutus,quamprimùm comparetur.

Interea verò ad aquam baptismalē tutò continendam, dū ille alter

paretur,

paretur, non uas fictile, alteriusve generis; sed æreum, stanno ab interiori parte illitum, tanta magnitudine, quanta lapidis uacuitas est, ita ponatur, vt intrinsecus illum undique strictim attingens, beneq; cõpactum, eidem cohæresçat.

3 Habeat operimentum, vel ciborium ad sacra olea tutò, decenterq; conseruanda in eo ipso fonte accommodatum, nisi ubi ex institutionibus nostris aliter exstruendum est.

Tabellam habeat item intrinsecus, quæ dimidia tantum aperiatur, fontisq; ostium compressè claudens, aquam à puluere, & aliis sordib. cautius tueatur. Quæ tabella in omnibus fontibus sit, in quibus per infusionem baptizatur: in ijs verò, in quibus immersio adhibetur, si petra ipsa pro eius magnitudine id patietur, sine impedimento immersionis.

4 Conopæo etiam è tela saltem, opertum sit.

Conopæum verò baptisterij è serico albo sit, vel saltem, in Ecclesijs scilicet, quarum census tenuis est, è tela linea tenui: amplitudine autem, & ornatu, vt suprà. Appendatur, & annectatur in ciborij summitate, cruci subiecta. Inst. fab. li. 2. De Conopæo.

5 Sepiatur omninò vnumquodque baptisterium, si ferro, vel lapide, Episcopi iudicio non poterit, saltem ligneis cancellis. 4. quæ pti. ad Sacram. bapt.

6 Præterea, si extrà fornicatam capellam, aut parietis concauitatem hemycicli instar constructam, totum aut ex parte sit, tum tegmen habeat, quod ex marmore, vel ex asseribus constet, aut saltem è tela decenter picta.

7 Decebit etiam in capella, aut in pariete proximo S. Ioannis imago, Christum Dominum baptizantis. 4 vt supra.

8 In baptismalis fontis ciborio, mantilia duo, eaque candida, ab omnique sorde munda asseruentur, quæ infantis capiti abstergendo vsui sint. Pluraque ideò in Sacristia id gnis mantilia certo loco conseruent. Præterea alia eiusmodi mãtilia sint ad eũ usum, videlicet in Cathedrali sex, plurave in collegiata curata, quãplurave, in parochiali quattuor.

9 *Pannus, seu Sabanum, quod ab baptizati caput abstergendum adhibetur, è tela byssina, quod pretiosius, vsui ministerij Episcopalis est, constare debet: è tela verò linea, quod ab alijs, adhibebitur. Erit verò circumquaque, aptè, decorèque fimbriatum è tela, vel byssina, vel lintea. longitudine erit cubitorum trium: latitudine verò tanta, quanta est telæ, è qua constat latitudo.* Instr. fab. libro 2. De panno ad abst. cap. bap.

Vt certum vasculum sit, quo, & in vrbe è Cathedrali, & in diœcesi, è præpositurali plebana Ecclesia in Sabbato Sancto, vigiliaq; Pentecostes, ad vnamquamque parochialem Ecclesiam aqua baptismalis afferatur; parochi singuli phialam paruulam ex argento, aut è stanno pretiosiori, dedita Instr. de for. supellec. li. 2. de vase ad aquam baptis. feren. accommodato.

dita opera confectam, sibi comparent, quæ huic solum, neque alij præterea vsui sit.

Hæc porrò phiala eiusmodi sit, quę duas, tresve vncias aquæ capiat: habeat præterea tùm operculum, cathenula minuta affixum, quo, in orbem vbique versatili integatur: tùm alteram item cathenulam, operculo uncijs tribus altiorem, quæ illi deferendæ vsui esse possit, adiuncta huic cathenulæ cordula sericea, quæ dum affertur, à collo Sacerdotis ferentis pendeat.

4. Ibidem. 10 Si verò, uel mantilia, vel sudariola ad eum usum aliquando afferuntur; ea, nisi noua, ne adhibeantur: tum noua adhibita ne in profanum, sed in ecclesiæ usum, cui rectè accommodari possint, cõuertantur: alioqui comburantur.

11 In ecclesiæ ingressu collocatus fons baptismalis, isque à sinistra ingredientium parte: nisi quibus in ecclesiis pro situs ratione illum ab altera parte potius collocandum, Episcopus iudicarit.

12 Quæ verò Baptisteria in ecclesiis, capellisve, eo potissimum nomine extructis, Cathedrali, uel collegiatæ, uel parochiali Ecclesię ferè adhærentibus, extant; illa non amoueantur; sed ecclesiæ, aut capellę, vbi illa sunt, instaurentur, aut reconcinnentur. Vbi verò in ecclesiis, præsertim insignioribus, non sunt; in posterum eas, uel ecclesias, uel capellas ædificari, in illisque baptisterium construi, idem Episcopus curet.

6. quæ ad cultum eccl. pti. 13 In Baptisterij sacello nullum sepulchrum, sepultura ue extrui liceat. Si quod autem baptisterium extrà sacellum ædificatur, permitturve, ne sepulchrum proximè fiat: sed tam longè, ut ab illius sępimento sepulchrale os distet, spatio cubito rum saltem triũ, ac prętereà cautas sepulturę ne sępimentum attingat.

4. vt suprà. 14 In baptismali fonte, vbi per infusionem baptizatur, id planè caueatur ut ne aqua, capiti infantis infusa, in eundem fontem recidat; sed in sacrarium profluat: idque propterea sacrarium è marmore, solidove lapide propè fontem construatur, ad præscriptum instructionum.

Instr. fab. li. 1. De Baptisterio. 15 *Baptisterium igitur, cum sacrario in singulis Cathedralibus, & item, vt in Concilijs nostris Prouincialibus præscriptum est, parochialibus, atq; in alijs etiam quibusuis Ecclesiis, vbi uel animarum cura geritur, uel facultate ab Episcopo, ob causam data, illud constitui concessum est, forma, & modo infrà præfinito, pro uniuscuiusque ecclesię ratione, amplitudineue exstruatur.*

Instr. ibidem. De loco & forma capellę Baptisterii 16 *Primo in unaquaque Ecclesia Cathedrali, & Archipresbyterali, Præpositurali ue, alioue nomine, quæ caput Plebis sit, Baptisterij locus, & forma hæc esse potest.*

17 *Locus à fronte Ecclesiæ, prout situs fert, distans, ad meridiemq; ver-*

gens,

gens, architecti iudicio deligatur: quo in loco Sancti Ioannis Baptistę nomine sacellum, capellaue, cuius vacuum sit triginta tribus circiter cubitis exædificetur insigni structuræ opere, pro illius ecclesiæ ratione.

Forma exædificationis rotunda, aut octangula, aut sexangula, aliaue eiusmodi, quæ perfecti circuli fines non egrediatur, adhibenda est: illa verò accommodatior, & decentior, quæ octanguli similitudinem exhibet.

Tectum ædificij huius fornicato, concameratoue opere sit, ac pro modo formæ eminentius fastigiato, laminisq; plumbeis operto; tum in ipso summo fastigio è tholo constet, vnde lux ab omni parte excipiatur.

Pauimentum è marmore, lapideue solido, & opere tessellato, aut, vbi id non potest, testaceo saltem fiat: à soloque viæ publicæ extet altius gradibus tribus, pluribusve, modo ne solo Ecclesiæ altius sit.

Ianua ad occidentem versus spectet, paruo vestibulo ornata: formaque vtsupra, in ostio Ecclesiæ demonstrata.

Fenestræ plures, pro ædificij modo, & architecti periti iudicio; singulæ autem forma, eiaem architecto probata pro ratione ædificij.

Ædificij totius altitudo, vsque ad summum fastigium ducta, latitudini respondeat, pro operis ratione; idque de consilio item architecti.

18 Altare vnum tantum in hoc sacello exędificandum est; cubitis duobus à pariete, ad orientem versus extructo, distans, si modo amplitudo sacelli tantum spatij ferat: forma autem reliquorum altarium, & modo prędinito fiat, muniatur, sæpiatur, instruatur, atque ornetur. Instr. fab. li. 2. De Altari capellæ Baptisterij.

Super quo item altari in pariete expressa sit sacra historia sancti Ioannis Baptistæ, Christum Dominum baptizantis.

Si verò ne altare quidem prędinita amplitudine, & ratione extrui, ullo modo potest; illius saltem loco sit icona, aut pictura sacra, in pariete expressa Sancti Ioannis item Baptistę.

19 Vbi præterea sacellum Sancti Ioan. Baptistę, ab Ecclesia separatum non est, neque item prę facultatibus exędificari potest, tunc in sacello Ecclesię Baptisterium forma, infrà suo loco demonstrat fieri poterit, concessu Episcopi. Instr. fab. li. 1. de loco Baptisterij vbi separatim ab ecclesia extrui non potest.

20 Sequitur, vt Baptisterij formam demonstremus, quam ita distinximus, prout baptismi ministrandi nunc vsus est. More Romano baptisterium illud diximus, illam scilicet baptisterij formam accommodatam ad baptizandum aquę effusione, cum in ecclesiis ferè omnibus, ritu Romano vtentibus, ita baptizari moris, & consuetudinis frequentioris hodie sit. Alteram porrò formam extructam ad vsum baptizandi immersione, appellauimus baptisterium, Ambrosiano more: vtpotè cum hic immersionis vsus in ecclesiis ritus Ambrosiani seruetur, ac retineatur. Ibid. de distinc. Baptist. more Roma. & Ambr.

21 Situs Baptisterij in media capella esse debet; isque cùm latè patens cubitos vndecim; tum ita profundus, vt à capellæ pauimento descendatur Ibid. de situ & forma Baptist. more Rom.

tribus

tribus saltem gradibus: hocque descensu & aliquantula profunditate, aliquam sepulchri similitudinẽ exhibeat. In imo autem graduum descensu spacium vacuum sit: quod per diametrum amplè pateat cubitos septem, & uncias sedecim.

In eo spatio medio vas baptisterij, in quod aqua defluet, ponatur: cuius latitudo vacua per mediam rectam lineam sit cubitis tribus: altitudo duobus. Forma autem sit, vel rotunda, vel octangula, vel alia, quæ cum forma capellę conueniat. Conficiatur verò ex uno, si potest, lapide, solido, marmoreo, uel alterius generis: aut è duabus, pluribusve laminis marmoreis, lapideis ve, crassitudine unciarum octo, eæque lamine solidæ, nec spongiosæ sint; rectè, atq; apta cõmissura inter se compactę, ac firmiter conglutinatæ. intrinsecus pręterea opere leuigato expolitæ; extrinsecus, decenter ornatus specie piè exsculptæ.

Huius vasis fundus sternatur, ac solidetur, si ex uno tantum lapide non constat, sectilibus crustis marmoreis, siliceisve, aptè, ut suprà inter se connexis, bitumineq; benè firmatis. Vndique item diuexus, ac paululò accliuior sit, exiguos aliquot canaliculos habens: quibus ad foramen, medio situ sub basi columellæ suffosum, aqua deriuetur.

Sub fundo pręterea huius vasis, cisterna paruula, pro sacrario loco subterraneo effodiatur; in quam aqua, ex infantis, qui baptizatur, capite dilapsa, confluat.

In eiusdem fundi, locive medio, columella marmorea figatur, erigaturuè, supposita eius scapo basi triangula, aut quadrangula, sexangulaue, aut alia, quæ uidebitur, forma; eaque politè, & ornato opere decenter elaborata.

In columellę huius summa parte uas ipsum baptismale, in quo per totum annum baptismalis aqua seruabitur, aptè, decenterq; collocetur.

Quod uas, forma rotunda, uel octangula sit, aliaue eiusmodi, quæ respondeat formæ capellæ, uasisq; inferioris: latè autem pateat cubitos duos, profunde autem uncias circiter duodecim, aut paulò amplius, pro urbis, locorumue amplitudine, proq; ecclesiarum ratione.

Hoc uas altius collocatum illo inferiori esse poterit uncijs circiter sexdecim: altitudine scilicet, ab inferioris summo labro ad huius, quod superius est, uasis labri summitatem, perpendiculo ducta.

22 Atque hæc quidem de forma, & situ baptisterii more Romano, nunc sequitur situs, & forma, more Ambrosiano.

Ibid. de situ & for. Baptis. more Ambr.

Primò situs baptisterii in media capella, atque eiusmodi, ut gradibus eo cum descendatur, ad instar sepulchri sit; quemadmodum suprà in forma baptisterii Romani demonstratum est.

Vasis autem baptismalis forma, quam ex antiquis baptisteriorum, uestigiis per ueterem esse animaduertimus, hæc ipsis baptisteriis exstruẽdis

præfinita

præfinita in eiusmodi ecclesiis, Cathedralibus, Plebanis, Præposituralibus, Archipresbyteralibusve adhibenda erit.

Vas è marmore, lapideve solido, non spongioso fiat: quod si ex uno tantum integro lapide marmoreo fieri potest, ad baptismalis fontis instar sepulchri, exstruendi, vsum accommodatius erit, si minus ex vno solo, è duobus, ac si ne ex his quidem, & pluribus lapidibus quadratis, aptè inter se compactis, bitumineque firmiter consolidatis exstrui potest.

Qui lapides crassitudine unciarum octo ab interiori parte leuigato opere expolito, ab exteriori decenter pia sculptura elaborati esse debent.

Forma, vt illud superius more Romano, octangula, aut rotunda, aut alia cum ædificij ratione conuenienti.

Altitudine ab ima ad summam partem ducta esse debebit cubitorum duorum.

Latitudine per vacuum ducta, tricubitali.

Foramine ab ima parte, quæ ad orientem versus statuetur, triuncialis sit, vnde cum aqua baptismalis renouatur, vetus in sacrariũ quod subtus, vt infrà demonstratur, instar paruulæ cisternæ exstruetur, defluat. Id verò foramen ligno querneo, vel fraxineo, eoque arido, stuppæ inuolucris obducto, aut alia firmiori ratione, bene obstruatur.

Fundo solido, integroq; constet, si ex vno tantum lapide factum est, si verò à pluribus, fundum habeat, accurato, diligentiq; testaceo opere confectum, & solidè ita pauimentatũ, vt ne rimula quidem sit, vnde aqua sensim effluere vllo modo possit.

Eiusmodi ptereà fundꝰ sit, vt totus accliuiter pẽdeat ad foramẽ uersus.

In vmbilico capellæ, situs ve præfiniti, eiusmodi vas, firmiter communitum, statuatur, vt suprà.

Cisternula, in quam aqua baptismalis, cùm renouatur, effluet, à parte orientali pro sacrario suffodiatur in plano, quod circum baptisterij vas est. Quæ cisternula, propè baptismali vasi adhærẽs, ex ostiolo vndiq; cubitali constet: hocq; valuulis, sera, ac pessulo firmiter muniatur: tantũq; pateat, cum per illud, aperto vasis foramine, aquam effundi opus est.

23 Huius Baptisterij Ambrosiani, & Romani, quod ad exstructionem attinet, hæc communia esse possunt, operimentum, seu ciborium, situs spatiũ, sæpimentum, ornatus, tectum, & conopeum, vt mox infrà vniuscuiusque forma demonstratur. Instr. fab. li. 1. Cõmunia baptisterij Romæ. & Ambr.

24 Operimentum igitur, quod ciborium dicunt, & vtriusque baptisterij vsui accommodatum esse potest, è marmore, lapideve solido in Ecclesiis insignioribus fiat: & columellis, pilastrisque angustioribus, vt in intercolumnijs satis commodi spatij detur, altitudine duorum cubitorum suffultum, firma structura nitatur. Ibid. de ciborio.

Quæ columellæ, pilastrataeuè, vbi ritu Romano baptisterium est, vasis inferioris labro summo fixæ collocentur; vbi Ambrosiano, in vasis ipsius baptismalis labro consolidatę hæreant.

In earum columellarum summitate, Epistylij, & Zophri ornatus decẽs Coronixq; de architecti cõsilio adhibeatur, tum totum opus operimẽti contegatur tecto marmoreo, forma orbiculari, aut piramidali: in cuius summa partę statua collocetur sancti Io. Baptistæ, Christum Dominum baptizantis. Spatia autem illa, inter pilastratas interiecta, valuulis eneis, aliqua pia historia conflatis, ità occludantur, vt cum vsu venerit, amoueri queant.

Instr. Fabr. ibid. de Mensura. 25 Vasi baptisterij, siue Romano, siue Ambrosiano more, forma suprà prescripta exstructi, & cæteris item alia forma infra demonstratis, ad baptismalis aquæ asseruandę mundiciem „mensa è duabus tabulis nuceis constans, fibulisque ferreis media inter seiuncta, & inter ciborium, vasq; ipsum collocata adhibeatur: qua eiusdem vasis ostium pro illius vasis forma, & modo planè tegatur, & claudatur.

Quæ mensa, vbi ritu Ambrosiano mergendo baptizatur, in baptisterijs solum amplioribus locum habeat. nè infantis immersio impediatur: in omnibus autem, vbi ritu Romano baptismus infusione ministratur, esse potest.

Instr. Fabr. Ibid. de situ vtr. baptist. 26 Situs vero vtriusque baptisterij, forma eadem sit, qua vas baptismale, & capella.

Huius situs planum solidetur tessellato opere marmoreo: cingatur columnario opere à summo gradu.

Instr. Fabr. ibid. de columnario. 27 Forma columnarij sit, pro baptisterij ędificationis modo constet columnis octo, ordine singulis, aut sexdecim, ordine binis: si sexangula forma, ex columnis sex, aut duodecim pro formę ratione.

Ibid. 28 Ornetur, & cingatur à summa parte Zophoro, & coronicibus de architecti consilio.

Operiatur tecto laqueato, aut fornice, aut opere concamerato arundinibus firmiter contexto, tectorijque incrustatione, & albarij operis cęlati, inauratique specie exornato.

Inter sęptum sit etiam hoc columnarium clathrato opere, ab vna ad alteram columnam ducto; atque ita omnino, ut de clathratis ferreis capellarum suprà prescriptum est.

29 Conopęum ad ciborium totum contegendum adhibeatur: idque è serico, aut subserico, coloris albi sit. Qui color mysterij huius sacramenti rationibus respondet: non tamen è tela decenti eiusdem coloris, vetatur.

Instr. Fabr. ibid. De cochl. argẽto. 30 Cochleare argenteum, ad aquam infantis qui baptizatur, capiti infundendam adhibeatur: idque è superiori vasc, manubrio, à summa parte paululum adunco, appendatur.

Eiusmodi

Eiusmodi sit, ut ab illius ore, è parte sinistra labrum paulò contractius, instar paruuli canalis existat: vnde infantis caput aqua tenuiter effundatur:

30 Armarium autem, in quo sacri chrismatis, & olei catechumenorũ vasculum, liber Ritualis sacramẽtorum, mantilia, & reliqua, ad baptismi ministrationẽ necessaria, reponuntur, ad baptisterij, Romano, Ambrosianove more exstructi, vsum in ipsa capella ab aliquo latere in pariete, aut parieti adhærens, de consilio architecti fieri poterit, valuis, sera, & pessulo benè clausum, marmoreoque opere, sculpturavè pijs imaginibus elaborata ornatum; intrinsecus autem partitum, ac decenter distinctum pro ratione, & vsu rerum, quę ibi asseruanda sunt; tù verò tabulis populeis circum amictum, aut alijs eiusmodi, vt ab humiditate, quę ex muro, aut marmore existit omninò defendatur. Panno autem serico, albi coloris vndique circumnectitum sit. Instr. Fabr. ibid. De Armario, &c.

31 Vbi verò, præsitus angustia, aut præ tenuitate facultatum Sancti Ioannis Baptistę sacellum, & Baptisterium ita amplum, atque altum exstrui non potest, eadem tamen vtriusque seruata forma, angustius fiat; ità vt Baptisterium, remoto columnario opere, clathris solum ferreis, gradui quem vnum tantum in descensu habeat affixis cingatur, & tecto sacelli solo operiatur; cum alterum proprium, pro ędificij humilitate habere non queat. Facultas præterea operimenti, ciborij ve, etiam cum armario conuncti, ex ligno, forma, vt infrà demonstrata, construendi erit, vbi marmoreum illud fieri non poterit. Ibid. De baptisterio angustiori.

32 In omni ecclesia parochiali, aliave inferiori, vbi fontem baptismalẽ constitui concessum sit, intus ad ostium maius, & à latere vbi Euangeliũ legitur, sacellum, capellave extruatur, quę instar aliarum capellarum lateralium sit, quę pro altaribus exædificantur. Inst. fabr. ibi. De altera sacelli, situsve forma, &c.

De illius pauimento, limine, longitudine, latitudine, altitudine, toto denique spacio fornice, clathris ferreis, alijsve, & cæteris seruentur, quæcunque in alijs capellis, quę cum altaribus sunt, præscribuntur.

Quibus verò in ecclesijs, præsitus angustia, exstrui non potest, quæ tantę magnitudinis sit, quantam præfiniuimus; ea tamen omninò exædificetur, quæ situs sui spacio, baptisterij saltem opus totum supra demonstratum capiat; tum præterea aliquantulum loci sit sacerdoti, baptismum ministranti, & compatribus.

Si verò ab Euangelij parte ad præscriptum capella hęc exstrui nullo modo potest, ab altera parte, vbi præfinita forma, & commodius possit, ea exędificetur arbitrio Episcopi, vt infrà exponitur.

Vbi autem per loci angustias, nè ab altera parte, neq; hac exigua quidem magnitudine, fieri capella potest; tunc ab Euangelij latere ad ostium paries aliquantulum ità concauetur, ut foris etiam ad hemicycli

formam promineat:in qua concauitate baptisterium totum,aut pars,aptè cohæreat,& clathris ferreis,à tribus partibus sæpiatur.

Vbi præterea neque hac forma exstrui potest, ab eo ipso latere, propè parietem illud tolleretur, ea tamen adhibita ratione, vt ne vel impediri, vel occupari à situ ianuæ possit,quæ ab eo latere fiet:& clathris item,vt suprà,muniatur: ita tamen,vt inter hæc,& ipsum baptisterij opus,spacij tantum intersit,quantus est cubitus,aut paulò amplius,pro situs ratione. Illa autem cautio ne baptisterij situ ianua,quæ à latere maioris ostij est,impediatur,adhibenda est,etiam accuratè in omni,infrà demonstrata baptisterij forma.

Verùm quo maximè,si potest,caueatur, ne baptisterium parieti proximum adhæreat, cùm ecclesia,nullis etiam nauibus constans,ampla tamen est; tunc ad illius ostium,ab eodem euangelij latere,situs, qui ab vno,& altero pariete cubitis duobus,vel pluribus pro spacij modo,seruata illa, vt mox suprà,ratione equè distet,clathris ferreis,forma quadrata,aut octangula,uel eiusmodi præfiniatur.

In cuius situs medio baptisterium,cuiusmodi forma sit, ita collocetur, vt ab omni clathrorum sepimẽto cubiti vnius,& dimidij saltem,si potest, spatio absit.

Si uerò nauibus,& intercolumnijs,non ualdè inter se distantibus,ecclesia exstructa est, intrà illius tantum intercolumnij, ecclesię ostio maiori proximi, fines, ab eo ipso euangelij latere; aut in eo spatio, quòd intercolumnio,& ianua maiori continetur, baptisterium, præscripto spatio, clathris ferreis concludatur: atque ita,vt is situs conclusus formam quadratam,aut octangulam,aliamuè,quæ pro loci ratione commodior, decentiorque videatur, exhibeat.

Quæcumque uerò de forma clathrorum,& altitudine loco de capellis suprà dicta sunt, eadem in clathris pro baptisterio, seruanda erunt.

Baptisterium quocũque situ,vel forma in ecclesia construẽdum,si Epi iudicio præ tenuitate facultatum cancellis ferreis sæpiri non pöt,nec marmoreis item;ligneis saltem muniatur,ut de capillis præscriptum est.

Instr. ibidẽ. De loco Baptist. à dextero latere.

33 Vbi Epi iudicio à dextro potius,quàm à sinistro ecclesiæ latere commodius, præscripta ratione,baptisterium constitui queat;ab eo, eiusdem facultate data ponetur,seruata in cæteris,proximè præscripta ratione.

34 Baptisterij capella,seu hemicyclus,seu paries,proxima pictura Sancti Ioannis Baptistæ ornetur,Christum Dominum baptizantis.

In eiusmodi capella,aut loco,situve baptisterium,ad quod uno, pluribusuè gradibus descensus fiat, & forma, in cæteris etiam superius demonstrata,ecclesiæque, uel Romanæ, uel Ambrosianæ usui accommodata, exstruatur,si pro facultatum ratione potest; si minus formæ sequens formanda est, more Romano.

Vas

35 Vas rotundum, aut alia decenti forma, quæ videbitur, è marmore, alioue solido lapide, per diametrum latè cubitis duobus & dimidio patens fiat, profundum vncijs octo, aut decem ad summum; & in fundo sensim concauum, cum suis, vt supra canaliculis. Instr. fab. vt sup. de forma secunda, &c.

In base, columnaue collocabitur, à pauimento autem, vsque ad labrum vasis non altius cubitis duobus.

In eius medio foramen, digito circiter patens sit, quod per columellam, basemque vsque ad paruulam cisternam, effusæ aquæ baptismalis excipiendæ causa sistosam, penetret.

Præterea, in eiusdem vasis medio, alterum etiam vas, marmoreum itidem forma simili, & amplitudine minori, ita vt per diametrum cubito vno, & vncijs octo, cum ipsius vasis crassitudine, latè patens, statuatur. Ibid. de altero vase.

Idque vas sustentetur aliquo marmoreo, lapideoue fulcimento, quod in vase inferiori nitatur.

Hocque ipso in vase minori baptismalis aqua asseruetur.

36 Forma autem Baptisterij Ambrosiani secunda, hæc erit.

Vas modo, ac forma, vt mox suprà more Romano præfinita, fiat: at in medio non perforatum, sed profundius excauatum: nec verò superiori vase, vt illud constet. Ibid. de forma secunda, &c.

Sin autem vas ipsum non ex solido lapide factũ sit, ità vt aqua sensim disperdatur; in eo inseratur aliud vas stanneum, æreumve stannatum, donec aliud lapideum solidum, nec rimosum, spongiosumve paretur.

Sacrarium autẽ ad baptisterij huius, more Ambrosiano exstructi, vsum fieri potest vno, aut altero modo infrà demonstrato de sacrarijs: ita tamẽ, vt & baptisterium, & sacrarium infrà vnius septi fines concludantur. Ibid. de sacrario.

37 Pauimentum autem Baptisterij, cuiusmodi forma, siue Romano, siue Ambrosiano vsu demonstrata sit, etiam in ecclesia ità profunde sternatur, vt saltem tribus gradibus, vno saltem ad baptismum descendatur, quamuis baptisterij vas, columella suffultum, emineat. Ibid. Cõmunia vtriquese cũdæ Baptist. fotmæ.

Baptisterio, quod extrà capellam, hemicyclive concauitatem totum, vel ex parte positum est, siue parieti inhæreat, siue ab eo distet, fiat tegumentum, aut opere fornicato, quod duabus, pluribusve columnis, ab ipso pariete paululum extantibus, sustulciatur, aut struatur tabulis sectilibus, usque pictura piè ornatis; aut è tela picta fiat. Quod è ligno, aut è tela integumentum, cathenis ferreis è tecto pendentibus, aut alia firma structura, sustineatur.

38 Ciborium verò, & Armarium vtriusque commune, eiusmodi fiet. Instr. ibidẽ. De ciborio, & armario.

Pyramidis forma illud exstruetur ex tabulis sectilibus nuceis politè elaboratis, &, vbi potest, pictis etiam, atque decore inauratis. Quæ tabulæ inter se aptè commissæ, & compactæ, omni coassatione cohæreant: earumque commissuræ paruulis, tenuibusque assulis, coronicibusve

rectè annexis, ita contegi debent, vt nec puluis, neque vllæ aliæ sordes in baptisterium penetrent.

Id ciborij labro vasis inferioris Baptisterij, si Romani moris est, si Ambrosiani, summitate labri ipsius vasis baptismalis, nitatur, atque suffulciatur. A cuius ciborij parte superiori, armarium paruulum, asseruandis sacris oleis, aliisque rebus, ad baptismi ministrationem necessarijs, accommodatum, exstrui debet: quod à summo vase distet uncijs circiter octo; intrinsecus autem tela serica coloris albi, bene circumuestiatur.

Ibid. de ciborij altera forma. 39 Ciborij præterea forma altera esse potest: quæ è ligno etiam, vt altera, confecta columellis, & pilastris ligneis suffulta, eodem modo fiat, quo suprà demonstrata est forma ciborij marmorei.

Ibid. de valuis ciborij. 40 Ciborij valuæ, quacumque forma illud sit, anteriorem partem Ecclesiæ spectare debent, vt & baptizatis Sacerdotis facies, & infantis, qui baptizatur, caput ad orientem versus respiciat.

Nec verò intrinsecus, sed extrinsecus illæ aperiantur: & amplæ præterea sint, vt ijs apertis, totius baptisterij dimidia pars pateat. Claue autem, sera, pessuloque firmissimè claudantur.

Ibid. de Baptist. forma tertia, &c. 41 Alia tertia sequitur baptisterij forma, quæ vsui Romano tantum accommodata permitti poterit, vbi Episcopus præ magna inopia necessariò illam concedendam censuerit.

Lapis marmoreus solidus, opere sculptili eiusmodi apparetur, qui forma ouata sit, ac longè cubitos duos, et vncias octo pateat; latè cubitum unum, & vncias duodecim.

In quo lapide, vasa duo, eaq; vnciarum trium interuallo inter se disiuncta, scalpro politè concaue untur; quæ, & forma rotunda sint, & eadem altitudine, amplitudineque item.

Tum columella etiam, ad formæ præscriptæ modum, sub ornato lapide statuetur.

E duobus his vasibus vnum erit, ad altare maius vergens; in quo aqua baptismalis asseruabitur: alterum, in quo, dum baptizatur, aqua eadem effundetur: idque spectans ad parietem, altari maiori appositum.

Ideoque in huius fundo paruulus canalis fiat: per quem ad foramen, quod à latere in vna parte fodietur, aqua ducatur; indeque per columellam, intus uacuam penetrans, ad subterraneam paruulam cisternam defluat.

Hoc item Baptisterium operimento, ciborioue ligneo, ex præscripta suprà forma, contegatur: armariolo item, ut suprà exstructo: & conopæo item adhibito.

4. quæ pert. ad Sacr. bapt. 42 Vetus illa consuetudo, quę adhuc in compluribus huius prouincię locis retenta talis est, vt & Sabbato Sancto, & Sabbato item Pentecostes,

ſtes, frequenti ſacerdotum conuentu, ac ſolenni ritu, cùm in Cathedrali Eccleſia, tum in diœceſis etiam locis, eccleſiisve plebanis, fontis baptiſmalis benedictio fiat, vbi in prouincia noſtra hoc tempore non ſeruatur, omninò introducatur, in vſumque vbi intermiſſa eſt, renocetur.

43 Quibus ſtatæ; ſolennibusque ſabbatis, ad illius ſolennis benedictionis officium omnes, ſingulique eccleſiarum quarumcumque quouis etiam dignitatis nomine, titulove inſignium rectores, quibus animarum curationis munus incumbit, qui in Vrbe ſunt, in Cathedralem; qui in Diœceſi, ad ſuam quique plebanam eccleſiam frequentes conueniant.

Si verò exemptionis nomine, aliaue ratione quis à plebanæ eccleſiæ iure liber, atque immunis ſit, non tamen expreſsè ex priuilegio Apoſtolico, huius ſolennis benedictionis officij concelebrandi cauſa in eam plebanam eccleſiam conueniat, intrà cuius fines habitat, aut cui propinquior eſt, vt Epiſcopus potius cenſuerit.

Nec verò propterea in cæteris quicquam illius immunitati, libertatiue derogatum ſit.

44 Hoc autem decreto adſtrictos non teneri ſtatuimus illarum eccleſiarum, etiam quæ parochiales tantum ſunt, rectores, quibus, vel ob locorum longinquitatem, vel ob aliam iuſtam cauſam Epiſcopus facultatem ſcripto exaratam, daret fontis baptiſmalis, in illorum eccleſiis ſolenniter benedicendi. At verò ea facultate, ne propterea eccleſiæ plebanæ iuri quicquam præiudicij vllo vnquam tempore allatum cenſeatur.

In ijs porrò eccleſiis, quibus hæc baptiſmalis fontis ſolenniter benedicendi poteſtas aliquando fiet, ſtatis illis duobus ſabbatis, is benedictionis ritus celebretur, ſacerdotibus tribus ſaltem præſentibus, ad illam adhibitis. Id præterea, de tribus ſcilicet ſacerdotibus adhibendis locum in omni eccleſia habeat; ſi quando per annum in aliqua eccleſia, extra illa ſtata duo ſabbata, illius fontis aquam baptiſmalem ob extraordinariam cauſam renouari neceſſe erit.

45 Fõtis baptiſmalis, quem ſtatis illis ſolennibus diebus in Eccleſia Cathedrali conſecrari ſolenne eſt, conſecrandi officium, atq; munus, niſi Epiſcopus legitima cauſa impeditus ſit, ipſe obeat.

46 Ille verò, vbi nullus fons baptiſmalis eſt, introductus in aliquot locis mos aquæ benedicendæ, conſecrandeve, quo tempore baptiſmum miniſtrati oportet; tum baptiſmo celebrato, in ſacrarium proijciendæ, tollatur in poſterum omninò,

Quæ pertinent ad Sacramenti Confirmationis administrationem.

SVMMARIVM.

1 Administrationis Sacramenti huius dies denunciandus.
2 Eius vis à parocho explicanda, & qua ratione. Et de Sacramentis in genere, & Sacramental. 8.
3 Instruendusq; populus, qua religione illud suscipiendum. 4. 12.
4 Quo tempore, dieve ipsa institutio facienda à parochis vrbanis.
5 Vt ab omnibus illud suscipiatur, parochi cura. 8.
6 Suscipere negligens, cui pœnę subiaceat.
7 Negligentię huic, vt occurratur, quid faciat parochus.
8 Orationem etiam instituat, & ad quem finem 9.
10 Adultis, vt de peccatis confiteantur, &c. eiusdem cura.
11 Vt confirmandi, pridie caput lauent.
12 Cętera institutione eo nomine comprehensa, ab eodem denuncianda.
13 Parochi diœcesani, vrbanis parochis præscripta, in monendo, docendoque populo, de huius Sacramenti susceptione exequantur, & quando.
14 Pentecostes solennitate id ab Episcopo ministrandum.
15 Paschæ etiam Resurrectionis, Aduentus, & Visitationis tempore conferendum, & vbi. 22.
Quo ordine. 23. Qua hora. 24.
16 Infirmis confirmari petentibus ministrandum.
17 Non tamen alienæ diœcesis hominibus.
18 Neque minori septennio.
19 Nisi ob iustam causam aliter Episcopus censuerit.
20 Minoribus confirmatis, quod officium parochi erga parentes.
21 Confirmandi, & patrini, orationem Dominicam, Angelicam salutationem, & Symbolum fidei non ignorent.
Ea in re Episcopi, & parochi cura.
Compatres cuius ætatis sint. Quæ pert. ad Sacr. Baptis. 14.
Adolescentes senioribus
25 Mares fœminis, & } Compatres non sint citrà necessitatē. 26.
Maribus fœminę
27 Compater, vt confirmandum minorem, adultumque teneat.
28 Confirmandi, Patrini, cęteriq; } præsentes deuotè adsint, quidque secum reputent.
29 Ab ipsis compatribus nihil confirmatis, nec eorum parentibus largiendum, & quare.

Turpe

30 *Turpe nomen habentibus in confirmatione mutandum.*
31 *Confirmati frons bombyce, & aqua abstergenda.*
32 *Aqua ipsa in sacrarium proijcienda.*
33 *Confirmati, & compatres in librum à parocho referendi.*

1 PArochi in ecclesia ante denuncient tempus, quo sacrum Chrisma ministrandum erit. Primũ quæ pert. ad Sacr. Cõfir admi.

2 Eos, qui confirmandi sint, eius Sacramẽti vim, ac virtutem edoceant. Ibidem.

3 De Sacramento etiam Chrismatis populum instruant (parochi scilicet, & Concionatores) in illis Pentecostes diebus, quibus potissimum ab Episcopo id Sacramentum solenniter ministrari solet. 3. quæ ad Cõ cionat. pert.

Parochi autem id omne instruendi populi officium præstent ad præscriptę institutionis normã, quę eo nomine cura nostra cõficietur ad communem prouinciæ vsum.

4 Parochi, animarumve curatores, qui in Vrbe sunt, die Dominico Pentecostis solennitatem præcedente, populum doceant, quanto religionis studio suscipiendum sit Confirmationis Sacramentum, cuius ministrandi solus Episcopus ordinariam potestatem habet. 4. quę perti. ad Sacr. Con firm.

5 Videant item, ne quis eorum, qui sibi in curam traditi sunt, illud suscipere negligat.

Quare præmoneant, quod etiẽ Concilij Vuormatiensis Canone sancitum est, vt quicumque intrà parochię suę fines habitant, neque confirmati adhuc sunt, illud omnes suscipiant, qui ætate sunt, qua Episcopus eos duxerit esse debere, qui ad hoc Sacramentum tunc accedant.

6 Si quis verò neglexerit, Canonicis subiaceat disciplinis.

7 Parochus aliquot ante diebus, quàm Episcopus ministraturus sit hoc Sacramentum, nt nemo quisquam eorum, qui suæ curæ concrediti sunt, illud suscipere negligat, illos per familias distinctè, rectèque notet, qui illud nondum susceperint: ac qui ætate sint ab Episcopo præscripta, ordine in ecclesiam vocet ad id ritè, religioseque suscipiendum. 5. quæ ad Cõ fir. Sacr. pert. §. idem aliquot.

8 Eiusdem cura sit, paucis ante diebus, quam Episcopus Sacramentum hoc ministret, non solùm fideles prẽmonere, quæ Concilio prouinciali quarto præscripta sunt: sed etiam in parochiali ecclesia orationem eo nomine instituere, vt, qui nondum confirmati, ad id accesserint, adiutrice diuina gratia, digni sint, qui Spiritus sancti donã vberrimè recipiant.

10 Elaborent præterea idem, vt, qui adulta ætate confirmandi sunt, primo de peccatis confiteantur, tum etiam admoneant, vt ieiuni illud

lud suscipiant, cum mane ministratur.

5. vt suprà. 11 Neque hoc quidem is denunciare omittat, vt, qui proximè confirmationem suscepturi sunt, pridie illius diei, quo suscipient, caput lauent, aliove modo mundent, capillosque sibi tonderi curent.

4. vt suprà. 12 Reliqua etiam diligenti cohortatione denuncient, quæ ad hoc Sacramentum, rectè, sanctèque suscipiendum pertinentia, monitionum tabella comprehendentur, quæ, ad communem prouinciæ vsum per nos edetur. Quibus monitionibus, pro ratione locorum suæ diœcesis, ab Episcopo addi, tum detrahi: rursusque eadem mutari liceat.

13 Quæ cuncta diœcesani item parochi præstabunt, ita scilicet, vt singuli parochi ~vniuscuiusque loci, vbi sacrum Chrisma Episcopus ministraturus est, Dominico die hebdomadam illam proximam, qua ministrabit antecedente, cùm populum omnia, & singula doceant, ac moneant, mox suprà parochis, in ~vrbe commorantibus, præscripta: tùm etiam præstari curent.

14 Sacrum autem Chrisma, Episcopus, cùm id ministrare proprium Episcopalis curæ munus sit, ne stata Pentecostis solennitate id præstare prætermittat, tum ad singulas vniuersæ diœcesis partes, parochiasve, & loca, ~vel infima visitando accurrat, vbi illud ministrari necesse sit.

5. vt suprà. 15 Episcopus non solum sacris, solennibusq; Pentecostes diebus; sed etiam, si ita Ciuitatis suæ ingens frequentia, multitudoq; postularit, & Paschæ Resurrectionis tempore, & in Aduentu sacro Domini, & quoties ~visitatione obibit, Sacramentum Confirmationis ministret: & ob eam causam, vt Concilio Prouinciali quarto cautum est, ad ministrandum sæpè accurret, quibus in locis diœcesis opus erit.

Primum de visitat. Confirmationis Sacramentum visitationis tempore, vbi opus erit, ministrabunt.

5. vt suprà. 16 Quod si quis cum periculosè ægrotat, se Chrismatis Sacramento confirmatum non esse meminerit, ac propterea id sibi ministrari petat; tunc Episcopus si eo loci est, ~vbi ille ægrotat, vt ne sine hoc Sacramento decedat, cum charitate paterna inuisat, & ritè confirmet.

4. vt suprà. 17 Caueat porrò, ne cum huius ministrationis munus obit, alienæ diœcesis hominibus, de iure non exemptis, qui in sua diœcesi domicilium iam non constituerint, hoc Sacramentum ministret, nisi proprij illorum Episcopi concessu, aut assensu scripto.

Quo igitur tempore ministrat, populum ea ipsa de re per parochos præmoneri iubeat.

1. Ibidem. 18 Minori septennio Confirmationis Sacramentum nemini præbeatur.

5. ibidem. 19 Alio decreto, quod in Concilio Prouinciali primo sancimus, cautum est, ne confirmationis Sacramentum ijs præberetur, qui annis septem-

ptem-

ptem minores natu sunt: si tamen Episcopus ob aliquam causam iustam, atque adeò necessariam, paruulo, & infanti, qui non modò eam ætatem expleat, sed ne attingat quidem, ministrandum aliquando censuerit, ne sit vetitum.

20 Iis verò minoribus natu, atque adeò paruulis, si quandoque ministrabitur, eorum parentes, vel qui curam gerunt, parochus moneat, ut ætate procedente, illos ea de re certiores faciant: ne parentibus, curatoribusve posteà mortuis, ipsi aliquando dubitent, an hoc Sacramentū, quod iterari nefas est, susceperint. Id verò parochus curet, præter eam diligentiam, quæ sibi præscripta est de confirmatis, eorumque compatribus in libro certo describendis.

21 Qui confirmandi sunt, & qui patrini adhibentur, parochus ante videat, quos rudiores esse suspicabitur, an orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum norint. Atque ob eam quidem causam Episcopus, illa fidei rudimenta sibi ab illis recitari iubebit. Quam diligentiam idem Episcopus, etiam, vt opus esse viderit, aliquando præstet per se, vel alium sacerdotem, quem in ea re cognoscenda constituerit.

22 Videat item, ut in quacumque Ecclesia confirmationem ministrarit, si pauci sunt, qui suscipiunt, ubi commodè fieri potest, ante altare maius decenter exornatum, semper ministret.

23 Primò mares in ecclesia à parte sua, fœminæ ab altera sint: sicque separatim distincti, genibus flexis, manibus ante pectus iunctis, suo quique ordine, piè, & religiosè orent: in primisque ab omni strepitu, vociferatione, & inani confabulatione caueant: sed silentio sancto vtantur.

Et quod ueteris ritus est, primùm mares, deinde fœminæ cõfirmentur, nisi aliquando aliter fieri Episcopus censuerit.

24 Hoc Sacramentum Episcopus ministrare studebit hora tertia potissimum, quæ ex antiquo ritu stata huius Sacramenti hora est.

25.26 Vt ne fœminis mares, nec verò, cõtrà, maribus fœminæ, neq; senioribus adolescentes, cùm minimè hoc per ætatem conueniat, compatres in confirmationis Sacramento adhibeantur; nisi id aliter necessitas aliquando postulet. 5. quę ad Cõfir. Sacr. pti.

27 Quod antiqui ritus est, id seruetur, ut compater dextera suscipiat, & teneat, quem in hoc Sacramento ministrari Episcopo offert. Si verò, qui offertur, adulta ætate est, pedem suum super dexterum compatris, qui ipsum offert, ponat: id quod non sine mysterij significatione fit. Quam ob causam, & qui confirmatur, & patrinus, tunc coram Episcopo confirmante stet.

28 Dum Sacramentum hoc Episcopus ministrat, non modo, qui illud

illud suscepturi sunt, quique eos offerunt, sed omnes, quicumque præsentes sacro illi ministerio adsunt, sanctè, pièq; orent, ac summa animi attentione spectent, quod in ea solenni mysterij celebritate peragitur.

Tum verò mente secum reputent, cœlestia illa Spiritus sancti dona, quæ illius Sacramenti virtute fidelibus impartiuntur: in primisque tacita meditatione videãt, quas in illis ipsi progressiones habeant; aneq; vitam agant tanta cœlestium donorum vbertate dignam.

1. quæ perti. ad Sacr. Confir. administr.

29 Susceptores in Sacramento Confirmationis, neque ijs, quos susceperint, neque eorum parentibus quicquàm omninò largiatur, ne cuiquam, quod aliquando commissum est, iterandi hoc sacramentum, quod nefas est, occasionem præbeat.

5. vt suprà.

30 Curet etiam Episcopus, ac parochus, vt, qui turpe, ridiculumve nomen habet, neque planè conueniens Christiano homini, illud mutet, sumatque in confirmationis sacramento nomen alicuius, qui veræ pietatis, sanctæque religionis laude floruit, vt qui hactenus non ad normã Christi Domini vitam instituit, iam abiecto eius modi nomine, deposito q; veteri homine, & antiqua socordia, rursusque, ac sancto suscepto nomine, virilem in sanctè agendo constantiam perpetuò deinceps præstet.

31.32 Confirmati frons, Chrismate ab Episcopo illita, primùm bombyce diligenter à Sacerdote abstergatur: mox à clerico, in sacris constituto, aqua lauetur. Quæ aqua in Baptisterij sacrarum proijciatur.

De Sacramẽtis, Can. 9.

33 Omnem diligentiam adhibeant Episcopi, vt qua ratione commodius fieri poterit, Parochi describant confirmatos, & compatres, seruatis cæteris omnibus, quæ de libro baptizatis describendis præscripsimus.

2. vt sup. §. fi.

De custodia Sanctæ Eucharistiæ. Deque vasis, & instrumentis ei vsui opportunis.

SVMMARIVM.

1 *Quibus in ecclesiis, & altaribus asseruanda.*
2 *Quo in Tabernaculo.*
3 *Eiusdem Tabernaculi forma, & ornatus ex decreto Concilij quarti.*
4 *Altera forma ex institutionibus fabricæ Ecclesiæ cum illius Conopæi formula.* 5.
6 *In eo quid aliud retineri non possit: eiusque clauis à quo, & vbi custodienda.*

Illud

Illud benedicendum, antequàm in vsum adhibeatur. De Sacramentis in genere, & Sacrament. 77.

7 *Quot particulæ consecratæ semper in eo asseruandæ, quoque tempore illæ renouandæ.*

8 *Quo in vasculo custodiendæ, & cuiusmodi. 9.*

10 *Idque vas, vt contegendum.*
Vela item quot, & qualia ad eum vsum paranda. Ibidem.
Quando in hostia magna consecrari possit. De vasis ad sanctiss. Sacr. in processs. deferen. necess. num. 2.

11 *Quibus ex hostijs fiat.*

12 *A quo illæ conficiendæ.*

13 *Quoque in vasculo eæ retinendæ, ac particulæ ipsæ.*

14 *Lampas ante ipsam, qualisq; accensa colluceat. Et de lampadibus.*

15 *Nimbis, procellis, &c. imminentibus, non extrahenda sacra Eucharistia, sed tabernaculum aperiendum.*
Intrà Monasterij Monialium septa non asseruanda. De eccles. Monial. 11.

1 EPiscopus diligentissimè curet, vt in Cathedrali, collegiatis, parochialibus, & aliis quibuluis ecclesijs, vbi sacrosancta Eucharistia custodiri solet, vel debet, in maiori altari collocetur, nisi necessaria, vel graui de causa aliud ei videatur. Conc. Tridē. sess. 13. c. 6. Quæ pert. ad sacros. Euch.

2 Tabernaculum, quo asseruatur, ornatum, vt benè septum, ac munitum sit.

3 Tabernaculum ligneum, aliave materia constans, in quo sanctissima Eucharistia asseruatur, panno serico intrinsecus circumuestitum, vndique sit: conopęo etiam decenti, pro ecclesiarum facultate, lociq; dignitate contectum, ac benè prætereà, tutoque clausum: atq; ita quoque aptatum, vt inde sanctissimum Sacramentum commodè depromi possit, neque super altare propterea ascendi necesse sit. 4. quæ ad sanctiss. Euchar. Sacr. pert.

4 *Quoniam verò ex decreto prouinciali tabernaculum sanctissimæ Eucharistiæ in altari maiori collocari oportet, de eo instructionem aliquam, hoc loco fieri conuenit.* Instr. fab. li. 1. cap. 13.

Primò illud in ecclesijs insignioribus, vbi potest, è laminis argenteis, aut æneis, ijsdemq; inauratis, aut è marmore pretiosiori, fieri decens est. Quòd tabernaculi opus, politè elaboratum, & aptè beneq; inter se compactum, pijs item mysteriorum passionis Christi Domini imaginibus exsculptum, & inaurato artificio certis locis, periti viri iudicio, decoratum, religiosi, et venerandi ornatus formam exhibeat. Intrinsecus autem tabulis populeis circumamictum esse debet, vel alijs eiusmodi, vt ab humiditate, quæ ex metalli,

metalli, marmoris ve genere existit, sanctissima Eucharistia illo amictu omnino defendatur.

Vbi tabernaculum eiusmodi non fiat, tunc è tabulis non nuceis, vel aliis, quæ humiditatem gignunt, sed populeis, aut similibus politè elaboratis, & religiosarũ, vt suprà imaginum sculptura ornatis, ijsdemq; inauratis exstruatur.

Amplum, pro dignitate, & magnitudine, ratione ve ecclesiæ, in cuius altari maiori collocandum est.

Forma, vel octangula, vel sexangula, vel quadrata, vel rotũda, prout decentius, & religiosius, accommodata uidebitur ad ecclesiæ formam.

In summo tabernaculo imago Christi gloriosè resurgentis, uel sacra uulnera exhibentis: uel si in altari exiguæ alicuius ecclesiæ per tabernaculi occupationem congruus locus Cruci, quæ alias super eo collocaretur, esse non potest, ea pro alia sacra imagine in tabernaculi summitate, uel perpetuo affigatur, uel processionum causa aliquando amouenda, decorè cõstituatur, affixa Christi crucifixi sacra effigies.

Bene præterea idem tabernaculũ super altari, basis ornata firmitudine suffultum, aut firmis altaris gradibus, decorè confectis, aut angelorum statuis, aliisue suffulcimentis, religiosum ornatum exhibentibus, sustentatum, firmiter fixum hæreat: tum bene etiam claue munitum sit.

A summo frõte altaris procul collocatũ extet, nõ minus cubita uno, & uncijs sex decim, ita ut corporale latè expãdi, et pixis, cũ aliquando usu uenit, cõmodè in altari poni possit. Neq; rursus à fronte sic distet, ut ad sacrã eucharistiam depromendam, Sacerdoti gradu etiam ligneo opus sit, nisi situs, & illius structuræ ratio aliud necessariò postulet.

In insignioribus porrò ecclesiis, ubi pʃertim à tergo altaris chorus est, proq; illarum structurę rõne, eius altaris latitudo ampla admodum est, remotius esse potest; quoniã ab illa chori parte posteriori cõmodè, et decenter ipsa sacra Eucharistia è tabernaculo sumi potest, tuncque ab eadem chori parte ostiolum alterum præscripta forma fiat.

Atque sub tabernaculo armariolum nullum sit, ac ne asseruandis quidem libris supellectiliue ecclesiæ locus sit.

Vbi in altari ita, ut suprà, collocari, suffulciriue præ illius angustia tabernaculũ totũ non põt: à tergo suppositis basibus, atq; alijs suffulcimentis, bene firmis, illud, aut totũ, aut pars nitatur, ea tamen forma, & ratione, ut neq; spatium inter altare, & parietem interiectum, quando exiguum est, impediatur, quo minus altare circuiri possit.

Panno serico rubri coloris, si Ambrosiani ritus ecclesia sit, aut albi si Romani, intus ab omni parte uestitum, atque ornatum sit. Ostiolum habeat ab anteriori parte ita patens, ut paruulum alterum tabernaculum, quod intus in eo includitur facilè, commodèque introducatur, & expromatur:

tur: ita præterea ad aperiendum accommodatum, ut totum in frontispicio à latere planè hærens, Sacerdotis, inde sacram Eucharistiam depromentis, brachium, manumue non impediat. Sit uerò ornatum sacra Christi Domini Crucifixi, aut resurgentis, aut uulneratum pectus exhibentis, imagine, aut alia pia effigie.

5 Conopeum Tabernaculi sanctissimæ Eucharistiæ, in ecclesiis ritu Romano, è serico, auro, argentouè intexto, uulgò brocato, uel è tela argentea, aureaue, aut saltem è serico simplici, coloris albi. In ecclesiis ritu Ambrosiano utentibus, ex eadem materia, at rubri coloris. Amplè undique pateat, pro tabernaculi maioris amplitudine, ita ut a sũma parte crispatum, in fimbrijs etiam, non angustè, sed longè latius decenter respondeat. Habeat uerò, ut moris est, ab extremis partibus ornatum laciniarum, decorè contextarum. Instr. fab. li. 2. d Conopeo.

6 Vacuum, etiam sit à reliquijs, vasculo olei infirmorum, atque inani alio vase, vt omnino sacra Eucharistia, cum suo uase in eo dumtaxat conseruetur: aliud præterea nihil. 4. vt suprà.

7 Quinque saltem particulæ consecratæ seruentur assiduè, vbi sanctissimum Sacramentum conseruatur, quæ octauo quoque die renouentur. Ibidem.

8 Pixis una in Cathedrali, collegiata, & parochiali Ecclesia adsit ad conseruandam sanctissimam Eucharistiam. Instr. sup. Basil. Cath. colleg. & paroc. Eccle de supellectili.

9 Pixis, quę ad sanctissimam Eucharistiam, rectè, pièq; custodiendã adhibetur, ex auro, aut ex argento puro saltem, eoque inaurato, fieri debet. Quę Pixis cùm ex argento fit, si minus ab interiori, & exteriori parte auro non illinitur, saltem ab interiori parte illiniatur. Quæ ad cultum & adm. sacræ Eucharist. & c li. 2. Instr. de for. supell. lib. 2. de pixide.

Cuius pes, ut manu facilè, si miterque capi queat, altitudine sit sex unciarum.

Nodus in medio decorè, rectèq; ornatus, nihil, uel minimum eminẽs habeat, quo, dum pixis capitur, incõmodè capiatur, aut digiti quicquã lędantur, præsertim quo tpe, inter Missę sacrum populo sanctiss. Eucharistia ministratur, & illa, indice, & pollice coniunctis, manu tenetur.

Vas, seu cuppa, forma rotunda, aut ouata profunda sit, & decenter pro profunditatis ratione ampla; in fundoque medio paululum aliquid habeat, quod in orbem tenuiter emineat.

In summa pixide circulus tenuis, à labro minimum distans, insit, cui in orbem prominenti operculum innitatur.

Pixidis operculum forma itidem rotunda sit, uel ouata, quę respondeat formę pixidis, quod in medio instar ferè pyramidis extet: ab uno, & altero item latere paruulos, tenuesq; uncinos habeat: quibus in circulo aptè includatur. In eius summo crux paruula, aut imago Christi crucifixi, uel resurgentis infixa hæreat.

Vbi

Vbi præ inopia aliud non poteſt, Epiſcopi iudicio, operculum, & pixis ex auricalco, aut ſtanno inaurato eſſe poterit.

Inſtr. de for. ſup. lib. 2. de velis pixidis.

10 *Vela ad vſum ſacræ Euchariſtiæ, quæ in tabernaculo maiori aſſeruatur decenter contegendę, in Baſilica Cathedrali, quattuor; in collegiata, tria; in Parochiali duo ſint.*

Vela Pixidi, aut tabernaculo minori adhibenda, auro, aut argento ſint contexta, vel quod magis laudabile eſſet, aurea, aut argentea, fimbrijs circumquaque ex eadem materia adhibitis. Eiuſdem verò menſuræ cum iis velis erunt, quæ calicibus adhibenda præſcripſimus, vel maiora, pro pixidis magnitudine.

4. quæ ad Euchar.

11 Idque fiat ex hoſtijs, non ante viginti dies ad ſummum confectis.

4 ibidem.

12 Hoſtias pro ſacra Euchariſtia conficienda non laicus homo, nec verò fœmina faciat.

Inſtr. de for. ſupp li. 2. De vaſculo ī quo ſacrę hoſtię aſſer.

13 *Vaſculum, quod ſacris hoſtijs aſſeruandis paratur, ex operculo conſtans, forma rotunda ſit, ex argento, aut ſaltem ex polito ligno tornatili, aliave decenti materia, decoroq; item ornatu, & opere confectum: intrinſecus verò ſerico panno veſtitum, latè pateat vncias quattuor, plures ve, vt hoſtiæ inde promi commodè poſſint.*

Alterum item vaſculum, minoribus hoſtijs aſſeruandis paretur, quod ex eadem materia, eodemq; opere, eodemque ornatu conſtet; at amplitudine maiore, nempè ſex pluriumve vnciarum per diametrum ducta, vt pro ratione loci, plures hoſtias capere queat.

1. quæ pert. ad Sacr. ſacroſan. Euch.

14 Ante ipſam ſemper lampas accenſa colluceat.

3. de iis, quæ ad Sacr. euchar. pert.

15 Cùm nimbi, procellę, turbines, aut grandines impendent, ne Sacerdos ad tempeſtatis procellam arcēdam vaſculum adhibeat, in quo ſanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum aſſeruatur: ſed tabernaculi, vbi illud in altare reconditur, patefaciat licet: tumq; in eius conſpectu litanias, aliasque religioſas preces, eius rei cauſa inſtitutas, piè, ſanctèque pronunciet.

De ſanctæ Euchariſtiæ in eccleſia adminiſtratione, ac ſumptione.

SVMMARIVM.

1 *Euchariſtiam quilibet Paſchæ tempore ſumat.*
2 *A proprio parocho. 5. 9.*
3 *Ob idq; infirmo etiam, eo tempore ab eodem deferenda.*
4 *Quibus eo tempore miniſtranda à parocho: quidque vlterius ab eo præſtandum.*

Vel

5 Vel alio sacerdote ob multitudine communicantium.
6 Non communicantium nomina ad Episcopum, & quando deferenda
7 Episcopus verò, vt in eos animaduertat.
8 Interdictum, & denunciatio non communicantium.
9 Extra parochiam, diœcesimve qui communicarit, quod testimonium afferat.
10 Vbi non communicarit, communionem, sumere cogatur.
Illi non ministretur, qui confessus fuerit confessario non approbato.
11 Qui non admittendi ad communionem.
12 Eucharistiam sumentes, quo habitu esse debent.
13 Rarò sumentes diligentius admonendi.
14 De eius vi, & ratione adolescentes à parocho instruendi.
15 Ea sumpta, vinum calice consecrato non præbendum populo.
16 Maribus separatim à feminis ministrandæ.
17 Ecclesiasticis tamen primò hominibus superpelliceo indutis, deinde laicis ipsis scilicet maribus prius, posteà fœminis.
18 Ecclesiasticis in choro, populo autem extra ministrandæ.
19 Et intra Missarum solennia.
20 Alio etiam tempore, & quando.
21 Extra Missarum solennia quibus vestibus vtendum à sacerdote illam ministraturo.
22 Pluuiali episcopus ministraturus vtatur.
23 Sacerdos ministraturus, quid dicat.
24 Instructio ad illam religiosè percipien.
25 Cum ea ministratur, efficax sermo habendus: dieque dominico præcedenti.
26 Quæ antiphona, quique psalmi canendi illius administrationis tp.
27 Communionis causa eleemosina non quæritanda.
28 Hortandus populus à parocho ad confessionem, & communionem frequentandam.
29 Idem præstandum à concionatoribus.
30 Dissuadens concionator communione frequentanda, prædicatione, sermoneq; interdicendus.
3 Qui rarò communicant, quibus diebus saltem ad communionem inducendi.
32 Feria v. in Cœna Domini, qui in Cathedrali, & collegiatis communicent.
33 A clericis, diaconis, subdiaconis, & alijs clericis, quando sumenda.
34 Sumptionis fides exhibenda.
35 Cum in Missa sustollitur nemini standum.

Primũ, quę pert. ad Sacr. sanctiſs. Eucharist.

1 NEMO Paschæ tempore Eucharistiæ sumptionem vlla de causa differat.

2 Paschæ tempore, à suo cuique parocho proprio sanctam Eucharistiam ministrari Ecclesiæ institutum, ac præceptum est.

Sextum, quę ad sanctiſs. Eucharist. Sacramen. pert.

3 Quamobrem is, si quem parochialem habet, qui ex morbo laborans, aliave necessitate vere impeditus non potest sacro Paschæ tempore ad Ecclesiam conuenire, vbi sanctissimam communionem cum cæteris fidelibus percipiat, ad illum, etiam si paucis ante diebus perceperit, ipse illo Paschali tempore de more deferat.

Sess. 13. tit. 1. decr. 12.

4 Parochi Paschæ tempore, sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum ijs tantum ministrent, qui non modo tunc in parochiæ suæ finibus habitant: verùm etiam maiorem anni partem, aut sex saltem menses in ea habitarint, nisi sint, qui paucioribus ante diebus, mensibusve illuc habitatum venerint eo animo, vt in ea domicilium habeant, nisi item, qui ab Episcopo, propriove Parocho facultatem scripto concessam, exhibuerint alio loco communicãdi, tum præterea, nisi peregrini sint, & aduenæ homines; idque in parochia aliqua diœcesis: quod si in vrbe, tum in Cathedrali Ecclesia Eucharistię Sacramentum ij percipiãt. Horum autem peregrinorum, & aduenarum, Eucharistiæ Sacramentum percipientium, nomina, cognomina, originis, seu domicilij locus, uno in libro fideliter asseruando à Parocho, ante omnia adnotentur. Quare singulis diebus, cùm in Paschæ Resurrectionis Domini nostri Iesũ Christi Sacramentum Eucharistiæ administrabunt, antequàm illud cuiquam præbeant, ad populum conuersi denuncient, vt si quis eorum, qui adsint, Parochiæ suę incolã non est, ad suam quisque parochialem ecclesiam abeat, vbi, quemadmodum canonum sanctionibus iussum est, eo tempore sacram Eucharistiam sumat.

Ibidem.

Parochi verò vrbani admoneant, atq; hortentur crebro eos, qui rus ire sæpius solent, vt festis diebus illis solennibus, nempè die Natali Domini, in Quadragesima, & hebdomada sancta potissimùm, Paschæ tempore, Ascensionis Domini die, in celebritate corporis Domini, in die Pentecostes, ruri non habitent, sed in vrbe, atque in frequentioribus oppidis, vbi à rusticatione feriati, sacris, & diuinis officijs intersint, de verbo Dei conciones audiant, cęteraq; Christianæ pietatis munera præstent, quæ ab vnoquoque christiano homine debita, solennes, & statis illi dies maximè requirunt.

4 quę ad sanctiſs. Euchar. Sacram. pert.

Vt, & quod sacrorum canonum iure statutum est, seruetur, & parochi certam rationem inire eorum possint, qui curæ suæ commissi, sacrã communionem in Paschæ Resurrectionis Domini sumpserint, in eo tempore,

tempore, etiam in Ecclesia Cathedrali, ijs, qui intra alterius parochiæ fines in vrbe, aut in diœcesi habitant, sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum ministretur, nisi aliqui sint, quibus iusta de causa Episcopus, aut proprius eius parochus, facultatem, scripto exaratam, nominatim dederit.

Peregrinis autem, aduenisve hominibus ex secundi Concilij Prouincialis præscripto, præberi, ministrative liceat.

Episcopus de vita, & moribus mendicorum vagantium, diligenter inquirat, initaq; aliqua ratione curet omnino, vt sacro Paschæ tempore illi communicent. 2. tit. 1. decre. 14.

Laici famuli quicumque regularium monasterijs operam nauant; tametsi in illis habitent, statо Paschæ tempore in sua quique ecclesia parochiali sacram Communionem sumant. 5. quę ad sanctiss Euchar. Sacram. pert. Sess. 25. c. 11. de reg.

5 Parochus ijs omnibus, qui intra ecclesiæ suæ fines habitant, in Paschа sacram Eucharistiam ipse, non sacerdos alius præbeat: nisi ob frequentem multitudinem, necesse sit alterum etiam sacerdotē adhibere. 3 de ijs, quę ad Sacramē. Euchar. pert.

6 Qui præstituto tempore non communicarint, eorum nomina parochus ad Episcopum, ad sex dies post octauam Paschę, scripto defetat, expositis etiam causis, quas extra confessionem cognouerit, alioqui pœnas det Episcopi arbitratu. 1. quę perti. ad Sacramē. sanct. Euch.

7 In eos verò oēs Episcopus censuris, & alijs pœnis acriter animaduertat, ijs exceptis, qui eiusdem parochi consilio iusta de causa sumptionem in aliud tempus produxerint.

8 Qui Paschę tempore Eucharistię Sacramentum non sumpserint, si postquam ter, aut vnica monitione, quę vna pro tribus satis sit, etiam generatim moniti, in contumacia pseuerauerint, iubeat Episcopus eos ipsos ecclesię ingressu, & ecclesiastica sepultura interdictos in propria parochiali Ecclesia denunciari, tum eorum nomina descripta ad cathedralis, & parochialis Ecclesię valuas affigi: si uerò in contumacia perseuerauerint, in eos præterea, prout iuris est, animaduertat. 2. tit. 1. decre. 13.

9 Huic decreto ne fraus fieri possit, statuimus, vt si quis ex necessitate, uel alia iusta causa, ab Episcopo, vel proprio parocho, comprobanda, extrà parochiam suam dicto tempore Eucharistiam sumpserit, parocho suo de eo fidem faciat; sin minus, in eum agatur, ac si non communicasset. 1. vbi suprà.

10 Quicūque in Pascha ab diœcesi abfuerit, is reuersus se eo tempore sacram Communionem sumpsisse, testatum faciat scripto sacerdotis, à quo sumpserit. Quod testimonij scriptum manu, vel sigillo ordinarij, aut eius, cui id curę ille dederit, munitum sit: alioquin, ut Ecclesię præcepto pareat, cōfessus in propria parochiali Ecclesia, sacrā Eucharistiam suscipiat. Quod nisi fecerit, prout iuris est, pœna afficiatur. 3. de iis, quę ad Sacramē. Euch. pert.

1. de eod. 11 Publici concubinarij, fœneratores, ac blasphemi, & alij eiusmodi facinorosi homines, semel ad pœnitẽtiam, & Communionem admissi, si posteà eos in eodem luto peccatorum hærere cognitum fuerit, amplius ad sacram communionem ne recipiantur, nisi posteà eos vitam, & mores re ipsa emendasse, parochi perspexerint.

12 Qui sumunt, vt ad Deum tali tempore accedentes decet, demisso habitu, & humili uestitu, pœnitentiam, & animi submissionem præ se ferant.

13 Sacerdos sanctissimam Eucharistiam ijs, qui rarò sumunt, non prius ministret, quàm eos diligentius admonuerit, quanta reuerentia, & humilitate ad tremendum illud Sacramentum accedere debeant, quantaque illis supplicia sint parata, qui indignè suscipiunt.

14 Adolescentibus, qui tũc primum Eucharistiam sumere uoluerint, parochus non præbeat, nisi eos ante aliquot dies examinarit, & de vi, & ratione Sacramenti diligenter instruxerit.

15 Populo, postquam Eucharistiam sumpserit, vinum calice consecrato, vel alio vase, quod ad sacri calicis formam factum sit, ne præbeatur.

16 Eucharistiæ Sacramentum, vbi pro Ecclesiarum amplitudine commodè fieri poterit, maribus seorsum à fœminis ministretur.

5. quæ ad sanctiss. Euchar. Sacram. pert. 17 Is ordo præterea adhibeatur, vt primo ecclesiasticis hominibus superpelliceo indutis, si verò Sacerdos quis est, stola etiam, quæ signum Crucis, ad antiqui canonis præscriptũ, in pectore exhibeat: deinde laicis maribus, tum fœminis sacra communio ministretur, loco distincto, vt in Concilio Prouinciali quarto cautum est, eaq; ratione dispositis, vt altari maiori tergane uertant.

4. vt suprà. 18 Quod & Toletano quarto, & Braccarensi primo Concilijs sanctum est, id de sacra communione ministranda religiosè seruetur, vt diaconis scilicet, & clericis ad altare, aut in choro illa præbeatur; populo autem, loco à choro, altarive aliquanto remotiori.

5. vt suprà. 19 Hoc institutum, quod antiquissimi ritus est, Sacerdos religiosè seruet, vt intra Missarum solennia, postquam scilicet sanguinem ipse sumpserit, fidelibus, sacram communionem sumpturis, ministret.

20 Nec verò tamen illam ministrare ueritum sit, si quando occasio tulerit, vt quis alio tempore, quàm in Missa, sumpturus sit.

21 Cùm autem peracto Missæ sacrificio, statim eam ministrat, vestibus Sacerdotalibus, quibus in Missæ vsus est, indutus ministret, casula tantum deposita, & manipulo item. Si verò non statim, sed alio post tempore, quàm in Missæ sacrificio, tunc superpelliceo, stolaque alba, & vbi ritus Ambrosianus est, rubra vtatur.

22 Verùm pluuiali Episcopus indutus sit, quando illam non in-

Missæ sacrificio ministrabit.

23 Sacerdos, illam ministraturus, antequã præbeat, vnicuiq; cui ministrabit, sigillatim illa verba pronunciet. Corpus Domini N. Iesu Christi custodiat animam tuam in ⁀vitam æternam: & qui suscepturus est, prius respondeat. Amen.

Id quot antiquissimi instituti est, nec sine mysterij significatione ⁀fieri, sanctissimus Pater, & Ecclesiæ Catholicæ Doctor, Ambrosius scribit.

24 Populus autem ad tabellæ institutionis, quæ propterea iussu nostro edetur, præscriptum doceatur, qua ratione sanctissimæ Eucharistiæ Sacramentum religiosè, decoreque percipiatur; ne quid accidat, quod illius augustæ diuinitati, ac sanctitati non conueniat.

25 Cùm frequenti populo sanctissima Eucharistia administratur, licèt eius ⁀vis, atque ⁀virtus explicetur, non facilè tamen tota huius generis explicatio, sermoque percipi, audirive ab omnibus potest: nec præterea omnes administrationis initio interesse solent; id propterea magnopere Episcopus curet, ⁀vt, ⁀vel per se, vel per parochum, ⁀vel per alium, in adhortandi munere exercitatum, ac probatum, etiam inter communicandum, verborum pondere, & sententiarum, quasi iaculis, & opportuna aliqua, & crebra, breuique cohortatione, populus collectus, cùm ad frequentem sanctissimi Sacramenti sumendi ⁀vsum excitetur tùm etiam commonefiat, quàm periculosum, exitiosumque sit ad sacram diuini illius cibi mensam indignè accedere: ac rursus quàm valde admodum in omnes partes vtile, ac fructuosum pabulo illo cęlesti salutariter, ac frequenter ⁀vti. 4. vt suprã. Conc. Tridẽ. Sess. 13. c. 6.

Hocque ipsum omne, die festo, frequentem populi communionẽ proximè præcedente, aliquando longiori, publicaque concione omninò præstetur.

26 Cùm sacra Communio diebus, præsertim solennioribus, aut frequentiori fidelium multitudini ministratur, ex ⁀veteri instituto antiphona, Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum, & psalmus. Benedixisti Domine; & psalmus item, Dominus regit me, &c. & alia in rituali libro præscripta, aut alias ab Episcopo præscribenda, à clero canantur, cùm id per illius frequentiam fieri potest.

27 Ne occasione sacræ Communionis, etiam in Pascha ministratę, vel ministrandæ, eleemosyna, peluicula, aut vasculo expolito, ⁀vllove alio modo, directè, aut indirectè, quæritetur. 1. de ijs, quæ ad Sacramentorũ admin. gen. pert.

28 Parochi crebris cohortationibus in id maximè incumbant, vt populus sibi commissus, ad Confessionem, & Communionem frequen-

ter, precipuè autem in Natiuitatis Domini, & Pentecostes, ac alijs solennitatibus accedat.

3. de ijs, quæ ad Sacr. Euc. pert.

29 Ad saluberrimum illum sacræ Eucharistiæ frequenter sumendæ vsum parochi, vt primo Prouinciali Concilio iussum est, & concionatores item, quàm sæpissimè populum cohortentur, nascentis Ecclesiæ institutis, atque exemplis, & grauissimorum Patrum vocibus, & vberrima hoc ipso de genere Catechismi Romani doctrina, & sententia denique Tridentinæ Synodi, quę optaret quidem fideles in singulis Missis, non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicare.

Sess. 22. ca. 6.

Sess. 5. c. 2.

30 Quod si quis concionator, etiam regularis aliquid contra directè indirectève dixerit, aut concionatus sit; Episcopus in cuius vrbe, diœcesive hoc ille admiserit, ei, tamquàm scandalum disseminanti, Tridentini eiusdem Synodi auctoritate, interdicat prædicatione verbi Dei. Ad cuius prędicationis munus ne idem restituatur, nisi primùm eiusdem Episcopi iudicio satisfecerit eo ipso loco, vbi ea in re scandalum, & offensionem præbuerit.

Itidem pro ratione culpę corripiantur, corriganturve, & satisfacere quoque compellantur quicumque uel sermonem habenda, uel colloquendo hoc in genere offenderint.

4. vt suprà.

31 Parochus autem, cum ad eam frequentissimum Sacramentorum vsum parochię suę fideles cohortetur, vt Prouinciali tertio Cõcilio sanciuimus: tum crebris monitis illud, quod Siluerius Pontif. Max. statuit, in consuetudinem reuocare studeat, ut, qui sæpius non communicant, singulis saltem Dominicis diebus in Quadragesima Corpus Domini sumant, ac prętereà diebus Dominicis Aduentus.

5. de ijs, quæ ad diui. offic. pert.

32 Feria quinta in Cœna Domini, singuli, qui in Cathedrali, Collegiatave ecclesia, vel dignitatem, uel canonicatum obtinẽt, etiam qui sacerdotalis ordinis sunt, & reliqui item singuli eiusdem Ecclesiæ clerici, Corpus Domini in solenni Missę sacro, quod illo die in ea Ecclesia fiet, sumant. Idque nisi ex ijs aliqui sint, qui eo ipso die debitum Missę sacri faciendi munus alio loco prestituri sunt.

1. de frequẽt. diu. Sacr.

33 Cęteris etiam clericis, vt singulis mensibus, diaconi quidem & subdiaconi bis saltem, qui verò in minoribus ordinibus, aut etiam clerici tantum sunt, semel sacram Eucharistiam sumant. Qui sine necessaria causa, id facere omiserint, parochus eos sui officij admoneat; &, nisi paruerint, ad Episcopum deferat.

8. ti. 2. dec. 26

Sess. 23. c. 11. & 14.

Diaconi, subdiaconi, & reliqui clerici inferioris ordinis confessionem, & communionem frequentent, vt superiori Synodo Prouinciali præscriptum eis est. Confiteantur autem ijs tantum sacerdotibus, quos ad audiendas eorum confessiones idoneos Episcopus, & in vrbe, & diœcesi

& diœcesi comprobabit: dummodo talis sit numerus eiusmodi sacerdotum, ut confiteri uolentes delectum habeant inter illos. Sacrę verò Eucharistię Communionem in propria parochia, uel in alia ecclesia, quam Episcopus statuet, diebus festis percipient, idque in Missa solenni, si modo eo loco, eoq; die celebrabitur.

34 Illius autem rei fidem, tertio quoque mense, Episcopo exhibebunt.

35 Auersus ab Eucharistię Sacramento irreuerenter sedere, aut cum in Missa sustollitur, stare, nemo audeat. 1. de ecclesiæ & earũ cultu.

De vasis, instrumentisq; ad sacræ Eucharistiæ in ecclesia administrandæ usum, cum eorundem formis.

SVMMARIVM.

1 *Scamna oblonga in Cathedrali, collegiata, & parochiali quot. Cuiusque formæ.* 2.
3 *Mappæ longiores ad scamna sternenda, in Cathedrali, collegiata, & parochiali ecclesia, quot, qualesque.* 4.
5 *Mappulæ breuiores, & quot eiusmodi.* 6.
7 *Vasa pro purificatione populi quot, cum illorum forma.* 8.
9 *Vasa hæc ad alium usum non adhibenda.*
10 *Vasa uinaria pro uino purificationis, quot, & qualia.* 11.
12 *Pixides quot, & quales. De vasis ad sacram Eucharistiam ægrotis deferendam, nu.* 1. *Et de custodia Sanctæ Eucharist.*

1 SCAMNA *oblonga in Basilica Cathedrali ad ad apparatum communionis populi, sex, plurave, prout est eius frequentia.*

2 *Scabella oblonga, quæ vsui sacrę Communionis in ecclesia præbendæ, sunt, altitudine constent cubitorum circiter duorum, latitudine vnciarum sexdecim; sint condecenter dolata.*

3 *Mappæ ad apparatum communionis, ministrandæ in Basilica Cathedrali decem, plures, pauciores ve pro populi ratione in collegiatas plurave parochiali quattuor, plurave.*

4 *Mappæ, quibus scabella oblonga, ad sacræ communionis, in ecclesia ministrandæ, vsum parata, sternuntur, latæ sint, non minus cubitis duobus: longe verò, vt est scabellorum longitudo.*

5 *Mappulæ breuiores, subter sanctissimam Eucharistiam sustinendæ dum in ecclesia, aut ægrotis ministratur in Cathedrali quinque, in Collegiata*

1 Inst. supell. eccl. Basil. Cathe. eccl. colleg. & paroc. ii. 2. de supel. quę ad cultũ, & adm. sacræ Euch. &c. vsui est.
2 Inst. de for. suppel. lib. 2. De scabellis oblongis.
3 Instr. suppe eccl. Basil Cathe. eccl colleg. & paroc. De supell. q̃ ad cultũ, &c.
4 Inst. de for. sup. libro 2. De Mappis ad vsum sacræ Commun.
5 Instru. sup. eccl. libro 2. Basi. cath. colle. & Par. ecc. Quæ ad cultum, &c.

giata & parochiali Ecclesia totidem.

6 Inst.de for. supp.libro 2. De Mappis ad vsũ sacræ Comm.

6 *Mappulæ autem breuiores, quę ad eum usum parãtur, cum in ecclesia, vel ægrotis sacra Eucharistia ministratur, confectæ sint nitro, & tenui textura opere: longè pateant cubitos tres, latæ circiter duos: ac ne extremitates quidem fimbriatas habeant, præter capita, quæ certè exornari cõuenit.*

7 Instr. supp. eccl. Basil. Cathe. colleg. & paroc. vt sup.

7 *Vasa pro purificatione populi in cathedrali quattuor, sex ve in collegiata totidem, in parochiali quattuor.*

8 Inst. de for. supp. lib. 2. de vasis pixidis

8 *Vasa ad purificationis vsum parata, caueatur, ne si aurea, aut argentea sint, calicis formam exhibeant, neque verò similia item Cyathis vinariis, è chrystallo saltem conficiantur.*

9 3. de ijs, q ad Sac. Euch. pert.

9 *Ad communicantium purificationem vasa adhibita, nè alterius rei vsui sint, eaque propterea in Sacristia seruentur.*

10 Inst. supp. li. 2. vt suprà.

10 *Vasa pro vino purificationis maiora, in cathedrali quattuor, ac minora totidem: totidemq; in Collegiata, in parochiali verò, duo.*

11 Instru. de for. supp. li. 2. De vasis purif.

11 *Oenophora è stanno parentur, ita ampla, quæ purificationis vinum contineant: urcei item minores.*

12 Inst. supp. lib. 2. vt sup.

12 *Pixides duæ, ac plures ẽt, pro ratione frequentis populi, ad sacrã Communionem conuenientis, eæq; grandiores, & ad eum vsum, cùm scilicet aliquando, eodem tempore, viris separatim à fœminis sacra Eucharistia ministratur: eodemq; item tempore aliæ hostiæ ad eiusdem populi cõmunionẽ consecrandæ sunt: idq; in Basilica Cathedrali, in Collegiata uerò, vna; at si animarũ cura ibi geratur, plures pixides, vt in Basilica Cathedrali, suprà narratum est: in parochiali autem vna.*

4. quæ ad sanctiss. Euch. Sacram pert.

Duas Pixides vnaquæque parochialis ecclesia saltem habeat, altera forma maiori ad vsum sacræ communionis, populo in ecclesia ministrandę; alteram minori, qua sanctissimum Sacramentum, ad infirmos deferatur.

De sancta Eucharistia ad ægrotos deferenda: indulgentiaq; publicanda.

SVMMARIVM.

1 *Sacra Eucharistia, hortante parocho, à populo prosequenda.*
2 *Eiusq; deferendæ causa quid ulterius à parocho curandum.*
3 *Sodalitates corporis Domini instituendæ.*
4 *Institutæ quibus regulis vtantur.*
5 *Sacra Eucharistia à parocho deferenda: & eo impedito à quo alio Sacerdote.*
6 *Noctu, quando ad infirmum deferri possit.*
7 *Antequam feratur, ægroti cubiculum apparandum.*
8 *Confratrum eiusdem sodalitatis ea in re officium.*

Vestę-

9 *Vesperi pridie delationis diei, & cùm deferenda erit signum campanæ dandum.* 10.
11 *Parochus delaturus, lotis manibus, oret, superpelliceum, stolam, ac pluuiale induat.*
12 *Clerici comitantes quo habitu induantur.*
13 *Quidque in uia recitent.*
14 *Quid item, laici, & quo ordine prodeant.*
15 *Particulæ duæ sacræ à parocho deferendę.*
16 *Et quando unica tantum.*
17 *Obuians sacerdoti Eucharistiã deferenti, equo, curru &c. descendat, et genuflectat. Illaq; comitetur & quod ea in re parochi officium.*
19 *Aegroti familia illi quoque obuiam procedat.*
20 *Infirmos, sumere impeditum, quid agendum.*
21 *Periculosè ægrotanti, sumpta eucharistia, & extrema unctione, pro uiatico illa iterum non præbenda, eadem in infirmitate.*
22 *Aegrotanti sepius tamen Eucharistiã, pro cõione ministrari liceat.*
23 *Reus capitis damnatus, quo die Eucharistiam pro uiatico sumpsit, ultimo supplicio non afficiendus.*
24 *Relato ad ecclesiã Sacramento, indulgentia denuncianda benedictioq; impartienda.*
25 *Eadem indulgentia à Paulo III. concessa his sodalitatibus sæpe promulganda, &.*
26 *In quibus sodalitijs id præstandum.*
27 *Indulgentia etiam à Gregorio XIII. concessa eisdem sodalitatibus euulganda.*

1 VT sanctiss. Eucharistia, ad ęgrotos summa cum religione, deferatur; parochi populũ sæpissimè hortentur, vt frequens semper prosequatur. Primũ, quæ pert. ad Sacr. sanc. Euchar. Conc. Tridẽ. Sess. 13. c. 6.

2 Parochus hortetur, & curet, vt vnusquisq; paterfamilias, præsertim dato campanæ parochialis signo, quo sacræ Eucharistiæ ad ægrum deferendę significatio fit, sine mora in Ecclesiã parochialem conueniat, vel aliũ de familia digniorẽ mittat, ad illã cereũ candelęve lumine prosequendã. Si qñ autem is, qui paterfamilias est, per necessariã occupationem non potest, saltem certum aliquẽ hominẽ, vel filium natu maiorẽ, uel denique famulum, aliumve mittat; qui id pietatis officium præstet. Atque eam ob causam domi etiam omnis paterfamilias perpetuò funale cereum, aut cãdelam vnam, pluresve habeat, quæ ad id pietatis opus, officium q; usui sint. 6. quæ ad sãc. Euch. Sac. pt.

3 Quamobrè et sodalitates Corporis Christi in parochijs instituant. 1. vt suprà.
4 Quæ pręterea sodalitates, eo nomine, vt alias prima Prouinciali

Synodo

3. de ijs, quæ ad Sac. Euch. pert.

Synodo iussum est, institutæ iam sint, & in posterum instituentur; regulis vtantur ad communem illarum, huius Prouinciæ sodalitatum vsum nostro iussu edendis. Quibus Episcopus addat, quæ pro urbis, diœcesisve suæ ratione expedire videbuntur.

4. quæ ad sanctiss. Euch. Sacram. pert.

5 Ad ægrum parochus ipse, nisi in valetudine, aliave necessaria causa impeditus sit, Corpus Domini deferatur: si verò aliquando in hoc ministerio necesse habet alio sacerdote uti; ne alio, si potest, vtatur; nisi quem, ad confessiones audiendas, concessa scriptis facultate, Episcopus probauerit, idoneumque iudicauerit: cùm sæpè contingat, ægrum, cui sanctissimum corpus Domini defertur, iterum confiteri velle, propterea quòd post peractam confessionem aliquid commiserit, vel ante commissum meminerit.

5. quæ ad sanctiss. Euchar. Sacram. pert.

6 Cum verò ad ægros, omni reuerentia, omnique religiosi cultus studio, atque honorifice, quò ad eius fieri potest, afferēda i la sit, neque id noctu commodè fieri queat, vetitum propterea sit, ne noctu afferatur, nisi ægri mortis periculum instet.

5. vt suprà.

7 Parochus, ægroto illam allaturus, accuratè hæc præmoneat, primò, ut ægrotantis cubiculum ab omni sorde, omnique inquinamento purgetur, & amota omni re profana, pio apparatu, & sacris imaginibus, ubi pòt, exornetur; tū præterea mensa, mappa nitida, puraque constrata, cruce, aliaq; effigie sacra, c ādelabris, & cādelis, cereisve saltē binis instructa apparetur, in qua sup corporali pixis, cū sanctiss. ipso Sacramento collocari possit: sit etiam uas uitreum ad ablutionis usum.

8 Quę omnia, ut ab ijs, qui ægroti curam habent, parentur, cura sit in primis confratrum sanctiss Eucharię. Apud eos verò, qui præ eorum egestate, inopiaq; id præstare non poterunt, ipsi sodales apparent.

9 Deinde idem parochus, & uesperi pridie illius diei, quo sacrā Eucharistiam allaturus est, si eo tempore de hoc officio præstando certior est, & tunc item paulò scilicet ante quam afferat, certis campanę percussionibus confratres sanctissimi Sacramenti, & clericos, & reliquos fideles, præsertim illius parochialis uicinię, euocari mandet, qui illud pia ueneratione prosequantur.

1. vt suprà.

10 Cùm verò deferenda erit, tū cum campanę sonitu præmoneant.

5. Ibidem.

11 Post ipse, ubi manus lauerit, ad altare genibus flexis, paululum tacitus religiosè oret, tum superpelliceo, stola; ac, ut alio Concilio decretū est, pluuiali, ubi potest, se induat.

3. de ijs, quæ ad Sacr. Euc. pert.

Sacerdos, cum Corpus Christi Domini ad ægros interdiu in Vrbe, alijsq; frequentioribus locis defert, non superpelliceo solū, sed pluuiali præterea indutus incedat, ubi per facultates, & per loci, temporisq; rōnem commodè fieri potest: tum præterea, ubi etiam potest, aliqui clerici adhibeantur, clericali habitu, & superpelliceo indūti, qui comitan-

tes

tes unà cum deferente, sanctas religiosasq; preces recitent. 5. Ibidem.

Sacerdotes uerò ceteri, clericive, qui comitãtur, superpelliceum adhibeant; si canonicorum capitulũ sit, cappam, uel almutium aliudve indumentum, vt illis in choro moris est.

13 Reliqui fideles bini prosequantur, capite aperto, & quamplurimi cãdelis accensis, ac primo loco uiri, in quibus scholares sanctissimi Sacramenti precedant; postremò fœminę.

14 Parochus, cùm uel sacrosanctam Eucharistiam, uel extremę unctionis sanctum oleum ad ęgrum defert, in uia septem psalmos ex animo, pièq; dicat, vel alias religiosas preces. Omnes, presertim ecclesiastici homines, hymnos, & psalmos pœnitentiales, aliosve, intima animi pietate simul cum parocho, sed alternatim pronuncient; atque alij item religiosè orent. 2. tit. 1. dec. 15. 5. Ibidem.

15 Duas autem sacrę Eucharistię particulas deferant, ne eis ad ecclesiam redeuntibus, populus inane uasculum adoret. 1. Ibidem.

16 Quod superioris Concilij Prouincialis decreto, de duabus Eucharistię particulis, ad ęgrum deferendis, constitutum est, id quoniam non sine difficultate ubiq; & semper obseruari potest: ideo ubi Episcopi iudicio, uel loci distantia, uel itineris, temporisve difficultas, uel alia causa impedit, quominùs illud prestari possit; tunc licebit sacerdoti, eã sanctissimę Eucharistię particulam solum deferre, quam ęger perceptu-rus est: ita tamen, ut, cum inde parochus redit, non superpelliceo, non stola indutus sit, neq; tintinnabulum pulsetur, neque vmbella adhibeatur, extinctis ẽt luminibus, non palam uasculum deferatur. 2. ti. 1. dec. 11

17 Cùm quis sacerdoti, sanctissimi corporis Domini Sacramentum ad ęgros ferenti, aut cum eodem inde redeunti, obuiam fit, dum uel equo, uel curru, uel iumẽto uehitur, ubi primũ illum id ferentẽ, uiderit, inde statim descendat, humiq; flexis genibus tamdiù in adoratione permaneat, quò ad ille cum Sacramento transiuit. 5. Ibidem.

18 At uerò omnis, siue sacerdos, siue clericus, siue laicus, quicumque eidem sanctissimo Sacramento obuiam fiet, pro Christianę religionis cultu, domum usque eius, cui ministrandum est, & ad ecclesiam quoq; quo reditur, pia uenerationę prosequi, & comitari omninò studeat, nisi necessitate, causaue urgenti uehementer impediatur.

Id omne, ut cuncti fideles studiosè, religiosèq; prestent, illos unusquisque parochus quàm sępissimè, ac diligentissimè commonefaciat.

19 Familia uerò, quę domi habitat, ubi ęgrotus est, sanctissimo Sacramento, ad ecclesiam usque uel saltem extrà ianuę fines obuiam procedat cum cereis accensis, & omni alio interiori, & exteriori pietatis cultu, depositisque planè armis.

20 Sacra cõmunio ad ęgrotũ non deferatur, nisi ad eum, qui uerè illã

sumptu-

sumpturus est. Si verò aliquando fit, vt dum ad eum parochus venit, morbi vi ità affectum illū inueniat; ut eam tunc ministrare ei non possit, collocata pixide super corporale in mensa, eo nomine ad parata, paululum moretur, cum genibus flexis, vna cum cæteris, qui adsunt, ac potissimum cum ægroto ipso sanctæ oret: ac posteà recessurus, Eucharistia pixide inclusa, eidem benedicat. Quod si ægrotus ipse id vehementer exoptat, Sacramentum aperta etiam pixide, liceat ostendere adorandum.

21 Cum quis periculosè ægrotans, ac etiam penè in extremo spiritu sanctissimā Eucharistiā, & Sacramētū extremæ Vnctionis susceperit, si posteà aliquot dies superstes sacram Communionem sibi ministrari petit, eius pro religiosoque desiderio parochus nè desit modo nè pro viatico iterum in eodem morbo præbeat; cum id à sanctis patribus olim fieri consueuisse traditum sit.

4. quę ad sanctiss. Euch. Sacram. pert.

22 Aegrotantibus, etiam sine mortis periculo Sacræ Eucharistiæ frequentius sumēdæ, desiderio flagrantib. iis præsertim, qui dū integra valetudine sūt, frequēti Sacrōrum vsu, se religiosè, salutariterq; pascunt, nè parochus, quantū per alias necessarias in parochiali munere occupationes sibi licet, spiritualem illam consolationē, salutare q; adiumentum, religiosa præparatione ab eisdem adhibita, deneget.

5. vt suprà.

23 Reus capitis damnatus, quo die pro viatico Sanctiss. Corpus Domini sumpsit; Christo Redemptori, qui pro illius etiam anima sanguiné in ara crucis profudit, à piis iudicibus, magistratibusque illo ipso sāguine redemptis, tribuatur, ut nè eo die supplicio afficiatur, ut multis locis pię, & laudabilis consuetudinis est.

3. de ijs, quæ ad Sacr. Eucharist. pert.

24 Perfunctus deferendi Sacramenti munere sacerdos, ubi ad Ecclesiam red erit, fidelibus, qui in eo deferendo præsentes q; adfuerāt, quā ex illo pietatis officio consequuti sint indulgentiam denunciet; paucis uerbis eos cohortans, ut in religioso eo instituto sanctæ perseuerent; tū pronunciata oratione, quæ est de sanctiss. Sacramento illos dimittat in pace cum benedictione.

25 Indulgentia autem a Paulo Tertio Pontif. Max. corporis Domini sodalitatib. concessa Papæ promulgetur, crebrisque cohortationibus fideles incendantur, quo frequentiores illæ, vbique locorum instituantur, institutæque debitum munus obeant.

4. vt suprà.

26 Quod de Indulgentia à Paulo III. Pont. Max. corpus Domini sodalitatibus concessa, sæpius promulganda, Concilio Prouinciali tertio sancitum est, id in iis sodalitiis præstetur quib. illa tributa, cōcessa ve est.

27 Indulgentia verò a Sanctiss. D. N. Greg. XIII. omnibus, & singulis, quæ in hac prouincia institutæ, instituendæve sunt, corporis Domini sodalitatibus data, cuius concessæ Indulgētiæ exēplum

typis

typis impressum, in vltima huius libri parte extabit, vbique in illis, sæpeq; promulgetur, ad excitandos in salutari instituto, eiusq; munere sollicitè obeundo, fidelium animos.

Quæ ad medicorum officium erga infirmos, attinent quæque alia ad hunc titulum pertinere aliqua ratione poterunt, videantur potissimum in tit. de Sacramento Pœnitentiæ, & titulis alijs, in quibus de sacra Eucharistia mentio extat.

De vasis, instrumentisq; ad sacram Eucharistiam ægrotis deuotè afferendam opportunis, cùm eorundem formis.

SVMMARIVM.

1 *Pixis vna, tàm in Cathedrali, & collegiata, quàm parochiali ecclesia.*
2 *Sacculus, eiusq; forma.*
3 *Vela duo maiora, tam in Cathedrali, & collegiata, quàm parochiali Ecclesia, & cuius formæ.*
4 *Vmbella maior, eiusq; exemplar.*
5 *Vmbella alia minor, & qualis.*
6 *Crux, imago ve, & cuiusmodi.*
7 *Latermæ grandiores in Cathedrali, & collegiata sex, in parochiali quatuor.*
8 *Illarum forma, cum hastilibus.*
9 *Cereoferaria breuiora in Cathedrali. & collegiata viginti quatuor, in parochiali duodecim.*
10 *Eorum forma.*
11 *Tintinnabulum.*

1 *Ad sanctissimam Eucharistiam ægrotis deferendam tam in Cathedrali, & Collegiata, quàm parochiali Ecclesia pixis vna saltem adsit.*

Duas Pixides vnaquæque parochialis ecclesia saltem habeat, alteram forma maiori ad vsum sacræ Communionis, populo in Ecclesia ministrandæ; alteram minori, qua sanctissimum Sacramentum, ad infirmos deferatur.

Instr. sup p. eccl. Basil. cathe. eccl. colleg. & paroc. lib. 2.

Ee supel. quę ad cultum, & administr. sacræ Euch. &c. vsum est.

2 *Pro hac Pixide ad ægrotos deferenda, sacculus sericeus ab vnoquoq; diœcesis parocho habeatur ornatissimus, cùm opus erit, adhibendus.*

4. quæ ad sanctiss. Euchar. Sacr. pert.

Ibid.

Sacculus

Instr. de for. supp li. 2. de sacculo Pixidis.

Sacculus, in quem pixis includatur, cùm sacra Eucharistia, per loca montuosa, præruptos que colles via difficili defertur, è serico villoso, bencq; contexto sit, colore autẽ albo, ritu Romano, sed rubro, more Ambrosiano. Intrinsecus circumuestitus tela bombycina eiusdem coloris, vt est sacculus. Altior paulò sit pixide, quæ includitur.

Fundum habeat firmiter consutum, benè crispatum, non quadratum, sed rotundum instar rosæ. A summa parte funiculos sericos. eosq; solidos, certis foraminibus ita insertos habeat, vt cùm ducuntur, sacculi os astrictum, bene cohæreat. Qui sacculi ita oblongi sint, vt cum vsu venerit, illis collo appositis, pixis inde pendeat.

Instr. supp. Basil. cathe. Eccl. Colleg. & paroc. li. 2. De suppell. q̃ ad cultum & admin. sacræ euch. &c. vsui est.

3 *Vela præterea duo ad sacræ Eucharistiæ contegendæ vsum, cum ad ægrotos illa defertur tam in Cathedrali & collegiata, quàm parochiali Ecclesia adsint.*

Vela maiora ad sanctissimæ Eucharistiæ deferendę vsum, auro pariter, aut argento intexta, aut si quis velit, etiam aurea, aut argentea, lata sint, vt veli tela, longa cubitis sex.

Inst. de for. supp. li. 2. de velis Pixidis in fi.

4 *Vmbella vna in vnaquaque ecclesia, Cathedrali, collegiata, ac parochiali, vsui cùm ad ægrotos Eucharistia defertur.*

4 Instr supp. Ecc. Cathed. Colleg. & paroch ecc. li. 2 De suppell. q̃ ad cultũ, &c. vt suprà.

Vmbellę, vna scilicet ad sacrę Eucharistiæ contegendę, altera ad insigniorum processionum officium vsui, è serico, aut panno, auro, argentove intexto sint. Vmbella autem minus pretiosa è panno subserico, uel saltem è zambelloto confici poterit.

Instr. de for. supp. lib. 2. de vmbellis.

A superiori parte contectæ sint tela bombycina: vndique verò ornatum habeant duplicium fasciarum, quę duodecim circiter vncijs longè pendeant: ijsque fasciis consutæ sint ab omni parte fimbriæ filamentis satis prolixis. Porrò inter vtramque fasciam hastile inseratur: quod panno adaptatum, & annexum, rectè extendat latera vmbellæ. Cuius vmbellæ lateribus singulis, hastilia picta, paribus inter se spatijs disposita, quibus illa tolli, & gestari possit, quattuor, pluraue pro eiusdem vmbellæ magnitudine supponantur.

Sint verò vmbellæ rubri coloris, vbi ritus Ambrosianus est, & vbi Romanus, albi.

Inst. supp. eccle. colleg & paroc. ecc lib. 2. tit. de sup. quæ ad cultũ &c. ut suprà.

In locis montuosis vbi per semitas, angustosque tramites sanctissima Eucharistia aliquando fertur, umbella augustior sit, atque eiusmodi, quæ ab vno tantum homine sustineri, portariue queat: quæ vmbella in Collegiata, curata, ac parochiali ecclesia adsit sequentis formæ.

Inst de for. supp lib 2. de vmbellis.

Tertia vmbella, quæ adhibenda est, ubi sæpè per semitas & angustos tramites sanctissima Eucharistia fertur, eiusmodi sit, quæ in orbem ducta, ac non nihil fastigiata, latè per diametrum pateat cubitis circiter tribus: fasciola præterea circundetur, quæ ex eadem materia constans, filamentis appensis circulatim pendeat,

Crux,

6 *Crux, imagove Christi Domini crucifixi in Cathedrali, collegiata, & parochiali una, eaque decenter expressa ad infirmos deferenda.*

Crux quæ ad ægros fertur, ex auro, argentove, aut auricalcho, è ligno picto, inauratoq; præclarè cõfecta, eiusmodi sit, in qua Christi Domini imago decorè expressa pietatem excitet.

7 *Laternæ grandiores usui sacræ Eucharistiæ ad ægros ferendæ in Cathedrali, & collegiata sex, in parochiali quattuor.*

Lumina &c. Vide infrà, nu. 8.

8 *Laternæ ad sanctissimi Sacramenti ferendi usum comparentur quattuor, quæ ex ligno inaurato, pictove, aut ex tenuissima saltem lamina ferrea constent: in ijsque fenestellæ aptè dispositæ, cornu pellucido clausæ existant, ferrumq; prætereà intrinsecus promineat cereis inserendis infigendisve accommodatum. Vt autem altè præ ferantur, hastilibus longitudine quattuor cubitorum firmiter infixæ hæreant.*

9 *Cereoferaria breuiora, deferendis luminibus usui, cùm sacra Eucharistia defertur, in Cathedrali, & collegiata viginti quattuor; in parochiali duodecim.*

10 *Cereostrata breuiora, quæ usui esse possint sacræ Eucharistiæ associandæ, ea forma apparari debent, quæ cereoferarijs longioribus præscripta est: at hæc breuiora esse debent, ut cum usu uenerit, cereis insertis, possint manibus gestari. Colore, uel rubro, uel albo, prout ecclesia more utitur Romano, aut Ambrosiano.*

11 *Tintinnabulum gestatorium unum, cum sacra Eucharistia fertur adsit in Cathedrali, collegiata, parochialiq; ecclesia.*

Lumina, Tintinnabulum, & decorum uasculum, uelo etiam decenter contectum; ac prætereà, ubi fieri poterit, umbellam adhibeant.

Inst sup. ecc. cath. colleg. & paroc. ecc. lib. 2. de supel. quad cultum, &c.

6 Inst de for. supp. li. 2. de Cruce ad ægrotos ferenda.

7 Inst. supp. ecc. cath colleg. & paroc. eccles. lib. 2. de supp. quæ ad cultũ, &c. vt suprà.

8 Inst. de for. sup. lib. 2. de laternis.

9 Inst. supp. ecc Cathed. colleg. & paroch. ecc. li. 2 De suppell. q ad cultũ. &c. vt sup

10 Instr. de for. sup. li. 2. De cereo strat is breuiorib.

11 Inst. supp. eccl. Cathe. colleg. & paroc. ecc. li. 2. de supp. quæ ad cultũ, &c. vt supra.

Primũ, quæ pert ad Sãct. Sacr. Euch.

De sanctissimo Sacramento processionaliter deferendo.

SVMMARIVM.

1 *Sanctissimum Sacramentum die festo corporis Christi à quo circumferendum.*

2 *Processiones in celebritate corporis Domini quibus in ecclesiis, & quando fiant.*

3 *Reliquiæ in illa processione non deferendæ.*

4 *Canonici intortitium, & alij ministri cereos accensos deferant.*

5 *Superpelliceo induti.*

6 *Vt solennitas Corporis Christi à fidelibus religiosius colatur, quid parochus cum fidelibus ipsis agat.*

Indul-

7 *Indulgentiæ quoque concessæ hæc præstantibus, euulgandum, videlcet. Ieiunantibus, &c.*

8 *Ea processionis celebritas è fenestris non spectanda.*

Reliqua ad rectam processionis agendæ rationem videantur in tit. de Processionibus, & supplicationibus.

Primũ, quæ pert. ad Sacr. sanct. Euch.

1 DIE festo Corporis Christi Domini, cùm sacrosancta Eucharistia in solenni supplicatione gestatur, si adfuerit Episcopus, is eo ferendæ Eucharistiæ officio fungatur, si nõ adfuerit, id munus exequatur solus is presbyter, qui secundum Episcopum, pro eius loci consuetudine, honore cæteris præstat, nisi ex priuilegio, aut consuetudine ad alium presbyterum ea cura pertineat.

Conc. Trid. sess. 13. ca. 5. de cultu, &c.

2. ti. 2. dec. 7.

2 Quæ processiones post solennem illam, quæ manè in celebritate Corporis Domini fit, vel eod. die, vel reliquis seq. septẽ diebus obiri solent, eæ ne fiant, nisi quibus Ecclesijs Episcopus concesserit, ijsq; facultatem tantum det, vt mane, non à prandio habeantur, nisi temporis iniuria impediret, quo minus manè obiri possent.

4. quę ad sanctiss. Euchar. Sacram. pert.

3 In solenni illa processione, in qua sanctissimum Domini corpus per vrbem religioso cultu defertur, ne reliquiæ vllæ, sed illud solum, vt veteris instituti, ecclesiæq; Romanæ matris consuetudinis est, pio, religioso q; apparatu, solenniq; celebritate feratur.

4 Canonici singuli, & qui dignitates obtinent, cùm processiones publicas, illam præsertim solennem, quæ in celebritate sacri dici Corporis Domini agitur, atque alias item in portando sanctissimo Sacramento singulis mensibus constitutas obeunt, intortitium accensum in manibus, capite aperto, ferant.

Capitulum autem decenti magnitudine, & crassitudine habeat, quot canonicorum numero satis sint.

Reliqui chori ministri cereos item accensos habeant, eosq; forma conuenienti.

4. de processionibus.

5 In omni processione, & illa præsertim, quæ solenni die Corporis Domini agitur, clerus secularis, superpelliceo mundo, candidoq; indutus, vt adsit, præmoneatur.

4. quæ ad sanctiss. Euchar. Sacram. pert.

6 Quò autem religiosius Prouinciæ nostræ fideles sanctissimi Corporis Christi Domini solennitatem colant; pietatis q; operibus, quæ sacro illius solennitatis tempore præstanda sunt, indulgentias à summis Pontificibus, Vrbano IIII. Clemente V. Martino V. item & Eugenio IIII. concessas, consequantur; parochorum cura sit, die Dominico, solennitatem præcedenti, hęc paterna charitate, gratiq;e

grauique sermone illos præmonere, atque hortari.

Primò, vt confessi, vel in solennitate, vel intra octauam, sacram communionem sumant.

Vt pro facultatibus eleemosynam dent.

Vt pure, casteq; in orationibus frequentes, atque assidui sint, in pietatisq; Christianæ exercitationibus conseruentur.

Vt pridie solennitatis ieiũnent.

Vt, & in solennitate, & reliquis deinceps septem diebus ad vespertinum, & matutinum, aliarumq; canonicarum horarum officium, & Missæ solennis sacrum frequentissimi conueniant, processionemq; solennem item supplices obeant.

7 Vtq; ad ea Christianæ pietatis officia fideles magis inflammẽtur; per eosdem parochos, indulgentiæ, vt infrà exponuntur, ab eisdem Pontificibus unicuiq; vere pœnitenti, & confesso datę, euulgentur.

Ieiunantib. pridie solennitatis, indulgentia cõcessa annorum cẽtũ.

Præsentibus in vesperis primis, Indulgentia annorum etiam cẽtum.

Ijs, qui in solennitate Missę solennis sacro intererunt, indulgentia annorum totidem.

Qui in matutino aderunt, ijs indulgentia annorum totidem.

Qui in secundis vesperis intererunt, ijs quoque data indulgentia totidem annorum.

Qui Primæ, Tertię, Sextæ, Nonę, Completorij officijs aderunt, indulgentia ijs datur quadraginta annorum pro singulis horarum officijs.

Qui intra octauam, vespertino, matutinoq; officio, & Missę solennis sacro aderunt, indulgentia item datur annorum centum.

8 Quod in multis huius Prouinciæ locis religiosæ consuetudinis est; retinere, aut, si cubi non est, introducere Episcopi studeant, ut omnes, tum mares, tum fœminæ sacro solennitatis sanctissimi Corporis Domini, religioseque die eam processionis celebritatem non è fenestris, neque omninò è superiori loco inspiciant; sed eam prosequantur, omni pia, religiosęque venerationis studio. 4. vt suprà, de processionis.

De Vasis, instrumentisq; ad sanctissimum Sacramentum in processionibus deferendum necessarijs, cum eorundem formulis.

SVMMARIVM.

1 *Tabernaculum paruulum; vnum in parochiali, in Cathedrali verò & collegiata duo.*

2 *Eiusdem tabernaculi forma ex decreto Prouinciali, & Instructibili.*

3 *Velum vnum in Cathedrali, & Collegiata tantum, & quale.*

4 *Vmbellę duæ, tam in Cathedrali, & collegiata, quàm parochiali ecclesia, & quales. De vasis, ad sacram Eucharistiam ęgrotis asserendam, num. 4.*

5 *Candelabra, cereoferariave duo, cum luminibus. De Processionum numero 9.*

Inst. sup. ecc. Basil. Cathe. & colle. ecc. lib. 2. De supell. quæ ad cultum, &c. Ibid. De supel. eccl. par.

1 TABERNACVLA paruula duo: alterum altius, atque ornatius, alterum minori, & altitudine, & ornatu. Amboque ad usum exponendæ in altari sacrę Eucharistiæ, & in processionibus ferendę, in Cathedrali, collegiataque Ecclesia.

Tabernaculum paruum ad sacrę Eucharistię, in altari exponendæ usum. & in processionibus ferendæ in parochiali.

4. quæ ad sanctiss. Eucha. Sacr. pert.

2 Tabernaculum autem, quod agendis processionibus, uel exponendę sacrę hostię usui est, pellucido uitro, uel christallo undique circundatum sit: tumulamque forma instructionibus suppellectilis Ecclesiasticæ præscripta, huiusmodi habeat, ut aperiri commodè possit, & fragmenta colligi, si quę fortè ibi relicta sunt. Ipsa autem tumula saltem cum suppohto paruulo scuto, ex argento constet.

Instr. de sor. supel. lib. 2. De Tabern. paruulo sanctiss. Euch.

Tabernaculum paruulum sanctiss. Eucharistiæ, sit ex auro, aut argento puro picto, eoque certis locis inaurato aut saltem ex auricalcho confiare debet, quod auri puri specie bene integatur.

Forma rotunda sit, & altitudine cubitali, aut maiori, minoriue, pro tabernaculi magni ratione: amplitudine, quæ hostiam amplam commodè capiat.

Distingui debet certis spacijs, intra columellas interiectis: quæ columellæ ornatè fabrefactæ, non impares, ne sacræ hostiæ prospectum à latere impari impediant: sed pares, nempè quattuor, aut sex, aut octo esse possunt: quæ si octo, binæ collocentur.

A summa parte columellarum existere debet ornatus è Zopho no Corynthio, quod opus fregio vocant, & coronicibus constans: ita ut in eo tabernaculi fastigium semisphęrale, aut pyramidali nitatur, adiunctis in ima parte fastigij duabus fibulis, siue uncis, quibus fastigium cum Zophoro connectatur, affixa in summo paruula cruce quadrata, aut imagine Christi Domini crucifixi, uel resurgentis.

Pes, quo tabernaculū huiusmodi sustentatur, in orbē latinsculè ductus, forma sexangula, uel octangula sit, quò firmius, & decentius hæreat. Nodus in medio decorè, rectèq; ornatus, nihil uel minimum eminens habeat,

quo

quo dum capitur, incõmodè capiatur, aut digiti quicquã lædantur. A parte inferiori tabernaculi, lamina orbicularis omninò argentea, atque inaurata, pro illius magnitudine esse debet: quæ sensim à lateribus, indeque circum in labijs eminens, fundum constituat, atque eiusmodi, vt, cum vsu venerit, amoueri queat.

In cuius laminæ fundive superiori parte, media affigi debet parua lunula aurea, vel saltem argentea inaurata, duplex: quæ, breui, tenuique suffulcimento sustentata, à fundo paululum extet; tantulo prætereà spacio diuisa, quantulum sacræ hostiæ crassitudo capit: eo item fabrili opere confecta, vt una altera in sustentaculo firmiter, aptèque inserta, aliquando disiungi possit: quò accuratius, si quæ fragmenta hostiæ sacræ in paruulo illius medio spacio remanserint, colligatur.

A parte autem inferiori lamina hæc paruulo, tenuiq; tubo transuersali constet, per quem spinula argentea ducta, eam laminam firmiter cum tabernaculo planè connectat.

Tabernaculo ita constructo, vas forma orbiculari, illius magnitudini aptè conueniens, à summa parte clausum, & solidum, ab ima uerò apertum è chrystallo, aut è uitro pellucido pretiosiori apparari debet: quòd intra ipsas tabernaculi columellas inseratur: unde sacræ hostiæ prospectus, esse possit.

3 Velum unum, idque insignius ad sanctissimam Eucharistiam in processionibus solennioribus ferendam, in cathedrali, collegiataque Ecclesia paretur.

Vela maiora ad sanctiss. Eucharistiæ deferendæ usum, auro pariter, aut argento intexta, aut si quis uelit, etiam aurea aut argentea, lata sint, vt neli tela, longa cubitis sex.

4 Vmbella una pretiosior, in solennioribus processionib. adhibẽda, eaq; tam in Cathedrali, & collegiata, quàm parochiali ecclesia præparetur.

Inst. supp. eccle. Basil. Cathe. & colle. eccle. lib. 2. De sup. quę ad cultũ, &c. Inst. for. sup l. 2. De velis Pixid. in fi. Inst. sup. ecc. Cath. colle. & paro. eccl. li. 2. & supel. quæ ad cultum, &c.

De oratione quadraginta horarum, & sanctissimi Sacramenti asseruatione, feria v. in Cœna Domini.

SVMMARIVM.

1 Oratio quadraginta horarum instituta, retinenda. 3.
2 Ea in ecclesia, & quæ. 3. Quoque modo habenda. 2.
4 Sanctissimum Sacramentum ubi collocandum. 2. Et quo ornatu. 2. 4.
5 Quot luminaribus.
Quibusq; clericis, qua ratione, & cum quibus alijs. 7.
6 Orationis huius initio, uesperi pridie expositionis, maneq; eiusdem diei signum campanis dandum.

8 *Clericis congregatis processio agenda.*
9 *Eo exposito, quot clerici assistant, quoque habitu.*
10 *Tabulæ precum, ad altaris cancellos affigendæ.*
11 *Sermo, frequenti populo, habendus.*
12 *Orationes eiusdem curatores, qui deligendi; quod illorum munus.*
13 *Sumptus ad ornatum orationis, ex eleemosyna faciendus.*
14 *Orationis eiusdem tempore, vas non exponendum.*
15 *Horis quadraginta continenter.*
16 *Populus oraturus in classes partiendus.*
17 *Fœminæ à viris separatæ orent.*
18 *Noctu, qui ad eam non conueniant.*
19 *Orantibus noctu deficientibus, quid faciendum.*
20 *Cùm oratio noctu celebratur ostia clausa retinenda.*
21 *In monialium ecclesiis noctu, nemo ad orandum intromittendus.*
22 *Sanctissimum Sacramentum reponendum, illo mane deprompto.*
23 *Horarum quadraginta tempore transacto diutius non exponendum, citra Episcopi licentiam.*
24 *Absoluta oratione in vna Ecclesia, si in alia sit inchoanda, quid agendū.*
25 *Præscripta ratio in exponenda ordinaria hac oratione, seruanda etiã in extraordinaria.*
26 *Extra hunc ordinem in vlla ecclesia non constituenda, siue Episcopi consensu.*
27 *In Cathedrali ecclesia oratio ipsa, pluribus luminibus, maiori cleri frequentia, & populi concursu celebranda; classium vt suprà distinctione facta.*
Orationi huic quadraginta horarum ordinariæ, aut extraordinariæ vacantibus, indulgentia concessa: eaque sæpè publicanda. De Indulgentijs. 13.
28 *Vbi sanctissimum Sacramentum feria quinta in Cœna Domini recondendum est, sacerdos excubet.*

¹ Primũ, quę pert. ad Sacr. sanct. Euch.

1 VT oratio, quam vocant, quadraginta horarum, coram sanctiss. Sacramento, quo frequentissimus populus conuenire solet, qua pietate, & religione instituta est, eadem retineatur, & propagetur, decernimus.

2 Vt Sacramentũ in altari, decenter ornato, collocetur: quo tpe, vel Litaniæ cantentur, vel si tem-

⁴ quæ ad sanct is. Euchar. Sacram. pert.

poris ratio patiatur, Missa celebretur, neq; tamen extrà ambitum templi sacra Eucharistia deferatur, nisi secus videatur Episcopo.

3 Oratio quadraginta horarum, religiosè instituta, vt perpetuò sanctis-

sanctissimè, cum salutariq́ue animarum fructu retineatur, hæc etiam præter cætera, eo de genere alias sancita, constituimus, & decernimus.

Primò in ijs solùm Ecclesijs siue sæcularibus, siue regularibus, fiat celebraturve, in quibus sanctissimum Sacramentum asseruatur: nec verò in ijs omnibus; sed in illis tantummodo, quas Episcopus statuerit.

4 Fiat autem in conspectu sanctissimi Sacramenti: quod è tabernaculo repositum, in maiori, aliove, si Episcopus ita censuerit, altari propalam collocetur. Quod, vt cum dignitate, decorè, religiosèque agatur, altaris, uel capellæ, vbi exponetur, collocabiturve, ornatus decens sit.

5 Cerei prętereà in altari accensi, ad summum decem, minimum verò sex decenti crassitudine, ac longitudine colluceant: lampades itē ne plures, quàm duodecim, aut tredecim, nec verò pauciores, quàm tres. licebit tamen Episcopo ob causam permittere, vt maior luminum numerus aliquando adhibeatur.

6 Orationis initio, cùm sanctissimum Sacramētum palā proponen. est, primùm datis solenniter de more pridie illius diei, vesperi, & iterū eo die paulò ante cāpanarum signis, præsens adsit, cùm sacerdos, pluuiali indutus, qui illud religiosè proponat: tùm illius ecclesiæ, ubi oratio futura est, aut totius parochiæ, si ecclesia parochialis est, clerus superpelliceo vestitus, qui in hac functione illum adiuuet.

7 Si verò, qui conuenerint, clerici, vel parochiæ, vel ecclesię pauciores sunt, quàm sex; alij aliunde euocentur, vt ne eo numero pauciores adsint; hiq́ue cum luminibus accensis, tum homines itidem, parochiæ, in cuius ecclesia, finibusve oratio exponitur, pręsertim sanctissimi Sacramenti sodalitati adscripti.

8 Processio in exponendo sanctissimo Sacramento per ecclesiam agatur litanijs, statisq́ue antiphonis, precibus, & orationibus, tum cereis accensis: itidemq́ue in eo reponendo seruetur.

9 Dum illud in altari propositum est, interdiù clerici duo superpelliceo induti, capite aperto, ad altare semper assistant: quorum alter diaconus, saltem sit; noctu verò saltem vnus, isq́ue in sacro ordine constitutus.

10 Ad altaris verò capellęve, ubi proposito sanctissimo Sacramento oratio fit, cancellos affixę sint tabulę precum, & orationum, quę pro temporum, calamitatumq́ue ratione orantium vsui ex sanctę Matris, Ecclesię instituto accommodatę, eæq́ue litteris grandiusculis exscriptæ, loco perpetuò sint.

11 Ad excitandam prætereà populi, in stata hac oratione uersantis

pietatem, hoc curetur, vt aliquando, quo præsertim tempore, quæve hora frequens est fidelium ad eam concursus, sermo, is breuis, ad pię meditationis studium inflammandum appositè habeatur.

12 Vt autem ad huius Constitutionis præscriptum omnia, quæ ad huius statæ orationis vsum, sanctè retinendum pertinent, decorè, rectè, ordineque agantur: vnicuique vrbis regioni ab Episcopo aliquot uiri graues, pietatis, spiritualisque vitæ amantes, & in ijs saltem vnus ecclesiastici ordinis, qui alijs præsit, constituantur: qui in sua quique regione orationis huius curam gerant, quo tempore illa celebratur. Eorum, præter cætera, munus erit, cùm videre, vt ad huius sanctionis præscriptam normam illa fiat, celebreturve; tùm quibus in Ecclesijs proximè ea futura est, illarum ministris ipsam significare, ac prænunciare.

13 Porrò ad ornatum, atque apparatum huius orationis celebrandæ, ne quid ob sumptus necessarios desit; à parochiæ incolis parocho, in cuius ecclesia illa fiet, adhibitis simul aliquot parochialis vicinię viris, Episcopo probatis, eleemosynam eo nomine quæritare, & colligere liceat. Quę eleemosyna, si quę vmquam ex impensis illis reliqua erit, Episcopi arbitrio in vsum, & ornatum, qui ad cultum spectet, sanctissimi Sacramenti, erogetur in illa ecclesia, vel in alia, vbi magis necessaria sit.

14 Nec verò, hoc vel alio prætextu, illo orationis tempore ad eleemosynam excipiendam, colligendamve pelues, aut uasa eiusmodi patula exponantur; sed Episcopi permissu, concessuve capsulas proponi liceat.

15 Orationis huius curatores videāt, vt per quadraginta ipsas horas continenter fiat: ac ne ad momentum quidem temporis, nec diu, nec noctu intermittatur.

16 Cui rei, quò cautius prospiciant; supputata parochialis vicinię incolarum, tum marium, tum fœminarum ratione, illisque in certas ob eam curam classes congruenrer distinctis, & dispositis horas statæ orationis pro supputatione inita, & populi partitione facta, ita separatim ordineque assignent, vt sua hora classes singulę ad orandum conueniant, & intermissionis nullum spatium relinquatur.

17 Hoc orationis tempore, in ecclesia, vbi illa celebratur, fœminæ à maribus separatæ, tabulato ad instructionum præscriptum interiecto, aut alio interspto adhibito, orent.

Interdiù autem mares, quantum fieri potest, separatim à fœminis orent.

18 Nemini autem eo, præter orantes custodes, huius orationis causa noctu conuenire liceat.

Ne

Ex vt suprà.

Ibidem.

Ne noctu fœminis orandi ſtata hora, aditusve in eccleſia detur. 4. vt ſuprà cũ ſequ.

19 Quòd ſi noctu orantes deerunt, ſanctiſſimum Sacramentum in tabernaculo reponatur.

Quòd ſi fortè ex hac, vel alia cauſa Epiſcopi iuſſu aliquando noctu intermitti contigerit; interdiù compenſetur continenti orandi ſpacio.

20 Cùm oratio noctu celebratur; ne propterea eccleſię oſtia pateant, ſed clauſa, pulſantibus, & ad orandum conuenientibus, etiam ſingulis, aperiantur.

21 In eccleſijs monialium, cùm oratio hæc celebratur, nemo prorſus noctu in illam ad orandum intromittatur.

22 Verùm ibi ſanctiſſimum Sacramentum per noctem in tabernaculo maiori repoſitum, moniales ſolum ab interiori eccleſia ad orantes, nocturno eo tempore per ſtatas horas in oratione perſeuerent; ſummo verò mane iterum è tabernaculo illud depromatur.

23 Præfinito illo quadraginta horarum tempore, nec verò diutiùs, in eccleſia, vbi conceſſum eſt, oratio hæc celebretur. Id verò temporis prorogari ne liceat, niſi Epiſcopi conceſſu.

Tamen cum noctu terminari contigerit, ad lucem produci eiuſdem iuſſu licebit, ſi quando huius orationis initium, & finem noctu fieri, minus decenter ille animaduerterit.

24 Per horam, antequàm in vna eccleſia oratio hæc terminetur, in altera, vbi proximè futura eſt, de more ritè inchoetur.

25 Quæcumque de loco, eccleſiave, in qua exponenda ſit ſacta Euchariſtia pro oratione quadraginta horarum, hac conſtitutione ſuprà preſcripta ſunt, aut de aliis ad cultum, & venerationem ſanctiſſimi Sacramenti, aut ad altaris, capellæve, vbi illud palàm proponetur, apparatum, atque ornatum pertinentibus, ea cum in ordinario orationis huius inſtituto, & uſu, tum etiam, ſi quando extraordinariè idem adhiberi petitum, aut conceſſum erit, inuiolatè, accuratèq; feruentur.

26 Oratio, quę quadraginta horarum dicitur, ne vlla in eccleſia extrà ordinem conſtituatur, ſine Epiſcopi conceſſu. Iſque eam ita ſanctè geri curet, vt pij illius inſtituti ratio exigit. 2. ti. 2. dec. 16

27 In eccleſia Cathedrali, quoties oratio quadraginta horarum, uel inchoatur, uel peracto in aliis eccleſijs illius curſu, in eadem iteratur, aliaue ratione exponitur, indicturve; omnis ratio ſuadet, vt ſplendidiori luminum apparatu, & maiori cleri frequentia, maioriq; populi cõcurſu habeatur, atque celebretur. Quare illius orationis initio, quod in ea eccleſia fit, rurſus in eiuſdem fine, vt epõ videbitur, cũ illius Eccleſiæ clerus, populusq; ſi quem pro parochię rõne peculiarem hẽt; tam etiam vniuerſus vrbis clerus, tam ſecularis, quàm regularis, quę ſuppli 4. vt ſuprà.

cationibus publicis interesse solet, ac sodalitates omnes; & cunctus præterea populus, suis parochialibus sanctorum insignibus distinctis, in illam matricem ecclesiam generatim, vniuersèque ad orationis celebritatem conueniat.

Sigillatim uerò pro uniuscuiusque parochię, uiciniæve, in classes distinctæ, ratione, quam Episcopus certam statuerit, inieritve idem tum clerus sęcularis, ac regularis, tum populus statis horis, sibi ordine speciatim atributis, ad eam Basilicam concurrat, more solennium processionum, cruce. s. prelata, & precum, añarum, psalmorum q; pio, ac religioso cantu; inde q; quo ordine processerit, eodem piè, deuoteque redeat.

6 quæ ad diu. off. pert.

28 Feria quinta Cœnæ Dñi, quò religiosius colatur, & custodiatur locus, in quo sanctiss. Christi Domini corpus recondi solēne est: Episcopus diligenter curet, ut & in Basilica Cathedrali, & in Ecclesijs, tam collegiatis quàm parochialibus semper unus saltem Sacerdos, aut sacris initiatus, eo sacro loco, tanquam in statione collocatus, excubet, atque euigilet in assidua precatione, sanctaque meditatione.

De Vasis, & instrumentis exponendę sacræ Eucharistiæ vsui, pro oratione quadraginta horarum, necessarijs cum eorundem formulis.

SVMMARIVM.

1 *Tabernaculum paruum, & cuius formæ. De vasis, &c. ad sanctissimum Sacram. in proces. deferen. num. 2.*
Vela, & qualia. De custodia sanctiss. Euch. num. 10.

Instr. supp. eccle. Cathe. colleg. & paroc. eccl. li. 2. De supelle. q ad cultū. &c.

1 TABERNACVLVM unum in parochiali ecclesia, ad exponendam in altari sacram Eucharistiam; & in processionibus deferendam, in cathedrali uerò, & collegiata ecclesia duo sint, ad eundem met usum.

Quæ pertinent ad Sacramenti pœnitentię administrationem.

SVMMARIVM.

1 *Confessio peccatorum semel saltem in anno parocho facienda. Non tamen vsque ad hebdomadam Sanctam differenda. 13.*
Confessi in Pascha referendi in librum. De Confessario. nu. 37.
Qui eo tempore non communicarint, ecclesiæ ingressu interdicendi. De Sanctæ Euchar. in eccl. administr. num. 8.
2 *Quod interdictum, vt relaxandum.*

Con-

3 Confessus alienæ diœcesis confessario non approbato, ut inconfessus habendus.
4 Confessarij eiusmodi pœna Decreti que publicatio.
5 Aegris à medico confessio suadenda, & quid aliud agendum.
6 Parochi, & ægroti familiarium officium erga illum ægrotum, 7. in fine.
7 Medicus excommunicationem incurrit ægros inconfessos vltra quatriduum visitans, vsque illam euadat, quid faciat. 11.
8 Domesticis spiritualis cura ægrotorum commendatur.
9 Vt Constitutio Pij V. a Medicis seruetur, Episcopi cura.
10 Eadem Constitutio quottannis semel promulganda.
11 Medici iurantes seruare prædictam Constitutionem, excommunicationem euadunt.
12 Aegrotis non prorogandum tempus confitendi, nisi Episcopi concessu.
13 Quando quoque loco non audienda confessio. De confessario numero 10. 11.
14 Illius audiendæ tempore parochi assistentia.
25 Quæ præparatio à pœnitentib. in illa adhibenda, quæque cauēda, 16. & de Sacramentis, & Sacrament. 13.
17 Vtque fideles ad illa sollicitè accidat, quid faciat parochus, & quando.
Absolutio quibus neganda. De confessario num. 15.
A quib. sacerdotib. audiri non possit confessio, num. 1.
A Sacerdotibus singulis saltem hebdomadis facienda. De Missis sine cantu. 54.
18 Eo item profecturi, vbi pestis, & hæresis est, confessarijque defectus, illa agant.
19 Mulier quoque paritura.
20 Nauigaturus etiam profecturus, periculosumque negotium suscepturus, confiteatur.
21 Idem faciat ab itinere, nauigatione, belloq. reuersus, req. benè succeßa.
22 Pœnitentia publica, publicè peccantib. imponenda.
Vbi pœnit. pecuniaria sit danda, quib. locis attribuenda. De confeß. 18.
23 Publica, & solennis in vsum reuocāda, & instructionum præscripto.
24 In reuocandis publicis peccatoribus à peccandi occasione.
Episcopi cura, & quo præsertim tempore id præstandum.
Ieiunium quale, & quib. dieb. faciendum. De Aduētu, &c. à 2. ad 12.
Confessio in Missa non inchoanda nisi omnib. ad missæ ministerium necessarijs præparatis. De Missis sine cantu, 61.

Inno-

1. q ad pt. ad sacram. post administr. c. omnis vtr. sec. de pœnit. & rem. c. cũ infirmis, eo. 3. de iis, quæ ad pœn. sacr. per.

1 INnocentij Tertii constitutionem, in generali Concilio æditam, qua sancitum est, ut fideles, saltem semel in anno, proprio parocho peccata sua confiteantur, inuiolatè omnes seruent,

2 Si quibus Ecclesiæ ingressũ, Christianaq. sepultura publicè interdictũ est, qm confessi, ut est sanctæ matris Ecclesiæ præceptum sacræ Paschę tempore corpus Dñi nõ sumpserint, eorum interdicti vinculum non relaxetur; nisi primum cauerint, se tempore eis a parocho præscribendo, & de peccatis confessuros, & sacram Eucharistiam sumpturos esse, & in posterum sanctæ Ecclesiæ præceptis; & huic præcipuè obedientes fore, quod est de confessione, & de communione Paschæ tempore sumenda. Parochus deinde populo significet illos ipsos, quos iam interdicti vinculo irretito denunciarat; eodem solutos.

Ibidem.

3 Qui ad confessarium, etiam regularem, in aliena diœcesi commorantem, dedita opera se conferens, peccata sua fit confessus, nisi confessarius illæ, & ab Episcopo loci, & à confitentis ordinario ad confessiones audiendas probatus erit, ei, tanquam in confesso, parochus Eucharistiæ Sacramentum nè præbeat: illius præterea ordinarius, cuius confessionem ille sacerdos confessarius non probatus audierit, nè eum patiatur in sua diœcesi confessiones per biennium audire, neque itidem concionari.

4 Quod decretũ Quadragesimę initio a parocho promulgetur quibus locis Episcopo videbitur.

3. vt suprà.

5 Salutarem eiusdem Innocentii Constitutionem, eo item Concilio latam, nos ad vsum reuocantes, præcipimus, ut medici ad ęgros, in lecto iacentes, adducti, antequam illorum curam suscipiant, eos planè moneant, ut idoneo confessori de eorum peccatis confiteantur.

Quibus etiam denuncient, se, nisi id quattridui spatio ad summum præstiterint, eorum curationi defuturos.

6 Parochum etiam curabunt certiorem fieri de eo, qui in eius parochia morbo affectus teneatur, qui pro sui officii munere statim ęgrum, conuenire, & cum eo agere debet, ut per hoc Sacramentum Deo reconcilietur.

7 Iubemus autem medicos, excommunicationis pœna iis proposita, quam iure ipso subeant, si secus fecerint, transacto quattriduo ab illorum curatione omninò abstinere; nisi certo cognouerint, eos postquã in eam febrim, morbumue inciderunt, confessos esse, aut Episcopo, eiuè, cui Episcopus eius rei facultatem dederit, aliud ex iusta causa videatur.

8 Hortamur denique omnes, quos aliqua de ægrotis cura attingat,

vt

vr nullam occaſionem omittant inculcandi eis, quę ad animę ſalutem pertineant.

9 Quod Summus Pontifex Pius V. propoſitis excommunicationis, aliiſque pœnis iuſſit, medicos ab ęgrotantis curatione poſt triduum abſtinere, niſi eo tridui ſpatio, de peccatis ſuis confeſſus ille ſit, id Epiſcopus curet quàm diligentiſsimę obſeruari. Rationemq; prętereà aliquam ſtatuat, qua medicis ipſis facilius exploratum eſſe poſsit, ęgrũ peccata ſua verè confeſſum eſſe. 2. tit. 1. decr. 17. De cõſt. n. 8.

10 Grauiſſima illa a Pio V. Summo Pontifice de Medicis edita conſtitutio, quotannis ſemel ſaltem, de more promulgetur, ſi id opus eſſe Epiſcopus cenſuerit. 3. de iis, quę ad pœn. ſacr. pert.

11 Medici quicumque, uel in vrbe, vel in diœceſi ſunt, duorum mẽſium ſpatio per ſingulos Epiſcopos, ſi id ante non pręſtiterint, iureiurãdo obſtringantur, quo ſpondeant, ſe, quod Pij V. Pontif. Max. ſanctione, de medicis edita, pręſcriptum eſt, integrè, inuiolatèq. ſeruaturos eſſe. Qui id iuſurandum pręſtiterint, nè excommunicationis pœna, Concilio prouinciali primo Decreta; ſed iis tantum pœnis illa Pontificia Cõſtitutione ſancitis, irretiti teneantur, ſi contrafecerint. 4. quæ pert. ad ſac. pœn.

12 Nec verò confeſſarius ſacerdos, confitendi tempus ęgrotãti prorogęt, niſi primum re cum Epiſcopo, eouè, cui ille id curę dederit, communicata, prorogationis facultatem, ſcripto exaratam, ab illo impetrarit.

13 Parochi ſępè cohortentur, & moneant fideles, nè confeſſionem, quę Paſchę tempore fieri debet, vſque ad ſanctam hebdomadã differant. i. ut ſupra.

14 Caueant Curati, nè ijs temporibus, quibus confeſſiones frequentiores eſſe ſolent, pręcipuè per octo dies ante Natalem Domini, & à Dominica Paſſionis vſque ad Reſurrectionis octauam, etiam alio ad funera, & alia ſacra officia uocati illud audiendę confeſſionis munus in ſua Eccleſia, ſine cauſa neceſſaria, prętermittant, aut ullo modo differant.

15 Ad ſacramentum pœnitentiæ, quo a peccatis liberamur, nemo ſine debita prępara tione accedat, ut in ſpiritu humilitatis, & amaritudine animę ſuę, non expectata confeſſoris interrogatione, ipſe peccata ſua confiteri poſsit: cuius tamen diligentia adiuuandus erit, vbi aliqua in parte deficere videbitur.

In pœnitentię ſacramento magna humilitas ſummè neceſſaria eſt. Itaque pœnitentes, cum ad confeſſarium, qui Chriſti Domini locum in eo miniſterio tenet, accedunt, intimo animi dolore, omnique humilitate, non ſubiectis puluinaribus, ſi neceſſitas aliud non poſtulat, ſeſe ad illius pedes proiiciant, ac proſternant, id quod ab Apoſtolicis vſq; 5. quæ ad pœnit. ſac. pert.

poſi-

positum est,ut se reos agnoscant,atque profiteantur mortis æternæ.

Dum confitentur,sint manibus iunctis,digitis paululum erectis, oculis demissis.

5.quæ ad pœnit.sacr.pert. 17 Vt ad sanctum pœnitentiæ Sacramentum fideles sollicitè,diligenterque accedant; ar parochus præstet, ut in hebdomada, quæ quadragesimam proximè præcedit,ad patrum familias ędes, quæ intra parochiæ suæ fines sunt,sigillatim eat, ac uideat accurratè, qui obligatione huius Sacramenti suscipiendi, & Sacræ Eucharistiæ Paschæ tempore sumendæ deuincti sint,eorumque nomina rectè describat: ac singulos præterea,eosque præsertim,qui per rarò confitentur,moneat,ut nè cõfessionem differant in postremos illos quadragesimę dies, quibus sacerdotes,vel ob mysteriorum celebritatem,assidua diuinorum occupatione ab audiendis confessionibus impediuntur, vel frequenti, tunc concursu fidelium defatigati,ita in eo ipso munere præstando fere opprimuntur, vt tantum, tamque salutare ministerium in frequentissima multitudine uix rectè illis præstare queãt. Proinde Quadragesimę hebdomadas, pro populi sibi commissi ratione, sic partiri curet, vt alias illi viciniæ,familięve,aut partim viris,adolescentibus, & pueris, partim mulieribus,virginibus,puellisue præstituat, quibus ad confitẽdum distinctè,atque in tempore accedant.

5. quæ ad pœnit.sacr.pert. 18 Salutariter ex doctrina Spiritus sancti cautum est, Christi fideles de peccatis confiteri debere,quotiescunque rem,actionemuè aliquam aggrediãtur, in qua præsens mortis periculum pertimescendum sit. Quamobrem parochus curet,atque efficiat, vt, præter id, quod Pij V. Constit.Decretoque prouinciali de ęgrotante sancitum est, si quis etiam parochialis eò profecturus est,vbi sit, aut pestis, aut hęresis, vbi nullam confessarii copiam habere possit,aut ad bellum iturus sit, pugnam initurus, aut iter infestum, nauigationemque periculosam facturus,ante quam uię, nauigationiuè se committat,peccata confiteatur.

19 Idem officium præstet de mulieribus proximè pariturus.

20 Id præterea cohortetur,ut quis nauigationem, iter longum, negociumuè periculosum suscepturus,religiosè etiam sumat sacrosanctę Eucharistię Sacramentum: & mulieri item proximè paritura frequentius.

Moneat quoque; sępenumero, cohorteturque, vt quoties quis rem arduam,& difficilem,etiam,in qua nullum mortis periculum extimescendum sit,aggreditur,primò confessus itidem faciat, ut tanto Sacramento corroboratus spe erectiori fiat rei benè gerendę.

21 Cum autem, vel ab itineris,uel à nauigationis, vel à belli alteriusue rei periculo,aut a negocii,vt cumque succesſit,cura difficili, benè iuuante Deo,liber erit; hoc cum hortetur item, ut quamprimum piè confes-

festus,Deo gratias agat huius sacramenti sumptione, in qua precipua quędam ratio inest,qua Deo pro immensis in nos collatis beneficiis aliquam gratiam referamus.

22 Iidem,quemadmodum a sancta Tridentina Synodo iussum est, publicè peccantibus,publicam pœnitentiam imponant,neque illud publicè pœnitentię genus, nisi data ab Episcopo facultate, secreta alia commutare audeant. 1.vt supra. Sess. 24.ca 8. de refor.

23 Studeat Episcopus ad sacrorum Canonum, & Tridentini Concilii prescriptum,pro publicorum delictorum grauitatis ratione, & publicam,& solennem pœnitentiam in vsum reuocare. 3.de iis, quæ ad pœn. sacr. per.c. pœnitentes,c.in capite cum seq. dist. 50. Sess. 24.c.8.

Quos verò ita solenniter pœnitere oportet, mense ante Quadragesimę initium ad se per parochos deferri curet, ut primum ineunte Quadragesima illi pœnitentia affici, tum die Cœnę Domini Ecclesiæ reconciliari possint,stato solenni ritu,

Quod in Concilio prouinciali tertio de pœnitentia, & publica, & & solenni,sacrorum canonum iure,& œcumenicę Synodi Tridentinę authoritate sancitum est,id ad vsum inducatur,vel reuocetur, atq; adeò ita ritè,rectèque prestetur prout instructionibus,quę ad communem totius prouincię vsum iussu nostro edentur,ex canonum fontib. sanctorum hominum disciplina, Ecclesiasticisque institutis prescriptum erit. 5.vt supra.

24 Episcopi cura preter cæteras illa etiam precipua esse debet, vt quantum in se est,fideles peccatorum laqueis implicitos à turpissima peccandi occasione sollicitudinis Episcopalis studio, atque officio reuocet, animarumque vulneribus remedia opportuna adhibeat. Iniunte igitur in primis Quadragesima, quam diligentissimè inuestigabit, si qui, uel in vrbe, vel in diœcesi sunt, qui opera carnis sectantes turpiter uiuant: si qui item odia, & inimicitias exerceant, si qui alii denique,qui in aliqua peccandi consuetudine, vsuque iactant. Si quos porrò huiusmodi ille compererit,omni ratione, atque officio illos ad id inducat,ut à uia,quę ducit ad interitum, sine mora se abducentes,iter salutis omninò,uerèq. suscipiant. 5. quæ ad pœnit.sacr. pt.

Quamobrem eos ipsos,ut pro facti ratione magis expedire iudicabit,vel priuatim ad se accersat,atque adeò instet, quemadmodum ait Apostolus,opportunè,importunè arguat,obsecret,increpet,cum omni patientia;uel seueriori quoque disciplina in eos agat omni iure, omnique officio ad sacrorum canonum,sanctionumq; pontificiarum prescriptũ. Nec verò antequam ipse perspexerit,istos,ab ea malè agẽdi uia recessisse,peccãdique ocasioonẽ,ac publicas offensiones pcidisse pmittatęr si qui testimoniũ confessarii offerãt,nè in Paschali quidem celebritate Sacram Communionem eis ministrari; quinimò illam tamdiu differri

differri iubeat, quoad eorum ueram vitę emendationem Episcopus cognouerit, immo uerò contra eos, qui quoniam, salutaria monita spernentes, in offendiculis perseuerant, neque flagitiosam vitam deserunt, à sanctissimę Eucharistię sumptione reiiciuntur, agat Episcopus, agiue iubeat, ut in Concilio Prouinciali secundo agi contrà illos sancitum est, qui Paschę tempore Eucharistię Sacramentum non sumpserint, si verò in contumacia perseuerauerint, in eos prętereà seuerius pro ut iuris est, animaduertat.

Quæ in hoc titulo desiderantur, videantur in titulo de Pœnitentiario. De confessario, & de obseruandis a Christi fidelibus in Aduentu, &c.

De Pœnitentiario, eiusque examine.

SVMMARIVM.

1 *Pœnitentiarius in omnibus Cathedralibus Ecclesiis instituendus.*
2 *Episcopi, & qualis id negligens cui rationem reddituri.*
Quando is distributionum particeps sit, vel non. De distribut. 32.
Pœnitentiali præbenda vacante, a quo proponenda. De edicto proponendo in examine præficiendo Ecclesiæ parochiali, num. 5.
Quæ conditiones in pœnitentiarij electione spectandæ. Ibid.

1. quæ pert. ad sacr. pœn. adm. Trid. sess. 24. c. 8. de Ref.

1 Episcopi in suis Cathedralibus Ecclesiis, Tridentini Concilii authoritate, pœnitentiarium intra tres menses instituant, cũ vnione prębẽdę, quæ primo quoque tempore vacauerit.
2 Negligentes proxima prouinciali Synodo prętermissi officij rationem reddent.

De Confessario.

SVMMARIVM.

1 *Confessarij munus qui agant, quique non. 2.*
3 *Ii Episcopi iudicio probandi in sua diœcesi, nõ alterius prælati etiam regularis.*
Quales deligendi, vbi regulares iurisdictionem habent. 6.
Regularib. approbandis, quid attendendum. 4.
Sine approbatione, confessiones audientes, excommunicati. 2.
7 *Amonendi si malè se gerant.*

Insti-

8 Institutiones confessariis præscriptæ in litteras testimoniales probatis includantur.
9 Eæ Episcopi diligentia seruandæ.
10 Mulierum confessiones, quando, & vbi non audiant.
11 Aliorum item vbi audiant.
12 Qui superpelliceum, ac stolam audiendo adhibeant, & qui alium amictum.
13 Quomodo confessiones audiant.
14 Absoluendo, manum dextram super pœnitentis caput eleuent.
15 Quos non absoluant.
16 Fœneratorum conscientiam diligenter examinent.
17 Canones pœnitentiales sciant.
Quibus publica imponenda sit pœnitentia imponant quam commutare non possint. De Sacram. Pœnitentiæ, num. 22.
Ea, tum solennis in vsum reuocanda, de eadem instructuris, Ibidem numero 23.
18 Si pecuniaria pœna sit imponenda, quibus attribuenda.
19 Nè sibi dare curent, quod erogandum est in celebrandis Missis.
20 Casus, Summo Pontifici, & Episcopo reseruatos apud se scriptos habeant.
21 Ab eis confessarij ipsi non absoluant, absque licentia. Et si regulares sint. 22.
24 Casuum Episcopo reseruatorum enarratio.
23 Eorundem quotannis in Synodo, vel Ianuarij initio promulgatio.
24 Ab eis absoluentes excommunicati.
Absoluendi facultas, scripto danda 24. & quando verbo. 25.
26 Confessarius quicumque priuilegiorum, scholis, & regularibus concessuri, iure, ab eisdem absoluens, suspensionem incurrit.
27 Eandem incurrunt absoluentes uirtute indulgentiarum Ecclesiis concessarum.
28 Casus restitutionis incertorum Episcopo reseruati.
29 Vota commutandi facultatem habentes, vt illa commuttent.
30 Absoluere qui possint a pœnis, & censuris, cum irregularibus non dispensent.
31 Confessariorum nomina in tabella relata vbi ponenda.
32 A regulari prælato quando ad Episcopum deferenda.
23 Quando item confessarij ab Episcopo conuocandi, & monendi. 35.
34 In quibus uersetur ipsa monitio.
33 Confessionis testimonium a confessarijs pœnitentibus dandum, & suius formulæ. 38.
37 Confitentium nomina in librum referenda.

Con-

Confessarij moneant, quam graue sit abuti sacra scriptura. De abusu script. num. 2.

Antequam confessiones audiant, quid sibi recitari faciant a pœnitentibus. De fid. init. a par. trad. n. 8.

Si ignorantes repererint, quid faciant. Ibid. & num. 9.

Ad confessiones audiendas examinati, in librum a Cancellario notandi, probati improbatiuè sint. De Cancell. num. 30.

De confessoribus Monialium recurratur ad tit. de concionatoribus, confessoribus, &c. Monialium.

1. quæ pert. ad sacr. pœn. adminis. sess. 23. 18. de ref.

1 QVi parochialem Ecclesiam non obtinent, etiam si regulares fuerint, confessiones nè audiant; quemadmodum statuit Tridentina Synodus, nisi.

4. quæ pert. ad sac. pœn.

2 Episcopi scripto approbati fuerint: qui contra fecerit, excommunicat. pœnam subeant. Excommunicationis pœnam, Concilio Prouinciali primo, & Sacerdotibus, sine approbationis facultate, ab Episcopo data, pœnitentię Sacramentum ministrantibus propositum, ipso facto eos, qui contrafecerint, subire decernimus, & declaramus.

1. vt supra.

3 In iis probandis hanc rationem habeant Episcopi, ut pii, benè morati, docti prudentes, patientes, de animarum salute solliciti, & fideles custodes sint eorum, quę in confessione dicuntur, prouecta etiam ętate, præsertim illi, quibus confessiones mulierum erunt audiendæ.

4. vt supra.

4 Confessionis sacræ audiendę munus sacerdotibus regularibus, quamuis ad illud ob peritiam, scientiamque idoneis, non committatur, nisi a monasterii præfecto testatam letteris fiat, eos vitę disciplina moribusque probatos esse, ac dignos propterea, quibus id muneris imponatur, Quo in testimonii genere ipse uideat, ne quid testificando admittat, quod religiosę conscientię suę fraudi, sed labemue afferat.

5. quę ad pœnit. sac. pert.

5 In iis, quę ad sacerdotes, pro Sacrę confessionis ministerio, vel examinandos, vel probandos pertinent, nè prelatus, etiam regularis, & exemptus, se in aliena diœcesi ullo modo ingerat, sed eam omnem illos examinandi, probandique curam Episcopo diœcesano planè relinquat.

5. quæ ad sac. pœn. sac. pt.

6 Ne in monasteriis quidem, & locis, vbi regulares spiritualem, temporalemque iurisdictionem habent, quisquam Sacerdos etiam regularis, & exemptus confessiones audiat, nisi primum ab Episcopo intrà cuius diœcesis fines, ea monasteria, locauè sunt, ad id probatus fuerit.

Epi-

7 Episcopus à confessionibus audiendis suspendat, aut omninò amoueat confessarios, etiam regulares iam approbatos, quos pro suæ timoratæ conscientię religione uiderit in eo munere non ita sincerè, integrèque, & cum ędificatione se gerere, quemadmodum & tanti ministerii illis commissi sanctitas postulat, & animarum salus deposcit, quę suę fidei concreditę, sunt. 5. ut supra.

8 Confessariis sacerdotibus prescriptę è nostris prouincialibus Synodis, instructiones ad prouincię vsum, alięque item, quas eisdem, pro vrbis, diœcesisque suę rationibus, addi Episcopus censuerit, in litteras includantur, quibus, vel probationis testimonium, vel facultas dabitur illius muneris gerendi. 3. de iis, quæ ad pœn. sacr. pert.

9 Instructiones ad sacramentorum, & pœnitentię, & sactę communionis, ministrandorum vsum, cultumque pertinentes, à nobis Concilii prouincialis tertii decreto confectas, atque editas, in sua quisque vrbe, diœcesique Episcopus seruari omni diligentia curet. 4 ut supra.

10 Sacerdotes, nisi ex causa necessaria, mulieres ante solis ortum, vel post eius occasum, confitentes nè audiant 1. vt supra.

Nève in cellis, sed publicè in ecclesia, in sedibus, in quibus tabella omninò inter confitentem, & confessorem interiecta sit.

Huiusmodi autem sedes in Ecclesiis, ab iis, ad quos pertinet, constituendas Episcopi quam primum curabunt.

Nec sine causa necessaria in priuatis ędibus cuiusquam maris, vel fœminę confessionem audiant.

11 Omnes uerò uideant, nè extra Ecclesiam, oratoriumve confessionem audiant, prętereà ęgrotantiũ, & virorum, nisi ob urgentẽ causã. 5. vt supra.

12 Episcopus, quo decentius, atque adeò religiosius Sacramenti huius administratio fiat, presbyteros confessarios, etiam qui alicuius congregationis clericorum regularium, alterius ue societatis regularis sint, ad audiendę confessionis officium nè admittat, neve illam audire, etiam in suis Ecclesiis, sine superpelliceo, & stola patiatur.

Efficiat, uerò, ut reliqui regulares, tam monachi, quam mendicites, in hoc ministerio habitum, vestitumque adhibeant, quem ex regulę prescripto in choro ad diuina officia celebranda adhibent, in his canonici regulares congregationis Lateranensis censeantur, cum ad rochetum, cappam etiam extrinsecus adhibent.

13 Confessarius quicumque, vel sęcularis, vel regularis sit, non stando sed in Sede, tamquam pro tribunali iudex, sedendo, sacram confessionem audiat pœnitentium, quales, quales sint, etiam in Summo aliquo dignitatis gradu constituti itidem faciat. cum absolutionis sententiam pronunciat.

14 Quod in Ecclesia antiqui instituti, veterisque consuetudinis est,

rectè omninò seruet, vt dum absolutionis formulam, præcesque additas profert, supra caput pœnitentis manum dexteram eleuet: id quod etiam cum mysterii significatione fit.

1. vt supra. 15 Caueant confessores, nè ante debitam satisfactionem illos absoluant, quibus cum facultas adsit aliena restituendi, uel legata, quæ ad pias causas facta sunt, persoluendi, illisque, vt id facerent, superiori confessione præceptum sit, præstare tamen neglexerunt, exceptis ijs, qui periculosè ægrotant, quos tamen moneant, ut quod debent, quam primum persoluant.

Et, quia interdum in falsi testis manu est, ut non solum facultatibus homines, sed etiam existimatione, ac vita spolientur; idcirco neminem absoluant, qui falsum testimonium in iudicio, alterius detrimento dixerit, nisi prius dato damno, quatenus id sarciri poterit, et uiolatæ illius existimationi satisfecerit.

Nè illum quidem absoluant, qui post publicum Episcopi monitum de indicandis rebus ammissis, quid de ijs sciat, non indicarit, nisi hoc officium ante persoluerit.

16 Iidem omni adhibita diligentia, conscientiam examinent singulorum, qui fœnerantur, & qui iniquos contractus exercent, neque quemquam in his casibus absoluant nisi debita restitutio, aut satisfactio, ex Canonum præscripto prius intercedat.

17 Confessores Canones pœnitentiales benè nouerint, & de pœnis quam cuique peccato præscripserunt, confitentes admoneant, ut tanto diligentius à peccatis cauere studeant, quanto in pœnitentiis canonum mitigandis benigniorem in se Ecclesiam experiuntur.

3. vt supra. 18 Si pœnitentibus pœnitentia præscribenda est aliqua pecuniæ ratione, nè sibi Sacerdotes confessarii eam pecuniam; sed locis pijs attribui curent, ut in officia, operaque pietatis erogetur.

Neque verò huius pecuniæ distribuendæ curam ipsi, vllo planè modo, suscipiant.

19 Neque præterea sibi dari curent, si quid eleemosinæ causa pœnitenti erogandum est in Missæ sacris faciendis.

2. vt supra. 20 Confessores omnes casus, Summo Pontifici, & Episcopis quauis ratione reseruatos, scriptos apud se habeant; nè quid per incuriam sibi facultatis assumant.

Conc. Trid. Sess. 14. c. 7. 21 Ad eorum etiam criminum, quæ infra ordine adscribuntur, licentiam resecandam, prohibemus, nè confessores quemquam, ullis ijs criminibus alligatum, absoluant, nisi facultas eis ab Episcopo permissa sit. Cuius potestati, & eorum sacerdotum quos ipse ei muneri præposuerit, eiusmodi absolutionem in sua cuique diœcesi reseruamus.

Raptores

24 Raptores virginum.

Qui Moniales violarint.

Qui abortum procurarint.

Qui secũdo, vel ꝑpinquiori cognationis gradu incestũ admiserint.

Incendiarios, & qui damni, iniuriæve causa vites, vel arbores alienas inciderint.

Ecclesiam polluentes.

Homicidas voluntarios.

Qui parentes percusserint.

Qui locis piis, infantes exposuerint, cum habeant, unde ipsos alant, neque eorum locorum damnum resarcierint.

Notarios, qui legata, ad pias causas facta, non denunciarint, ex nostri decreti præscripto.

Qui ad magicas artes, veneficia, superstitiones, & alia huius generis Eucharistia, sacrisue rebus abutuntur.

Qui stateras mensuras, monetasve adulterauerint corruperintve. 3. Ibidem.

23 Nè cõfessarii regulares, eorum peccatorum, ꝙquorum absolutio Episcopo reseruata est, vinculis irretitos pœnitentes absoluat, quemadmodum a S. Sede Apost. declaratum est, id eis nõ licui quamuis priuilegiorum suorum authoritate. 5. vt supra.

23 Cum pro temporum varietate casuum reseruatione ab Episcopo aliquando mutari expediat, quo planius illos casus, ei reseruatos, cõfessarii sacerdotes perpetuò norint, eos Epus singulis annis, uel ī Synodo diœcesana, vel ineunte Ianuario ꝓmulget, ita, ut, quæ illorum casuum promulgatio proximè facta est, vim habeat, quo ad altera fiet.

24 Ab iis verò casibus, proximè promulgatis, si quis confessarius cuiusuis ordinis sine facultate scripta ab Episcopo data, aliquem absolue re attentarit, excommunicationis pœnam ipso facto subeat.

25 Si uero ab uno aliquo speciali casu reseruato, & altero itẽ, aut etiã plurib. absoluẽdi facultas aliquando sigillatim peteur, verbo, ẽt sine scripto, cõcedi poterit, tum aliàs ẽt, quãdo Epus ita faciendũ cẽsuerit.

26 Nè facultatum priuilegiorũve iure, quę cuicũq; ẽt Rosarij, & Crucesignatorũ scholæ, cõfratriæ, collegiove, ẽt laicorũ, quęve collegis, cõfratribusue in eo ascriptis, ante, uel post Conc. Trid. confirmationem, concessa sunt, confessarius, cuiusuis ordinis, ab iis casibus, quos sibi Epi scopus in sua diœcesi reseruauerit, pœnitentes sine illius facultate absoluat. Si contrafecerit suspensionem à diuinis ipso facto incurrat.

27 Quod superiorib. Conc. ex S. S. dis Apost. decreto confessariis Sacerdotib. & Regularib. vetitũ est, nè pœnitẽtẽ, quẽquã ex priuilegiorũ, q̃ ipsis regularib. aut cõfratrib. data sũt, ui authoritateq. absoluãt, idẽ iis interdictũ est, etiam Indulgentiarũ litteris, quæ ecclesijs cõcessæ sunt. 5. ut supra.

rectè omninò seruet, vt dum absolutionis formulam, præcesque adiunctas profert, supra caput pœnitentis manum dexteram eleuet: id quod etiam cum mysterii significatione fit.

1. vt supra. 15 Caueant confessores; nè ante debitam satisfactionem illos absoluant, quibus cum facultas adsit aliena restituendi, uel legata, quæ ad pias causas facta sunt, persoluendi, illisque, vt id facerent, superiori confessione præceptum sit, præstare tamen neglexerunt, exceptis ijs, qui periculosè ęgrotant, quos tamen moneant, ut quod debent, quamprimum persoluant.

Et, quia interdum in falsi testis manu est, ut non solum facultatibus homines, sed etiam existimatione, ac vita spolientur; idcirco neminem absoluant, qui falsum testimonium in iudicio, alterius detrimento dixerit, nisi prius dato damno, quatenus id sarciri poterit, et uiolatę illius existimationi satisfecerit.

Nè illum quidem absoluant, qui post publicum Episcopi monitum de indicandis rebus ammissis, quid de ijs sciat, non indicarit, nisi hoc officium ante persoluerit.

16 Idem omni adhibita diligentia, conscientiam examinent singulorum, qui fœnerantur, & qui iniquos contractus exercent, neque quemquam in his casibus absoluant nisi debita restitutio, aut satisfactio, ex Canonum præscripto prius intercedat.

17 Confessores Canones pœnitentiales benè nouerint, & de pœnit. quam cuique peccato præscripserunt, confitentes admoneant, ut tanto diligentius à peccatis cauere studeant, quanto in pœnitentiis canonum mitigandis benigniorem in se Ecclesiam experiuntur.

3. vt supra. 18 Si pœnitentibus pœnitentia præscribenda est aliqua pecuniæ ratione, nè sibi Sacerdotes confessarii eam pecuniam; sed locis pijs attribui curent, ut in officia, operaque pietatis erogetur.

Neque verò huius pecuniæ distribuendæ curam ipsi, vllo planè modo, suscipiant.

19 Neque prætereà sibi dari curent, si quid eleemosinæ causa pœnitenti erogandum est in Missæ sacris faciendis.

2. vt supra. 20 Confessores omnes casus, Summo Pontifici, & Episcopis quauis ratione reseruatos, scriptos apud se habeant; nè quid per incuriam sibi facultatis assumant.

Conc. Trid. Sess. 14. c. 7. 21 Ad eorum etiam criminum, quæ infra ordine adscribuntur, licentiam resecandam, prohibemus, nè confessores quemquam, ullis ijs criminibus alligatum, absoluant, nisi facultas eis ab Episcopo permissa sit. Cuius potestati, & eorum sacerdotum quos ipse ei muneri præposuerit, eiusmodi absolutionem in sua cuique diœcesi reseruamus.

Raptores

24 Raptores virginum.

Qui Moniales violarint.

Qui abortum procurarint.

Qui secũdo, vel ꝓpinquiori cognationis gradu incestũ admiserint.

Incendiarios, & qui damni, iniuriæve causa vites, vel arbores alienas inciderint.

Ecclesiam polluentes.

Homicidas voluntarios.

Qui parentes percusserint.

Qui locis piis, infantes exposuerint, cum habeant, unde ipsos alant, neque eorum locorum damnum resarcierint.

Notarios, qui legata, ad pias causas facta, non denunciarint, ex nostri decreti præscripto.

Qui ad magicas artes, veneficia, superstitiones, & alia huius generis Eucharistia, sacrisue rebus abutuntur.

Qui stateras mensuras, monetasve adulterauerint, corruperintve. 3. Ibidem.

23 Nè cõfessarii regulares, eorum peccatorum, quorum absolutio Episcopo reseruata est, vinculis irretitos pœnitentes absoluat, quemadmodum a S. Sede Apost. declaratum est, id eis nõ licui quamuis priuilegiorum suorum authoritate. 5. vt supra.

23 Cum pro temporum varietate casuum reseruatione ab Episcopo aliquando mutari expediat, quo planius illos casus, ei reseruatos, cõfessarii sacerdotes perpetuò norint, eos Epus singulis annis, uel ĩ Synodo diœcesana, vel ineunte Ianuario ꝓmulget, ita, ut, quæ illorum casuum promulgatio proximè facta est, vim habeat, quo ad altera fiet.

24 Ab iis verò casibus, proximè promulgatis, si quis confessarius cuiusuis ordinis sine facultate scripta ab Episcopo data, aliquem absolue re attentarit, excommunicationis pœnam ipso facto subeat.

25 Si uero ab uno aliquo speciali casu reseruato, & altero itẽ, aut etiã plurib. absoluẽdi facultas aliquando sigillatim petetur, verbo, et sine scripto, cõcedi poterit, tum aliàs et, quãdo Epus ita faciendũ cẽsuerit.

26 Nè facultatum priuilegiorũve iure, quę cuicũq; et Rosarij, & Crucesignatorũ scholæ, cõfratriæ, collegiove, et laicorũ, quęve collegis, cõfratribusue in eo ascriptis, ante, uel post Conc. Trid. confirmationem, concessa sunt, confessarius, cuiusuis ordinis, ab iis casibus, quos sibi Epi scopus in sua diœcesi reseruauerit, pœnitentes sine illius facultate absoluat. Si contrafecerit suspensionem à diuinis ipso facto incurrat.

27 Quod superiorib. Conc. ex S. S. dis Apost. decreto confessariis Sacerdotib. & Regularib. veticũ est, nè pœnitẽtẽ, quẽquã ex priuilegiorũ, q̃ ipsis regularib. aut cõfratrib. data sũt, ui authoritateq. absoluãt, idẽ iis interdictũ est, etiam Indulgentiarũ litteris, quæ ecclesijs cõcessæ sunt. 5. ut supra.

4. vt supra. 28 Casus restitutionis rerum, quę incertum est, quibus restitui debent Episcopo deinceps reseruati sint.

3 ut supra. 29 Episcopus id confessarios Sacerdotes interdum admoneat, vt si quando, quauis facultate, authoritateve eis licebit pœnitentium vota commutari, nec ea illi committent, nisi in alia maior pietatis opera, ad Deo gratiora, vel saltem, quæ tantidem valeant.

Qua in re iudicanda rationem habeant, & sumptuum, & laborũ & molestiarum, & omnium denique incommodorum, quę pœnitentes perpessuri erant, si uotum, quod sanctè conceperant, re ipsa præstitissent.

Ibidem. 30 Nè confessarii sacerdotes, cum sibi facultate, vel ex Iubileo, vel ex aliis Apostolicis litteris concessa, pœnitentium confessiones audierint, eosdemque a peccatis etiam grauioribus, quæ admiserunt, & à pœnis item, ac censuris, quibus irretiti sunt, absoluere licet, cum eo, qui irregularitatem incurrerit, dispensent, nisi eius rei facultate illis litteris nominatim expressa.

1. ut supra. 31 In foribus Sacristiæ cuiusuis Ecclesię, vbi confessiones audiri, & confessores plures esse solent, affigatur tabella, in qua nomina, & cognomina confessorum approbatorum descripta sint.

4. vt supra. Sacerdotum confessariorum, qui probati sint, nomina, in tabella ordine descripta, ad ualuas Sacristię Ecclesiæ, vbi complures illi habitãt, affixa in omnium conspectu sint.

4. vt supra. 32 Vniuscuiusque monasterii regularis prefectus, bis quotannis, semel scilicet ineunte aduentu, iterum Quadragesimæ initio, confessariorum sacerdotum sui monasterii, probatorum, nomina in folio exscripta, ad Episcopum deferat, ut, cum regulares ex vno in aliud monasterium commigrare frequenter soleant, eamq; ob causam illorum numerus interdum minuatur, aliunde ipse Episcopus, alios in eo munere gerendo idoneos, ac probatos opportunè habere possit.

4. vt supra. 33. 34 Episcopus in vrbe, & quo tempore etiam visitationem obit, in frequentioribus diœcesanis locis confessarios Sacerdotes, etiam Regulares, aliquando ad se, tum singulos, tum vniuersos conuocet. Iisque primo, cum ceteras muneris, quod susceperunt, partes, grauiter, accuratèque ostendat; tum precipuè moneat quantum, quamque graue, vel ad salutem, vel ad perniciem animarum onus sustineat: proinde demonstret item, & quam benè notos casus ipsi habere debeant, in quibus absoluendi authoritatem nullam habent, & quam studiosè propterea caueant, nè in messe aliena falcẽ ponant, & quam cautè item in pœnitentium absolutione agant, cum præsertim, vel de restitutione, vel de occasionibus, quibus ad mortalia peccata aditus fit, obiiciendis agitur.

Nè

Nè uerò facile in eodem peccati genere fideles offendat; hoc etiam illos ipsos confessarios admoneat, quam prudentes, quàm cautos, quã diligentes in pœnitentiis salutaribus imponendis eos esse oportent: tũ prospicere etiam, vt non solum vitia, peccataque fideles fugiãt, sed virtutes, Christianæque uitę officia, opera, & actiones, cum christiani nominis splendore congruentes, suscipiant, ac præstent. maioresque in uia Domini progressus in singulos dies habeãt, proposita vnicuiq; ꝑ eius ingenio, & conditione, ac statu, benè, sanctèque agendi ratione.

Demonstret denique quàm sedulo caueant, ut nè eorum dicta sanctarum cohortationum, paternarumq; obiurgationum plena à factis vllo modo dissentiant: ac nè item, audiendis sacris cõfessionib. vllam, nè minimam quidem, auaritiæ in primis, suspicionem præbeant.

35 Confessarios oẽs, qui in vrbe sunt, tũ aliqñ per annum, ut in Concilio prouinciali quarto constitutum est, tum præcipuè semel hebdomada prima quadragesimę iterum aduentu ineunte, ad se Episcopus conuocari curet, cumq; ipse agat, ut eodem Concilio cauetur. 5. ut supra.

36 Confessarius sacerdos, quicumque sit, etiam regularis, nè auditæ sacræ confessionis testimonium scriptum, aut impressum manu sua, suoque sigillo signatum, sibi peccata confessis, dare ommittat, tum in Pascha, ut parochis, tum ægrotationis tempore, ut medicis, quod debent, eos præstitisse planè constet. 4. vt supra.

37 Confitentium prætereà Paschæ tempore nomina, & cognomina, vt fraudi multiplici occurratur, in libum certum, notato etiam die, & mense referat: quem librum Episcopo petenti, pro debito charitatis studio, non modo non deneget, sed promptè ostendat, atque exhibeat, tradatve. Ibidem.

38 Testimonii verò formula certa ab Episcopo præscribatur: cuius exempla, vbi ars impressoria sit, & vbi opus est, typis impressa, quamplurima vnicuique sacerdoti confessario tradantur.

De Confesionali.

SVMMARIVM.

1 *Confessionale vnũ in ecclesia parochiali, & vbi duo pluraue 4.*
2 *Quot in Cathedrali ecclesia.*
3 *Quot etiam in collegiata.*
5 *Quibus in alijs ecclesiis collocandum.*
6 *Confessionalis forma.*
7 *Pœnitentis scabellum quale.*
8 *Quæ confessionali ipsi affigenda.*

9 Capsulæ eleemosinariæ prope illud non collocandæ.
10 Quo loco confessionalia constituenda.
11 Qui præterea locus confessarij, & pœnitentis.

4. quæ pert. ad sac. pœn.

1 Ecclesia parochialis, eique item annexa, in qua confessiones audiri aliquando solent, confessionale vnum habeat, forma in instructionum libro demonstrata, cõstructum, duo uerò, eadem forma, & modo, vbi quingentarum animarũ, & amplius cura geritur. Ecclesia autem, quæ plures habet confessarios, totidem confessionalia, quot confessarios, habeat, siue parochialis illa sit, siue collegiata siue Cathedralis.

Instr. Fabr. Ecc. lib. de cõfess. num.

2 Primo igitur in Ecclesia Cathedrali confessionalia totidem construantur, quot pro Iubilei, Indulgentiarumue celebritate, aut solennitatum ratione, Sacerdotes confessarios constitui adhiberiue opportunum, necessarium uidebitur.

3 In singulis item Ecclesiis collegiatis, sæcularibus, regularibusue totidem etiam, quot sanè requiruntur, pro confessariorum sacerdotum ratione, qui in frequẽtiori populi cõcursu esse, adhiberiuè ibi plerumque solent.

4 In vna quaq. præterea parochiali Ecclesia statuantur confessionalia duo, vt viri, quod sæpè, non sine irreuerentia loci sacræque illius actionis, & offensione piorum cernitur, cum mulieribus nè confusè permixti, neue etiam dense inter se compressi sint, cum ad sacram confessionem frequens cõcursus est, sed ita distincti, ut hi in uno, illæ in altero confiteantur, quẽadmodum in plerisque huius prouinciæ Ecclesiis certus ijs ipsis, & distinctus est locus, tum præterea, vbi illud non ex prouinciali decreto distinguì iussum est, ut unum parocho, alterum confessario alij Sacerdoti vsui sit, si quẽ ab Episcopo probatum, ille aliquando, eiusdem concessu, in frequenti constentium multitudine adhibere necesse habeat.

In qua uerò parochiali Ecclesia plures parochi, portionarij, aliique Sacerdotes etiam coadiutores sunt, qui cõfessionis audiendæ munus exercent: totidem item confessionalia fieri debebunt, quot sanè illi sunt.

Quod uerò de duobus confessionalibus, in unaquaque parochiali Ecclesia statuendis, supra animaduertẽdũ est; sed etiam præstandum erit in singulis Ecclesiis, quæ licet parochiales non sint; tamen ijs ipsis, aut parochiali quouis iure subiectæ, aut annexæ, aut adiunctæ aut interà earum fines constitutæ sunt, in quibus aut sacerdos quispiam residere, qui idem confessarij manus obeat, aut parochus, quouis iure, uel quauis causa, debeat, soleat ve.

5 In Ecclesiis item non parochialibus, ubi doctrinæ Christianæ scholæ exercentur, confessionale adhibeatur, unum saltem, uel duo item, si utriusq; sexus;

sexus, schola Christiana ibi exerceatur: vel demum plura etiam, vbi plures confessarios Sacerdotes, tempore scholæ Christianæ, adhibentur ex decreto prouinciali.

6 Forma, ad cuius præscriptum confessionale extruendum erit, hæc est, qua seruata, licebit aliqua præterea ornamenta adhibere, vtpotè in anteriori parte coronices elaboratas, aliudue ornati genus decens. Inst. Ibid. de forma confess.

Primo ex tabulis sectilibus, vel nuceis, vel certè alterius cuiusuis generis, totum sit, sæptum scilicet iys, & à latere vtroque, & à tergo, & à parte superiori eisdem intectum: à parte anteriori apertum omninò, neque vllo modo occludatur.

Habeat tamen, præsertim in frequentioribus Ecclesiis ostium ex crate, cancellisue ligneis, inter se vnciarum circiter quattuor spatio distantibus, cum sera, clauique, ut cum confessarius in ea non est, nè ibi cum irreuerentia ministerij, quod ibi agitur, laici, vagique, & sordidi homines sedeant, otioseue dormitent.

Basis huius confessionalis, vbi sacerdotis confessarij, & pœnitentis pedes inuixi hærent ab Ecclesiæ paximento alta extet, vncijs ad summum octo; latè cubitis duobus; longè cubitis circiter quattuor pateat. Ibid. de basi.

Sedes confessarij in eo sit: quæ a basi alta sit cubito, & vncijs, circiter tribus, lata à dextera, ad sinistram partem, cubito item, & dimidio, à frõte, ad tergum, uno tantum cubito. Ibid. de sede confessarii.

Totius huius confessionalis structuræ altitudo, a basi vsque ad summũ ducta, cubitis quattuor constet. Ibid. de confessionalis altitudine.

In parte interiori tabulæ intermediæ inter confessarium, & pœnitentẽ, assula item collocetur: in qua ipse confessarius, brachio nixus, hærere possit: eaque instar repaguli sit, ita ut, & deprimi, & rursus, pro libito, extolli queat. Ibid. de assula in qua cõfessarius nitatur.

7 A parte exteriori; pœnitentis scabellum; ab ima parte latum vncijs quattuordecim, basi innixum, & tabulæ intermediæ hærens, accliniterque ab imo ad summum ascendens, altum à basi extet, cubito, & vncijs virginti. Cuius summitatis tabella leniter accliuis sit: in qua pœnitens manibus supplicibus niti possit, dum in confessione genibus flexis est, eademque lata vncis duodecim; longa cubito vno, & dimidio. Ibid. de scabella pœnit.

In una parte habeat hoc scabellum gradum annexum, super quo pœnitens genua flectat, quod supra basim emineat vncias octo: latè pateat vncias sexdecim, ea longitudine qua scabellum. Ibid. de gradu scabelli.

Fenestella in medio tabulæ, quæ inter confessarium; & pœnitentem interiecta est, fiat: cuius pars ima emineat supra sedem confessarij, cubitum, & vncias octo: quæ vncijs sexdecim alta, duodecim vero lata sit. Ibid. de fenestella intermedia.

Hæc verò fenestella diuisa sit in spatia paria tria, relictis in ipsa duabus columellis, seu paruis fulcimentis eiusdem tabulæ.

Cui feneſtellæ à parte pœnitentis, affigatur lamina ferrea, plena foraminum, quæ ſingula inſtar ciceris, minuta, paruaque ſint.

Feneſtellæ præterea, à parte confeſſarij, configatur tela tenuis ſaia, aut multitia, quem buratum dicunt.

Ibid. de imagine crucifixi.

A parte pœnitentis, quæ exterior eſt, loco ſuprà feneſtellam, crucifixi imago, in carta religiosè expreſsa, apponatur.

Ibid. de iis, q affigēda ſunt certis confeſſionalis tabulis.

8 *Tabulæ item, inter confeſſarium, & pœnitentem interiectæ affigatur, ab illius anteriori parte, alia tabula, quæ tranſuersè pateat cubitū vnum: ita vt pars paulò maior, ad pœnitentem verſus, altera ad confeſſarium uersus ſpectet.*

In huius tabulæ parte, quæ ad confeſſarium ſpectat, intus fixa collocetur, & imago aliqua Chriſti Domini, aut beatæ Mariæ Virginis, & ſub ea tum oratio illa præparatoria, impreſſa ad vſum confeſſariorum Sacerdotum, cùm ad pœnitentium confeſſionem audiendam accedunt, tum formæ abſolutionis.

Alteri etiam tabulæ, quæ à confeſſarij altero latere eſt, neque feneſtellā habet, intus affixæ ſint litteræ proceſſus in Cœna Domini, prout quotannis à ſanctiſſimo Domino Noſtro promulgatæ erunt.

In alia tabula, quæ à tergo eſt, canonum pœnitentialium tabella collocetur.

Tabulæ ſuprà feneſtellam, à parte ſcilicet confeſſarij apponatur tabella caſuum, quorum abſolutionem ſibi Eps reſeruarit: quiq; alio quouis iure, vel eidem, vel ſummo Romano Pontifici reſeruati ſunt.

4. quæ pert. ad Sacr. pœn.

In confeſsionali hæc affixa ſint, ſacra ſcilicet imago, litteræ proceſſus die Cœnę Dñi, quotannis editæ; tabella caſuum, quos ſibi Eps reſeruarit, forma abſolutionis, & orationes præterea præparatoriæ ad ſacram confeſſionem audiendam impreſſę.

Ibidem.

9 Ne capſulę, loculive, colligendæ eleemoſynę cauſa, ſine confeſſarij vſui, ſiue eccleſię vtilitati ea ſint, ac ne ob pium quidem ullum aliud opus, loco confeſſionalibus proximo, nedum ipſis confeſſionalibus, affigantur, apponanturve.

Inſt. fab. ibid. De capſulis eleemoſinarij, &c.

Nec in eo confeſſionali capſulæ, loculive ulli omnino colligendæ eleemoſynæ cauſa, ſtruantur quouis prętextu, aut eidem propè affigantur.

Ibid. Confeſſionalia quo loco eccleſię conſtituen.

10. *A latere Eccleſię, extra capellæ maioris ambitum, loco aperto, patentique confeſſionalia conſtituantur, partim à meridionali regione, partim à Septentrionali.*

In alys etiam Eccleſiæ locis, pro ratione amplitudinis, & ſitus Eccleſię, Epiſcopi conceſſu aliquando collocare licebit, vt in capellis quibuſdam amplè patentibus, aut in earum aditu, vel limine, ita vt confeſſarius intra clathri ſæpta, pœnitens verò extrà ſit; quo fiat, vt clathris ſa-

pellæ

pellæ arceantur, qui inordinatè concurrentes ad sacram confessionem, nimisq; propè alium, qui tunc peccata sua confitetur, uel ipsum pœnitentem, vel confessarium facilè interturbant.

11 *Confessionale in Ecclesia, si ab Euangelij, quod in altari maiori recitatur, latere collocabitur; tunc pœnitentis scabellum, & fenestella, à dextera confessarij sit: rursusque ab illius sinistra, cùm à latere Epistolę illud erit: vt & confessarius à parte superiori Ecclesiæ semper sit, & pœnitens aspectu sit ad maius altare, caputve Ecclesiæ versus.*

De confessarij examine.

SVMMARIVM.

Examinatorum officium in confessarijs approbandis, quale.
Quæ ad ordinis Sacramen. pertinet. 46.
1 *Confessarijs, quæ interrogationes faciendæ.*

1 PRÆTER cętera, quæ cum Sacerdotis, & parochi officio, munereve coniuncta sunt, hęc etiam sigillatim, atque exploratiori ratione perquirantur. 5. de examinandi rõne.

De Sacramenti pœnitentię necessitate.

Quare institutum sit hoc Sacramentum, & à quo institutum.

Quę huius Sacramenti materia.

Quę forma.

Qui illius effectus.

Qui minister.

Quę conditiones in eo requirantur.

Quę regulę ad dignoscendum, & distinguendum peccatum mortale à veniali.

Quæ pœnitentiæ partes.

Quæ earum partium ratio.

Quid contritio.

Quę ad veram contritionem sint necessaria.

Quę contritionis fructus & vtilitas.

Qua quisquam ratione se ad contritionem exercere possit.

Quę signa sint verę contritionis.

Perquiratur item, quę confessionis, quę secunda pars pœnitentiæ est, natura sit, atque substantia.

An

An diligenter inquirere sciat, & peccatoris circumstantias, & peccati item.

Quæ mutent speciem peccati, & quę in confessione explicanda sint.

Quæ restitutionem expostulent, quæ radices, causęve restitutionis.

An dubios, suspectosve cõtractus norint, aut saltem de ijs dubitationes & quęstiones instituere, initeve sciant.

Quibus criminibus annexæ sint censuræ.

An item illarum peritiam, & vim teneant.

An casus, in quibus irregularitatis macula contrahitur.

An saltem in ijs omnibus, & alijs, quę ad verum, perfectumve huius Sacramenti pœnitentiæ ministrum pertinent, sciant dubitare, & nouerint consulere peritos, quomodo agendum sit id, de quo in dubitationem adducunt.

Qui item ritus, & sactæ ceremoniæ confessionis.

Quę conditiones ad confessionem uerè pœnitentis necessariæ.

Qui ordo confitendi, quando quis statim confiteri debeat, quando item confessionem iterare.

De satisfactione, quæ tertia pars pœnitentiæ est, quæratur.

Quæ satisfactionis partes.

Quis satisfactionis finis.

Qui fructus, quæve utilitates satisfactionis.

Quæ in satisfactione requirantur.

Qualis, & quanta pœnitentia pœnitenti imponi debeat.

An salutares, & conuenientes satisfactiones pro grauitate criminũ, & pœnitentium facultate iniungere sciant.

An item ex Innocentij III. præscripto, more periti medici sciant infundere vinum, & oleum vulneribus sauciati, ac quale debeant præbere remedium, aut consilium.

An prætereà canones pœnitentiales rectè teneant.

Quæ differentia sit satisfactionum pœnitentiarum, &c.

De absolutione indagetur.

Quæ verborum formula requiratur.

Quæ preces, orationesve prætereà adhibeantur.

Quis ordo seruandus in absoluendo tam à peccatis, quàm ab excõmunicatione, suspensioneve.

De sigillo item confessionis plura quærantur, ac præsertim quę vis, & quanta sigilli.

Quæ sub illud cadunt.

Ex sanctionibus Ecclesiasticis, Tridentino Concilio, Synodis, tum Prouincialibus, tum etiam diœcesanis indagetur, quæ in illis constituta ad pœnitentiæ Sacramentum pertinent: quæque de cleri, & populi disciplina,

sciplina, & moribus constituta sunt, vt paulò ante in parochorum examine demonstratum est. Sed hactenus de ratione interrogationũ, quæ examinandis confessarijs Sacerdotibus adhibentur.

Quæ ad Sacramentum extremæ vnctionis pertinent.

SVMMARIVM.

1 *Extrema vnctio ægroto adhibenda dum integris est sensibus.*
2 *Eo nihil intelligente, quando nihilominus adhibenda.*
3 *Quibus infirmis ministranda, & quibus non.*
4 *Mulieribus, quæ corporis partes non vngendæ.*
5 *A quo Sacramentum hoc ministrandum.*
6 *In eo ministrando parochi diligentia.*
7 *Quando vna cum sanctissimo Sacramento vasculum olei deferen.*
8 *Negligens ministrare parochus, grauiter plectendus.*
9 *Exemplum Episcopi Malachiæ.*
10 *Ægroti frequenter visitandi. 23. & sequentibus.*
11 *Hoc Sacramentum ministraturus plures Ecclesiasticos adhibeat, vel saltem clericum.*
12 *Accedens stola, & superpelliceo sit indutus.*
13 *Septem psalmos in via recitans.*
14 *Vas sacri olei à laico non deferendum, neque dum vngitur tenendum. 16.*
15 *Vtque illud deferendum, ac delatum vbi collocandum.*
16 *Mensa, quibus rebus instructa, paranda.*
17 *Æger à parocho consolandus, & hortandus ad cogitationem cœlestis beatitudinis.*
18 *Precesque Deo à præsentibus pro eo faciendæ.*
19 *Eis quoque explicanda uis, & vtilitates huius Sacramenti.*
20 *Sacramento ministrato quod parochi, & domesticorum officium.*
21 *Per errorem vno oleo pro alio adhibito quid faciendum.*
22 *Si dubitetur, æger vivus ne sit, an mortuus quibus verbis vtendum.*
23 *Vicarij foranei, vel Præfecti Regionarij erga ægrotos officium.*
24 *Episcopi etiam erga eosdem officium tum per se, quàm per alios præstandum.*
Præsertim verò erga ecclesiasticos quoscumque. De vita Epis. nu. 62.
25 *Fideles morituri à parocho inducendi ad benedictionem Episcopalem petendam.*
Ægris ab Episcopo, vel alio eius nomine visitatis Indulgentiæ concessæ à parocho populo euulgandæ. De Indulgentijs, num. 19.

Vt

26 *Vt cura à parochis erga infirmos adhibita constet, librum ipse parochus habeat, in quo hæc scribantur.*

Episcoporum officium erga Metropolitanum ægrotantem, atq; defunctum. De vita & honest. Episc. nu. 59.

Episcopus ægrotans quid agere debeat cum suo capitulo. Ibidem, numero 60.

Primum, quę pert ad extr. vnct. admin.

1 EXTREMÆ vnctionis Sacramentum curet parochus, vt ęgroto, dum integris est sensibus, adhibeatur.

3. de ijs, quę pert ad Sacr. extr. vnct.

2 Quod Concilio primo decretum est, vt, dum æger integris est sensibus, extremæ vnctionis Sacramentum ei ministretur: si tamen, vel curantium negligentia, vel morbi ui, vel repentino aliquo casu sensum omnem amiserit, vt nihil planè intelligat; illius decreti sententia, vetitum nō esse declaramus, quin hoc extremæ vnctionis Sacramentum, ei ministrari liceat; si modo adhuc viuat, & dum vsum rationis haberet, pij animi significationem dederit, vt inde iudicari possit, eum hoc Sacramentum petiturum, si adhuc integra mente esset.

4 quæ pt. ad ext. vnct. &c.

Conc. Tridē. sess. 14. De doctr. sac. extr. vnct. 3.

3 Parochus extremę vnctionis Sacramentum, sicut his ministrare debet, adultis scilicet, periculosè ęgrotantibus, propeque moribundis, senio confectis, etiam non ęgrotis, in diem morituris; ita istis, ne ministret, nempè pueris, rationis vsu carentibus, mulieribus in partu laborantibus, ad bellum proficiscentibus, nauigantibus, peregrinantibus, & ijs, qui mox ultimo supplicio mulctandi sunt.

5. tit. eodem.

Ne pueris, qui nondum ullum rationis vsum habent, Sacramētum extremę vnctionis ministretur.

4. Ibidem.

4 Mulieribus ministraturus, renes ne inungat.

5. Ibidem.

5 Ne alius sacerdos, nisi parochus hoc Sacramentum ministret. Si porrò is impeditus, aut alias in mora est, mortisq; periculum instat, tunc sacerdos alius ministret, licet.

14. bidem.

6 Idem cum pro ęgris parochialis vicinię suę semper oret, sacrificiumque offerat, tum si quem ex ijs periculosè ęgrotare viderit, hoc curet diligenter, vt die, noctuque ad extremę unctionis Sacramentum, ei ministrandum pręsto sit, & paratus.

7 Cùm autem is ad ęgrum, qui à parochiali ecclesia longius abest, grauiter, ac non sine periculo mortis, febri, morbove laborantem, sanctissimum Corpus Domini defert; ne, vbi ad parochiale domicilium ipse redierit, mortem ille prius obeat, quàm ad extremę vnctionis Sacramentum, eidem ministrandum, reuerti possit, uasculum etiam sactæ illius

illius vnctionis secum ferat, illam ei, postquam corpus Domini prębue rit ministraturus: si ita, pro morbi ingraueſcentis ratione, mortisque pèriculo faciendum censuerit.

8 At caueat paróchus, ne in eo ministrando negligentiam, vllamve 5. Ibidem.
moræ culpam cõtrahat. Alioqui si ad illius ministrationem accersitus, ire neglexerit, cum rationem Deo reddet, tùm pœna ab Episcopo graui ter plectatur.

9 Is porrò ad omnem huius Sacramenti, in tempore administrandi, diligentiam, prętertquàm quòd pręcipuè curę suę, quę sanctę sollicitudinis plena est, officio ualde admodum perpetuò excitetur; proposito etiam sibi exemplo sanctissimi Episcopi Malachiæ accendatur, qui tã uehementi animi dolore ex eo affectus est, quòd culpa sua mulier quędam, Sacramenti huius gratia fraudata, decesserit, ut totam noctem orando, gemendo, lachrymando consumpserit, lachrymarumque ui, quasi maximo imbre, pro oleo Sancto, quod non ministrauit, mortuã perfuderit. Manè autem exaudiuit Dominus sanctum suum: ita ut illà ò morte, tamquam è somno excitata, è lecto sese erigens, Sacramentum hoc ab eo acceperit, ac deinceps à morbo conualuerit.

10 Ægrotos verò, etiam non uocati, inuisant, ut ad Sacramentorum 1. de iis, quæ ad sacramentorum admin. gene. pt. susceptionem inducant; & eorum animabus, quacumque ratione possunt, sollicitè consulant.

Quod Concilio Agathensi cautũ est, id unusquisque parochus præ 5. Ibidem.
stare curet, ut Missę sacrificio peracto, si quos in parochiali uicinia ægrotos habet, frequenter, atque adeò quotidie, quantum per alias suę curę parochialis occupationes potest, inuisat, atque eisdem prębeat, quę sunt sollicitudinis, muneris que parochialis officia, prout opus esse uiderit.

11 Id extremę unctionis Sacramentum ministraturus, quot commo- 4. Ibidem.
dè potest, presbyteros, & clericos adhibere studeat, superpelliceo indutos: qui ipsum, & ministrantem, & precantem, pietatis, orationisq; studio in eo ministerio adiuuent.

Quod si plures habere non potest, unum saltem omninò adhibeat clericum sibi ministrantem.

12 Accedat autẽ illud ministraturus, stola, & superpelliceo indutus.

13 Parochus, cùm uel sacrosanctam Eucharistiam, uel extremæ un- 2. ti. 1. dec. 16.
ctionis sanctum oleum ad ęgrum defert, in uia septem psalmos ex animo, pièque dicat, uel alias religiosas preces.

14 Hoc ipsum etiam seruetur, cùm parochus ad sacrum oleum ęgris 2. eod. tit. de cre. 9.
ministrandum accedit, ut ipse scilicet, non laicus homo, illud in itinere deferat.

15 Vas sacri olei, nè sinu, brachiove comprehensum, sed sacculo se- 4. Ibidem.
rico

rico aptè incluſum, chordula ſerica à collo pendens, piè, reuerenterque ferat.

16 Cùm auertitur propè ægrotantis lectum, menſam paruulam, vbi commodè fieri poteſt, parari; mappave candida ſterni curet: ſuper qua, & uas ſit, vbi bombix, ſeu ſtuppa ad abſtergendas vnctiones, micaque panis ad abſterſionem digitorum præparata, & uas alterum aquæ ad manus lauandas, & candela ceræ item parua. Qua in menſa vas ſacri olei à parte lecto viciniori ponatur, à laico autem homine ne manu teneatur.

2. ibidem. 17 Idem cùm ad vngendum infirmum acceſſerit, diligenter eum consoletur, & hortetur, vt bono animo ſit, & à curis, ac deſiderijs huius uitæ ad cœleſtis beatitudinis cogitationem ita erigat, vt abiecto mortis metu, ſe à Deo in æternam requiem vocari gaudeat.

18 Omnes verò, qui adſunt, moneat, vt preces Chriſto Domino pro eo faciant.

3. ibidem. 19 Parochus in Sacramento extremæ vnctionis miniſtrando ex Catechiſmi Romani doctrina, ægro, cęterisq; præſentibus explicet illius uim, & utilitates; tum ad animæ ſalutem, tum etiam ad corporis valetudinem, ſi hæc ad æternam gloriam profutura ſit.

4. tit. eod. 20 Vbi Sacramentum ægro miniſtrarit, dum ille ſermonis, & ſenſus uſum non amiſit, cum breuibus, & ſuauibus, ardentibusque verbis excitare ad deſiderium vitæ æternæ, & ad ſpem de diuina miſericordia concipiendam, ne opportunè deſiſtat; tum, cum propè moribundus eſt, in illius animæ commendatione, quàm maxima poteſt, intima animi pietate, ſtatas religioſas, ſanctasque preces recitet.

Curetque toto eo tempore, vt domeſtici ſimul omnes, qui adſunt, pro eo Deum piè precentur.

Vbi hoc officium piè, accuratèque præſtiterit, ſi æger adhuc uiuit, aut animam agit; ne eidem præſens adeſſe, omniaque ſalutaria officia præſtare omittat. Si verò adeſſe aliquando non poteſt, vel quia alijs grauiter ægrotantibus, Sacramenta miniſtrare neceſſe habet, uel quia neceſſarijs parochialis curæ occupationibus alijs impeditur, tunc ea pietatis officia illi à ſacerdote, ſi quis alius eo loco eſt, ſollicitè præſtari curet.

Ad quod etiam officium, ſibi hoc ſubſidium, cum opus eſt, comparet, vt confratriæ ſanctiſſimi Sacramenti, aut doctrinæ Chriſtianæ homines aliquos, parochiali ſua diligentia, ad conſolationis, & ſpei excitandæ officia, aliaque eiuſmodi, inſtructos adhibeat.

Hoc etiam parochus domeſticos, qui ægroti curam habẽt, moneat, vt ne poſt extremæ quidem vnctionis Sacramentum, quod ei ipſe miniſtrauerit, corporis curam deſerant.

Paro-

21 Parochus, si per errorem aliud oleum, quàm quod infirmorum est, ad ægrotum ungendum vmquam adhibuerit, etiam si Chrismatis, aut Cathecumenorum sit, vt erratum emendet, olei sacri, quod proprium infirmorum est, unctionem eidem adhibeat: tuncq; Sacramenti formam iteret. 5. tit. eod.

22 Aeger, si dum sacro oleo vngitur, extremum spiritum emiserit, parochus ungere desistat. Si verò aliqua morbi uis de repentè illum oppressit, ut dubitetur, uiuus ne sit, an mortuus, ea conditione in ungendo utatur: Si es viuus, per istam sanctam unctionem, &c.

23 Singulis mensibus, in diœcesi vnusquisque Vicarius foraneus, & in Vrbe Præfectus regionarius, aut alius, cui id muneris Episcopus dederit, à suæ regionis parochis de illis perquirat, qui obierint: iisque animam agentibus, an ipsi præsentes adfuerint; an curæ, & pietatis officia omnia eisdem moribundis præstiterint; tum ubi opportunè in mortuorum agnatos, affinesve inciderit, parochialium sacerdotum debitum officium ab illis diligentius recognoscat. 4. ibidem.

Quod si eos negligentiores esse animaduerterit, vbi primum illos, ut par est, reprehenderit, tum eorum negligentiam, culpamve ad Episcopum deferat.

24 Episcopus pro sua uigilanti cura in vrbe, aut alio loco, in quo ipse sit, cùm ægros grauiter laborantes, præsertim uitæ spiritualis amantes, pietatisque laude insignes, paterna charitate aliquando uisitare studeat; tum Episcopalem benedictionem moribundis impertiat.

Hoc officium quoque diligentius, cùm potest, sæpè parochis, sacerdotibus, religiosis uiris, ægrotantibus, & moribundis item, præstare idem piè curet.

25 Parochus verò fidelibus propè morituris suggerat, ut, ex hoc sæculo, antequàm migrent, qui præsertim in Vrbe sunt, aut alio loco, in quo Episcopus sit, ad illum, certum hominem mittant, qui eis Episcopalem benedictionem petat.

26 Vt Episcopo, eiusque Vicarijs, aut Visitatoribus aliquando constet diligens parochorum in salutaribus illis officijs, quæ fidelibus ægrotantibus illi debent, cura: eorum vnusquisque librum præcipuum habeat; in quo sigillatim, & præscribat singulis diebus parochiæ suæ incolas, qui mortem obierint, & quę Sacramenta eorum unicuique ministrarit; & præterea à quando commendationis animę officium præstiterit, & quo die hęc singula ministrarit. 5. eod. tit.

De vasis,

De vasis, ac instrumentis ad extremæ vnctionis Sacramentum decenter ministrandum necessarijs, cum eorundem formulis.

SVMMARIVM.

1 *Vasculum ex argento, stannoque ab alijs separatum.*
2 *Vbi duo, plura ve. Et de Sacramen. in genere, num. 18.*
Eiusdem forma. Ibidem. 21.
Cotyla, & sacculus, eorumque forma. Ibidem.
Illius custodiæ locus. Ibid. 22.
Clauisque à quo custodienda. Ibidem. 15.

Inst. for. sup. lib. 2. De vascu. extr. vnctio.

1 VASCVLVM *sacri olei extremæ vnctionis, ex argento, aut stanno pretiosiori sit: idque à reliquis sacrorum oleorum vasculis separatum.*

Inst sup. li. 2. De sup. eccl. Cath. colleg. & paroch.

2 *Vasa duo sacri olei infirmorum, cum suis cotylis, & sacculis: Vbi verò plures parochi, animarum ve curatores sunt; totidem etiam vasa olei sacri.*

Quæ ad ordinis Sacramentum, sacramq; ordinationem, & ordinandorum examen, atq; examinatorum officium pertinent.

SVMMARIVM.

1 *Ordinibus conferendis ratio à Tridentino Concilio præscripta, seruanda.*
2 *Nihil in eorum collatione accipiendum.*
3 *Ordinationes sacræ, quando, & quo loco habendæ.*
4 *Edictum publicè ante ordinationem proponendum, & cuiusmodi, & vbi affigendum.*
5 *Dominico die, edicti promulgationem, & indictionis litteras subsequente, Vrbani, & diœcesani parochi, quid præstent.*
6 *Eo ipso die, & alijs Dominicis diebus per mensem ante ordinationem supplicationes quæque alia agenda.*
7 *Dominico autem die ordinationē præcedente pastorales litterę legendæ, processio agenda, populusque admonendus.*
8 *Ordinibus maioribus, initiandi, mense ante ordinationem Epm adeāt.*

Primam

9 Primam tonsuram itidem susceпturi.
10 Ordinandorum omnium causa, quæ intrà Missarum solennia denuncianda. & vbi.
11 Quæque de illis inquirenda, & à quibus.
12 Inquisitionis litteræ ad Episcopum mittendæ.
13 Feria secunda, quæ ab Vrbanis clericis afferenda.
14 Feria tertia, quæ item à clericis diœcesanis.
15 Ordinandi omnes quas generatim, & quibus de rebus, testificationis afferant, antequàm examinentur. 60.
16 Prima tonsura initiandi quas sigillatim testificationes deferant.
17 Minoribus, & maioribus ordinibus initiandi quas item vltrà prædictas attestationes habeant.
18 Subdiaconatum, vel alium sacrum ordinem susceпturi, quæ prætereà testimonia deferant.
Externi clerici ordinandi, ac Regulares dimissorias, testimonialesve afferant, & quales, & à quibus obsignatas. 20.
19 Dimissoriæ litteræ ante ordinationis tempus nõ concedendæ, & quæ in illis cauenda.
21 Diœcesani clerici absentes, quas item testimoniales litteras afferant.
22 Dimissoriæ concedenti reddendæ, vbi ordinatio sequuta non sit.
23 Ea, quando recenter ab ordinando impetrandæ.
24 Impedimenta, quibus seculares, & regulares clerici, ab ordinatione repellendi.
25 Quales attestationes potissimum afferant ordinandi regulares, quæque alia circa illos indaganda.
26 Regulares clerici, quando ordinibus sacris non adscribendi.
27 Episcopo impedito, absenteque quid seruandum in concedendis litteris dimissorijs. 28.
29 Dimissorijs litteris ab Episcopo concedendis absentibus clericis, quid seruandum.
30 Dimissoriæ litteræ à proprio episcopo obtinendæ ab habente dispensationem ordines ab alio suscipiendi.
31 Ordinati ab alio, virtute litterarum testimonialium, infrà quod tempus susceпti ordinis testificationem proprio Episcopo afferant.
32 Et quando eidem Episcopo se præsentent.
33 Abbatibus, etiam mitræ iure utentibus, quando, & quibus tonsuram, & minores ordines conferre non licet.
34 Subdiaconatu non initiandi, qui diuinum officium recitare nesciunt.

55 Minores ordines susceturi, in officij B. Mariæ recitatione sint versati.

36 Seminarij, Beneficij, Pensionis, Censusve } titulo, qui sacris ordinibus non adscribendi.

37 Idque quo modo intelligendum.

38 Pensionis, Patrimonij, Donationisq; } Titulo, quibus sacer ordo conferri potest, quæque ea in re Episcopi cautio. 40. 41.

39 Familiari suo, quando sacrum ordinem Episcopus conferre possit.

42 Cautio prædicta instrumento publico roboranda, & quibus clausulis.

43 Patrimonium, cautioq; ipsa, alienari, remitti, proscribique nequit.

44 Beneficij cessio, Patrimonij alienatio, Pensionis, & census extinctio } vbi sint sequuta, illorum reuocatio.

45 Stata temporum interualla ordinibus conferendis, seruanda: quidque agendum vbi contra fieri res suadeat.

46 Examinandi ratio Dominis Examinatoribus præscripta:

47 Quorum causa illa instituta.
Examinatores, susceptî oneris grauitatem cognoscant. 51.

48 Iure iurando se obstringant.

49 Nullum donum capiant, & seq.

50 Omnis culpæ rationem reddituri.

52 Indignum non probent, neque dignum reprobent.
Neminem alteri examinatori commendent. 54.

53 A prece, examinis initium faciant.

55 Ex Examinatoribus qui præsens esse nequit.

56 Examen ne quis subeat alterius nomine, caueant.

57 Illi, quot examinatores interfint: ultrà Episcopum, vel Vicarium.

58 Examinandi qualitas corporis, & habitus inspiciendi.

59 Vestitu deformi, & tonsura incongrua, accedens, reijciendus.

60 Quæ testificationes ab examinando efferendæ, & suprà. 15.

61 Illæ Cancellario tradendæ, & vbi asseruandæ.

62 Cancellarii ea in re officium.

63 Examinatores quid potissimum spectent in parocho futuro.
Quærendum ab eo, primum, an aliàs examinatus sit suprà, nu. 56.
Deinde ipsum legere examinatores iubeant. 75.
Postea verborum constructionem proponant. 76.
Constructionisque sensum ab eo quærant. 77.

Demum

64 Demum interrogationes faciant: & quo ordine.
65 Interrogationum ratio, & 69.
66 Examine durante, silentio vtendum.
67 Quæstionibus proponendis, quales se præbeant examinatores.
68 In examinandis, quæ spectanda.
69 Quæ primo ab illis quærenda.
70 Quibus libris examinatores vtantur ad illorum doctrinæ experimentum faciendum.
71 Interrogationes, rerum difficilium quibus non faciendæ.
72 Quando, & cum quibus pauciores adhibendæ.
73 Episcopi, & examinatorum prudentia in proponendis pluribus paucioribusq; quæstionibus.
74 Ignari admonendi, vt doctrinis incumbant, et quando periculum progressus faciendum.
78 Clerici primæ tonsuræ, minorumque & maiorum ordinum, vt generatim examinandi.
79 Primæ tonsuræ clerici, qua ratione sigillatim examinandi.
80 Clericorum minorum ordinum quale examen.
81 Clericorum item maiorum ordinum examen in genere.
82 Subdiaconorum
83 Diaconorum } examen in specie.
84 Presbyterorum
85 Regularium examen, circa quæ præterea versetur.
Examinati omnes, tam probati, quàm reprobati in certum librum à Cancellario referendi. De Cancellario, & Notarijs. 30.
86 Pridie ordinationis diei, cõuocatis ordinãdis, sermo habẽdus, et à quo.
87 Et cuius tractatus.
88 Eodẽ die Constitutio Pij II contra clericos edita, qui sine dispensatione extrà stata tempora, &c. promulganda.
89 Clerici ordinati, certæ ecclesiæ adscribendi, in qua functiones obeant, ex præscripto 91. Et de Ministris eccles. 59. 60.
Etiam si ab alio Episcopo ordinati sint. suprà, nu. 31. 32.
90 Sintque Episcopi familiares.
92 Certæ ecclesiæ, loco vel pio adscriptus, etiam alteri ecclesiæ adscribi potest.
93 Piè, ritè, religiosèque functiones præstandæ.
94 An illæ ritè præstentur à Rectore ad Episcopum referendum.
95 De illis ita præstitis à quo testimonium faciendum.
96 Pœna discedentis ab ecclesia adsignata.
97 Absentia clerici adscripti quo modo, & à quo notanda. Et de Punctatoribus. 30.

98 *Certæ Ecclesiæ non adscripti, ad quam ecclesiam conueniant, & quid in illa præstent. Et de fidei initijs. 7. Et de parochijs. 52.*

99 *Ordinati in librum referendi, & qualiter. suprà, 31. 32. Et quæ ad beneficiorum collat. pertinent. 35.*

100 *Pro singulis litteris testimonialibus ordinum susceptorum, quantum à Cancellario capiendum.*

101 *In eisdem litteris, adscriptionis Ecclesiæ, testificatio fiat. De quibus alijs in eisdem litteris Cancellarius testetur. suprà. 62.*

102 *Clericali militiæ adscribendi, quæ disciplina.*

103 *Clericus futurus, quomodo instituendus.*

104 *Eiusdem mores, progressus q; in litteris Episcopo per parochum significandus.*

Sess. 23. per totum.

1 ACcuratè complexa est Tridentina Synodus omnem diligentiæ rationem, quam in conferendis ordinibus adhibere debēt Epi, vt Ecclesiæ idoneos sacerdotes, & alios ministros habeant. Quamobrem eos tantum admonendos esse duximus, vt idem studium in exequendo præstent, quod in præcipiendo adhibitum esse omnes intelligunt.

Primū, quę ad sacr. ord. adm. pert.

1. ibidem. Sess. 21. c. 1. de Refor.

2 Quod à Tridentina Synodo sancitum est, ne in conferendis ordinibus Episcopi, & eorum ministri quidquam, etiam sponte, quauis de causa datum, accipiant, id, & ipsi inuiolatè seruent, & à suis cubicularijs, cæterisque familiaribus seruandum curent.

4. quæ pert. ad Sacram. ordinis.

3 Sacræ ordinationes, tum statis solum quattuor anni temporibus, nisi ob vrgentem causam, illas alio tempore aliquando, facultate à Sede Apostolica litteris data, haberi necesse sit, tum in Ecclesia Cathedrali, ritu solenni, canonicisque præsentibus, habeantur. Si verò quandoque in diœcesano loco habentur, in illius loci Ecclesia primaria celebrentur, clero eiusdem præsente, vt decreto Tridentino cautum est.

Sess. 23. c. 8.

Sess. 7. c. 11. Sess. 14. c. 2.

4 Vt & Episcopo, sacram ordinationem habituro, & ijs, qui ordinis Sacramento initiandi sunt, satis temporis detur, quo præstare possint, quæcumque, vel sacri Tridentini Concilij decretis, vel nostris etiam Prouincialibus Constitutionibus, ante statas illius sacræ ordinationis tempora, in ijs præsertim, qui maiores ordines suscepturi sunt, præstari iussum est; primò Episcopus, statis illis temporibus eam de more solenniter celebraturus, duobus ante mensibus, aut amplius, minusve, pro diœcesis amplitudine illius habendę diem litteris indicat: tum Edictum, certa verborum formula conscriptum,

4. ibidem.

publicè

publicè proponi, Ecclesiæque Cathedralis valuis, alijsque vt consuetudinis est, locis affigi, idemque præterea à singulis parochis promulgari iubeat. Quo edicto omnes quicumque, vel primam tonsuram, vel ordines minores, maioresve susceperuri sunt, ac sacram ordinationem euocet.

Certum præterea, vel scilicet, vel, quod ad Diœcesanos attinet, longius etiam, pro diœcesis amplitudine, spatium præstituat, quo ad se omninò illi singuli, qui prima tonsura, aut aliquo sacro ordine initiandi sunt, intestata ordinationis tempora conueniant. Sess. 23. c. 7

Certam item diem, sacræ ordinationi proximam, edicat, qua primò, qui in vrbe sunt, tum rursus alteram, qua diœcesani, qui prima tonsura, aut aliquo ordine initiandi sunt, cùm præscripta testimonia efferant, tum stata examina subituri, præstò sint. Reliqua præterea omnia, & singula edicat, & commoneat, quæ verba clericis, qui initiandi sunt, vel à parochis, sacræ ordinationis causam, præstari debent.

5 Proximo autem post illam edicti promulgationem, die Dominico, parochi, qui in vrbe sunt, tùm verò diœcesani, vbi primum litteras indictionis diei sacræ ordinationis celebrandæ acceperint, Dominico die, proximè sequenti, in sua quique Ecclesia illas publicè proponant, atque affigant, vnà cum edicto, de sacra ordinatione, & Episcopi etiam litteris pastoralibus, ex præscripta formula, per nos edenda, aut alia ratione, argumentove, cum re, quæ sanctè agenda est, consentaneo, prout Episcopus aliquando expedire censuerit.

6, 7 Quo Dominico promulgationis die, ob sacram ordinationem proximè futuram in singulis ecclesijs parochialibus, vt alias decretum est processio de more agatur, litanijs, supplicationibus publicis, quibus vnusquisque secum mente reputans, quam pauci operarij in messe multa sint, hoc Deum toto corde exoret, vt, qui dominus est messis, ipse mittat operarios in messem suam, ac lumen Episcopo præbeat, vt in ijs deligendis, quos ordinibus adscribat: quos verò Episcopus delegerit, ope diuina illi adiuti, in sanctitate & iustitia ei seruiant, eiusdem gloriam omnibus in rebus sibi proponentes. Quod, vt eo nomine Deum populus supplex sæpius oret, id illam singulis diebus Dominicis per mensem ante sacræ ordinationis tempus, crebra cohortatione, parochi intra Missarum solennia præmoneant: at Dominico die, illam proximè præcedenti, pastoralis etiam illas Episcopi litteras de scripto accuratè iterum recitent; tum præterea, admonitione populum ad illud excitent, vt non modo supplicationes ob eam

causam, altero Concilio Prouinciali decretas, piè religioseq; tũc obeat, sed illis ipsis statis, qui sequuntur, sacrę ordinationis diebus, frequens in oratione, purè, sanctèque versetur, vt Dei, Sanctorumque ope, pijs fidelium precationibus impetrata, & Episcopus ordines ijs conferat, quos utiles operarios ecclesia Dei postulat, & qui ordines suscipient, in dies progressus maiores habeant, in vitę, morumque sanctitate, religione, doctrina, ac prudentia.

2. ti. 1. dec. 22. Iubeat Episcopus, vt Dominico illo die, quí quatuor stata ieiunij tempora, quibus ordinis Sacramentum ministratur, proximè antecedit, parochi non solum solenne illud ieiunium huius rei causa, institutum denuncient; verùm etiã in sua unusquisque eorum parochiali ecclesia supplicationes, litaniasque piè ac religiosè, uel intus habeant, uel prosequente fidelium multitudine, foris ecclesiam, sicut moris est, obeat: ut Dei, Sanctorumque ope implorata, tum Episcopus in eorum delectu, quibus ordines cõferet, Spiritus sancti lumine illustretur; tum illi, quibus cõferuntur, in uitę sanctitate, doctrina, religiosisque uirtutibus proficiant.

4. ibidem. 8 Qui maioribus ordinibus initiari uolunt, ij, quod Tridentino decreto iussum est, inuiolatè planè seruent, ut mense scilicet, aut longioris, ante statam sacrę ordinationis diem, temporis spatio, prout, edicto Episcopali prefinitum erit, ad Episcopum se conferant.

Sess. 23. c. 7. 9 Quoniam verò prima tonsura, ut Catechismi etiã Romani litteris traditur, ad ordines suscipiendos quędam pręparatio ijs est, qui Dei ministerio dicãdi sint, permultum propterea refert, omnem in illa conferenda, & suscipienda, diligentiam studiosè adhiberi. Quamobrem id quoque ab ijs, qui prima tonsura initiandi erunt, omninò seruari, ac prestari decernimus, nisi aliquando Episcopus aliud ob causam faciendum censuerit.

10 Prestituto igitur tempore omnium, ac singulorum, tum qui prima tonsura, tum etiam, qui maioribus ordinibus initiandi, ad Episcopum accesserint, nomẽ, cognomen, parentes, patria, ecclesia parochialis, intra cuius fines quisque ortus, atque illa item, ubi proximè habitarit, rectè notentur, Episcopi iussu. Ac prętereà beneficium ecclesiasticum, pensione, aut patrimonium, illiusve generis census, cuius nomine, titulove quis sacros ordines susceperturus est. Hęc verò ipsa litteris

Sess. 23. c. 5. exarata à parocho; ab eove, cui Episcopus id negotij dederit, publicè de illis proponentur die festo inter Missarum solennia in Ecclesia, & Cathedrali, & propria parochiali, & in illa quoque in cuius finibus postremò domicilium habuerit, & ubi prętereà Episcopus cẽsuerit. Ac quod ad censum attinet, in ea omninò parochiali Ecclesia, intra cuius limites maior eius census, siue ecclesiastici, siue alterius

rius generis pars posita est, vt denunciari queat, si quæ uel confectio sufficientis census, vel alia fraus subest; vel aliud quamobrem illud beneficium, aliumve censum non pacificè possideat, vel si quæ censûs illius pars ære alieno, aliove modo obstricta teneatur, vnde is, deinde initiatus sacris, non habeat satis vnde viuat, cogaturque propterea turpiter victum quæritare.

11 Hac adhibita ratione, inquirat diligenter is, cui id muneris Episcopus dederit, de eorum, qui prima tonsura, vel sacris maioribus ordinibus initiandi sunt, natalibus, ætate, vita, & moribus, ac cæteris, quæ oportet, à viris spectata probitate.

Nec uerò is testimonialibus solum, quæ eorundem, qui ordinibus initiandi sunt, nomine fient, vel afferentur, contentus omninò sit; sed aliunde, etiam pro officij sui munere, ea omnia de illis studiosè indaget, ut sibi hoc de genere toto, veritas omni ratione constet.

Quinimò quod ad mores illorum inquirendos attinet, testificatio ab ijs nulla conquiratur, quos suæ vitæ testes ipsi attulerint, nominarintve; si id testimonij genus ab aliis, spectata integritate uiris, rectè haberi queat.

Alia præterea omnis diligens cautio, ac ratio in hac ipsa tum indagatione, tum testificatione ab eo, quem huic muneri Episcopus constituerit, adhibeatur.

12 Litteræ porrò, quibus tota hæc inquisitio, ac testificatio continetur, ad Episcopum rectè obsignatæ ab eo mittantur, cui id ille curæ mandarit. At uerò, ne propter eiusmodi, aliamve diligentiam, quam pro sui muneris officio Episcopus, in eorum, qui ordines suscepturi sunt, natalibus, ac moribus, cæterisque id genus perquirendis adhibuerit, eorum quisquam excusetur, quo minus præscriptas sibi de se, suisque conditionibus, qualitatibusve testificationes certas, infra constitutas, afferat.

13.14 Quas testificationes afferendi id tempus illis præstitutum sit, quo examen subituri, ordinis suscipiendi causa, ad Epm conuenient. Quod sanè tempus Episcopali ēt edicto, significandum illis, qui in vrbe sunt, feriam scilicet secundam hebdomadę, statam sacrę ordinationis diem præcedentis: diœcesanis aūt, aliisve ante feriam quartā hebdomadę, in quam ipsa sacra ordinatio inciderit, constituimus; id uerò, nisi uel pro diœcesis exiguę, aut amplioris ratione, uel pro numero eorum, de quorum agetur promotione, breuius, aut longius conueniendi tempus, edicto suo Episcopus præscribendum censuerit. Trid. Conc. Sess. 23. c. 7. dist. inc. 24. c. quando.

15 Omnis, quicumq; uel primam tonsuram, uel ordines minores, maiores ve suscepturus erit, ea singula, quę mox infrà ordine statuuntur,

de se litteris, legitimè testata suo Episcopo faciat.

Primò se legitimo matrimonio natum esse, aut ob natalium impedimentum, secum dispensatum esse.

Præterea se, vel origine, vel beneficio ecclesiastico, quod in diœcesi obtinet, uel decennali domicilio, vel alia quauis legitima ratione diœcesanum esse.

Sess. 23. c. 5 Tum à parocho, à ludiq; magistro, vt Tridentina Synodus œcumenica iubet, aut ab eo, quem in quouis studiorum genere audit, aut si in Seminario adscriptus est, ab illius Rectore, aut ab alijs, quos Episcopus maluerit, obsignatas litteras afferat, quibus de vitæ suæ disciplina, moribusque testatum fiat.

Doctrinæ item Christianę scholas se frequentare, id testimonij afferat, uel à prefecto illarum, in parochiali vicinia sua constituto, vel ab eo, qui omnium id g eneris scholarum curæ præest.

16 Hæc præterea testimonia afferet, quo se prima tonsura initiari vult.

Trid. sess. 23. c. 4. Sacro Chrysmate confirmatum esse.

In ecclesia frequentius, religiosiusque versatum esse.

Spe esse, se in clericalis ordinis disciplina permansurum: hoc verò testimonium à parocho, aut ab eo sacerdote habeat, cui Episcopo in disciplina traditus est, postquã clericalis ordinis suscipiendi animum, voluntatemq; ei patefecit.

Sacram item Communionem crebrò per annum sumpsisse.

Licebit tamen Epo, et sine testimonio, tum sumptę Communionis, tum frequentatę scholæ doctrinę Christianę ob causam admittere.

Sess. 23. c. 5 17 Qui verò aliquo minori, maiorive ordine initiandus est, testimonium præter ea, quę mox suprà prescripta sunt, afferat, etiam de his, quę sequuntur.

De prima tonsura, aut de ordine, quem proximè suscepit.

De illius ordinis functionibus, à se præstitis: idque testificaturus habeat à prefecto ecclesię, cuius adscriptus est. Nec verò etiam regularis, cuiuscumque ordinis sit, admittatur, qui hoc testimonium non attulerit à suo superiore.

De habitu clericali, ad prouincialium, diœcesanorumq; Consiliorum prescriptum, post ordinem proximè susceptũ, à se assiduè gestato. Quam testificationem à parocho afferat.

Sess. 23. c. 11. & 13. De confessione frequentiori ex decretorum prouincialium prescripto, cuius rei testimonium obligatum ab aliquo confessario sacerdote, probato ad audiendas confessiones clericorum afferat.

De sacra Communione, vt decretis prouincialib. iussũ est, crebrius sumpta. Hoc autem testatum afferat, vel à parocho, vel à prefecto eccle-

Ecclesiæ, in qua adscriptus est, vel ab alio sacerdote, qui Episcopi iussu ministrarit.

18 Qui subdiaconatum, aliumve sacrum ordinem susceperturus est, scripta præterea afferat, quibus præter cætera testetur.

De se ex præscripta formula, denunciationes in Ecclesia Cathedrali, & in aliis per Episcopum constitutis, publicè die festo inter Missarũ solennia factas esse. Sess. 23. c. 5.

Aetatem item, sanctione Tridentina præscriptam, annos scilicet viginti duos, si subdiaconatum; vigintitres, si diaconatum; vigintiquinq; attigisse, si sacerdotium susceperturus est. Sess. 23. c. 12.

Censum item, vel Ecclesiasticum, vel laicalem; quem & pacificè possideri, & tantum esse constet, quantum ad vitæ eius sustentandæ vsum satis esse Episcopus censuerit, secundum prouinciæ, vel loci qualitatem. Sess. 21. c. 2.

De Censu præterea denunciationes, præfinitis suprà locis, factas esse, atque ad huius Concilii præscriptum.

Quicumque verò subdiaconus, aut Sacerdos creandus est, id præter alia testificationis afferat, se spirituales exercitationes ad decreti in hoc prouinciali Concilio editi, præscriptum, præstitisse videlicet.

Subdiaconatum susceperturus, qui diligentius vitæ perpendat rationẽ cui se illum suscipiendo sanctè obstringit, ac proinde re tota accuratius deliberata, puriori mente, ardentiorique animi voluntate, ad rem tanti momenti accedat, priusquam eo Sacro ordine initietur, aliquem semotum locum adeat, vbi ab omnibus curis, & occupationibus liber, cum omnis ante actæ vitæ suæ peccata, diligenti conscientię discussione, ritè confiteatur: tum in saluraribus meditationibus, aliisque spiritualibus exercitationibus totus versetur, duce, & moderatore sibi adhibito, religioso viro, earum vsu perito, quem Episcopus in primis probarit.

In illis autem, vel mense, vel longiori, breuiorive tempore persistat, prout de moderatoris Consilio, Episcopus expedire censuerit.

Quas item exercitationes eodem præscripto, & modo, eo tempore diaconi cum ad sacerdotii gradum accessuri sunt, piè ineant, ac præstent.

19 Sæpè illud, facilèque euenit, vt uel hominis mores mutentur, vel, quod de illius vita minus anteà notum, atque exploratum erat, id posteà aliquo modo patefiat: quo fit, ut, quem Episcopus, superiorve aliquando probarit, dignumque existimarit, aliquo etiam sacro ordine initiari, illum ipsum post inueniat indignum, neque idoneum esse, cui dem, aut maior ordo conferatur. 4. Ibidem.

Quare ut, & erroribus, multiplicique fraudi occurratur, & planè

Sess 23 c. 11. Sess 3. c. 8. nè seruentur decreta illa Trid. vnum, quo vetatur ad superioris ordinis gradū illos ascendere, qui in inferiori aliquandiu, Epi iudicio, versati non sint: quique cū ætate, vitę ēt meritò, doctrinaq. maiori non processerint: alterū, quo cauetur, nemini licere ab alio Episc. primā tonsurā, aut ordinē aliquē suscipere, nisi eius probitas, & mores, ordinarii sui testimonio, primū cōmendētur, Epus, aliusve superior prout pro sua prudentia, pietateq. expedire cēsuerit, in primis videat, nè cuiquā antequā sacrę ordinationis tēpus proximè instet, litteras eiusmodi testimoniales, dimissoriasve, p ordinib. ab alio Epo suscipiendis: sine necessaria cā, vnquā cōcedat. Neque item ijsdem litteris facultatē det, plures ordines suscipiendi, quam illos ipsos tantum, quos ꝟno, eodemq. tempore ab eo suscipi ꝟoluerit, ac per sacros canones, conciliaque licuerit.

Prę finiat prętereà in illis ipsis certum suscipiendi ordinis, cui quisquam adscribendus est, tempus menstruum scilicet, vel bimestre, vel longius, ut pro loci distantia, pro aliave eiusmodi causa opus esse viderit. Quo prę stituto tempore transacto, eas litteras, illo nomine a se concessas, ei imposterum nihil suffragia, nihilque roboris habere iisdem litteris declaret: quas etiam cancellario Episcopali, ab illo, cui concessę sunt, reddi decernent.

20 Nec ꝟerò alienę diœcesis clerico sęculari, neque ulli omnino regulari, litterarum authoritate, quas dimissorias, testimonialesve hic ab superiore, aut ille ab ordinario suo habet, Episcopus ordinem aliquē, vel minorem, vel maiorem, ac nè primam quidem tonsuram, tempore illarum litterarum prętērito, conferat.

Quod si nullum iisdem litteris spatium temporis præscriptum sit, nè item in sacra ordinatione quemquam promoueat; nisi eas recēter, aut scriptas, aut renouatas, confirmatasve is afferat: atque ità recenter quidem; ut non amplius duobus, tribusve mensibus ante sacrę ordinationis, qua ille proximè initiandus est, tēpus, datę, confirmatęve sint: si modo, aut loci distantia, aut eius, qui ordinem susceptūrus est, diuturna absuo Epo supioreve absētia aliave id generis causa, vetustiores has, eiusdem Episcopi iudicio, admitti, probariue non postulet. Idipsum quoq. Episcopus in testimonialibus morum litteris cauebit, quas suæ etiam diœcesis clerici, aliive quicumque eo de genere afferent.

Litteras autem eiusmodi, de moribus testatum facientes, ab alienæ diœcesi clericis, regularibusve item, qui sua diœcesi, monasteriove proximè aliquandiu abfuerint, sibi afferri, exhiberive curet, non solum ab eorum Episcopo, superiorive, sed ab illo etiam, apud quem proximè manserint, eiusve auctoritate scriptas, atque obsignatas.

21 Quod idem a suis clericis præstari iubeat, qui in aliena diœcesi, aliquo temporis spatio, proximè fuerint.

Si

22 Si vero, qui eo spatio in litteris præfinito, aut si nullum etiam præfinitum sit, duobus, aut tribus post datas, renouatasve litteras, mensibus, ordines non susceperit; tunc litteras illas, ~vel dimissorias, ~vel morum testimoniales, eo nomine sibi ab suo ordinario, vel superiore primum datas, ~vel recenter confirmatas, renouatasve, quamprimũ per loci distantiam potest, eidem per se, vel alium restituat, reddatve.

23 Cum autem deinceps ordines susscipere vult, iterum recentes illas ab eo impetret.

Qui item ab suo Episcopo eos susceperus est, quod ad morum suorum testificationes attinet, a quibus debet, iterum recentes illas ei afferat, exhibeatve.

24 Si quis una aliqua culpa, impedimentoue, ut infra irretitus teneatur, nè ad sacram ordinationem, contra sacrorum canonum, & conciliorum prescriptum, accedat, ut nè censuras, pœnasue canonico iure illis, qui tales ad eam accesserint, constitutas, subeat. Rursus diligentiam Episcopus adhibeat, nè fraude, uel dolo quispiam Sacræ ordinationi sese ingerat.

Impedimento irretiti hi sunt.

Minores natu.	Dist. 5. c. 1. dist. 51. c. qui in aliquo.
Sacramento chrismatis non cõfirmati.	Trident. sess. 23. ca. 4. de Ref.
Rudes, & ignari.	Dist. 51. c. q̃ aliquo Trid. sess. 23. p tot.
Criminosi.	Trid. sess. ead. sess. 14. cap. 7.
Solenniter pœnitentes.	ca. 1. de bigamis nõ ord.
Neophyti.	Distinct. 51. capit. qui.
Ebrietati, & gulæ dediti.	De vit. & hon. cler. cap.
Impudici.	
Lapsi post ordinem susceptum.	Dist. 51. c. qui.
Periuri.	

Vsu-

Dist 47.cap. Episcopus. Vsurarij manifesti.

Dist. 51. c. qui 6. q. 1. infames. Infames.

c. vnic. d obl. ad rat. & 51. dist. i summa. & 53. dist. legem. Ratiocinijs obligati.

De ser. non ord. & & dist. 24. per tot. Serui.

de corp. vit. ord. Corpore vitiati.

51. dist. c. fi. Insigniter deformes.

Dist. 56. c. presbyterorum, & extra eo. Illegitimè nati.

Dist. 51 c. qui. Peregrini, & ignoti.

De bigam. non or. Bigami.

Irregulares quouis alio modo.

Suspensi.

Interdicti.

Excommunicati.

Amentes.

Morbo caduco laborantes.

Energumeni.

Non examinati, & probati.

5. de init. ord. sacr. 25 In ijs, quę œcumenica Synod. Trid. de sacra ordinat. statut, vberius ẽt prouincialiũ Cõciliorũ decretis explicata, multa sunt, quorum diligens ratio, etiam in Regularibus habenda est, arq; eorum quidem capita quędam prępipua infra hoc decreto complexi sumus. Videat igitur Episcopus, vt quicquid de iis ipsis capitibus, vel eodem Tridentino Concilio, vel Synodis prouincialibus, etiam generatim constitutum est, in illis initiandis quam diligentissimè ab ipso seruetur.

Culpę,

Culpæ impedimenta ve canonica ordinis susciendi quarto Concilio enumerata.

Litteræ testimoniales superioris, de quibus suprà fol. 20.

Testimonium de natalibus, & ætate præscripta Tridentino Concilio. Sess. 23. c. 12.

Testificatio ordinis proximè suscepti.

Progressio in Ecclesiastica disciplina.

Testimonium bonum.

Denunciatio nominis in Ecclesia.

Ascriptio, & ministerium in Ecclesia, cui adscriptus est.

Exercitatio functionum ordinis suscepti.

Frequentia Sacræ communionis.

Reuerentia, atque obseruantia erga sacerdotes, & superiores.

Interuallum anni inter postremum ordinum minorum gradum, & subdiaconatum, ac rursus inter vnum, & alterum ex sacris ordinibus; nisi necessitas, aut Ecclesiæ vtilitas, iudicio Episcopi aliud postulet. Sess. 23. c. 11.

Diligens examen Episcopi ead. sess. c. 12.

Litterarum scientia, & cantus peritia, ac aliæ instructiones ad ordinis susciendi functiones ritè, rectèq. obeundas.

Vsus, & peritia recitandi diuinum officium.

Loco tituli, censusve, testificatio præstitę professionis regularis, præscripta in Concilio prouinciali secundo: vt sequitur.

26 Vtquod Summus Pontifex Pius Quintus in explicatione decreti Tridentini, quod est sess. vigesimaprima, capitulo secundo constituit, executionem habeat, Episcopus, nè clericum ullum regularem, neq; secularem qui regularium more in communi vitæ disciplina sit, beneficiumque ecclesiasticum non habeat, ordinibus sacris adscribat, nisi à superiore fidem ille attulerit, se religionis, cui adscriptus est, professionem confecisse: iuratusque affirmet, scripto, manu sua subsignato, corã Episcopo, se id sponte feciſſe, aut ratum habuisse. Illud autem scriptũ in Archiuio asseruandum Episcopus curet. 2. tit. 1. dec. 23.

27 Infirma valetudine, aliaue iusta causa impeditus Episcopus si statas, sacras ordinationes habere non potest, & aliquem propterea clericum suum ad alium Episcopum mittere velit, a quo alicui Eccles. ordini adscribatur, testimonialibus litteris ei datis, hęc adscribat, & testata faciat, uitæ imprimis, & morum probitatem, doctrinam, qua idoneus, examine habito, iudicatus est; Ecclesiasticum ordinem, quo est proximè initiatus, tum præterea natales, aut dispensationem. Si quam super illis obtinuerit: Si verò maiori ordini ascribendus est, ætatem item, & titulum, sufficientemque censum beneficii, vel pensionis, uel patrimonii, qd ille habet. Quicumq. clericus non huiusmodi 3. de iis, quæ partim ad ord. fact. &c. Sess. 14. c. 3. Sess. 2. c. 3. & 8. Sess. 21. cap. 2. de refor.

litte-

litteras attulerit, quibus ea omnia adscripta, testata ve fiant, ordini, cui adscribi vult, nè adscribatur, perinde, ac si nullas Episcopi seu dimissorias litteras impetrarit.

5. de imit. or. acr.

28 Quod prouinciali tertio Concilio decretum est de ratione seruanda in concedendis litteris dimissorijs ab Episcopo impedito suis diœcesanis pro ordinibus suscipiendis id locum, et habeat Episcopo absente.

Sede vacante ut concedendæ litteræ dimiss. Conc. Trid. sess. 7. c. 10. sess. 23. c. 20.

29 Clericos verò à diœcesi absentes, qui dimissorias litteras petunt, Episcopus ad se, examinis causa euocet: liceat tamen ei aliquādo si hoc minus commodè præstari posse censuerit, examen illud speciatim Episcopo delegare, in cuius diœcesi illi morantur; at nero tunc litteras dimissorias nè det; antequam examinis facti litteras, ab eo acceperit, cui illud delegauit.

Sess. 7. ca. 11. & 12. de ref.

30 Si cui etiam Sedis Apostolicæ litteris, facultas permissa est, sibi licere ordinis Sacramentum ab alio, quam ab ordinario suo suscipere, is, antequam initietur, etiā sui ipsius ordinarii litteras obsignatas habeat, quibus vitæ suæ mores, disciplina probitas, & cætera id generis testificata, commendentur.

4. quæ pert. ad sacr. ord. Sess. 14. ca. 2. de ref. Sess. 23. c. 3. & 10.

31 Clericus, qui a suo Episcopo litteris testimonialibus, dimissorijsve impetratis, ordinem ab alio Episcopo susceperit; mense post illum susceptum, aut longiori, pro loci distantia temporis spatio, in eisdem litteris præscripto, testificationem ordinis, quem susceperit scriptam suo Episcopo afferat: Si verò legitima causa impeditus est, id per aliū præstet.

32 At vbi primum poterit, ipse quoque Episcopum conueniat, ut, & in eorum, qui ordinibus adscripti sunt, librum referatur, & certæ Ecclesiæ, si nondum adscriptus est, ex Tridentino Decreto adscribatur.

5. de initi. an ord. sac. Sess. 23. c. 10.

33 Nè Abbates, & baculi, & mitræ iure vtentes, alioue eiusmodi privilegio, & authoritate conferendi minores ordines, munitos, patiatur Episcopus diœcesanus, tonsuram, neque minores ordines, id quod Tridentina Synodus vetuit, aliis conferre, quam iis, qui regulares sunt, & eorum iurisdictioni subiecti, nisi & ipsius Episcopi consensus ante accedat, & illi initiandi à suo Episcopo, vel regulari superiori attulerint litteras dimissorias non generatim, sed speciatim concessas. Nec verò quibusuis Abbatibus id permitti liceat; sed ijs tantum, qui Sacerdotio initiati sunt, & statis benedictionis precibus consecrati.

5. Ibidem.

34 Qui subdiaconatus ordini adscriptus est, cum statim lege astrictus sit, canonicarum horarum officium, & Breuiarii præscripto recitandi, nemo ad eum ordinem capescendum recipiatur, qui in horarii illius officij, cuius lege deuinctus tenetur, rectè, ac ritè recitandi vsu peritus non sit.

In-

35 Inferioribus verò ordinibus initiandi, qui nullum beneficium obtinent, versati sint in beatæ Mariæ officii recitatione.

36 Nemo titulo seminarii sacris maioribus ordinibus adscribatur, neque titulo, item beneficii, aut pensionis, alteriusve census quē ei ad victum Episcopi iudicio, satis esse non constet. 4. quæ pert. ad sacr. ord.

37 Quod alio Concilio vetitum est, nè seminarii titulo, clerico, cuiquam Episcopus ordinem aliquem Sacrum conferat, id decernimus locum habere, nisi cum beneficij, seminario vnionis iure adiuncti, vsui, & cultui ministerium est ab illo præstandum, tunceque certus annuus census constituatur, vnde qui eo titulo ordinem susceperit, sustentari queat Episcopi iudicio. 5. de init. or. sacr.

Nec vero tamen is in illo censu vllum ius habeat, cum primum aliunde habuerit, unde itidem uitæ suæ sustentationi Episcopi iudicio consultum, & prouisum sit. Quod si aliunde ex parte tātum eius sustentationi prouisum sit, tunc extincta censeatur illa census attributio pro tanta parte, quantam ad illam sustentationem aliunde habet.

38 Pensionis, & patrimonii, quod quis habet, & bonorum item quæ perpetuo, & eo nomine ab aliquo ei donantur, titulo, Episcopus sacrū aliquem ordinem alicui, etiam familiari suo conferre potest. Idque de familiari, etiam si alienæ diœcesis sit, modo post triennium ab initio familiaritatis, si Ecclesiarum suarum, uel necessitatem, vel vtilitatem hoc flagitare iudicarit, vt sacris ille initietur. 5. de init. or. sac. Concilio Trid. Sess. 21. c. 2. Sess. 23. c. 9.

40 At verò etiam, si quis ei, qui sacris initiandus est, verè spondeat certa cautione, si quæ ad uitæ cultum vsui necessario sunt, suppeditaturū, saltem donec ei aliunde prouisum sit huic, ob sacerdotum penuriam ab Episcopo sacer ordo conferatur licet, sine alicuius etiam, vel beneficii, vel patrimonii titulo.

41 At verò hæc in primis Episcopus diligentissimè uideat, ut pensionem, patrimoniumve illud verò obtineat; vtque ea donatio, sponsiove uere, ac sine fraude, dolouè facta sit: eiusque tabulæ, ut ritè, & rectè, confectæ sint; vtque pensio, patrimoniumve, & quę dono data sunt, tātum inde census pcipiatur, ut satis esse possit ad alicuius honestam vitæ sustentationē: qua in re omni cognoscenda promulgationes adhibeat, & reliquam diligentiam quarto prouinciali Concilio in hoc genere præscriptam. Vide Quartum infra num. 44.

42 Nè quis patrimonij ab alio cuiusuis conditionis homine assignati, aut promissionis titulo, quæ certa cautione de re omni uictui necessaria suppeditanda facta sit, secus ordinibus maioribus initietur; nisi præter cæteras præscriptas cautiones, illud etiam publico instrumento caueatur, ea certa adiecta clausula, vt vterque, & qui patrimonium assignat, & cui assignatur iureiurando affirmet, id patrimonium uerè possideri, 6. quæ ad or. sacr. pert.

deri, obtinerique, ac nihil præterea ineſſe doli, & fraudis, nullumque eſſe eo nomine contractum initum, nullumque promiſſum factũ; nec verò in poſterum aliquid acturos, facturoſve eſſe, quo minus clericus, qui initiãdus eſt, aſſignato patrimonio verè, reque ipſa vtatur, fruatur: proindeque. Si quid contra actum, geſtum, factumve erit, id omne irritum, reſciſſum, atque planè ipſo iure nullum, nulliuſque roboris eſſe velle; ſi quid autem contra actum erit, ei præterea, qui ſacris initiatus eſt, pœna ſit, vt ſtatim ipſo facto Epiſcopi arbitrio, ab ordinum, quos ſuſcepit, munere, functioneque ſuſpenſus ſit: nec aliis maioribus ordinibus aſcribi poſſit.

Seſ. 21. c. 2. 43 Verum, nè qui patrimonium aſſignat aliquo timore deterreatur, quominus illud, vel aſſignet, aut cautione victus, qui clerico ſatis ſit, præſtet: ſed quo magis ad id ipſum excitetur, ſtatuimus patrimonium eo nomine aſſignatum, cautionemque item à ei vſui annecti, vt qui initiatus eſt, illud patrimonium, aut cautionem alienare, vel remittere nullo modo poſſit, donec beneficium eccleſiaſticum ſufficiens ſit adeptus: vel aliunde habeat, vnde viuere poſſit. Sed nec delinquendo amittere, vſque adeo, ut nè grauis quidem criminis, quod ille admiſerit, cauſa præſcribi, nec fiſco applicari queat: Sed ad eum, qui aſſignauit, donauit, cauitque, & ad eius hæredes, aut ad alios, qui ab inteſtato clerico initiato ſuccederent, ipſo iure redeat.

4. quæ pert. ad ſacr. ord. 44 Epiſcopus, cum clerum, ut in Concilio prouinciali tertio iuſſum eſt, recognoſcet, hoc præter cætera videat, an in alicuius clerici titulo, cenſuve Eccleſiaſtico, vel etiam laicali, cuius nomine is ordinibus adſcriptus eſt, quicquam innouatum ſit.

Sique vel beneficii Eccleſiaſtici ceſſionem, vel patrimonii alienationem, vel penſionis extinctionem, aut remiſſionem factam eſſe comperit, canonum iure, ſanctioneque Tridentina agat, vt iuridicè recuperetur, reſtituaturve, quod vel ceſſum, vel alienatum, vel remiſſum, extinctumve, ipſi clerico præiudicium adferat ad vitæ ſuſtentationem: aut ſi quid alia ratione, pactove commiſſum, actumve eſt, quod vel Decreto Tridentino ea de re edito, ſacriſve canonibus repugnat, vel fraudem facit: contra quoſcumque verò, qui tale quippiam admiſerint, idẽ pœnis agat, iure Canonico conſtitutis, iiſdemque ab Synodo, & Tridentina renouatis,

Seſ. 21. ca. 2. de refor.

4. Ibid. ſeſſ. ead. c. 11. 45 Stata illa temporum interualla, ordinibus, tum minoribus, tum maioribus ſuſcipiendis, Concilii Tridentini decreto præſcripta, nè facilè, ac paſſim ſine vllo delectu prætermittantur, ommittanturve.

Seſ. 23. c. 11. & 12. Quod ſi de ijs aliquid ab Epiſcopo remitti, diſpenſarivè contigerit, id in litteris dimiſſorijs teſtimonialibuſue ordinum, adſcripta etiam diſpenſationis cauſa teſtatum planè fiat.

In

In ecclesiæ administratione,ut necessarium,ita multiplex est examinis de litterarum peritia, & disciplina officium:modo namque ab episcopo, cum ad eorum, qui ordinis sacramento initiandi sunt, tum etiam ad concionatorum, confessariorumque approbationem adhibetur, tum præterea ad indagandam,perspiciendamque cleri in litterarum studijs rationem, progressionemve; ad aliaque item multa episcopo idem adiumento, atque usui est: modo autem non solum de illis,qui ecclesiis parochialibus,alijsque curam animarum habentibus, preficiuntur,illud instituitur, & conficitur,sed de ijs etiam, quibus beneficia ecclesiastica cuiuscunq; generis,uel litterarum Apostolicarū, q̄ forma. Dignum, conscribi solent, auctoritate,uel alio iure conferūtur, quive ad ea presentationis,nominationis,electionisve nomine instituū tur.Quamobrem,ut omnis,quacumq; causa suscipitur,hęc examinādi rō per examinatores,ut fieri potest,quàm rectissimè, conficiatur, præter aliqua, quę presumi Cōcilio prouinciali quarto enucleatius decreta sunt,has ēt instructiones conficiendas censuimus:quę partim ad uniuersum hunc examinandi modum pertinent,partim verò certorū examinū propriè sunt. Atq; ijs quidē oibus pro sua quisq; pietate episcopus,& prudentia alias ēt instructiones adiungat, aut de ijs aliquid remittat licet, prout è suæ diœcesis rationibus, atque usu esse uiderit.

5 de examinatione.

Quæ instructiones,ut in morem, & usum inducantur, cura sit eiusdem Episcopi, & Vicarij, qui examini præest.

48.Porrò in primis examinatores,in synodo diœcesana constituti, cum eorum, qui ecclesiis parochialibus præficiendi sunt,examen ineunt, iusiurandi, quo publicè in synodo, quo primum tempore delecti sunt, sese obstrinxerint, memores uideant, ut omni humana affectione deposita, munus à se susceptum rectè curent, atque administrent, nè quod sanctè, religiosèque spoponderint, uiolent,& propterea periuri fiant.

49 Examinis causa,occasioneve,nihil quicquàm, nè minimum quidem, neque ante, neque uerò post accipiant, alioqui sciant,qui dant, se simonię crimen ex sanctione Tridentina subijsse,nec ~vero præterea se neque adeo illos, qui dant,absolui licere; nisi dimissis beneficiis ecclesiasticis quęcumque obtinent: ac inhabiles item factos se esse, quibus in posterum ea, ~vel alia conferantur.

Sess.24. c.18.

50 De omni uerò culpa, in suscepto munere commissa, ij rationem etiam in synodo prouinciali reddant,in eaque grauior auctoritate Tridentini Concilij puniantur.

Sess. & c.eod.

Nec verò item,qui examinatores liberè, pro arbitratu Epi, ad alios quocumq; nomine causave examinādos ascisc̄untur,examinis occasione vnquì quicquàm,nè esculenta quidem, procul emauè.

Qui contra fecerit, cum indignus deinceps censeatur, qui id muneris gerat, tum alia pœna arbitrio Episcopi afficiatur.

51 Omnes uerò examinatores, quicumque sint, nouerint, sibi munus, usque adeò graue committi, ut si negligenter, aut malè se ullo modo gesserint, Deo in primis culpę, in eo munere admissæ, exactam rationem reddituri sint.

Quare non spe, non metu, non premio, non personarum ratione, non aliquo affectu ducti muneris sibi commissi curam gerant.

52 Proposito sibi in primis timore Dei, nè quēquam, quem indignū norint, probent, rursus quem, experimento, periculoue facto, idoneū, dignumque comperiunt, nè reijciant. Itaque grauiter, maturè, prudenter, rectèque tum de probando, tum de reiiciendo deliberent.

53 Cum in locum conuenerint, ubi moris est, clericorum experimentum fieri, prius quam aggrediantur, à stata prece, orationeq. congregationum usui præscripta, quę de libro pronūciet, qui examini prędet, initium faciant; hoc piè, intimèque precantes, ut Dei ope imprimis illud rectè, prudenter, diuinæq. uoluntati congruenter conficiant.

54 Nè quempiam, de quo examen, periculūue fiat, examinator alii collegæ ulla ratione commendet.

55 Nè ad alicuius examen accedat, nec uerò suffragii ius habeat, nisi Episcopi, Vicariiue iussu ad illud euocatus.

Si quis quempiam priuatim docuerit, qui examen subiturus est, cū id subibit, nè prędens quidem ille adsit, nè dum ad examē adhibeatur: sed alius in eius locum, Episcopi, Vicariique iussu tunc uocetur.

56 Cautio diligēs sit, nè alterius noīe quis examen exponatur, experimentumue subeat, quod aliquando factum esse compertum est.

Queratur item diligenter de iis, qui examen habeundum accesserint, an aliàs institutis de more examinandi quæstionibus, experimentum, periculumue sui fecerint, anque si quid extet, quod de illis compertum, uel deliberatum sit.

Nè examinis initium fiat, nisi præsentes adsint, tum Episcopus, uel Vicarius, tum examinatores ex præscripto Concilii Tridentini, ad minimum tres, cum de beneficio curato, quauis ratione conferendo examen instituitur. Id quod locū etiam habeat deinceps, cum de aliquo maioribus ordinibus initiando, uel de concionatore, confessarioue approbando examen conficitur.

4. quæ pert. ad Sacr. ord.

Id Episcopus, quantum sibi per occupationes Episcopales licèt, maximè curet, ut, cum experimentum, examenue de iis instituitur, qui ordinibus, præsertim maioribus initiandi, quique Ecclesiis parochialib. præficiendi sunt, ipse præsens in eo examine adsit.

5. de ex. rat.

58 Cum quis in examen uenerit, eius uultus, & habitus corpis, & uestitus,

stius,& incessus,& gestus,& sermo inspiciatur diligenter.

59 Si quis vel clericali vestitu deformi ab ordinis Ecclesiastici decore, aut disciplina alieno indutus, vel sine congrua, pro sui status, & ordinis ratione tonsura accesserit, nè ad vllam examinis, experimentive rationem ei aditus fiat, nisi decenti veste amictus,& tonsura præscripta ad illud redierit.

60 Nè de vllo quoque initiando, si modo non aliter Episcopus aliquando censuerit examen, experimentúve antea fiat, quam ætatis, natalium, aut dispensationis concessæ, beneficii ecclesiastici, vel pensionis, patrimoniisve testificationes scriptas: easdemq. à Vicario Episcopali recognitas, illiusque subscriptioni signatas, ac probatas attulerit, exhibueritve: nisi aliquando Episcopus eas post examen exhiberi, recognoscive iusserit.

Neque item, nisi aliàs præscriptas decretis prouincialibus, edictove Episcopali testificationes dederint.

Nec verò præterea, nisi de eo à Cancellario Episcopali examinatores audierint, cognouerintve, quæcumque Episcopi iussu inquisitiones de eo factæ, atque ex officio præscriptę, aliorum litteris significatæ, vel denunciatæ, vel delatæ sint.

61 Testificationes verò omnes, tum ab eo, qui initiandus est, tum ab alio quouis examinis occasione exhibitæ, Cancellario Episcopali restituantur, tradanturve.

Cuius sit illas ipsas in codicem certum, eo nomine confectum, summatim referre, eundemque in Archiuio Episcopali asseruare.

62 Verum testificationes ætatis, natalium, ac si de eo, qui maioribus ordinibus initiandus est, igitur patrimonii, beneficijue Ecclesiastici idem Cancellarius asseruet: ac litteris publicis, quas de eo, qui ordinem susceperit, conficiet, de illis pro ratione sibi præscripta testatum faciat.

63 Cum examen initur illius, cui in curam certa Eccl. sia parochialis tradenda est, videant ante examinatores, qui qualis, & quam numerosus populus sit, cuius parochialem curationem is suscipiet.

Quod sanè re diligenter explorata in examine, quod inibunt, sibi proponant accuratè perspicere, an ad eam curam suscipiendam, igerendamve idoneus omnino ille sit.

64 His omnibus ita præscriptis, examinatores ordine ad interrogationes, quęstioneśve veniant. Arq. in examine quidem ea rō nitatur, vt interrogationes, quæstioneśve is examinator proponat, quē p vicissitudinis rōne, & p doctrinæ, disciplinæve genere, mō hūc, mō illū in eo ipso examine Epus Vicariusve, examinis preses interrogari iusserit, vt nè vnus alterū uario, multipliciq. interrogationū mō certatim iterpellet.

65 Interrogationum porrò, & quęstionum rõnem examinatores ita teneant, ut illis inter se sic distributis examinis instituti rõnib. prouti oportet cumulatè satisfactũ sit: atq; eorũ unusquisq. quo de genere quærere instituerit, ita de eo quærat, interrogetve, ut, quemadmodum par est, illius generis quęstiones, interrogationisve satis explicatæ sint.

66 Silentio, dum examen habetur, ⁊tantur, nec inter se colloquia, cõfabulationesve habeãt: nec mutuas itidem quæstiones, dubiorumque explicationes sibi proponant; sed ad illius, de cuius doctrina interrogationibus quæritur, responsiones attenti, animum attentionis studio eidem addant, ad rectè explicandas propositas sibi quæstiones.

Nec ⁊verò examinatorem, loco suo interrogantem alius interturbet; sed ⁊unusquisque expectet, dum sibi ordine, pro quæstionis genere, rationeve interrogare contigerit.

67 In quæstionibus, interrogationibusve proponendis, non verbis, nõ aspectu, non ullo modo seueros, vehementesque se præbeant, ⁊t, qui examen subeunt, seueritate deterriti, animum nè despondeant, memoriaque langueſcant, ac ⁊vacillent, non sine aliquo dedecore: at benigni, gratique animi significatione illos, ⁊vel differentes, ⁊vel respondentes audiant: nec ⁊verò quibusdam interrogatiumculis, aliave vllaratione interpellent.

Si quid autem vel in differendo, vel in legendo, vel in pronunciando, vel in respondendo eos offendere animaduerterint; nè tunc illos doceant, obiurgentue, ac nè moneant quidem; nisi quid ad examen rectè instituendum, perficiendumue pertineat: sed examine peracto eos breui admoneant, doceantue, siquid necessario illos, tunc admonẽdos, docendosue duxerint.

68 In omnibus porrò, & singulis examinis interrogationib. spectetur non solum uniuscuiusque eorum, qui examinantur, scientia, sed etiam vsus iudicium, ingenii, ius, ac solertia.

Examinis autem omnium ea ratio instituta sit.

69 Vt primo de toto uitæ statu, genere, patria, domicilioue eius quæratur, qui examen subit.

An impedimentum aliquod habeat, quo irretitus, uel initiari, uel beneficium Ecclesiasticum cuius nomine experimentum fit, uel prædicãdi munus, uel confessiones audiendi suscipere, ac exercere non possit. Quo impedimento, si quis etiam occultè illigatus tenetur, id planè Episcopo saltem patefaciat, nè quisquam illegitimè, uel initietur, uel beneficium consequatur, uel aliud munus suscipiat, geratue.

An in orationis sanctæ studio, usuque uersatus.

Quibus meditationibus instructus, Deum tacitus oret.

Qui orationis modus.

Qui

Qui illius fructus, quæve vtilitates.

Quot, quibusve partibus illa constet.

Quæ regulæ præparationis ad orationem, & cætera multa eiusdem generis, prout prudens, piusque examinator pro ratione, aut personæ, de qua quæritur, aut causæ, ob quam fit examen, opus esse viderit.

70 His perquisitis examinatores ad scientiæ, eruditionisve experimentum descendant: Vt autem ij certam sibi formulam proponant, qua illorum, qui examinantur, & litterarum doctrinam, & vitæ clericalis disciplinam, & rei Ecclesiasticæ peritiam experiantur, in omni experimenti, examinisve ratione, sacris Bibliis, Catechismo Romano in primis, Concilio Tridentino, sacrorum Canonum decretis, & aliis Pontificiis Constitutionibus, Synodisq; tum prouincialibus, tum diœcesanis vtantur, vnde suas interrogationes hauriant, quibus, prout est illorum ingenii captus, explorent, eorundem, & scientiam, & Ecclesiasticarum rerum notitiam, atque vsum.

71 Cautio autem sit, ut si dum quis interrogatur, ita rudem, atq; ignarum se ostendat, qui rerum facilium, minimarumque nullam sciētiam, vsumque teneat, nè aliarum rerum difficilium interrogationibus tempus conteratur.

72 Rursus cum quempiam, quanta doctrina, & vsu litteratè peritus sit, exploratum erit, non est, cur pluribus interrogationibus secum diutius agatur.

73 Nunc igitur vniuersè infrà præscribemus, quæ ad rationem pertinent vniuscuiusque examinis eorum, qui vel ordinis Sacramento initiantur, vel parochialium Ecclesiarum curam, vel alterius beneficii munus suscipiunt, vel Sacrę confessionis audiendę officium sumunt, vel ad Dei prędicationem mittuntur. At verò speciatim longè plura, atque adeò pauciora, prudentum examinatorum, ac præsertim Epi, eiusve, qui examini præest, iudicio relinquuntur, & pro eorum captu, qui ad examen accedunt, & pro ordine, quo quis initiandus est, & pro ratione locorum, quo mittuntur, & pro genere doctrinę, quam profitentur.

74 Qui verò earum rerum, quę certis interrogationibus demonstratę, in hac instructione continentur, se minus eruditos esse ostenderint, eos Episcopus admoneat, ut diligenter in posterum in doctrinis incũbant, atque harum ipsarum rerum in primis peritiam, & scientiam percipere studeant, ita, ut cum visitationis munus, aliave eorum studiis, & progressus in litteris recognitio adhibebitur rectè, peritèque omni eo doctrinę genere instructi comperiantur.

75 Ac primò quidem eum, de quo examen faciendum est, legere examinatores iubeant, quoad experiundo videant, an

ille rectè, explicitèque legat.

76 Post, si ordinis, aut beneficii, aut recognoscendæ clerici cuiusqui in litterarum studio progressionis causa experimentum fit, grammaticorum more, verborum constructionem proponendi: quo in genere si quid is errat, labiturue, ita vt, nè pro grammaticæ quidem ratione, illorum vsum, peritiamve teneat, nè propterea eum inter turbent, interpellentue, aut impediant, quominus ad propositum grammaticæ instructionis modum redire possit.

77 Tum verborum, quæ legerit, construxeritve sensum ab eo quærant: quem vt rectè eliciat, atque exprimat, quod ei legendum proponunt, eiusmodi sit, quo tota sententia, sensusque perfectus concludatur: nihilque in se habeat, quod sub sistoriæ intelligentiam cadat, aut ex antecedenti, consequentiue alio capite explicatio existat; deinde ad alia grauiora eius doctrinæ, disciplinæve experimenta examinatores progrediantur.

78 Qui primam tonsuram, aut minores, maioresve ordines suscepturi, ad experimentum, examenvè accedent, ab vnoquoque eorum vniuersè, ac sigillatim quæratur præterea, an impedimentis, quæ Concilij prouincialis quarti decreto, de initiandis, commemorata sunt, irretiti teneantur; vtpotè, an scilicet sint.

Minores natu.
Rudes, & ignari.
Criminosi.
Solemniter pœnitentes.
Neophiti.
Ebrietati, & gulę dediti.
Impudici.
Lapsi, post ordinem susceptum.
Periuri.
Vsurarij manifesti.
Infames.
Ratiocinijs obligati.
Serui.
Corpore vitiati.
Insigniter deformes.
Illegitimè nati.
Peregrini, & ignoti,
Bigami. Sess. 23. c. 17. de refor.
Irregulares quouis alio modo.

Quo in genere cautio sit, ut præter alia, speciatim perquiratur ab eo.

An

An ſtipendium belli fecerit, vnde cędes hominum extiterit.

An iudicis Criminalis in foro laicali officium geſſerit.

An ſententiam capitis tulerit.

An criminis, cuius nomine capitis quis damnatus ſit, acta, ſententiam, teſtificationeſque dicarit, aut conſcripſerit.

An in eo procuratoris, aduocatique fiſcalis munus adminiſtrarit, aliaque exercuerit; vnde irregularitatis maculam contraxerit.

An ſuſpenſi.

An interdicti.

An excommunicati.

An amentes.

An morbo caduco laborantes.

An energumeni.

An verò non examinati, & probati.

Exploretur item, an furtim, per ſaltumve ordinem ſuſceperit.

Inueſtigetur præterea, cum quis ordinem aliquem ſuſcepturus, ad examen uenit, quamdiù eſt, quò alium ordinem ſuſcepit, ut nemini ad altiorem gradum pateat aſcenſus, niſi in ſingulis alijs inferioribus ordinis gradibus congruo temporis ſpacio perſtiterit ad præſcriptum Tridentinę ſanctionis. Seſſ. 23. c. 12.

An vim, & naturam, myſteria que ordinis, quem ſuſcepturus eſt, norit.

An item ritus, & cærimonias, quæ ex libro pontificali adhibẽtur, cum initiantur.

An eorum item ſignificationes ſanctiores.

An ſacrarum veſtium, quibus induuntur, myſteria item, & ſignificata.

An functionũ notitiã habeat, ordinis, quo quiſq; initiãdus eſt.

An earum vſum, exercitationemque rectè teneat, cum in litteris, tũ etiam in cantu: in quo experimento adhibeantur cantus periti.

Quicumque Eccleſiaſticum aliquem ordinem ſuſcepturus eſt, de eo periculum, experimentumve fiat, non ſolum in litterarum ſcientia, verum etiam in cantus peritia, ad ordinis, quem tunc ſuſcipiet, functiones ritè, rectèque obeundas neceſſaria; tum præterea ſi ſacro ordini adſcribendus eſt, in vſu, ac notitia, quam in recitandis diuini officii horariis laudibus, precibuſque habeat. 4. quæ pert. ad ſac. ord.

Qui ſubdiaconatus ordini adſcriptus eſt, &c. ſupra num 34. 5. vt ſupra.

79 Hæc generatim ab omnibus, & ſingulis explorentur: Nunc præterea ſequuntur, quæ ſigillatim cuiuſque ordinis propria, ſuo loco præſcripta, perquirenda ſunt, ità tamen, vt examinatores pro prudentiæ ſuæ ratione, quæ in ordinis inferioris examine, exploratione-

neve requirantur, aliquando etiam perquirant ab iis, qui superiori ordine initiantur.

De iis, qui prima tonsura initiandi sunt, quæratur, & inuestigetur.

Primum, quam ob causam se clericos fieri velint.

An sęcularis iudicii vitandi causa initiari curent.

An contentiosis litibus implicati.

An rixam, simulatemque exerceant.

Quod item artificium teneant; quave in arte, quove in vitæ genere hactenus versati sint.

An tales sint, qui spem prebeant ecclesiæ ministros vtiles se fore.

A quo sacerdote, sanctioris vitæ magistro, instituti sint ad clericalis vitæ modum.

An legere, & pronunciare, & scribere norint: tum in vtroque genere de ijs periculum fiat.

An doctrinæ Christianæ præcepta, institutaq. sciant.

An Epactę intelligentiam habeant.

Præterea an Sacramentum confirmationis susceperint.

80 De iis vero, qui minoribus ordinibus ascribi nolunt, quęratur experiundoque cognoscatur.

An saltem primordia grammaticę, & linguam latinam intelligant.

An scientię spes tales eos ostendat, qui digni sint, ut ad maiores ordines aliquando ascendant.

5. de init. ord. sacr. §. Qui ver. inferior. 5. de examinerat.

An versati sint in recitatione officij Beatæ Mariæ Virginis, supra num. 35.

81 Qui verò sacris ordinibus, vtpotè subdiaconatu, diaconatu, Sacerdotio initiandi sunt, cum ornati, excultique iis virtutibus esse debeant, quæ in clericis inferiorum ordinum requiruntur, sicut ad altiorem ordinis gradum ascendunt, ita virtutum, & probitatis, & doctrinę quodam quasi ascensu præstare debent.

Quamobrem hoc imprimis examinatores videant, an qui ordinis Sacramento initiantur per singulos illius gradus, & in uitę spiritualis disciplina maiorem progressionem fecerint.

An Breuiarium, anque sacra Biblia, an item sanctorum patrum volumina, Concilium Tridentinum, & prouincialia quoque Synodos Episcopi diœcesani, Catechismum Romanum, rationale diuinorum officiorum, & libros aliquos, de vitæ spiritualis rationibus conscriptos, sui muneris vsui accommodatos habeant.

82 Subdiaconis potissimum de ordinum minorum quæratur, & maiorum differentia.

An

An in minoribus ordinibus probati sint.

De voto item continentiæ, quod subdiaconatus ordini coniunctum est.

De Sacramentorum etiam doctrina, saltem generatim.

Tum eorundem periculum, experimentumve fiat in officij diuini recitandi ratione: suprà nu. 100. in fi.

83 Diaconorum examen, experimentumve fiat preterea aliquanto diligentius de Sacramentorum doctrina.

Experimentum item aliquod fiat in concionibus habendis, ex ratione Concionatorum examini præscripta.

84 Ab ijs, qui sacerdotio initiari volunt, hæc sigillatim studiosius perquirantur.

An piè, & fideliter in ministerijs ante actis se gesserint.

An spectata pietate, anq; castis moribus.

An præclarum bonorum operum exemplum, & vitæ documenta ab eo expectari possint.

Hæc præterea quærantur.

Quid sit Missæ sacrificium.

Qui illius sacrificij effectus.

Quæ eiusdem partes.

Quæ mysteria in eo insint.

Quæ sacrarum vestium significationes.

Quæ in eo officio offerendo requirantur.

Vbi, & quando illud fieri non licet.

Quæ dubia aliquando incidere possunt.

Quæ explicatione opus habeant, vt illud rectè fiat.

Tùm experimentum eorum ex præscriptis infrà regulis fiat.

An sacræ confessionis aliquam peritiam habeant.

An ad alia item Sacramenta rectè, ritèque ministranda idonei sint.

An eorum cognitionem explicatiorē habeant, ex interrogationum præscripto, vt infrà de parocho.

An doctrinam item teneant, qua verbum Dei rectè tractare, concionemve habere possint.

Atque de re sacra, de christianarum virtutum officiis, atque de omni re ad salutem necessaria aptè populum instruere, aut docere possint.

Cum verò à cęteris omnibus, vt præscriptum paulò ante est, qui clericali militiæ adscribuntur, de vitæ spiritualis, sanctiorisque institutis, atque exercitationibus perquirantur, tum maximè ab ijs, qui vel sacerdotio initiantur, vel parochialem curam suscipiunt, vel sacræ confessionis audiendæ munus sumunt, vel in tractatione verbi Dei, sacrisq;

concio-

concionibus uersari volunt. A quibus omnibus, & singulis, cùm ad examen veniunt, præter cætera, quæ ad sanctæ spiritualis vitæ vsum pertinent, ea maximè explorentur, quę de orandi modo, deque omni sanctarum meditationum, cęlestiumve contemplationum exercitatione ab alijs, qui in eo genere religiosè sese exercuerunt, tradita sunt. Quę sequuntur, videātur in titulis sequentibus. De examine eorum, qui præficiendi sunt ecclesijs parochialibus. De cōfessarij examine. De examine Concionatorum, &c. De examine clericorum ad indagandam eorum in litterarum studijs progressionem, & sacrę Scripturę interpretum.

5. de init. or. sacr. 85 Regularium examen diligens ab Episcopo fiat, Quod potissimum uersetur circa litterarum scientiam, & cantus peritiam, ac alias instructiones ad ordinis suscipiendi functiones ritè, rectèq; obeundas.

Ac circa usum, & peritiam recitandi diuinum officium cętera adipsos regulares spectantia videantur suprà, nu. 25. & 26.

3. de ijs, quæ partim ad ordi. sac. &c. 86 Conuocato prętereà sępe per annum, vt aliàs iussum est ad sclero, aut ipse, aut sacerdos aliquis, vir doctus in ecclesiasticaq; disciplina uersatus, eius nomine ad illum, remotis laicis, sermones, concionesve habeat de ordinis eorum prestantia, & sanctissimis officijs, de virtutibus, quibus clericalis ordinis homines prælucere debent: de vitijs, quibus in populo offensionem præbere possunt, de omni denique clericali morum disciplina, virtutumque perfectione. Idem quoque prestet pridie eius diei, quo statas sacras ordinationes habebit, conuocatis illo die tum clericis; qui postridie ecclesiasticis ordinibus adscribendi erunt, tum alijs, quos de clero urbano tunc accersendos esse censuerit.

Idq; præstetur officiū, qđ ipse Eps ex Prouincialib. nris decretis die sequēti prestare debet, sermone in explicāda clero, populoq; doctrina rituum, sanctorumq; significatione mysteriorum, quæ tunc in ecclesia publicè ipse agit.

5. de init. or. sacr. 87 Eo sermone, quem pridie illius diei, quo sacra ordinatio celebratur, Prouinciali decreto haberi institutum est, illud in primis spectetur, vt quæ monitiones postero die de libro Pontificali leguntur, diserte verbis, ijsque uulgariter conceptis explicentur vberius.

Vnusquisque porrò eorum, qui sacris ordinibus initiabūtur, etiam, atque etiam diligenter admoneatur, quod, quàm que sanctum munus suscepturus est.

Verùm eius sermonis ius, in subdiaconis potissimū monendis versetur, quò rectius, dū integrum est, deliberare possint, an castitatē, quæ ppetua illi ordini est annexa, profiteri velint, eoq; accuratius propterea in graui illa deliberatione videant, quid Deo auxiliante prestare posse

sperent,

sperent, neq; in eo Ecclesiastico spiritaliq; munere susciendo quicquam agnatorũ, vel huiusmodi aliena voluntate, sed sua spontanea deliberatione agant: nec verò in sacri eiusdẽ ordinis susceptione, vitæ huius cõmodum, aut aliud quicquã eiusmodi, sed Dei honorẽ sibi propositũ habeãt. Huius gñis sermo, à quoũq; appositè habetur, utilis ille quidem est, at multis partibus longè vtilior erit, atque opportunior, si eandem Episcopus accuratè, studiosèque habuerit.

88 Constitutione Pij II. Pont. Max. Quicumque clerici sine canonica dispensatione, extra tpa, vel ante legitimã ætatẽ, vel absque dimissoriis ordinarij sui litteris, se ad aliquẽ sacrum ordinem promoueri fecerint, ab suorũ ordinũ, quos susceperint, exequutione ipso iure suspẽsi sunt. Siq; suspensione durante, illorum ordinũ ministerium, functioneſve obierint, statim irregularitatẽ subeant: ob quam, prẽter alias pẽnas, contra istos canonũ iure sancitas, beneficijs ẽt ecclesiasticis priuari posſũt. Is igitur pẽnis, ne quis facilè illigetur, illam constitutionẽ quotannis, tũ in diœcesana Synodo promulgari, tum pridie illius diei, quo sacræ ordinationes habebuntur, edici clericis iubemus, qui initiabuntur. 3. de ijs, quæ partim ad ordi. sacr. &c. qBulla edita 15. calen. Decemb. 1461.

89 Quicũque aliquem ecclesiasticum ordinem susscepit, is, vt Tridẽ. Concilio iussum est, certę Ecclesiæ adscribatur, in qua functiones, quas ei Eps prẽscripserit, obeat: nec verò alius eidem ordo ante conferatur, quàm ipsi Epo fidem, testimoniumque ille attulerit se in Ecclesia, cui adscriptus est, præstitisse præscriptas sibi functiones. 2. ti. 1. dec. 14 Sess. 23. c. 13. 14. 16.

Si uerò aliqua de causſa eodẽ tpe, ex sacrorũ canonum permissu plures ordines minores clerico Eps contulerit, eidem prẽscribat arbitratu suo functiones, ad vnumquemque minorem ordinem, quem ille susceperit, pertinentes.

90 Videat etiam omnino, ut quẽcumq; eiusmodi titulis ordinauit, ẽt familiarẽ suum, certæ illũ ecclesiæ addicat vbi ordinis susceptiones, ac munera, ut ipsius Concilii decreto cauetur, ipse verò præstet. 5. de init. or. sacr. Sess. 23. c. 16.

91 Qui certis ecclesiis adscripti sunt, in ipsis dieb. ad eas cõueniant, & in ijs functiones eas prẽstent, quę vnicuiq; eorũ ab Epo pscriptę erũt. Si tamen ijs diebus aliqñ ad diuina officia obeunda ad funerave in alias ecclesias vocabuntur, eò illos accedere permittat Episcopus. 2. tit. 2. dec. 28.

92 In testimonialibus ordinis, ab vnoquoque susceptj, litteris, fiat testificatio etiam ecclesiæ, locive pij, cui is tum adscriptus est, ex Tridentino decreto. Nec verò, &c.

93 Quicũque clericus, alicui Ecclesię adscriptus, ubi ordinis à se susceptj, functiones obeat, memor cõplurium Sanctorũ, qui vel toto vitæ tpe, vel multis saltẽ annis, in alicuius ẽt minoris ordinis ministerio, munereve religiosè versarj, ad altiorẽ se ordinis gradũ prouehi passj non sũt, eorũ recordatione, exẽploq; excitatus illud sedulò curet, atq; adeò 5. de fruit. ordi. sacr.

efficiat,

efficiat,vt ordinis,quo proximè initiatus est,præscriptas functiones,nõ elatè,sed humiliter,non rarò,sed frequenter,non negligẽti studio,sed accurata,vereq; clericali sollicitudine,& disciplina,piè, rectè,atq; ritè pstet. Alioqui si in sanctis ijs functionib.negligenter,contraq; ac pscriptum est,se gesserit;illud norit,eo voluntatis suæ testimonio, sibi apud Episcopum,aditum præcludere ad altiorem gradum ascendendi.

2.ti.2.dec.28 94 Rector aũt,in cuius ecclesiã illi cõueniunt,tertio quoq; mẽse Epo referat,vel litteris significet,non solum an huic decreto ab illis obtẽperetur,verum etiam an ea præstentur,quæ superiori prouinciali Concilio illis præscripta sunt,tum de habitu,tum de tonsura clericali, tum de eorum vitæ consuetudine.

5.vt suprà. 95 Præfectus aũt,rectorve ecclesiæ testimoniũ de clerico factũrus,qui functiones in sua ecclesia obierit, hęc testificationis suæ lris speciatim, uereq; exprimat,quas scilicet functiones,& quãdiù,& quã diligenter, & quam piè,& quam decenter,rectè,ritèq; præstiterit.

4. quę pert. ad Sacr. ord. 96 Clericos quoscũq; certę ecclesię,piove loco adscriptos, si ab ecclesiæ,cui adscripti sunt,clericali statione,sine Epi facultate, eaque litteris exarata, discesserint, ordinum suorum munere, ex eiusdem Concilij Sess.23.c.16. Tridentini sanctione,Episcopus interdicat.

4.ibidem. 97 Nec uerò propterea quicquam derogatum alijs decretis, pœnisve sit,quę de parochorum,aliorũve curã animarũ gerentium, cęterorũq; residentia præstanda, vel absentia cauenda, puniendave Tridentinis decretis,ac nostris Prouincialibus Constitutionibus, Edictis præterea Episcopalibus constitutæ sunt; quinimò illis etiam pœnis, mulctisve contra eos agat Episcopus omni iuris ratione.

2,ti.2.dec.28 98 Curet Eps, ut qui clerici certæ Ecclesiæ ministerio adscripti non sunt,ij Dñicis, festisq; singulis diebus in Parochiali Ecclesia, in cuius finibus eorũ quisque habitat,Ecclesiasticum beneficiũ obtinet, qd residentiam nõ requirit aut in ea,quę Epo uidebitur,Rectori operam,atque adiumentum nauent ad diuina officia celebranda.

3.de ijs, quæ pertin. ad or. sacr.&c. Quod altera prouinciali Synodo decretũ est,ut clerici,certę ecclesię ministerio non addicti, festis diebus in parochialem Ecclesiam, in aliamve, Episcopi arbitratu conueniant ad diuina officia celebranda, id pręstent omnes diligenter,ẽt qui sacerdotes sunt: idque tum maximè in solennis Missę sacro, itidemque in vesperarum officio.

Quo prætereà tempore in eadem Ecclesia sanctissimum Eucharistię Sacramentum,uel in altari adorandum fidelibus publicè exponitur,uel inde in tabernaculo reconditur, uel processionis ritu per ecclesiam circumfertur,adsint,munusque suum,& operam pręstent. Idque omne, nisi aliquando Episcopi concessũ ei alio loco tunc ministrare ioseruireve licuerit.

Archi-

99 Archidiaconus cuiusque Cathedralis Ecclesiæ, siea Ecclesia Archidiaconum habeat, sin minus is, qui proximum post Episcopum in ea Ecclesia dignitatis gradum obtinet; intrà sex menses librum conficiat, in quo diligenter describat clericorum omnium sęcularium nomina; &, quo quisque ordinis gradu sit, ac deinceps reliquorum tam sęcularium, quàm regularium, qui clericatum, vel aliquem ex minoribus, maioribusve sacris ordinibus assumpserit, locum etiam, & tps. 1. quæ ad Sacram. ord. ad min. pert.

Quicũque verò posthac in nostra Prouincia à suo Epo, vel eius permissu ab alio, ẽt extrà Prouinciam, in clericalẽ militiã adscriptus fuerit, vel altiorẽ ordinis gradũ ascenderit, ad mensem ex eo die, quo ordinẽ susceperit, nomen suum in clericorum librum referendum curet.

Eum aũt librum idẽ diligenter custodiat; in quem quicquid singulis annis retulerit, id Episcopo describendum dabit, vt eius libri exemplum etiam in Episcopalibus ędibus asseruetur.

100 Notarij in litteris dimissorijs, seu testimonialibus, sacri Cõcilij Tridentini decretũ seruent; in alijs, quę merè spirituales sunt, ẽt si nullum stipendium eis constitutum sit, nihil omninò accipiant; præter scripturę mercedem ab Ordinario statuendam. 1 de notarijs & scribis. Sess. 21. c. 2.

Pro singulis lris dimissorijs, quę pro susciendis plurib. oĩbusve minoribus, vel ẽt maioribus ordinibus concedentur, itemq; pro singulis litteris, quibus notarius testatum fuit plures, oĩsve ordines alicui collatos esse, decimã partem aurei nũmi tantum ad summũ à Cãcellario accipi liceat, ac si eę litterę de vno tantũ ordine suscipiendo, vel suscepto essent datę. Idq; si modo nullum ei salarium pro officij sui munere exercendo constitutum sit: neq; ad Episcopum ex notarij commodis aliquid emolumẽti ex eisdem ordinum collationibus, litterisve dimissorijs, directè, vel indirectè peruenire possit, alioqui gratis omnia dentur, vt est Tridentino Concilio sanctum. 3. de iis, quæ ed Epm forã. pert.

101 In testimonialib. ordinis, ab vnoquoq; suscepti, lris, fiat testificatio ẽt ecclesię, locive pij, cui is tum adscriptus est ex Trident. decreto. 4. vt sup.

102 Vbi primum Episcopus, aut parochus aliquem norit, qui uel spõtè se clericali militiæ adscribi uelit, vel à parentibus adhuc infans destinetur; hoc sedulò curet, ut illorum quò diligentius clericalis disciplinæ, vitæq; religiosæ institutis primùm imbuatur, ecclesiam frequẽtiùs adeat; sanctiones, quas clerici obeunt, cęteraque id generis ministeria cernat; ipsique parocho, vel alii sacerdoti, quem idem Episcopus maluerit, in disciplinam, curamve traditus, ecclesiasticorum hominũ consuetudine vtatur. Sicque multiplici ratione, cùm paulatim, & clericalis vita officijs obeundis, & laboribus susciendis, assuefiat, tum discat etiam, atque animaduertat quod vitæ genus, si ordinis Sacramento initiari uelit, sequi debeat; proindeq; de re tota maturius ante deliberet. 4. quæ pert. ad Sacr. ord.

Parochi

Parochi verò sit,illiusve,cuius curæ,Episcopi iussu,traditus est;eum quęcumque clericalis uocationis,institutionisve sunt,aliquando monere,ac docere diligenter.

103 Vt ad ecclesię ministerium complures instituantur,qui ab incunte penè ætate ad pietatem,vitæq; innocentiam, cum litterarum doctrina coniunctam,accuratè instructi,ei sanctè, vtiliterq; post inseruiant; illud unusquisque parochus valde studeat, vt quamplurimos possit pueros, præsertim pauperes, bona indole prędditos, qui spem afferant, se sacris initiatos, ecclesię ministros utiles fore, ad ecclesiasticæ uitæ normam accuratè erudiat, eosdemque præterea,cum ante, tum etiam in primis,post susceptam clericalem tonsuram, ac deinceps minoribus ordinibus adscriptos, pro paternę charitatis studio, optimis moribus, clericali religioni congruentibus, clericaliumque functionum disciplina bene informet; litterisque item instruat, eos præsertim, qui ab alijs probatis uiris,artem litterarum profitentibus, ob inopiam, aliamve causam,commodius, diligentiusque erudiri non possunt.

104 Eorum autem singulorum mores,studia,litterarumq; processionem Episcopo parochus aliquando significet,vt suo tempore,uel in seminarium coaptari,vel alia quacumque uia adiuti,pro ętatis ratione, proque ingenij captu,studijs grauioribus se dedere queant.

De Seminario Clericorum.

SVMMARIVM.

1 *Seminarium clericorum instituendum,& vbi ædificandum.14.*
2 *Decima fructuum ei attributa.*
3 *Vnde soluenda.*
4 *Quo tempore soluenda.*
5 *Eius augendæ facultas.*
Multa etiam adiudicata.De pœnis, nu.4.
6 *Exactio decimæ intermissa,remissiuè,restituenda.*
7 *Prætermissa verò ad dimidiam partem decimæ restricta.*
8 *Exactio ipsa quamdiù duret.*
Taxa præscripta ab Episcopo exigenda.20.
9 *Quæ,& quot beneficia ab Episcopo Seminario applicanda.*
Simplicia beneficia interim vacantia cui non conferenda.
10 *Quando non valeat applicatio beneficiorum. 11.*
12 *Beneficia nullius diœcesis cui Seminario contribuant.*
13 *Census vnicuique Seminario Prouinciæ præfinitus ad quam summam ascendat.*

Canonici

15 *Canonici duo ab Episcopo deligendi ad Seminarij disciplinam.*
16 *Canonicique alij duo, & duo ex clero eligendi ad rerum temporalium administrationem.*
17 *Delecti, quando mutari possint.*
18 *Eorum consilium sequi non adstringitur Episcopus.*
19 *Rationes quotannis Episcopo reddendæ, & quibus præsentibus.*
20 *De Seminarij statu ad Metropolitanum ab Episcopo scribendum.* 21.
22 *Exponendæ difficultates eius institutum impedientes.*
23 *Quibus difficultatibus, vt per se, cum deputatis prospiciat Episcopus.*
24 *Seminarium quoties ab Episcopo visitandum: quæque Constitutiones præscribendæ.* 25.
26 *Catechismus Romanus in Seminario prælegendus.*
27 *Rituum sacrorum, & ecclesiasticæ historiæ studium in eo instituendum.*

Decreta quoque Prouincialia, & diœcesana de clericorum disciplina, in eodem legenda. Quæ generatim ad hæc decreta pert. 9.
Seminarij titulo quis, vt adscribendus. De Sacram. ordinis. 36.
Ad eiusdem curam, quis non admittendus. De parochijs, nu. 14.

1 MANDATVM est à sacro Tridentino Concilio Prouincialibus Synodis, vt quamprimùm in eam curam incumberent, vt Seminarium clericorum, vbicumque id fieri posset, constitueretur omniq; ratione propagaretur. Quamobrem etiam illis facultatem dedit moderandi, & augendi omnia, & singula quæ pij, & sancti huius operis institutionem, & progressionem coadiuuare possint. Sess. 23. c. 18. 1. de Seminarioclericorũ.

2 3 Itaque nos prouinciæ nostræ statu, & ecclesiarum, ac beneficiorũ genere diligenter considerato, duximus ad hanc rationem confugiendam esse, vt detrahamus, quemadmodum iam nunc detrahimus, decimam partem fructuum cuiuslibet mensæ Episcopalis, & capituli, & quarumcumque dignitatum, personatuum, officiorum, prębendarum, portionum, abbatiarum, & prioratuum cuiuscumque ordinis, etiam regularis, aut qualitatis, vel conditionis fuerint; etiam hospitalium, quæ dantur in titulum, vel administrationem, iuxtà Constitutionem Concilij Viennensis, & beneficiorum quorumcumque etiam regularium, etiam si iurispatronatus cuiuscumque fuerint etiamsi exempta, etiamsi nullius diœcesis, vel alijs ecclesiis, monasterijs, vel hospitalibus, & alijs quibusuis locis pijs, etiam exemptis annexa, & ex fabricis ecclesiarum, & aliove locorum etiam ex quibuscumque alijs ecclesiasticis redditibus, 1. ibidem. Ead. sess. & cap. ver. & qui ia. c. quia cõtingit, de relig. domib.

bus, seu prouentibus, etiam aliorum collegiorum, in quibus tamen semi naria discentium, vel docentium, ad commune ecclesiæ bonum promouendum actu non habentur, hæc enim exempta esse volumus, præterquam ratione redditus, qui superflui essent, vltrà conuenientem ipsorum seminariorum sustentationem, seu corporum, vel confraternitatum, quæ in nonnullis locis scholæ appellantur, & omnium monasteriorum, non tamen mendicantium, etiam ex decimis quacumque ratione ad laicos, ex quibus subsidia ecclesiastica solui solent, & milites cuiuscumque militiæ, aut ordinis pertinentibus, (fratribus sancti Ioannis Hierosolymitani dumtaxat exceptis,) eamque supradictorum fructuum decimam sic detractam, seminarijs, singulis prouinciæ nostræ diœcesibus erigendis seu iam erectis, applicamus, & incorporamus.

Possessores autem huiusmodi beneficiorum ad eandem fructuum decimam non modo pro se, sed pro pensionibus, quas aliis forsan ex dictis fructibus soluant, retinendo tamen pro rata quicquid pro dictis pensionibus illis erit soluendum, omnino teneri uolumus, & mandamus eiusdem Tridentini Concilij auctoritate, quibusuis, quò ad omnia, & singula supradicta, priuilegijs, & exemptionibus, etiamsi singularem derogationem requirerent, consuetudine etiam immemorabili, & quauis appellatione, & allegatione, quæ executionem non impediat, non obstantibus.

Hanc autem fructuum decimam iuxtà maiorem singulorum beneficiorum taxationem, quæ hactenus facta reperiatur, exigi iubemus. Quod si aliqua beneficia non reperiantur taxata; Episcopi de consilio eorum, qui sacræ Tridentinæ Synodi iussu ad id munus delecti fuerint, ea taxent.

4 Quam decimam duobus terminis infrà frequentem annum 1566. & deinceps singulis annis eodem modo solui uolumus. Si quis huius anni taxationem, à se impositam exigere cœpisset, eãdem exactionem prosequatur; deinceps verò hanc exigendi rationem, à nobis præscriptam, seruabit.

5 Præterea damus auctoritatem singulis prouinciæ nostræ Episcopis, vt de eorum, qui huic muneri præfecti erunt, consilio, & Metropolitani scripto consensu, possint eam decimam augere, ac perducere vsque ad decimam ueri annui reditus, & imminuere, vel vniuersè, vel sigillatim, atque ijs etiam beneficiis, quę tenuiora fuerint, præsertim cum ratis, totam omnino exactionem remittere.

5. de Seminario. 6 Seminarij institutio, quàm utilis sit, ac necessaria, ad cleri disciplinam in singulis ecclesiis propagandam, cum ex Concilij Tridentini decreto facilè intelligi potest, tum ex eo etiam, quod rei illius salutaris ratio aliquando intermissa, damna, & detrimenta non mediocria rei

ecclesiasticę

eccleſiaſticæ attulit. Cùm igitur in nonnullis prouinciæ noſtræ eccleſijs iam omninò, aut aliqua ex parte deſitum ſit, decimas, fructuumve partiones, quæ Concilij prouincialis primi decreto, ex ſacroſanctę Oecumenicæ Synodi Tridentinę auctoritate ad illius ſuſtentationem conſtitutæ ſunt, exigi; atque inde in ijs ipſis eccleſiis penè collapſum ſit tam ſalutare inſtitutum; ob eam cauſam prouinciali hoc decreto id cauemus, vt quæ decimarum, fructuumve exactio illo Tridentino, prouinciali; decreto iampridem Seminarij nomine inſtituta eſt, de ea nihil planè quicquam per Epos remitti liceat, niſi, vt etiam eo ipſo Cõcilio Prouinciali, & nũc hac ipſa ſanctione infrà cauetur. Quòd ſi hactenus quicquam eo de genere, aut planè totum remiſſum eſt, id ad priſtinam exactionis rationem reuocari, atque omninò reſtitui iubemus.

7 Vbi verò nihil vmquàm eo nomine exactum eſt; ibi Epiſcopus mẽſium duorum ſpacio exactionem ad illius Concilii prouincialis primi prę ſcriptum ita planè inſtituat, vt dimidiam tamen partem decimæ illa non excedat.

8 Atque eam quidem exactionem, ſic præfinitam, tamdiù durare decernimus, quò ad ſeminarium eo cenſu, ijſq; redditibus conſtitutũ, atque auctum erit, quos pro locorum diœceſium, cenſuumq; amplitudinis ratione, ſingulis prouinciæ eccleſijs, re maturè deliberata, infrà prę ſtituimus, ea tamen lege, vt rata parte reddituum, quos iam nũc, aut in poſterum beneficiorum acceſſione, aliaue ratione ſeminariũ poſſidere, habereve cõtingerit, tantundem de exactione remittatur ad eiuſdem Concilij, & Tridentini, & Prouincialis primi præſcriptum. Seſſ. 23. c. 18. verſ. ſuadẽte.

9 Decernimus itẽ, vt Epi, ex auctoritate eiuſdem Concilij Trident. intra ſex menſes eccleſiaſtica aliqua ſimplicia beneficia, cuiuſcumque qualitatis, & dignitatis fuerint, uel ẽt præſtimonia, vel prę ſtimoniales portiones nuncupatas, & ẽt nondum vacantes, huic collegio, ſeu ſeminario applicent, & incorporent: ea videlicet, quę illis ſeminario magis opportuna, & idonea videbuntur, ſine tamen cultus diuini detrimẽto, & beneficia obtinentium prę iudicio. 1. de ſeminario. Seſſ. 23. c. 18. verſ. Necnon ẽt locis hen.

Quòd ſi Epi illorum beneficiorum fructus ad id pium opus non ſatis eſſe animaduerterint, deſpiciant, ſi quę alia ſint, quę ſeminario attribui poſſint. Deque his Metropolitanum admoneant, qui, vt res ex ſententia confici poſſit à ſanctiſs. D. N. opem implorandam, & eius auctoritatem interponendam curabit.

Hæc aũt vnio beneficiorum ex prę ſcripta Concilij Tridentini formula locum habeat, ẽt ſi beneficia ſint reſeruata, uel affecta: nec per reſignationes ipſorũ beneficiorum, vniones, & applicationes ſuſpẽdi, uel impediri poſſint: ſed oĩnò quacũque vacatione, ẽtſi in curia effectũ ſuũ ſortiatur, & quacũque Conſtitutione non obſtante. Succedente verò

casu, quo per vniones effectũ suum sortientes, vel aliter seminarium ipsum in totum, vel in partem dotatum reperiatur, tunc portio ex singulis beneficijs, vt suprà detracta, & incorporata, ab Episcopo, prout res exegerit, in totum, uel pro parte ad remittatur.

Vt aũt seminarium, & suis facultatibus perpetuò sustentari possit, & aliquando breui fore speretur, vt ea exactio deniq; cesset, & Eps, Deputatis in consiliũ adhibitis, decreti Trident. auctoritate tot beneficia simplicia adiungat, attribuatve, quot, ijs etiam supputatis, qui iam quouis nomine, aut iure eidem attributi sunt, redditibus, summam conficiant annui census, mox infrà prefinitam.

At, cùm primùm ad eam ipsam summam peruenerit, si quę beneficia, anteaquã vacauerint, iure unionis adiuncta sint, neq; dum ea adiunctio, uniove suum adhuc sortita sit effectũ; illam iam nunc rescissam, ac planè irritam esse declaramus.

10 Atq; vt quidem ab eo onere quàm citissimè fieri poterit, clerus liberetur, & eximatur; Eps caueat, ne beneficia simplicia, qualia sint, quę interea vacare contigerit, cuiquã conferat, alijve usui attribuat: sed quęcumq; illa sint, seminario iure vnionis cõiungat, nisi fortasse quędam, vel ecclesię parochiali, quę tenuiori censu est, uel alij ecclesię, vel loco, operive pio potius attribuẽda, adiũgendave cẽsuerit, pro rõne facultatis sibi canonũ iure, Tridentinoq; Cõcilio datę, ac permissę.

11 Si contra Eps ullo modo fecerit, seminarij detrimento, dãnove, ꝙ inde inferetur, de suo primũ satisfaciat: deinde istiusmodi culpę nomine in Cõcil. Prouinciali proximo rõnem redditurũ; tum prętereà illa ipsa beneficiorũ collatio, prouisiove quam aliter contra huius decreti prescriptum fecerit, irrita nihilominus statim sit, nullaque omninò.

12 Ne uerò in posterum aliqualis, & controuersia ex eo existat, quod sępè dubitatur, cui potissimum seminario illã prescriptam decimę partẽ certa quędam beneficia in sustentatione conferant, de ijs sic decernimus. Beneficia porrò, quę diœcesis nullius sunt, illam subministrent, & soluant diœcesis eius Seminario, intra cuius limites ea olim erãt, & censebantur. At uerò, quę beneficia in hac, uel in illa diœcesi prędia, bonave habent, id prescriptę decimę dẽt Seminario diœcesis, locive, ubi sita est primaria ecclesia beneficij, cui ea prędia attributa olim fuerant; etiam si alia ecclesia, quę beneficio illi primario adiuncta est, ędificata deinceps sit causa illorum prędiorũ. Sinaũt in ijs prędijs ecclesia antea ędificata est, quàm illa adipiscerentur, posteaq; unà cum illis aliis ecclesiæ primarię adiuncta est; tunc eius contributio ad Seminarium pertineat, in qua prędia unà cum ecclesia sita sunt.

13 Census uerò, quem de Reuerendissimorum Coepiscoporum nostrorum assensu, & consilio unicuique Seminario Ecclesiarũ prouin-

cię

eiæ nostræ, auctoritate huius constitutionis præfinimus,atq; adeò præscribimus,certa ratio,æstimatioue hæc sit,infrà ordine exscripta.

Metropolitanæ Mediolanensis Ecclesiæ Seminarij sit annuos census nummi auri sexies mille.

Derthonensis nummi aurei sexcenti.

Laudensis mille.

Aquensis quadrigenti.

Brixiensis bis mille.

Cremonensis bis mille item.

Bergomensis mille.

Astensis sexcenti.

Alexandrinæ quadrigenti.

Vercellensis mille.

Albensis sexcenti.

Viginti millienſis ducenti.

Sauonensis trecenti.

Casalensis quingenti.

Vigleuanensis ducenti.

Nouariensis mille, & ducenti.

Placentinæ mille, & quingenti.

14 In omni Seminarij institutione,cura,atq; administratione Episcopus sese rationibus conformet decreti Tridentini,quod cum in omnibus partibus exequatur, tum in ea maximè, vt certum locum deligat, vbi collegiatim certus puerorum numerus alatur, atque adeò instituatur litteris, disciplinisq; ecclesiasticis. Sess.25.c.18. in fi.

15 Eligat duorum mensium spacio,qui nondum elegerit, canonicos duos,quorum consilio in ijs vtatur, quæ ad puerorum eiusdem Seminarij institutionem, disciplinam, moresque attinent. Ead sess.& ca.

16 Duos item de capitulo, & duos præterea de clero Ciuitatis deligat,quos adhibeat in consilium, consultationemve administrationis, quæ in rebus temporalibus incunda sit. Ea.sess.& cap.

17 Ij porrò omnes,vbi semel delecti sunt, ne vmquã, nisi ob causam quæ cum ratione conueniat,eo munere abdicentur.

18 Meminerit autem Eps sibi Tridentini Concilij decreto oẽ Seminarij administrandi,beneq; gerendi onus impositum esse,quod ipse propterea sustinere,tueriq; debet ẽt atq, etiam diligenter. Eorum igit, quos delegerit,consilium sequi cùm non cogatur, ubi illorũ sniam de re,quę in consultationem cadit,audierit, ipse tamen deliberet, statuat, & exequatur,quæcumq; pro sua pietate, & prudentia, quæ corã Deo potiora, atque præstantiora esse existimauerit, ad instituti Seminarij optimam tum conseruationem,tum administrationem.

Sess. 23. c. 18. vers. Rõnes.

19 Quotãnis apud se rationes administrationis supputari omnino curet: qua in supputatione duos a capitulo, totidem a clero ciuitatis ex præscripto Tridentini Concilij delectos adhibeat.

Ea. sess. & cap. vers. etiã uocato.

20 Præscriptam fructuum portionem Seminarij causa ipse exigat: si quis eam soluere recusarit, aut longius, quàm par est, distulerit; contra illum censuris, & alijs ecclesiasticis pœnis agat, vt planè persoluat, imploratio ẽt, si ita expedire iudicauerit, magistratus secularis auxilio, ad illius Concilij Tridentini præscriptum. Nec verò est, cur in ea re optimè exequenda locum, uel gratiæ, uel precibus, vel metui, uel alij humano affectui vmquam relinquat.

21. 22 De Seminarij statu, progressioneq; Episcopus ad Metropolitanum sæpè, aut sexto quoque mense ad minimum litteras det; quibus, si quę difficultates inciderint, quæ optimum illius institutum impediant, in primis exponat.

Ea. sess. & cap. vers. Postremò.

23 Is verò, ex Concilij Tridentini præscripto, quibus rebus põt; aut debet, omnem operam, studium, aliamq; omnem rationem adhibeat, vt sublatis iis rebus, quæ difficultatem pariunt, Seminarij institutio longè ad optima quæque progrediatur.

2. tit. 2. dec. 25

24 Episcopus ipse tertio quoq; mense saltem, nisi iusta causa impeditus sit, Seminarium visitet, in eoq; uisitationis munere, adhibitis etiã, si modo ei videbitur, aliis doctis, & piis uiris, tum de magistrorum diligentia, tum de progressibus, quos, & in uitæ disciplina, & in litterarum studiis Seminarij clerus habuerit, accuratè inquirat.

Sess. & cap. eod. ver. quæ omnia.

25 Idem certas Seminarij clericis constitutiones præscribat; quas frequenti eorum conuentu in singulos menses legi curet, quo sæpius repetitæ, illorum que mentibus impressæ, seruentur diligentius.

5. ibidem. Sess. 23. c. 18.

26 Is in omni Seminario perpetuus vsus sit, vt Catechismus Romanus pueris, atque adeo adolescentibus prælegatur, & explicetur quàm diligentissimè. Nullaque eius pars prætermittatur, cuius doctrinis eorum animi non imbuantur, ut fieri potest, omni maximo studio.

Ses. & ca. eo.

27 In omni prouinciæ Seminario, vbi commodè potest, præter cætera, quibus, & ad pietatis exercitationem, & ad litterarum doctrinam adolescentum animi erudiuntur, studia etiam sacrorum rituum, historiæque omnis ecclesiasticę certis statis diebus instituatur, quæ clericalis ordinis hominibus, maximè accommodatæ sunt ad optimam religiosæ disciplinæ rationem.

CON-

CONSTITVTIONVM, ET DECRETORVM Synodalium Prouinciæ Mediolanensis

Liber Tertius.

Quæ ad beneficiorum Collationem, & prouisionem in eisq; conferendis, & collatis symonię labem, & auaritiam vitandam pertinent.

SVMMARIVM.

1 *Beneficiorum collatores, ad eaque præsentandi ius habentes, et eorum ministri nihil accipiant.* 32.
2 *A quibus item conditionibus in conferendo, & præsentando abstineant.*
3 *Contrafacientium, & beneficia ijsdem cõditionibus acceptãtiũ pœnæ.*
4 *Bulla Pij IIII. de confidentijs tollendis, vbi, & quando publicè legenda.*
5 *Altera Pij V. Constitutio, qua ipsa Pij IIII. continetur, quotannis in Synodo promulganda.*
Bullarum ipsarum tenores. De Constit. num. 28.
6 *A præsentatis iusiurandum exigendum.*
7 *Formula eiusdem iusiurandi.*
8 *Iurispatronatus occasione, res pluris minimè vendendæ.*
9 *Simoniacæ pactiones vexationis redimendæ causa prohibitæ.*
10 *Simoniæ pœnis, qui teneantur.* 12.
11 *Statuta, & constitutiones ecclesiarum, quibus noui canonici sex mensibus inseruire ante teneantur, quàm distributiones præcipiant, abrogandæ.*
12 *Illasq; sic abrogatas seruantes, vt puniendi.*
13 *Huius rei fraudi, vt occurritur.*
14 *Statuta, priuilegia, constitutiones, & consuetudines, quibus cauetur, vt beneficiorum fructus, & distributiones episcopo, vel canonicis, vel alteri dentur, rescindantur.*
15 *Eorum fructuum loco, nihil Sacristiæ dandum.*
16 *Etiam vigore cuiuscumque statuti, post editionem Tridentini Concilij confecti.*

17 Episcopus / Capitulum / Alijq; Eccles. ipsos fructus retinentes, & exigentes, quibus cen-suris, & pœnis subijciantur.

18 Ab ijs censuris quis absoluat.

Constitutio Pij V. reuocatoria priuilegiorum recipiendi fructus. De Constit. 39.

19 Vbi Sacristiæ, aut fabricæ ante Concilium Tridentinum concessi... riuntur fructus, & distributiones eorum pars dimidia tantum attribuenda.

20 Constitutio, vel consuetudo, vt nouus canonicus suæ præbendæ fructus primi anni fabricæ Ecclesiæ soluat, vt seruanda, si ei præbendę onus pensionis impositum sit.

21 Ad cuius item præbendæ rationem soluenda.

22 Fructus ad sacristiam, &c. pertinentes, in alios vsus non erogandi.

23 Quando in vsus alios conuertere liceat.

24 Canonici supernumerarij non præbendati, quando prohibentur, & quando permittuntur.

Præbenda Theologalis, Pœnitentialisve cui conferenda, & à quo edictum proponendum. De edicto proponendo. 6.

Theologalem præbendam obtinens, quid præstet. De Præbend. Theol. 5.

25 Beneficia Ecclesiastica ambitiosis precibus petentium, & antequàm vacent, postulantium, pœna.

26 Ea, mercedis loco, sibi ab Episcopi familiaribus non proponenda.

27 Quibus tamen familiaribus conferri possint.

28 Per cessionem vacantia, suo familiari, aut cedentis consanguineo per Episcopum non conferenda.

29 In cessionibus beneficiorum admittendis, cautio ab Episcopo adhibenda.

Constitutio Pij V. de non admittendis resignationibus. De Constitut. num. 12.

30 Beneficium certum ordinem, certasq; conditiones requirens, cui non conferendum.

Beneficijs conferendis, quod examen faciendum. De examine præficien. &c. in fi.

31 Beneficij titulus à quibus exhibendus, pœnaque non exhibentis.

32 In beneficiorum collatione nihil accipiendum, & sigilli nomine.

33 Notarij merces quanta in conficiendis collati beneficij litteris.

34 Beneficij possessio, vt capienda pluribus ecclesiis, & prædijs subeadem existentibus.

35 Beneficiorum vacationes, & prouisiones in certo libro notandæ.

Benef-

36 *Beneficiatorum litteræ à quibuscumque obtinentibus Episcopo non negandæ.*

37 *Testimonium approbationis suæ beneficiatus non cogendus exhibere, cum idem approbauit, qui collaturus est.*

Beneficij, quod à minore obtinetur, administratio nemini committenda, sine permissu Episcopi. Quæ pert. ad bonorum. 9.

38 *Mandatis de prouidendo in forma dignum ad duos executores directis, quæ cautio adhibenda.*

Beneficij Ecclesiastici bona, iurave vsurpantes excommunicationẽ incurrunt. De benef iurispat. nu. 10.

Beneficijs, qui priuari possint. De vita & hon. cler. nu. 106.

1 INTERDICIMVS, & ijs, qui ius habent conferendi quęcumque beneficia Ecclesiastica, seu eis prouidendi, aut ad ea eligendi, præsentandi, vel nominandi, & eorum ministris cuiusuis generis, nè quidquam per quamuis causam eius rei gratia ab aliquo, cui ecclesiasticum beneficium quauis ratione tribuatur, nè sponte quidem datum, accipiant. 1. quæ perti. ad col. benef.

2 Neve ita detur beneficium cuiquam, vt is ad nutum eius, qui dederit, vel cuiusuis alterius posteà cedat.

Neve in eo dando vlla fructuum pars ab Epis, & inferioribus, contrà sacrorũ canonum instituta, quauis etiam pietatis specie reseruetur.

3 Qui ex iis, quos diximus, secus fecerit, iure, ac facultate eligendi, nominandi, uel præsentandi deinceps vti non possit.

Qui uerò beneficium conditionibus eiusmodi acceperit, sciat ex sactorum canonum decretis, se nullum in eo ius adeptũ esse, atque ideò fructus suos non facere: quosve perceperit, sine conscientiæ labe retinere non posse; ad eorumque restitutionem compellatur.

Omnes item ij cęteras pœnas dent simoniacis à sacris canonibus, & Constitutione Sanctissimi D.N. Pij IIII: constitutas, & quas Episcopi prętereà de ijs sumendas iudicauerint. Bulla Pij 4. edita 16. calẽ. Nouẽb. 1564

4 Eandem Pij Quarti Constitutionem Episcopi semper in diœcesana Synodo, ac bis quotannis in celebrationib. suæ diœcesis oppidis publicè recitari iubeant. 1. ibidem. 3 de iis, quę pert. ad ord. sacr. &c.

5 De confidentijs constitutio, quã summus Pontifex, Pius V. tulit, quotannis in Diœcesana Synodo descripto recitetur, ac promulgetur, loco illius à Pio IIII. confectę, ea de re sanctionis, quę tota posteriori hac continetur.

6 Nemnem autẽ uel prȩsentatum, uel noãtum, uel electum, uel ab 1. ibidem.

inferioribus prouisum prius admittant, aut instituant Episcopi, quàm infrascriptum iusiurandum ab eo exegerint.

7 Ego N. præsentatus, vel electus, &c. ad beneficium iuro per sacrosancta Dei Euangelia, quæ meis manibus tango, neque me beneficij obtinendi causa, aut, vt ad id præsentarer, vel nominarer &c. neque quemquam alium meo nomine, aut consentiente, vel sciente me, quidquam collatori, patrono, seu alij cuiquã ea de causa promisisse, aut dedisse, aut compensasse, vel apud quemquam deposuisse.

Neque mutuo dedisse, vel locasse, vel prius mutuò datum, commodatum, locatum, aut quocumque modo debitum remisisse, aut relaxasse.

Nec de domibus, terris, prædijs, redditibus eius ecclesiæ, fructibusve, decimis, aut oblationibus eiusdem præteritis, præsentibus, ac futuris, donationem, remissionem, locationemve fecisse, promisisse, aut iniuisse, aut alium, mandante, vel consentiente me, promisisse, fecisse, aut iniuisse. Ita me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia.

1. quæ pert. ad benef. col. 8 Episcopi munus erit cauere, ne propter iuris patronatus occasionem pluris aliquanto res, cui illud ius annexum est, vendatur, aut trãsferatur; si qui verò nihilominus ita vendiderint, pœnas contra simoniacos editas incurrant.

9 Ne redimendæ vexationis specie in causis beneficiorum simoniacæ pactiones intercedant, nemini licere volumus ad redimendam vexationem, ne in casibus quidem iure permissis, pecuniam dare, quidquamve pacisci, aut transigere, nisi Epi consensus accesserit. Cuius partes erunt, & perspicere diligenter, an subsit aliqua fraus: & ubi rẽ fraude carere, & iure permissam esse cognouerit, non denegare ei, qui petierit, facultatem se à vexatione liberandi: qui contra quàm decretum à nobis est, fecerit, Episcopi arbitrio plectatur, & quod actum fuerit, irritum sit, ac nullum.

1. ibidem. 10 Vt oĩs ad simoniam aditus intercludatur, statuimus, vt non solum auctores simoniæ, sed eius internuncij, & interpretes, notarij etiã, qui simoniaca instrumenta cõficiunt; ijsdem pœnis teneantur, quibus addicti sunt ij, qui per simoniam contraxerint.

Ijs etiam pœnis comprehendi volumus eos, qui scientes inter eos, qui contrahunt, simoniacam pactionem intercedere in eorum gratiã sua beneficia obligant.

2. tit. 3. dec. 3. 11 Sacri Tridentini Concilij auctoritate, & Cathedralium, & collegiatarum ecclesiarum statuta, constitutionesve quascumq; etiam iureiurando, & quauis auctoritate communitas, consuetudinesq; illas, et

Sess. 14. c. 14. immemorabiles, quæ etsi minus expressam simoniam, at sordidam tamen auaritiam præ se ferant, antiquamus, abrogamus, atque

rescindi-

reſcindimus;quibus illud inductum eſt, ut qui nuper in canonicorum Capitulum aliorumve Eccleſiaſticorum hominum Collegium adſcriptus,Capituliſque,aut Collegij iudicio ad ea Canonicalia, aut alia, quæ ad eos pertinent,obeunda munera idoneus comprobatus eſt; ſex tamẽ menſibus,qui probationum nomine vocantur,choro inſeruire antè debeat, quàm diſtributiones quaſcumque etiam quottidianas percipiat;aliiſque canonicis, vel aliis eiuſdem Collegii hominibus accreſcat,quæ portio ſibi,eo temporis ſpatio inſeruienti,iure obueniret. Illudque in perpetuum iubemus, vt in alicuius Eccleſiæ Canonicorum Capitulum,aliudve Eccleſiaſticum collegium cooptatus, cum admiſſus,comprobatuſque erit ad muneris ſui functiones,is ſtatim particeps ſit reſidentiæ fructuum, quottidianarumque diſtributionum, quæ ab ijs,ad quos ſpectat,eidem præſtentur pro ratione Canonicatus horarum,quarum officium deinceps in Eccleſia ille obierit.

12 Quicumque illas conſtitutiones,ſtatuta,& conſuetudines, hoc decreto,abrogatas,ſeruarint;contra eos ſimonię pœnis, quæ canonum iure,& Summorum Pontificum conſtitutionibus ſtatutæ ſunt,ad Tridentini Concilii præſcriptum,agatur. Seſ.& c. eod.

13 Nè huic autem decreto fraus fiat,hoc ſtatuimus, ut quoties is, qui in eiuſmodi Collegium cooptandus erit, eiuſdem Collegii præfectum conuenerit,ad ſe probandum,huius probationis examẽ intra octo dies de eo habeatur;alioquin probationis ius Epiſcopi ſit.

Quod ſi octo illis diebus,habito examine,is probatus non ſit,ſibiq. perſuadeat id iniuſtè factum eſſe,ad Epiſcopum confugiat, qui habitis de eo examinis quæſtionibus,ſi iniuſtè repulſam illum tuliſſe animaduerit,Capitulum,Collegiumve compellat ad eum recipiendum.

14 Authoritate Concilij Tridentini, & Conſtitutionis a Pio IIII. Pont. Max. editę,iam nunc ſtatuta, priuilegia, conſuetudines, & illas denique cuiuſuis Eccleſiæ conſtitutiones reſcindimus, planèque abrogamus,quibus cautum eſt, vacantium in ea Eccleſia dignitatum, Canonicatuum,præbendarum,portionum,beneficiorum, atque adeo officiorum fructus,uel diſtributiones etiam quottidianas,quæ inde primo vacationis anno,aut longiori,breuiorive tempore obuenerint, menſæ Epiſcopali,vel canonicali, aliquo loco omnes, vel partem aliquam obuenire,attribuive,aut in communes vſus cedere,aut inter alios canonicos,miniſtrosve illius,alterinſue Eccleſiæ diuidi. Hæc tamquam reſciſſa,pœnituſque ſublata eiuſdem Pij Pontificis ſanctione, declaramus nulla eſſe, nulliuſque planè roboris. 5. quæ ad benef. coll. att.

15 Nec verò loco eorum fructuum,qui eo nomine, vtſupra attribuebantur,ne conſenſu quidem capituli ab Epiſcopo ſtatui liceat, vt deinceps,q illiuſmodi dignitates,canonicatus, beneficiaue qualia qualia

ſint

sint, consequentur; aliquid vel minimum soluant, conferantve in vsũ Sacristiæ, aut fabricæ, aut alterius eiusmodi operis.

16 Quod si post Tridentini Concilii editionem, id vsquam in prouincia statutum, decretumve vllo modo sit, nè tamen quicquam eo nomine accipi, exigi, aut persolui vllo pacto, ratione ve liceat, quacumque consuetudine, decreto, statuto, non obstante, nisi Summi Pontificis auctoritate munitum, corroboratumve sit.

Quamobrem nec Episcopus, neque capitulum, collegium, aliive Ecclesiastici ordinis homines, quorum interest, istiusmodi fructus, distributionesve nè vllam quidem eorum partem retineant, neve illorũ cessionem petant, exigantve, nec aliud quicquam, nè eo quidem nomine, quod prædia meliora reddita sint.

Neque etiam ab iis, qui illa beneficia etiam a Sede Apostolica, obtinuerint, iusiurandum exigant, ut tale quicquam obseruent; neve illis ipsis, qui non paruerint, moram, impedimentumve afferant, quo minus illorum possessionem assequantur.

18 Meminerint porrò omnes quicumque cõtrafecerint, ex illa Pij V. Sanctione, si Episcopus est, suspensionis, si Capitulum interdicti, si alius quispiam excommunicationis pœnam statim subire; cuius vinculo tamdiu, irretitus est, quoad restitutione primum facta, beneficium relaxationis, absolutionisve à Sede Apostolica obtinuerint.

19 Vt verò sex ante Tridentini Concilij editione mensibus, fabricæ, aut Sacristiæ, alteriusve pij loci vsibus distributiones eiusmodi, & fructus concessi reperiuntur, eorum pars tantum dimidia eidem, vel Sacristiæ, vel fabricæ, vel pio loco attribuatur: reliquam autem partẽ omnem ad illius pontificiæ sanctionis præscriptum ii capiant quorum beneficia sunt.

2. tit. 3. decr. 4. 20 Quibus in Ecclesiis ea, vel constitutio, vel consuetudo est, vt Canonicus nuper creatus, quos fructus præbendæ suæ primo anno percipiet, eos omnes, vel aliquam eorum partem fabricæ Ecclesiæ, aut Sacristiæ, aliiue pio loco soluat; in posterum illa ita seruetur, ut si ei præbendæ onus pensionis, vel reseruationis fructuum omnium, alicuiusve partis eorum impositum est, is pro rata solum fructuum, quos liberè percipiet, soluat, fideiussore tamen caueat, se reliquam item fructuum illius præbendæ partem soluturum, quamprimum, vel morte, vel concessu, remissione ve eius fructus reseruati sunt, quive pensionem obtinet, adipiscetur.

Eam vero fructuum partem, quam soluere debet, nè soluere prius cogatur, quam illorum percipiendorum dies venerit; sed aut fideiussorem det, se eo ipso tempore statim soluturum: aut Episcopus apud aliquem illos sequestri nomine asseruari curet, donec quod pijs illis

locis

locis debebitur, persolutum erit.

21 Quibus in ecclesiis optionis ius est, vbi dimidia pars fructuũ præbendæ in illius vacatione, uel Sacristiæ, uel fabricę Ecclesię soluitur, ea pars pro ratione prębendę, quę primo vacauit soluatur. 5. quæ ad benef. coll. att.

Idque ab omnibus præstetur, qui ordine deinceps singuli occasione illius vacationis, vel ad eam ipsam obtinendam optionis iure admittuntur, vel ad alias consequendas, quæ occasione optionum successiuè vacarunt, ità ut vnusquisque soluat pro rata tantum accessionis reddituum, sibi illo ipso optionis iure factę.

Hęc porrò solutio, vbi quisq; primi anni fructus, ex præbenda quã sibi iam optauit, perceperit, statim ab eo prębetur.

Reliqua item, quę de parte fructuum dimidia persoluenda olim decretis prouincialibus constituta sunt, ad eorum prębcriptum seruẽtur.

22 Curet autem Episcopus, ut fructus, & cuiusuis generis prouentus ad Sacristiam pertinentes, nè in alios sumptus, nisi in ipsius Sacristię usum emergentur, ideoque quotannis agnoscat, quomodo distributio & quas in res erogati illi sint. 2. ut sup. tit. 3. decr. 4.

23 Liceat tamen eidem Episcopo de Capituli Consilio eos fructus in fabricę, uel rei alterius, ad eam ipsam Ecclesiam spectantis, usum aliquando conuertere, si modo Sacristię minus tunc opus esse iudicarit.

24 Perlatum ad nos est, in nonnullis prouincię huius Ecclesiis clericos aliquos, quo ob beneficia, officiave, quę in ijs obtinent, non solum in choro ad esse, sed alia ministeria, aliasque functiones clericales, ibi prębtare debent, a Capitulis certo illi canonicorum numero adiungi, eamque ob causam, supranumerarios uocari, hocque ipsum fieri, nulla eis collata prębenda, nulloque sępè attributo cuiusuis generis emolumento, censuve, ij autem eo solum titulo contenti, cum id sibi sumãt, ut inferiora ministeria, quę antea obire consueuerant, prębtare planè recusent, hæc sanè incommoda, grauia illa quidem, accedunt, quod & eccleśę debitis munerum sanctionibus fraudantur, & diuinus cultus minuitur, & labefactatur, & ordo ecclesiasticus, cum unus plurium partes, officiumque prębtare non possit, contra ac legibus canonum cauetur, non sine magna offensione, peruertitur, & pernicioſæ ambitionis occasio hominibus Ecclesiasticis manifestò datur. 5. quę ad benef. coll. att.

His porrò incommodis, atque ad eo malis, decreti huius prouincialis authoritate occurrendum censuimus. Itaque si quos aliquando, ut iure permissum est, canonicos supra numerarios creari contigerit, id iustis solum causis, ac penè necessariis, iisdemque comprobatis, & perrarò quidem fieri statuimus.

At uerò qui in ea ipsa ecclesia beneficii, quod ibi obtinet, causa, opera,

pera, ministeriumve nauare debet, quod cum canonicali officio, & gra du non conueniat, neque præstari simul possit, suprà numerarium fieri, crearive prohibemus.

1. quæ pert. ad benef. coll. Quicumque verò ita adscriptus est, nè à muneribus, ministerijsve, quæ priorum beneficiorum nomine in ea ecclesia à se præstari debet, [illegible] præster. & fructuum mul

[illegible] uberi, aut minimis vllo modo litimmo ut ita [illegible] ta, & omni alio iure, ut canonibus, decretisue Tridentinis cautum est, Episcopus omninò agat.

25 Qui beneficium ecclesiasticum uacans, multis, & ambitiosis precibus per se, vel per alios petierit, eo facto ita reddatur indignus, per biennium in eum neque illud, neque aliud beneficium conferri possit.

Eandem pœnam illis proponimus, qui beneficia Ecclesiastica, quę nondum vacent, postularint; præter eas, quę à sacris canonibus huic iniquitati constitutæ sunt.

26 Monemus, & obtestamur Episcopos, aliosque quibus est ius conferendi beneficia, ut familiaribus suis certam mercedem constituant, nè illi hoc subsidio destituti, beneficia ecclesiastica tamquam suæ operæ, & laboris pretium, præcipuè sibi proponant.

27 Fraudari tamen Ecclesias nolumus probatorum hominum ministerio, si qui sint in eorum familia, quorum doctrinæ, & pietati vtiliter sacrum munus committi possit.

5. quæ ad benef. coll. att. pert. 28 Beneficia quæcumque sint, etiam parochialia, quę per cessionem vacant, Episcopus nè suo, aut cedentis consanguineo nec vero item suo familiari conferat, prouideatve, vt Pii V. Pontificis Apostolica sanctione vetitum est.

Nec verò alicui familiari, propinquoue suo ad illius beneficii concursum aditum patefieri permittat.

Quod si aliter umquam factum erit, cum omnis collatio, prouisio rescissa, irrita, nullaque sit, tum præterea illius Pontificię sanctionis pœnę eo nomine constitutę locum habeant.

2. tit. 3. dec. 2 29 Caueant Episcopi, nè passim, atque in distinctè omnes beneficiorum Ecclesiasticarum cessiones admittant; sed in ijs solum casibus, qui Summi Pontificis Pii V. litteris expressi sunt, meminerintque excommunicationem, quę earundem litterarum sanctione contrahitur, Apostolicæ sedi reseruari.

5. quę ad benef. coll. att. Sess. 24 c. 12. de resc. 30 Si capellania, etiam simplex, aliudve beneficium, etiam iuris patronatus ex præscripto erectionis, fundationisue, aut alterius constitutionis certum ordinem, aut aliàs conditiones requiret in eo, de quo uel collationis, uel institutionis, uel alio nomine prouidendum est illud beneficium, nè Episcopus deinceps, etiam patronum consensu permittat,

con-

concedatur, vt quisquam sine Sedis Apostolicæ dispensatione illud beneficium assequatur, quod verè eo ordine non sit initiatus, quamuis ætate congrua sit pro illo ordine suscipiendo, neque qui alijs conditionibus præditus non sit, & quas illa, vel erectio, vel fundatio, uel constitutio requirit. Ies. 25. c. 5. de ref. ses. 22. ca. 4.

31 Quę deinceps Ecclesiastici beneficii possessionem adipiscetur, eius beneficij titulum is, etiam ante non monitus, ad mentem ordinario suo ostendat: quod si secus fecerit, dimidia parte fructuum, & prouentuum vnius anni mulctetur, qui ex eo beneficio singulis annis percipiuntur; tum omnibus iuris remedijs titulum exhibere cogatur. 2. tit. 3. dec. 1.

Quod Concilio Prouinciali secundo sancitum est, vt qui Ecclesiastici beneficij possessionem adipiscuntur, eiusdem beneficij titulum etiam non moniti, mensis spatio, ordinario suo ostendant, hoc decreto constituimus, Canonicos etiam tam Cathedralium, quam Collegiatarum Ecclesiarum comprehendere, in quibus iure legitimo, præbendarum optiones fiunt, ità ut a die adeptæ possessionis, optionis instrumentum in Cancellaria Episcopali intra præscriptum temporis spatium exhibere debeant omnino; alioquin contra eos pœna eodem decreto contra beneficia obtinentes sancita, ac alijs arbitratu ordinarii agatur. 5. quæ ad capert.

32 Vt auaritiæ omnis non modo labes, sed suspicio, vel minima ab Episcopi domo, atque ab omni etiam Ecclesiastico foro tollatur; nè deinceps in beneficijs conferendis; aut quauis prouisione dandis quicquam vllo cuiusuis generis, nè sigilli quidem nomine, accipi, exigive ab ullo liceat, omni prorsus, si quę huic decreto repugnet, consuetudine, & superiorum Conciliorum decreto antiquitato, & abrogato. 4. de benef. coll. & prou.

33 Notario tamen, cui pro muneris sui laboribus certa merces nulla constituta est, aliquid pro opera, quam in litterarum scriptione ponit, accipere liceat, ad taxæ ab Episcopo præfigendæ præscriptum: ità tamen vt pro omni vniuscuiusque beneficii collati, vel prouisionis nomine dati, scriptura à se confecta, aliove quouis nomine, vel prętextu, plus aureo nummo ad summum nè capiat.

Hoc decreto derogatum est alteri Concilii prouincialis primi, quæ pert. ad collationem beneficiorum? Notariis, cuius tenor videatur infra tit. de Cancellario, & notarijs, num. 19.

34 Nè pro beneficij Ecclesiastici possessione adipiscenda, plus quã par est, impensæ quis in compluribus instrumentis, eo nomine conficiendis, vel exscribendis faciat, cum eius bona variis locis sita sunt;

sunt, id propterea decernimus, & declaramus liberum esse vnicuique cui beneficium aliquod collatum, aut quouis prouisionis nomine datū est, illius solum Ecclesiæ, altarisve, in quō beneficij titulus est, & illorū tantum eiusdem beneficii prædiorum, bonorumve quæ ipse maluerit, possessionem capere: modo eam capiat, tabulis publicè a notario confectis.

35 Liber conficiatur, isque in omni Episcopali archiuio asseruetur; in quo libro diœcesanorum beneficiorum cuiusuis generis, cum uacationis certa dies, ratio, modusque, describatur, tum collationes, ac prouisiones, vt vocant, quæcumque sint, vel à summo Pontifice, vel ab Episcopo, vel ab vllo quouis alio factæ, litterarum, diplomatumve exempla, vel sententię summatim explicatæ, prout potius esse Episcopus censuerit, in eundem referantur. Itidem seruetur de litteris ordinum, quibus singuli eiusdem diœcesis clerici initiantur.

36 Capitula verò, & quicumque sint, qui cuiusuis generis dignitates, Canonicatus, aut alia quæcumque beneficia obtinuerit, litteras, diplomata, tabulasve ipsas beneficiorum, quæ quouis etiam vnionis iure possident, Episcopo, etiam priuatim postulanti, sine mora exhibeant. E quibus tabulis tum si quid oneris, obligationisve illis inesse apparuerit; tū quicquid aliud expedire idem Episcopus censuerit, id distincte, explicatèque exscribi iubeat.

Hocque omne, vt ab iis, ad quos spectat planè præstetur, idem omni ratione efficiat.

37 Nemo cui beneficium parochiale, alteriusve cuiuscumque generis confertur, approbationis de se, etiam institutis examinis interrogationibus, factæ, litteras, testimoniumve scriptum exhibere, ab Ordinario, cancellariove cogatur, cum qui beneficium collaturus, aut cuiusuis prouisionis nomine daturus est, ille ipse ordinarius est, qui eum approbauit.

38 Fraudes sępè per eos committi animaduersum est, qui mandati litteras Apostolicas quas uocant, de prouidendo, infirma, dignum, impetrarint, ad duos, qui illas deinceps exequantur scriptas, ita vt, si vnus præfinito tempore non exequatur, alter exequi debeat, ii enim ab vno, quoniam idonei non sint, reiecti, ad alium tacita, quam tulerunt, repulsa, confugientes, beneficii, & quod sibi conferri uolunt, collationem nō idonei aliquando surripiunt. Quamobrem omnibus, singulisque notariis, cancellario, actuariisque prohibitum deinceps sit, nè si eiusmodi delegatæ executionis acta confecerint, eorum partem, nisi prioris iudicis exequentis consensu, concessiue ad canonum præscriptum adeant: sed temporis, in mandati litteris præfiniti, spatio confecto, acta omnia, & singula ab se ob eam causam conscripta, illis ipsis ad alterum istiusmodi executionis iudicem dent, pœnis propositis, arbitratu Episcopi irrogandis:

gãdis: ut hic quid à priore iudice actum, decretumue sit, scire possit, nè in beneficio conferendo, surreptio, obreptioue indebitè insit, indeque propterea lites existant.

De beneficijs iurispatronatus.

SVMMARIVM.

1 *Ius præsentandi, eligendi, & nominandi habentes, nihil accipiant.*
A quibus etiam conditionibus præsentando abstineant. Quæ ad benef. collat pert. num. 2.
Iusiurandum à presentato prestandum, & cuius formulæ. Ibidem. 6. 7.
2 *Presentatus a quocumque per Episcopum comprobandus.*
3 *Institutio aliter facta, nulla.*
4 *Presentati non idonei reperti, reijciendi.*
5 *Qui autem iudicandi idonei.*
Edictum in vacatione præbendę Theologalis, pœnitentialisve iurispatronatus a quo proponendum. De edicto proponen. 5.
A quo item emittendum, eum alia beneficia iurispatronatus tam ecclesiastici, quam mixti, vacant. Ibid. 6.
6 *In beneficijs iurispatronatus mixti, idem seruandum quod in beneficijs iurispatronatus ecclesiastici.*
7 *Beneficiorum, quorum ius collationis, institutionisve ad inferiores Episcopo spectat, lites, iuspatronatus, causę omnes, ac controuersię ab episcopo cognoscendę.*
Beneficium iurispatronatus, certum ordinem, certasque conditiones requirens, cui non conferendum.
Quę ad benef coll. pert. 30.
8 *Res iurispatronatus annexa pluris vendi nequit ob annexionem eiusdem.*
Contra facientium pœnę. Ibid.
9 *Iurapatronatuum ab Episcopo recognoscenda.*
10 *Iuspatronatus habentes, si bona, iurave eiusdem vsurparint, excommunicationem incurrunt.*
11 *Decreti huius publicatio cum alio Concilij Tridentini. Ibidem.*

In-

1. quæ pert. ad benef. collat.

1 INterdicimus, & ijs, qui ius habent conferendi quæcumque beneficia ecclesiastica, seu eis prouidendi; aut ad ea eligendi, præsentandi, vel nominandi, & eorum ministris cuiusuis generis nè quidquam per quamuis causam eius rei gratia ab aliquo, cui ecclesiasticum beneficium quauis ratione tribuatur, nè sponte quidem datum accipiant.

4 quæ de benef. collat. & prouis. Sess. 7. ca. 13. sess. 24. ca. 18. Sess. 25. cap. 9. de ref.

2 Quod Tridentinis decretis, de eo, qui præsentatus est, per Episcopum comprobando, etiam si ad inferiores institutio pertineat, constitutũ est; id beneficijs, itẽ vel simplicibus, vel curatis, vel aliis cuiuscumque generis, in quibus etiam electionis, præsentationis institutionisve ius, monachis, aliisue cuiuscumque ordinis regularibus, cæterisve competit, locum habere Episcopus meminerit.

3 Quare, si quæ hactenus institutio, sine Episcopali comprobatione facta comperitur, eam irritam, inanem, ac planè nullam declaret. Ac nè imposterum ità fiat, caueat quam diligentissimè.

4. Ibidem. sess. 25. cap. 9. vers. adhæc. sess. 24. c. 18. sess. 25. c. 9.

4 Pro authoritate, canonum iure, & à Concilio Tridentino sibi tradita, Episcopus, si idoneos non compererit, a patronis etiam quibuscumque præsentatos, nè probet, admittatve, neve instituat, nec verò eis vllo quouis nomine prouideat, sed planè illos repellet.

5 Idoneos porrò nè censeat, quos experimento examinis interrogationibus diligenter facto, & doctrina, & cantus peritia, & aliis qualitatibus; ad rectè, ritèque obeunda munera, ei beneficio, ad quod præsentantur, incumbentia, coniunctaue necessariis, præditos esse non uiderit.

sess. 24. c. 12.

Neque illos item, quos pro illius beneficii ratione, legitima ætate, sacrorum canonum iure, Concilioque Tridentino præscripta, esse, ex legitimo ducumento, testificationeve non cognouerit.

5. quæ ad benef. coll. pert. Sess. 24. c. 18.

6 In beneficiis, etiam parochialibus iurispatronatus laicorum simul Ecclesiasticarumque hominum, illud Episcopus seruet, atque exequatur, quod de beneficiis, quę iurispatronatus Ecclesiastici sunt, Concilii Tridentini decretis cautum est. Idipsum quoque præstet, etiam si ex vna parte ad ecclesiam, & verò ex duabus ad laicum hominum electio spectet.

7 Episcopus, quoque beneficiorum quorum institutionis ius, collationisve ad quoscumque exemptos, aliosve episcopo inferiores pertinet iurispatronatus lites, causas, & controuersias omnes, quæcumq; sint, cognoscat, & definiat: clericum autem præsentatum, qui instituendus erit, ad inferiores institutionis tantum causa remittat: nisi iidem inferiores iurisdictionem ordinariam haberẽt, cuius rigore de controuersijs

sijs super iure patronatus alioqui cognoscere possent.

1. quæ pert. ad collat. benef. sess. 25. c. 9.

8 Episcopi munus erit cauere, nè propter iuris patrouatus occasionẽ pluris aliquanto res, cui illud ius annexum est, vendatur, aut transferatur: Si qui verò nihilominus ita vendiderint, pœnas contra simoniacos editas incurrat.

1. quę pert. ad bonorum &c. sess. 25.

9 Episcopi intra sex menses vniones perpetuas, etiam Ecclesiis iuris patronatus factas, & ipsa patronatus iura ex præscripto Tridentini Concilii recognoscant; & tractitam eiusdem Concilii decretis de illis rationem diligentissimè seruent.

5. de eccl. earum sup. & fructibus.

10 Vniuersitates, laicive homines, etiam qui iuspatronatus habent, qui bona, censum, iurave beneficij Ecclesiastici, aut loci pij, quocumque modo vsurpauerint, aut eorum possessionem detinuerint, anathema, & aliàs pœnas subeant decreto Tridentino constitutas, non obstante quocumque antiquo vsu, possessioneve.

Sess. 22. c. 11. Sess 25. de reform.

11 Hoc verò decretum cum illo vulgariter redditum, populo edici, atque promulgari sæpe iubemus, quo diligentius tale crimen caueatur.

Quæ huic titulo congruere præsumunt videantur tit. superiores.

De edicto proponendo pio examine eorum, quæ præficiendi sunt ecclesiis parochialibus, & quib. conferendę sunt præbendæ Theologales, pœnitentialesque.

SVMMARIVM.

1 *Edictum proponendum in examine præficiendorum eccles. parochial.*
2 *Tempus ei rei exequendæ præscriptum.*
3 *Edictum non omitten. in ecclesiarum curatarum permutatione.*
4 *Concursus loco, quando priuatum examen fieri possit.*
5 *Edictum ab Episcopo proponendum vacante præbenda Theologali, vel pœnitentiali etiam si alteri quam Episcopo collatio pertineat. Illud etiam ad pedem emittendum in vacatione parochialium, quarũ conferendi ius ad alium, quam Episcopum spectat.*
7 *Et in vacatione parochialium iurispatronatus eccles. uel mixti.*

1. de edicto prop. in examine eorum qui præf. sũt paroch. eccl. Sess. 24. c. 18.

1 Via Sacrum Tridentinum Concilium ad prouinciales Synodos illa, cognitionem reiecit, an expediat; vt ijs, qui proficiendi sunt parochialibus Ecclesiis, ad examen vocandi sint per edictum, re diligenter considerata, statuimus: vt cum primum Episcopus parochialem Ecclesiam vacare cognouerit, intra triduum ad cathedralis, & vacantis Ecclesiæ ianuam publicum edictum per totos decem

dies, vel aliud longius tempus, eiusdem Episcopi arbitrio, propositum esse iubeat; quo omnes initientur, qui volent examinari, vel alios examinandos nominare: vt transacto præstituto tempore, examen confici possit: ac deinde orbato gregi ex ea formula, quæ in dicto Concilio præscripta est, idoneus rector præficiatur.

5. quæ ad ben. collat. attin.

3 In ecclesiarum curatarum permutatione coram Ordinario facienda, nè locum habeat, quod primo prouinciali Concilio decretum est, de proponendo edicto examinis causa, in vacatione Ecclesiarum parochialium.

Si tamen vel parochialium hominum multitudo valde inæqualis est vel qui permutant, quo tempore parochiales illas ecclesias adepti sint, examen præscriptum non subierunt, fiat tunc de illis experimentum examinis, sed absque concursu. Idem examen sine concursu adhibetur, de eo, qui beneficium simplex commutat, cũ alio, quod curam animarum habeat; si quando eiusmodi permutatio coram Ordinario fieri iure potest.

Ibidem: Sess. 24. c. 18. vers. si tamẽ.

4 Quamuis Pij V. constitutione, sublata non sit facultas illa, quæ in Ecclesiis parochialibus conferendis data est, tum Synodo prouinciali addendi, ac detrahendi præscriptæ formæ examinis, tum vnicuiq. Episcopo, si certis quibusdam de causis pro sua conscientia, cum deputatorum Consilio expedire censuerit, loco concursus priuatim aliud examen ineundi: videat tamen Episcopus, nè facultate sibi data abuntur, neque verò illam adhibeat vllo modo, nisi opus esse viderit certis illis expressis causis.

5. Ibidem.

5 Vbi primum præbenda, uel Theologalis, vel pœnitentialis vacauerit, etiam si illius conferendæ ius ad alium, quam ad Episcopum, præterquam ad Sedem Apostolicam pertineat, edictum de more proponatur, quo ad concursum euocentur, quicumq; sint, qui illius muneris causa examen subire velint, aliosve nominare, qui subeant. Confecto autem constituti temporis spacio, vniuscuiusque eorũ, qui illo nomine conuenerint, periculum, experimentumve in litteris, ac doctrinę omni, vel diligentissima percunctationum, quæstionumve ratione fiat, Episcopus, adhibitis sibi pro arbitrio suo aliis peritis, probisque viris, tum etiam de illorum vita, moribus, ętate, gradu, ordine cęterisque conditionibus, ad tale munus necessariis, accuratè perquirat. Tum demum Episcopus ipse solum rebus iis omnibus accuratè perpensis, maturè in domino deliberet, & liberè deligat, quem pro conscientię suę religione digniorem, aptioremque existimet, cui tale munus tantique ponderis rectè committatur.

Qua in deliberatione idem videat, vt quod præsertim ad pœnitentiarium attinet, cum peritiam necessariam spectarit, tum maximè

vitę

vitę innocentiam,morum grauitatem,ſpiritualium exercitationum ſtudium,& vſum diuturniorem in audiendis confeſſionibus, exercitationem,prudentiam,cęteraſque religioſę pietatis virtutes perpendat.Ei autem, quem potiſſimum elegerit, nec verò alii cuiquam conferatur ab eo,cui ius competit,etiam ſi capitulum ſit.

6 Vacante eccleſia parochiali, cuius conferendę ius non ad Epum diœceſanum,ſed ad aliam,etiam ab Epiſcopali iuriſdictione exemptũ & regularem item ſpectat, edictum de concurſu proponat Epiſcopus diœceſanus,& quicumq; examẽ eo noïe ſubire volent,ad ipsũ cõueniant,qui exploratione per examinatores Synodales facta,ex probatis digniorem,& magis idoneum deligat, cui vacans illa eccleſia ab illo cõferatur,cuiusius eſt:ſi ſecus fiat,collatio reſciſſa,nullaque ſit. Seſ.24.c.18.

7 Eadem ratio omnis adhibeatur in parochiali eccleſia vacante,quę iuriſpatronatus eſt eccleſiaſtici,vel mixti, cuius inſtitutio non ad Epiſcopum diœceſanum,ſed ad alium quemcumque,etiam exemptum, & regularem item, vtſuprà pertinet:ità tamen, vt quem Epiſcopus diœceſanus digniorem elegerit,is à patrono pręſentetur ei,ad quem ſpectat, inſtitutio.

Si verò ad Summum Pontificem inſtitutio ſpectat,uel quia in menſibus reſeruatis vacauit, vel alia cauſa,tunc Epiſcopus digniorem elegat,ex pręſcripto earundem litterarum Pii V. à Summo Pontifice inſtituendam. Interea uero dum huius generis examina, & approbationes Seſ.14.c.2. fiunt, & inſtitutio locum habeat,idem Epiſcopus diœceſanus idoneũ Vicarium qui onera uacantis illius Eccleſię ſuſtineat, attributa ei congrua, pro arbitrio ſuo fructuum portione, conſtituat, donec ei rector pręficiatur.

De examine eorum,qui præficiendi ſunt parochialibus, & curatis aliis eccleſiis, quibuſque alia beneficia conferenda ſunt, inſtitutiove facienda eſt.

SVMMARIVM.

Examinatorum officium in ijs approbandis, quibus animarum cura committenda eſt,quibuſque beneficia alia conferenda ſunt, quale. Quę ad ordinis ſacram.pert.46.

Examinis initio oratio de ſpiritu ſancto recitanda, & quæ. De foro Epiſc.2.

1 *Examen,periculumq; adhibendum in ijs admittendis, de qb. reb. fiat In quibus item probentur ij,quibus alia beneficia conferenda.*

Liber examinum prouisionum ecclesiarum parochialium, quę po examen conf. De cancellario 30.

5. de exam. ra tione, §. De iis vero.

Quæratur igitur ab eis parochialibus præficiẽdis, experiundoque cognoscatur in primis.

An apti ad sensus percipiendos, non solum, qui ad grammaticæ intelligentiam sumuntur; verum etiam interioris illos, sanctioresque tam ad Christi, Ecclesiæq. mysteria, & ad spiritualis vitæ modum pertinentes.

An sermonem contexere, habereve sciant.

An si quos habuerint, sumpserint, aut quam illis contexendis conscribendisve rationem adhibuerint, & verò si quos apud se conscriptos tunc habeant, eos ostendant, atque tradant.

An in eo genere aliquid ex tempore possint; tunc ex temporaneo breuique sermone periculum fiat, quantum concionando valeant.

Atque si tractationis quidem verbi Dei vsu peritiorum parochum Ecclesiæ parochialis, quę committenda est, ratio deposcit; examen aliqua ex parte, quæ potior examinatorum iudicio videbitur, ineatur ad interrogationum normam, concionatorum, examen constitutam.

Quæratur præterea, an aliàs vmquam animarum curam gesserint; quod si affirment; tum interrogentur etiam, & vbi gesserint, & cur inde discesserint.

An intelligant quanti illud sit, animarum curam suscipere, rursusque gerere, quæque partes, ac virtutes illæ sint, quibus bonum vigilantem animarum curatorem prædictum esse oporteat.

An item norint impedimenta omnia, quorum causa interdictum est, nè quis sacramenta ministret, & nè quis suscipiat.

An sacramentorum, præsertim verò, quorum ille minister est, vim, & naturam intelligant; atque hæc sigillatim imprimis interrogentur.

Quę vniuscuiusque sacramentorum materia; quæ forma item.

Quæ eorum efficiens causa, & principalis.

Quæ causa efficiens instrumentalis.

Quæ causa finalis.

Quæ eorum differentia.

Qui effectus, quive fructus.

Qui eorum ritus, quæve cærimoniæ.

An maximè omnium peritiam teneant audiendæ sacrę confessi.

Quos huius generis libros, atque adeo summas habeant.

Tum periculum fiat, quàm valde casuum conscientię vsu periti sint, quamque tum in illis, tum in alijs id generis peritè versati præsertimque in Ecclesiasticis constitutionibus, quæ ad rectum vitæ vsum, popu-

populique Christiani mores, & virtutes pertinent.

An nouerint casus, sanctissimo Papæ, & Episcopo item a iure, & ab homine reseruatos.

Atque adeò diligentius, prout opus erit, de singulis interrogentur, quæ infrà præscribentur rationi examinandi confessarios sacerdotes.

Videant præterea examinatores, an aliquam sacrorum Canonum notitiam habeant, & præcipuè quod ad Tridentinum, & Prouincialia Concilia, Synodosque diœcesanos attinet, an illi hęc norint, quæ sequuntur.

An scilicet doctrinam de præcipuis christianæ religionis, articulis, quos œcumenica illa Synodus Tridentina contra hæreticos definiuit.

An item quæ de residentia præscripsit.

An quæ etiam de parochis, parochialibusq. ecclesijs, & de diuinorum officiorum cultu, cæterisque eiusdem generis statuit.

An quæ pręterea de clericorum honestate sanciuit.

An cętera denique quę, vel ad cleri, vel ad populi disciplinam, uel ad aliarum rerum reformationem cõstituit, quę parochi scire, beneq; nosse interest.

Ex prouincialibus Concilijs sigillatim quęrant.

Quę de clericalis vitæ honestate, & de parochorum officiis constituta sunt.

Quę item de Sacramentorum recta administratione, quæ de Missæ sacrificio, quę pręterea de diuinis officiis.

Quę etiam de Sacramentalibus, & quę de festorum dierum veneratione, quę de ecclesiarum cultu, quę de scholis doctrinę Christianę, quę de populi Christiana institutione, morumque disciplina, deque aliis ad parochialis vitę munus potissimum pertinentibus, sancita sunt.

Ex Synodis diœcesanis, eam ipsam, certis capitibus, distinctam examinandi rationem ineant, prout genus decretorum est, quę in illis Episcopus confecit.

2 Qui causa beneficii, cuiusuis generis, quod tamen curatum non sit ad examen accedit, de eo hęc inuestigentur.

An canonicarum horarum officium ex Breuiarii instituto, rubricisque rectè recitare sciat.

An doctrina, disciplinaque omni instructus, quam ordo deposcit, quo initiari debet, pro beneficii, officij, dignitatisve ratione, cuius causa examen instituitur.

An peritiam item teneat functionum, quas illius beneficij, dignitatis muneris ve ratio postulat.

An teneat quæ scitu necessaria sunt ad functiones illas, vel ordinis, vel beneficij rectè, ritèque præstandas, etiam quæ ad rectè carendi modum, rationemve pertineant.

4. de benef. coll. ac prouis.

Quæcumque, & examinis, & approbationis, & collationis, prouisionisve ratio, omnisque alia diligens cautio, in Ecclesijs parochialibus, cuiquam ex decreto Tridentino sancita, adhiberi debet; illa ipsa omnis in capellanijs, cæterisque beneficijs ecclesiasticis, quocumque nomine nuncupatis; immò verò in ipsis etiam ecclesiæ, vel cathedralis, vel collegiatæ portionib. quib. ab institutione, vel consuetudine, alioue quouis iure, & nomine, onus, munusve, animarum curæ, vel exercendæ, vel coadiuuandæ incumbit, aut coniunctū est conferendis, in alioue prouisionis eorum modo, teneatur, ac seruetur omninò.

5. Quæ ad benef. coll. att.

Cum aliquis examinatur ad aliquod beneficium ecclesiasticum, cui prouidendum sit, de eo experimentum fiat examine non solum in literarum scientia; sed etiam in cantus peritia ad illius beneficij functiones, ritè, rectè obeundas; tum præterea in vsu, ac notitia, quam in recitandis diuini officij horarijs precibus habeat.

De examine, eorum recognoscendæ doctrinę, & progressionis causa, quibus animarum cura, & alia spiritualia munera, officiaq; committi possint.

SVMMARIVM.

Examinatorum officium in indagando cleri in studijs progressu, quale.

Quæ ad ordinis sacram. pert. num. 46.

1 *Examen doctrinæ tantum, progressionisve recognoscendæ causa, vt fiat.*

2 *Classes quattuor eorum, qui doctrinæ experiundæ causa examen subeunt.*

3 *Qui primæ classis.*

4 *Quæ secundæ classis.*

5 *Quæ tertiæ classis.*

6 *Qui quartæ classis.*

7 *Qui inferioris classis.*

Liber examinum factorum ad inuestigandam cleri in studijs progressionem à cancellario habendus. De Cancellario. 30.

Cum

1 CVm non certæ curæ, alteriusve beneficij, vel officij, muneriſve, ſed doctrinæ tantum, aut in litterarum ſtudiis progreſſionis recognoſcendæ cauſa examen alicuius inſtituitur, diligenti etiam illa, præcipuaque diſquiſitione, & interrogationibus, ſuprà variè deſcriptis, pro vniuſcuiuſq; conditione indagetur illius doctrina, & in miniſteriis eccleſiaſticis peritia, atque vſus. 5. de exam. rat.

2 Horum verò claſſes quattuor ſaltem, uel etiam plures conſtitui poterunt, quibus pro peritiæ ratione, experimento illorum facto, adſcribantur.

3 Primæ claſſi adſcribantur, qui, & perfectè concionandi peritia, & conſcientiæ caſuum explicationibus ſe tales oſtendant, qui aliis multis prodeſſe, atque præeſſe poſſint, proindeque idonei ſint, non modo ad parochi, ſed etiam ad Præpoſiti, Vicarii foranei, vel Viſitatoris munus, vel ad pœnitentiarię etiam, aut doctoralis, aut Theologalis præbēdæ obeundæ officium dignitatemve, etiam in Eccleſia Cathedrali, aſſequendam, atque ad alia id generis. Supra quę ad ord ſac. pert. &c.

4 Secundæ claſſi erunt aſcribendi, qui ſi minus, vt illi concionari perfectè, at mediocriter, tum etiam de ſugeſto poſſint: quique in caſuum conſcientiæ ſummis ſtudioſè verſari ſint; & verò Catechiſmi etiā Romani doctrinam diligenter teneant.

5 Tertiæ erunt claſſis, qui intelligentiæ tantum aſſequuntur, vt ſi minus accurata, doctaque concione, at ſermonem de altari ſaltem habere, ac Euangelium, prout vſu venerit, enarrare, & explicare poſſunt, & adminiſtrationis ſacramentorum, & caſuum conſcientiæ vſu ita periti ſint, vt qui frequentius incidere ſolent, eos aliquo ſtudio adhibito enodare, atque explicare aptè quæant.

6 Quartæ claſſis, qui ſi non magno litterarum ſtudio, aliquo tamen vſu apti ſunt ad aliquam Euangelii breuem explicationem, notitiam quandam habent rerum ad docendum populum, quæ ſaluti neceſſaria ſunt, & ad ſacramentorum adminiſtrationem, caſuumque cōſcientiæ explicationem pertinent: ità vt ijs, ob ſacerdotum paucitatem, neceſſariamque cauſam, aliquando curatio aliqua ſpiritualis, pro loci ratione, præſertim ad tempus committi poſſit.

7 In inferiori claſſe reliqui aſcribantur, quorum nulla ratio omninò haberi debeat in curatione animarum committenda, ſacramentiq; miniſtrandi facultate, neque in ſermonibus ad populum habendis.

De parochiis, & parochialibus iuribus, & officiis.

SVMMARIVM.

1 Beneficium parochiale obtinens quod iuramentum præstet.
2 Fidei professionem emittat. De profes. fid. 5.
3 In parochiali resideat, etiam si canonicus sit.
4 Etiam si parochialis ab inferiore, & regulari collata sit.
Coadiutor, quoque 8 & 23.
Eorumque substituti, 9. 10.
5 In ędibus ecclesiasticis habitantes, & seq. ac. 23. & 25.
6 Cęteraq. præstantes, ad quæ tenentur, & quæ nam illa sint.
7 Idque per seipsos.
Non residens, vt punitur. Ibid.
Vtque etiam non seruiens per seipsum per alia faueris, 6. 7.
11 Nè à residentia distrahatur parochus, cantoris, & musici munus non suscipiat.
12 Neque ludum litterarium exerceat.
13 Neque contubernales alat.
14 Nę item ad seminarij curam
15 Vicarij munus. } adhibeatur.
16 Ad sanctæq. Inquisitionis officium, & alia.
17 A residentia non excusatur parochus ob senectutẽ, uel infirmitatem.
18 Neque ob inimicitias leues.
19 Canonicus Curatus, Beneficiatusve festis diebus in parochiali resideat.
20 Parochiali Ecclesia existente, vbi minor populi pars, ibi parochus nihilominus habitet.
21 Domum parochialem non habens, illam conducat, & cuius sumptus, 23.
22 Idem de socio, vel coadiutore.
23 Aedes vbi desunt, à quibus ædificandæ.
24 Parochi quibus dati coadiutores, ipsique coadiutores æquè resideant, in parochiali.
25 Parochiali domo incapace existente pro ambobus, quid agendum.
26 Parochiarum distinctio, vt facienda.
27 Parochi vbi plures, parochia certis limitibus distinguenda.
28 Eorum munus, ut partiendum: quidque faciendum, ubi officiorum diuisio rectè fieri nequeat.

Altero

29 *Altero eorum impedito, illius munus ab altero explendum.*
30 *Partitio ipsa, vbi commodè fieri non possit, quid ab Episcopo statuendum.*
31 *Extraordinaria emolumenta, vt diuidenda.*
32 *Hebdomadarum partitio, Missarum, & functionum parochialium sublata.*
33 *Parochialibus numerosum populum habentibus, coadiutores dandi.*
34 *Parochiæ nouæ, quando instituendæ. Etiam si Regularium essent. 35.*
36 *Parochialium Ecclesiarum nouiter erectarum sacerdotibus, quæ portio assignanda.*
37 *Vicecurato Ecclesiæ Cathedralis, & collegiatæ, quid dandum.*
Parochiales, aliis parochialibus vniri, quando possint. 34.
38 *Parochiales Ecclesiæ tenues, quomodo augendæ.*
39 *Populus censuris, & pœnis ad id compellendus.*
Parochiales Ecclesiæ collapsæ, vt reficiendæ. De eccl instaur. 2.
Parochialibus Ecclesiis vacantibus, quid ab illarum Vicarijs agendum. 54.
40 *Illæ per sex menses non commendandæ.*
41 *Vacatione earum durante Vicarius constituendus, & qua mercede suprà. 37.*
41 *Ad eas, vt conueniant fideles Episcopi cura.*
43 *Formula litterarum Monitionis de conueniendo ad parochialem.*
44 *Parochus, quod testificationis genus edere possit è suis libris parochialibus.*
45 *Dominicis diebus festos dies denunciet, orationes, indulgentias, processiones, mortuorum officia.*
46 *Eisdem diebus, quid etiam populum moneat.*
47 *Vesperas canat. Et quibus adiutoribus; Quando tantum recitet.*
48 *Parochi regulares, quæ, & ipsi præstent iisdem diebus.*
49 *Audita parochiani sui morte, quid faciat parochus.*
50 *Clericum habeat, & qualem: & qualis inseruiens alteri sacerdoti.*
De Missis sine cantu. 62. 63.
51 *Quibus diebus, & quibus in ecclesiis Missa, & horæ canonicæ à parocho cantandæ.*
52 *Quibus item adiutoribus. Quoties etiam celebret in sua parochiali.*
De Missa parochiali, num. 1.
Et quando concionetur. Ibid De præd. verbi Dei. 4.
53 *Parochi insigne in via, officijsq; Ecclesiasticis, quale.*
54 *Parochi ægrotantis cura in pertinentibus ad salutem animæ, quibus commit-*

committenda, eiusque mortuæ exequiæ.

55 Parochi vicinioris officium erga eundem in pertinentibus ad salutem corporalem.

Eo mortuo, à quibus funus agendum, Missæq; celebrandæ anniuersariumque agendum. suprà numero 54. Et de off. anniuer. 3.

56 Parochialium officiorum liber Metropolitani cura edendus.

57 Parochus nouus, vt à populo excipiendus.

58 Litteræ pastorales, ad populum de modo excipiendi parochi noui.

59 Oblationum institutum retinendum, introducendũ ve, & quibus diebus ecclesiisq; oblatio agenda.

60 Quo ordine, quaque ratione id præstandum, & quæ musica instrumenta non adhibenda. De Pior. locor. adm. 51.

61 Sacerdos oblationem accepturus, vbi sistat, quo vase vtatur. 60.

Quot vasa ad eum usum parata. 61.

Quodque vas osculandum præbeatur. Ibidem. Et de Missis sine cantu. 68.

62 Oblationes à fidelibus piè offerendæ.

63 Offerentium commemoratio facienda.

64 A quibus illæ non accipiendæ.

65 Quibus illæ debentur.

66 Quibus eas exigere non licet.

67 Pactiones de oblationibus vetitæ.

68 Offertorij tempore faciendæ.

69 Oblationem facturi, Missæ interfint.

70 Extrà Missarum solennia qua cæremonia accipiendæ.

71 Quoque diei tempore.

72 Quæ oblata vendere non licet.

Tertium, de parochis, §. eod.

1 QVICVNQVE parochiali ecclesiæ præficiendus erit, is primum Episcopo, vt iam in nonnullis huius prouinciæ Ecclesijs consuetudo est, iuret, se sanctæ Sedi Apostolicæ, & Episcopo, eiusque item successoribus obedientem fore. Tum præterea se, ad Tridentini Concilij præscriptam rationem, residentem in ecclesia futurum, quam obtinuerit.

2 Tum iura etiam illius ecclesiæ, se pro viribus conseruaturum, ac defensurum esse.

Bona deniq, eiusdẽ se absq; legitima auctoritate non alienaturum, quę verò antea ab ijs, qui illius curã gesserunt, iniustè, vel vendita, vel alio quouis modo alienata sunt, ea quantum in se est, recuperaturum.

Quicumq;

3 Quicumq; canonicus, parochialem Ecclesiam obtinet, etiamsi ⌄ nionis iure, non quidem perpetuò, sed tantum dum ipse viuit, canonicatui, ⌄el prębendę, quam obtinet, coniunctam teneat: in ea tamẽ parochiali Ecclesia, vt Summi Pontificis Pij V. constitutione sancitũ est, resideat; nulliq́ue parochiali muneri desit. 3. ibidem.

4 Episcopi cura sit, iure agere, vt cui parochialis Ecclesia, intra diœcesis sũę fines posita, ab alio inferiore, etiam regulari, qui illius conferendę ius habet, collata est, is in illius statione resideat, personalisq́ue residentię munera præstet. Nec verò id ad illum inferiorem, qui contulit, spectat. 5. de Residentia, §. eod.

5 Rectores parochialium, seu curatarum ecclesiarum, quicumque sint, in earum ędibus tantum habitent; ibiq́ue cibum, & somnum capiant: nisi aliud Episcopus censuerit ex causa necessaria. 1. de Cleric. ędibus.

6 Vsu compertum est, non sine magno detrimento salutaris animarum gubernationes parochos, dum alia munera quęstus cupiditate, aliaue causa ducti suscipiunt, exercentve, multiplicem illam, & assiduã, quam animabus sibi commissis debent, sollicitudinem, parochialesq́; curas, & officia sępè intermittere, interdumq́ue etiam planè deserere, aut certè ita aliquãdo distrahi, & auocari, impedirive, vt illa nempè suo tẽpore, neque qua debent, ratione, & cura pręstent, ac festis præsertim, alijsq́; diebus, quas maximè horas, & in confessionibus audiendis, & in sacrę Eucharistię Sacramẽto ministrando, & in eorum Sacramentorum frequenti ⌄su non instituendo, aut conseruando solum, sed etiã augendo, & in pascendis ⌄erbo Dei fidelibus, & in frequenti sacrificij Missę oblatione, & in vesperarum officio canendo, & in Christianorũ rudimentorum doctrina tradenda, & in componendis controuersijs, conciliandisq́ue suorum populorum inter se animis, & in alijs denique parochialis curę officiis, ijs opportuno tempore pręstandis, ponere deberent, eas horas ob quęstus studium, aliamve causam traducere, vel ad diuina officia, canonicasve horarias preces in alia Ecclesia, in qua præsertim iam canonici sunt, obeundas, vel ad musici partes, officiumq́ue gerendum, ⌄el ad litterarum ludum exercendum, ac ad disciplinas etiam profanas pueris, adolescentibusve tradendas. Quamobrem hęc decernimus. 4. de parochiis, &c.

Qui dignitatem, ⌄el canonicatum habet, & parochus etiam est, aut alia quacumque ratione animarum curatione astrictus est, si in ędibus parochialibus non habitarit, ibi cibum, somnumq́ue capiendo, ⌄t de parochis superioribus Concilijs prouincialibus, & in hoc etiã decretũ est, aut si officijs suprà descriptis, alijsve, quę tamquam animarum curator parochusq́ue in Ecclesia sua parochiali pręstare debet, obeundis aliquo modo defuerit, aut ea non statis, & ab Episcopo præscriptis horis,

au

aut non illa, qua cęteri parochi debent, ratione omnino præstiterit: Episcopi arbitratu, & pœnis parocho iam constitutis, & grauioribus mulctetur, puniaturve ex præscripto etiam sanctionis à Pio V. Pont. Max. eo de genere, octauo Idus Iulij 1568. editę.

Sess. 6. c. 2. Sess. 7. cap. 3. c. Quia nonnulli, de cler. non resiđen. Const. Pij V. cupientes, de Constitutionibus, nu. 29. Sess. 31. ca. 1. de Refor.

7 Parochialis curę munera, atque officia non per alios, sed ipsimet parochi, animarumve curatores obeant, ac præstęt, nisi sint qui aliquando iusta causa ab Episcopo approbata, impediantur, aut etiam prohibeantur. Si quis non paruerit, tum fructibus beneficij mulctetur, pro rata temporis, & officij sui prętermissi, tum alijs etiam pœnis plectatur, arbitratu Episcopi.

8 Sacerdotes capellani, alijve, quocumque nomine nuncupati, etiam canonici Ecclesię Cathedralis, collegiatęve, qui vel institutione, uel consuetudine, vel alio iure, parochum, aliumve animarum curatorem in eo curationis munere adiuuare debent, ab Episcopo in illius Ecclesię, ubi eiusmodi cura geritur, statione manere, residereque ac sua munera per se obire cogantur.

9 Quòd super aliquam causam, parochis, aut ijs capellanis aliquãdo in debito Ecclesię munere præstando, aliorum opera vti liceat, hoc eodem residentię personalis iure equè illi adstringantur, qui in eorum locum substituti, ei parochiali, alijve eiusmodi Ecclesię vicariam operã, ministeriumve præstare debent.

10 Nec uerò eorum quemquam facilius, quàm ipsos parochos, rectoresve ab Ecclesię cura, stationeq; parochiali abesse, neque rursus vlli suo minori deesse Episcopus patiatur, cùm hi quoque eadem residentiæ, & muneris sui præstandi lege astricti teneantur.

11 Ne item parochus, vel alius qui uis sacerdos, qui animarũ curam quouis nomine gerit, cantoris, aut musici munus, partesve in Ecclesia Cathedrali, nec verò in alia suscipiat, exerceatve, nisi aliud ob causam Episcopus iudicauerit,

12 Neque prętereà litterarum ludum domi suæ, aliove loco aperiat, exerceatve, nisi ob parochi inopiam aliquãdo aliud Episcopus scripto concesserit: qui tamen hoc munus extra parochię suę fines exercendi, nullo modo facultatem det.

13 Neque pueros, sibi in disciplinam traditos, certa pacta mercede, domi suę vllo modo suscipiat, atque alat. At clericos, qui sibi adiumento sint, litteris, disciplinaque ecclesiastica erudire curet, item pauperes aliquos parochialis curę suę pueros, qui ad idem aspirent, quive aliam nullam facultatem prima ipsa litterarum rudimenta percipiendi habent, si eius rei potestatem, scripto exaratam, ab Episcopo habuerit.

5. de Residentia.

14 15. 16 Neve ad Seminarij quidem curam, uel ad Vicarij munus,

vel

vel ad sanctę etiam Inquisitionis officium, nec verò ad aliud quicquã opera sacerdotis curam animarum gerentis, Episcopus ita vtatur, vt ab Ecclesia, beneficiove, in eius curam tradito, diutius absit, ac muneri debitæ residentiæ personalis desit.

17 Ne parochus, animarumve curator ob senectutem, aut ob aduersã valetudinem, cœlive grauitatem, ab eo residentiæ munere excusetur. Si verò eius inualetudo id generis est, quæ curari possit: atque eo loci, vbi ecclesia parochialis sita est, non datur, & aliunde facultas medici, & medicamentorum, tunc parocho ex infirma illa valetudine laborãti, Episcopus curationis causa facultatem dare possit, qua liceat ei tribus, quattuorve mensibus ad summum, loco propinquiori, in quo eiusmodi necessaria non desint, manere, vbi valetudinem curet. Interea ad illius Ecclesiæ parochialis curam gerendam Vicarium Episcopus constituat, parochi sumptu.

18 Nec præterea simultatis, odijve solum causa parochum ab ecclesię parochialis statione, locove abesse permittat, ac ne inimicitiarum quidem, quæ vel leues, uel fictæ sint, causa, prætextuve. Si verò vmquam graues illæ erunt, ac ueræ, ortæque postquam parochialis curæ munus obiit, idque sine culpa parochi, permittere Episcopus poterit illum inde abesse, locoque propinquo, vbi tuto sit, morari, eo solum tempore inimicitiarum, nõ tamen vltra annum, etiam si diuturniores anno sint inimicitię.

19 Cùm antea iure canonum, tum nuper Concilij Tridentini decretis, & Synodorum prouincialium constitutionibus iussum est, vnumquemque parochum animarumve curatorem in ecclesia, sibi commissa, Dominicis, aliisque præcipuè festis diebus stata hora Missæ sacrificium celebrare; Sacramentorum administratione, verbisque Dei prædicatione populum pascere: doctrinæ Christianæ rudimenta docere, vespertinas preces, aliaque diuina officia canere, vel recitare; publicam sæpè orationem, ac processiones uarias cum populo suo obire, pacem conciliare, controuersias componere; paupertum, & egentium, miserabiliumque hominum curam paternam gerere, aliaque munera studiosè, & accuratè agere, quæ cum parochialis officij ratione coniuncta sunt; tum illis diebus maximè, in quibus populus artibus, operibus, & negotijs mundanis non est distentus, occupatusve, facilius, ac fructuosius præstare possunt. Quæ omnia, prout cautum est, & quemadmodum certè oportet, constituto tempore is parochus exequi nullo modo potest, qui non sine animarum, sibi commissarum, detrimento constitutis illis horis parochiali ecclesiæ non inseruit; sed ea relicta ad ecclesiã Cathedralem, uel collegiatam, ubi canonicatum, aut aliud residentiæ beneficium iam obtinet, frequẽter nimis accurrit, non sine ea auaritiæ

Sess. 23. c. 1. de Refor.

11. q. 3. gloria Episcop. 43. dist. sicut.

suspicione,

suspicione,& cupiditatis illarum distributionum, quas capiet; propterea quod ibi in diuinis officijs, Missaque solenni præsens adsit, festo præsertim die quo pluribus in ecclesiis, vel duplicatæ, vel certè maiores,quàm aliis diebus dari solent. Quamobrem hoc decreto Episcopos id monemus,ne quem parochum, animarumve curatorem,qui in Cathedrali,collegiatave ecclesia dignitatem,aut canonicatū habeat, aliudve beneficium,aut officium,cui personalis in choro residētię onus iniunctum sit,deinceps,dominicis,festisve diebus, ecclesiæ commissæ statione relicta, in choro illius Cathedralis, collegiatæve præsentem adesse,distributionumque quotidianarum participem vllo modo,pactove fieri patiantur:sed parochiali ecclesiæ, statis horis, operam,curam,muneraque suscepti parochialis officij usqueadeò præstare cogat, vt ei nulla stata hora desit, nullumq; officium omninò prætermittat, suæ curę,sollicitudinique commissum.

20 Ecclesia parochialis,si eo loco sita est, vbi minor pars hominum parochialium habitet,multoq; plures illi sint,qui extrà vrbis,municipij,locive mœnia, vbi illa est,domicilium habeant; eo tamen loco parochus in statione parochiali maneat,vbi ecclesia est. Parochialibus uerò, qui longius absunt, Episcopi officio,& auctoritate succurratur ad Concilij Tridentini præscriptum.

3. d parochis

21 Si quis parochus, etiam vrbanus,parochiale domicilium non habet, vbi habitet: intrà illius fines domum conducat, quàm proximè potest ecclesię,cuius curationi præest:si intrà fines domus nō est,quam conducere possit,extrà,vbi propius ecclesiæ potest, conducat: idq; iudicio Episcopi.

4. de parochiis.

22 Quod Concilio Prouinciali tertio de ædibus parocho, parochiale domicilium nullum habenti,conducendis,decretum est; idem etiam de socij,adiutorisve,ad munus parochiale ob quāuis causam ei adiuncti,dative habitatione decernimus,& constituimus.

23 Episcopus verò cum ijs, quibuscum oportet, omni iure agat, vt ędes ecclesiæ parochiali,quàm maximè potest vicinas,& parocho,& coadiutori,& quamprimum illi tradat:aut,si ita opus esse censuerit, ędificent:intereaque domicilij conducti pensionem,sumptumve vni,& alteri item suppeditent.

Parochum autem, qui quacumque de causa parochialis curationis socium,uel adintorem habet,tum ipsum, tum illum itē in habitatione parochiali manere,ac residere cogat,& fructuum mulcta,& alijs præterea pœnis,arbitratu suo irrogandis.

3. d parochis §. cod. Sess. 21. c. 6.

24 Parochus,cui ob imperitiā,aliāve ob causam sacerdos alius socius, & coadiutor adiunctus est ad parochialē curam gerendam, ipse ét in propria ecclesia residens adsit, & officia,quorum munus eis interdictū

non

non sit, gregi sibi commisso is etiam præstet.

25 Si verò præ domicilij parochialis angustia unus, & alter item, illius habitatione uti, episcopi iudicio, nullo modo potest, tum eorum alterũ, quem ipse Episcopus, proposita sibi maiori illarum animarum, utilitate, delegerit, in domo parochiali, alterum in domicilio proximè cõducto, aut tradito habitare, residereve Episcopus iubeat, cuius sit efficere, ut id omne, & de domo eorum alteri tradenda, ędificandave, & de ea interim conducenda, planè à quibus debet, præstetur. 4. de parochiis, &c.

26 Parochiarum distinctio, quę familiis, non certis finibus, facta est, & parochis ad Sacramentorum administrationem, & populo ad illorum susceptionem magnum incommodum afferre solet. Quare Episcopi, sublata intrà sex menses diuisione parochiarum per familias facta, eas certis limitibus, terminisque describant. 1. de ijs, quæ ad Sacramẽ. adm. gen. pt. Sess. 24. c. 13.

27 Quę in ecclesia duo, pluresve parochi in animarum cura gerenda constituti sunt, tum ex parochialibus, uel portionibus, uel functionibus, quas præstare debent, sępe inter eos rixę, contentiones, ac dissidia, & spiritualia populis diuina existant; indeque populis offensionum exempla, scandalaque afferantur; Episcopus, vt huic rei, à parochiali cura alienę, & parochorum disciplina indignè, occurrat, certos parochialis uicinię limites pro illorum numero, ędibus, aut ijs perpetuò distinguat; quos ita distinctos in curam eorum unicuique pro limitum distinctione tradat, ita ut intra suos quisque fines parochialem curam gerat. 4. ibidem. Sess. 24. c. 13. ver. in iis.

Si quę verò parochialia officia in illa ecclesia obiri oportet: quorum officiorum functiones rectè diuidi non posse, aut non expedire censuerit, illa ab iis singulis ęque, communiterve præstari decernat.

29 Distributa autem parochialis curę officia, si eorũ unus, aut impeditus est, aut adiutore, adiumentove ob fideliũ, qui suę curę sunt, multitudinem, aliamve ob causam opus habeat, ab altero, alijsve, sine ulla mora, exceptione, excusatione ve, prout Episcopus, uel statuerit, uel iusserit, obeantur item, ac præstentur.

30. 31 Vbi uerò ea perpetuę parochialis curę partitione minus salutariter prospectum, consultumque fore idem censuerit; eorum unum, morum grauitatẽ, curę q; gerendę peritia, atq; usu præstantem, alteri, alijsve præficiat. Emolumenta item extraordinaria, aliaq; id generis, unde discordiarum semen in illis existit, in unum, ut nõnullis locis moris est, collata, certo stato tempore inter eos diuidi iubeat, aut aliqua denique ratione, quàm potiorem duxerit, obuiam eat istorum, & discordię, & negligentię, qua fit, ut alter in alterum sępe parochialis muneris curam reijciat.

32 Nec uerò ullo umquàm modo patiatur, permittatue, illos certa quadam

quadam hebdomadarum partitione, aliaue ratione inter se inita, munus Missæ sacrificij in parochiali ecclesia faciendi, aut reliquas parochialis officij functiones, quæ ab vtroque etiam diebus eisdem vtiliter præstari possunt, ita inter se diuidere, ut ab uno tantum eorum, alternatim scilicet, vel per hebdomadas, uel alia temporis uicissitudine præstentur. Non enim ferendum est, ut cui Ecclesiæ parochiali complurium sacerdotum, ministrorumve stipendia, alimentave olim attributa sunt, quo diligentius, & cautius illorum copia tum diuinorum officiorum cultui, tum alijs ministerijs, ad spiritualem populi curam necessarijs, opportunisve cósultum esset; illi, aut auaritiæ studio, aut diffidio, negligentiaue ducti, vel onus sibi impositũ minoris, quàm par est, æstimantes, perinde ei ecclesiæ deseruiant, ac si non plures, sed unus tantũ parochus, animarumve curator constitutus in illa esset.

1. de ijs, quæ ad Sacramentorũ admin. gen. pert. Sess. 21. c. 4.

33 Quod præterea à Tridentina eadem Synodo decretum est, ut ecclesiarum rectoribus tot sacerdotes adiungantur, quot, & ad Sacramenta parochianis administranda, & ad diuinum cultum satis esse possunt, id Episcopi omni diligentia exequantur.

1. ibidem.

34 Quæ parochiales ecclesiæ partem habent sui populi extra mœnia urbium, uel oppidorum, uel alibi, quo fiat, ut parochus, præsertim nocturno tempore, illis hominibus Sacramenta commodè administrare non possit; in illis Episcopi, aut eam partem commodiori parochiæ uniant, aut etiam inuitis Rectoribus, & Constitutione Alexandri III. & decreto Concilij Tridentini, nouas constituant parochias.

sess. 21. ca. 4. ver. in ijs verò.

35 Quibus locis, ex Concilij Tridentini præscripto parochias nouas institui, erigive liceat; Episcopus etiam in parochijs, quæ Regularium quouis modo sunt, illas constituat, certa fructuum portione attributa, ad præscriptum Constitutionis Pij V. Pontificis.

6. de parocho & parochijs.

1. vt suprà.

36 Illis autem sacerdotibus, qui de nouo erunt ecclesiis recenter erectis præficiendi, congruens assignetur portio, arbitrio Episcopi, ex fructibus, ad ecclesiam matricem, quomodocumque pertinentibus, & si necesse erit, compellant populum ad ea submininistranda, quę sufficiant ad uitam noui Rectoris sustentandam.

sess. 21. cap. 4.

3. tit. 1. dec. 8.

37 Quæ ecclesię vel cathedrales, uel collegiatę peculiarem parochiã habent, neque eius parochiæ curatio ad certas personas ex officio pertinet, in iis curet Episcopus, ut quibus ea ipsa cura committetur, certum stipendium, aut emolumentum ad eorum uitam honeste sustentandam, ipsius Episcopi arbitrio, à Capitulo, vel ab iis, ad quos spectat, attribuatur.

4. de parochijs, &c.

38 Illud Episcopus sollicitudinis studio exequatur, ut quibus ecclesiis parochialibus, inopia laborantibus, nulla adhuc ratione satis suppeditatum est adiumenti; iis, aut beneficiorum ecclesiasticorum adiunctione,

ne, unioneve, aut primitiarum, decimarumve attributione, aut parochialis vicinię incolarum symbolis, collectisve, aut alia, quę sibi videbitur, commodiori ratione omnino succurratur, ad Concilij Tridentini prescriptum. Sess. 21. c. 4. Sess. 24. c. 13.

39 Cùm Ecclesię alicuius parochialis, eiusque Rectoris necessitati Episcopus primitiarum, decimarumque assignatione, aut parochialiũ symbolis, collectisve prouidendum esse ex decreto Tridentino censuerit, ad id prestandum illos ad eiusdem Tridentini, & Prouincialis decreti prescripto compellat, propositis arbitratu suo pœnis, atque etiam interdicto generali, præsertim ubi ipsi parochiales id prestare promiserint, spoponderintve. 6. d parocho &c. Sess. 21. c. 7.

40 Ecclesię parochialis, ne deinceps cuipiam per sex menses commendetur; sed uel titulo conferatur; uel, si iurispatronatus est presentatus, electusve, qui ad illius curam gerendam idoneus, disquisitione de more facta, repertus est, ad Concilij Tridentini prescriptũ instituatur. 4. de benefic. collat. &c.

41 Interea verò dum uacat, ex eiusdem Concilij decreto, Vicarius cõstituatur, qui illam regat. cap. nemo, de elec. in 6. Sess. 24. c. 18.

42 Curandum est omni diligentia, vt salutarem fructum capiat fidelis populus ex laboribus, & officijs, quę à parocho diebus Dominicis, & festis inter Missarum solennia, aut diuina officia, uel alia quacumque occasione prestari, etiam ex Tridentino Concilio debẽt. Quamobrem Concilij etiam Tridentini auctoritate, ut in ecclesiam parochialem frequenter, saltem Dominicis, & maioribus festis diebus fideles conueniant, Episcopus eos, quorum pastoralem curam gerit, diligẽter, ac sępius moneat; litteras propterea eo de genere ab eodem Episcopo edendas, ac etiam instructiones, nostra cura, ad communem prouinciæ usum conficiendas, sępè populo, prout usu uenerit, parochus descripto recitabit. 4. quæ pt. ad Missæ Sacr. Sess. 22. de obser. & euit. in celeb. Missæ.

Et canonum ratio, & disciplina Ecclesiastica id maximè postulat, ut ad ecclesiam parochialem fideles quàm frequentissimè conueniãt, id quod ab Episcopis accuratè eos moneri œcumenica Synodus Tridentina, piè, salutariterq; decreuit. Eius decreti auctoritate, ut pro eo, quòd debemus, planè obtemperemus, in usumq; prouinciæ nostrę inducamus, qđ bene agendi rõnibus, usuiq; optimè consultum esse animaduertimus; litteras monitionis eo de genere infrà explicatas hoc Prouinciali Concilio sexto edimus, quas in omni parochiali totius Prouinciæ nostrę Ecclesia certis festis diebus, quos pro suę diœcesis ratione Episcopus præstituerit, de more promulgari decernimus: quò diligentius parochiales admoniti, cũ officij religiosi partes facilè intellexerint, quas suę quique ecclesię parochiali debent, incitata quadam uoluntatis propensione exequantur, quod de Sacrosancti illius Con- 6. De Parocho, &c.

cil.j sententia eos salutariter, & quàm sepissi nè monitos esse volumus. Id verò non hac nostra solùm Prouinciali cohortatione, monitioneque contenti, prouinciæ nostræ Episcopi præstandum curent; sed omni alia præcipua pastoralis curæ ratione, quàm eius rei vsui accommodatiorem, potioremque esse censuerint.

Porrò monitionis huius nostræ litteras, quò facilius, planiusq; populus intelligat, indeque partes officij sui, non solum cognoscat, sed rectè exequatur, eas in vulgarem etiam sermonem totas de verbo ad verbum conuerti, vel summatim vulgariter explicari, & ita fidelibus enunciari, ijdem curent, prout diœcesis suæ rationibus magis expedire viderint.

6. Formula litt. Monit. ℞ Conc. ad par. Eccl. c. Vt Dñicis, de paroch.

43 Fuit olim tanti apud antiquos patres ille frequens in Ecclesiam propriam parochialem fidelium conuentus, vt ad hanc disciplinã populi Christiani institutione valde accõmodatã retinendã, certis Decretis, cautio aliqua adhibita sit. Primò.n. hoc iussum est, vt Dñicis, festisq; dieb. parochi antequã Missam celebrent, Plebẽ interrogẽt, an alterius parochię fidelis adsit, qui proprio contẽpto presbytero ibi Missam audire velit, quẽ si inuenerit, statim inde eijciant, & in parochialem suã Ecclesiam ad Missam audiendã redire compellant. Deinde illud planè vetitum fuit, alienę parochię fidelẽ à parocho ad Missã nõ recepi, nisi in itinere fuerit, & placitũ ibi habuerit. Cuius veteris disciplinę restituendę in usumq; reuocandę desiderio, flagrans olim Sũmus Pont. Vrbanus VI. eo de genere Apostolica sanctione diligentissimè cauit: & nuper sacra Tridentina Synodus œcumenica ab Epis fideles non solũ hoc moneri voluit, vt frequenter ad proprias parochiales ecclesias saltem Dñicis diebus, festisq; maioribus accedant: sed illud ẽt diligenter ostendit, vnumquemq; teneri, vbi commodè fieri potest, Parochię suæ interesse ad audiendum verbum Dei, ac proinde id præterea statuit à Parochis, animarumve curatoribus inter Missarum solẽnia aliquid ex ijs, quæ in Missa leguntur, exponi, & sanctissimi illius sacrificij mysterium aliquod explanari, plebes sibi commissas salutaribus verbis pasci, easdemque docui, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem, & in lege Domini erudiri, & sacra eloquia illis explanari, tum in vnaquaq; ecclesia parochiali pueros fidei rudimentis instrui. His igitur eiusdem Tridentinæ Synodi decretis, & veteri salutari exemplo adducti cùm populum Vrbis, Diœcesis, Prouinciæque Mediolanensis nostræ, rebus ad salutem necessariis instructum per bona opera ad præmium sempiternum perducere summopere in Domino cupiamus, hac nostra monitione eos uniuersos, & singulos cohortamur, ac per viscera misericordiæ Iesu Christi obsecramus, atque obtestamur, vt quamuis in suis vicinijs, oppidis, & suburbijs, oratoria, capellas, aliasve ecclesias habeant,

9. q. 2. c. in dominicis.

Sess. 22. de observ. &c.

Sess. 22. c. 8.

vbi

vbi sanctissimo Missæ sacrificio interesse possint, frequenter tamen Dominicis saltem, aliisque solemnibus festis diebus ad suam quiq; parochialem ecclesiam conueniant: vbi à parocho, cui eorum cura commissa est, verbo Dei pascantur, fidei Christianæ rudimentis, aliisq; animarum saluti necessarijs præceptis erudiantur, ad sanctissima Sacramẽta religiosius percipienda instruantur, ad eorundemque frequentem vsum, ut illa sacra Synodus optat, paternis eius cohortationibus, in dies magis inflammentur, tum ab eodem item audiant, qui dies festi, si qui in hebdomadam inciderint, colendi, quæ vigiliæ, ieiuniaque seruanda sint, discant ab ipso: item quæ Christianæ pietatis officia in illis religiosè colendis præstari oporteat: ac quæ præterea à supplicationes, processionesve, aut stationes, orationes, indulgentiæ, iubilea indicantur, quæ matrimoniorum denunciationes fiant, quæ item pro ratione temporum admonitu, iussuve Episcopali ad diligentiorem eorum institutionem promulgentur. His, atque adeò aliis fructibus, qui ex paternis parochi, vel in cohortando, uel in monendo officiis existunt, eos carere continget, qui ad Missam ijs diebus in suam parochialem Ecclesiam non conueniunt. Immò verò, quòd hoc audiendæ illis diebus Missę parochialis munus à fidelibus minus diligenter præstatur, & à quibusdam planè negligitur, multa incommoda inde existunt. Hinc in plerisque sępè fidei articulorum, & Dei, sanctæque matris Ecclesiæ præceptorum, quæ ad salutem consequendam Christianum hominem nosse oportet imperitia, festorum dierum cultus neglectus, debita Christianæ pietatis opera non exculta, non cognita Christiana familiarum institutio, languescens sacerdotum parochorum omne officium, eorum aliquis contemptus, sanctissimorum institutorum, & sacrorum canonum violatus vsus: hinc denique in Ecclesiis parochialibus, quæ à maioribus tanto pietatis studio exædificatę sunt instaurandis, ornandis, sarctis, tectisque habendis cura, multis ex partibus neglecta, in illisque nulla, aut penè exigua Ecclesiastica ad diuina officia obeunda necessaria suppellex. His tot, tantisque malis, atq; incommodis vnusquisq; occurrere studeat, id diligenter exequendo, quod sanctorum patrum suadet auctoritas, quod Tridentina Synodus moneri iubet, quod ex illius iussu nos de vniuscuiusq; vestrũ salute solliciti paternis vocibus cohortamur, & monemus in Domino.

Nec verò quemquã aliquod, uel ex parochialis ecclesię aliqua distãtia, vel ex pluuia, frigore, ęstu, tẽporumve vicissitudine existit incõmodum ab hoc officio deterreat: Immò verò ad illud diligẽtius exequendũ, prout in Dño cõfidimus, se quisq; eorũ accẽdat necesse est, qui salutis suę memores huius rei grauitatẽ, eorum, quę cõmemorata sũt, rõne perpendent, quiq, aliqñ secum animo reputabunt nõ solũ parochialẽ

ecclesiam sibi datã esse, in qua primũ baptismo susceptο Christo Dño renati, alijsq; Sacramentis aluntur ad perpetuam salutẽ; sed parochum ẽt sacerdotem sibi loco parentis esse debere, quem diligant, colãt, atque obseruẽt: hoc sibi proponẽtes illũ pro fidelibus sibi cõmissis apud Deũ internuncium, ac deprecatorem esse, diuinę legis interpretẽ, dispensatorẽ mysteriorũ Dei, Christianę vitę, & morũ disciplinę magistrum, à quo oẽ petant piè, rectèq; agendi consilium, ac deniq; ministrũ forę, quę ad salutẽ eis necessaria sunt. Huic aũt nostrę monitioni etsi omnes pro præcipua suę salutis cura audientes esse debent, in primis tamen patres familias, tutores, ludimagistros, cęterosque aliorum moderationi, curationiue præfectos cohortamur, diuinaque contestatione admonemus, vt de sua, & aliorum, quorum curam gerunt salute solliciti, primum ipsi hęc paterna monita amplectantur, tùm illos ẽt crebris cohortationibus, ad illa exequenda inflamment: idque curent, ut non solùm Missę, & diuinorum officiorum tempore illi in parochialem ecclesiam conueniant; verùm etiam, vt institutas, in ea doctrinæ Christianæ scholas, statis illis diebus frequentent.

3. de parochis

44 Parochus ne vllum testificationis genus è libris suis parochialibus descriptum, cuiquam tradat, nisi Episcopi concessu.

Id verò nisi scriptum aliquod sit, quo, potenti testificatio fiat de eius ætate, uel natalibus.

45 Dominicis diebus, parochus non solum festos dies populo denunciet, sed ẽt illum sępè doceat, quę officia, tum in illis, tum in eorum vigiliis colendis ab eo religiosè præstari oporteat. Eidem præterea significet, atque indicat Stationes, & Indulgentias, quæ Episcopi iussu promulgandę erunt, & publicam, si quę aliquando, ob aliquam causam indicta est, orationem, & processiones, & officia mortuorum in sua parochiali Ecclesia obeunda, si quę eiusmodi in eam hebdomadam inciderint, vt fideles parochi sui voce moniti, aut illis intersint, aut si minus possunt, facta sanctorum illorum officiorum significatione campanarum sono, cùm iam ante commoniti intelligant, quę precationes, quęve officia in Ecclesia fiant, ipsi etiam quamuis absint, uel domi, vel alio loco, vbicumque sint, piè Deum precentur.

6. quæ ad funera pert.

In omni Ecclesia Cathedrali, & Parochiali singulis Dominicis, anniuersaria, quę in hebdomadam proximè sequentem, in ea Ecclesia celebranda erunt, fidelibus denuncientur. Idem de septimo, & trigesimo, & alio eiusmodi officio præstetur: qua in denunciatione, parochus cohortatione illos excitet ad orandum pro mortuis, proposita etiam humanę vitę conditione.

3. vt suprà.

46 Et quoniam præcipit Apostolus, vt fiant omnium primum obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones, pro omnibus

hominibus

hominibus, pro Regibus & omnibus, qui in sublimitate constituti sunt, & quietam, & tranquillam vitam agamus in omni pietate, & castitate; Ideò parochus, fideles ijs ipsis Dominicis diebus hoc moneat, ut antequam ab Ecclesia discedant, pro omnibus infrà descriptis, ter orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam sanctè precando dicant.

Pro fidei Christianę, & sanctę Ecclesię propagatione, & pro summo Pontifice Romano.

Pro Episcopo suo, & reliquis pastoribus animarum.

Pro Principibus, & Magistratibus.

Pro peccatoribus, vt flagitiorum suorum pœnitentes, à Deo veniã petant, & à malè agendo auersi, ambulent in uia Domini.

Vt hęretici redeuntes ad sanitatem Catholicę Ecclesię præceptis erudiantur.

Vt infideles ab impietatis errore liberentur, & Christi Domini fidem amplectantur.

Pro defunctis, præsertim quorum corpora in illa parochiali ecclesia quiescunt, ut à pœnis Purgatorij liberentur.

Tum præterea, si quod malum, uel calamitas impendet, itidem faciat.

Tum denique si quid est, quod vel Episcopi admonitu, iussuve, uel suę parochię hominum, aliquo incommodo laborantium, rogatu, vel alia eiusmodi causa, tunc maximè sanctis orationibus opus esse animaduerterit.

47 Parochus in sua quisque parochiali Ecclesia singulis festis diebus statà hora vesperarum officium peragat: idq; eaṙõne, vt si unũ plureſve habeat, quibus adiutoribus utatur, illis officij psalmos, & preces, ut ritus est, canat: sin minus quempiam adiutorem habet, uoce alta, & clara ita reciter, vt ab iis, qui præsentes in Ecclesia adsunt, exaudiatur.

Id verò caueat, ne quicquã, uel minimũ, quod ad statam illus vespertini officii rationem pertinent, ulla causa omittat.

Quib. verò adiutorib. id faciat, vide tit. Quæ ad ord. sacr. pt. nu. 98.

48 Tridentini Cõcilij auctoritate Eps regulares, ad quos aiarũ cura, quouis iure pertinet, cõpellat, vt in ecclesiis, in quibus aiarũ cura exercenda est, Dominicis, & aliis diebus eodem Concilio præscriptis, sacrã concionem habeant: doctrinæ Christianæ pueris rudimenta tradant, tum alia parochorum munera præstent. 3. vt suprà. Sess. 5. c. 2. Sess. 24. c. 4.

49 Cùm nullũ pietatis officiũ Parochus in eorũ, qui fidei, curęq; suę cõmissi sunt, salute adiuuãda, prætermittere vllo umquam tpe debeat, tum hoc etiam, audita parochialis cuiuspiam incolæ morte, præstet, vt statim psalmum, De profundis, sanctè dicat, & omni animi pietate,

mentęq; supplici, orationem, ad hoc officij genus pertinętem, habeat, vt diues in misericordia sua Deus, illius animę misereatur, cuius ętipse in die iræ rationem est, redditurus. Vt verò à fidelibus pro mortuo oratio fiat; idem signum det campanę sono quo significetur, Aue Maria.

3. de parochis cap. 3. De vita & hon. cler.

50 Clericus, quem apud se parochus habuerit, eiusmodi sit, vt non solum Missæ inseruire, sed alia etiam omnia præstare possit, quę ceteri canone decreta sunt.

4. quæ perti. ad Sacr. ord.

In omni verò parochiali Ecclesia clericum talem parochus habeat, vt est canonū iure, & prouincialib. nr̄is Concilijs prę scriptū: sinaūt parochus, præ parochialis ecclesię tenui redditu, clericū sibi i altari mini strantē sustentare non pōt, neq; alij sunt, qui sustentent, pupuli sit, totā sustentationem, aut partem, quæ deest, submini strare.

51 Cum omni pietatis rōne coniunctum est, diuinarum precū horaria offici a, sicut in cęteris, ita in parochialibus ecclesijs solēniter anniuersarijs potissimū solennitatib. concelebrandis, per parochos præstari, cùm & id antiqui instituti fuerit, & populum festis illis, prę sertim celebritatib eò cōuenire sancitū sit; & vt idē in usum reuocetur, per ep̄os diligenter fideles moneri sacra Tridentina sanctione semel, atque iterum cautū sit. Quare die Natali Dn̄i, festo item Circumcisionis, qui est octaua, in Epiphania, Pascha Resurrectionis, Pentecoste, & Ascensione, in Annunciatione, & Assumptione B. Marię Virginis, die natali sancti Io. Baptistę, Beatorum Apostolorum, Petri, & Pauli, & in solennitate omnium Sanctorum, ac festo die Sancti, Sanctęve cuius nomine ecclesia parochialis nuncupatur, à parocho, & Missę sacrificium, & matutinum, reliquaq; precum diuina officia, vt in ecclesijs collegiatis fit, solenni ritu fiant, cananturve, in ijs scilicet ecclesiis parochialibus, vbi id decenter prę stari posse Episcopus censuerit.

4. de parochijs, &c.

52 Ijs verò ipsis diebus, mox suprà præscriptis, singuli sacerdotes, & reliqui inferioris ordinis clerici, in parochialem ecclesiam, intrà cuius fines habitant, si eo tempore diuinis officijs in alia ecclesia interesse non debent, ad Matutinum, & ad reliqua horaria diuinarum precum officia, Missarumque solennia celebranda conueniant.

53 Parochi in vrbe, & in oppidis, saltem insignioribus constituti, vt à reliquis sacerdotibus animarum curam non gerentibus, internoscantur, caputium, quod est proprium eorum insigne in humeris ferāt, cū domo exeunt, suprà exteriorem vestem cum processiones, aliasq; eiusmodi publicas actiones obeunt, suprà superpelliceum, liceat tn̄ Ep̄o ab hoc decreto eximere, qui in ecclesijs Cathedralib. dignitatē, canonicatumve itē legitimè obtinent, quādiu illam, illumve retinebunt, non aūt si qui deinceps vlla quauis causa, modove obtinuerint.

2. ti. 2. dec. 15

54 Parochum vrbanum ęgrotātem, & is, qui uicinior est parochus, & cleri

cleri in illa regione, ubi ęger est, Prętectus; diœcesanum verò itidem, & uicinior parochus, & Plebanus, uel Archipręsbyter, uel Prępositus in cuius Plebanię, aut Archipręsbyteratus, Prępositurǽve finibus ęgrotus habitat, statim inuisant, cum eius ęgritudinem, morbumve acceperint, tum post crebrò ad eundem ueniant, illaque omnia officia præstent, quæ ad animæ salutem ei tum maximè necessaria sunt, sacrã Eucharistiam, &, cum opus erit, sacrum extremæ vnctionis oleũ idem Parochus vicinior eidem ministret, & illius morientis animam Deo religiosis precibus commendet. Eius mortui funus vniuersi illius regionis, in qua ille habitarat, Præpositurave, Plebanatus, aut Archipresbyteratus Parochi obeant, nisi foraneus illius regionis Vicarius minorem numerum statuendum censuerit.

Primò item post eius obitum die, eorum vnusquisque pro ipsius animæ salute Missæ sacrificium faciat. Quòd si eo die pro mortuis fieri ex Ecclesiæ instituto vetitum sit; alio proximo die, quo interdictum non sit, omnino fiat.

Decẽ prætereà ad sum mũ dierũ spatio oẽs in ecclesiã cõueniant, quę eis à clericorum regionis Præfecto, aut Vicario foraneo præscribetur. Qua in ecclesia pro mortuo Rectore Missam conuentualem solẽni ritu celebrent: tùm supplicationibus, & precibus Deum piè, sanctèq; orẽt, vt orbato gregi rectorem dare velit iuxtà cor suum.

Quicumque verò eiusmodi pietatis officia præstiterint, eorum nomine, causave nihil, neque exigant, nec petant.

Is verò cui vacantis ipsius parochialis Ecclesiæ administratio commissa est, fideles illius parochiæ incolas sæpè hortetur, vt omni intima animi pietate à Deo Rectorem precentur, qui illius Ecclesiæ curationem gerere rectè possit.

55 De cura parocho ægrotanti præstanda in ijs, quę ad salutẽ animæ pertinent iampridem in altero Concilio prouinciali constitutum est. Et qm̃ charitatis officium est, rõnem ẽt haberi curationis corporis, hoc decreto itidẽ statuimus, vt cùm parochiæ alicuius sacerdos in febrim, morbumve inciderit, si præsertim suorum neminẽ habet, cuius opera, adiumentove subleuetur, propinquior parochus nullum à se officium desiderari patiatur, quod ad eius valetudinem rectè curandam necessarium fuerit. Atque in primis Vicarium foraneum, si parochus ægrotus in diœcesi est; si in vrbe, Episcopum, de eius ægrotatione certiorem faciat. 6. ẽ Parocho & parochiis.

56 Quò instructiores in suis officijs parochi sint, ob eamq; rem diligentiores: cura Metropolitani sit, ut quemadmodũ canone Toletano inscribitur, officiorum parochialium liber conficiatur, atque emittatur ad communem paroc[illegible] prouincialium usum. 6. ibidem.

5. quæ ad benef. collat. att.

57 Cùm animarum salutis, vitæq; spiritalis curã parochi paternã gerant, illis, tãquàm parentibus debetur amor, obseruãtia, cultus, atq; obedientia. Si igitur hoc ipso honore dignãtur, illud certè etiam æquissimũ est, atq; adeò cum omni rõne coniunctũ, vt cùm primum eorũ aliquis ad ecclesiæ sibi in titulum, curamve traditæ, stationem venerit, aliqua externæ obseruantiæ significatione ab ijs suscipiatur, ad quorum parochialem curam accedit. Quare fideles, vbi primum ab Episcopo litteras formatas acceperint de parocho, qui parochiali eorum ecclesiæ præfectus fuerit, diem certum statuant, quo ei aduentanti frequentes ad parochiæ fines obuiam facti, eundẽ, vt moris obitum fuit, suscipiãt, atque ad ecclesiam deducant, perpetua illũ dilectione, amore, obedientia, atque obseruantia prosequentes.

58 Litteræ autem firmatæ, quas Episcopi nomine Cancellarius de parocho conscribat, eiusmodi erunt, quæ à Vicario foraneo aliove publicè legantur.

Filij dilectissimi. Vestræ isti parochiali ecclesiæ parochus præfectus est, psbyter N. quem ætate, vita, moribus, doctrina, virtutum disciplina, prudentia, alijsq; rebus ad istius parochialis curæ bene gerendæ rõne opportunis idoneũ esse, examine rectè confecto, cognitum est. Vestræ igitur partes sunt, debito honore, ex decreti pronincialis præscripto illum suscipere, neq; solum externa quadã obseruantia, sed intimo, atq; ex animo illũ loco parentis diligere, & colere, præceptisq; eius, atque nominis concordi voluntate, libentiq; animo parere. Quod sanè facere cùm vestra potissimum interfit, tum quò accuratius faciatis, nos Episcopali nostra auctoritate, paterna charitate vos vniuersos, & singulos monemus. Valete in Domino.

4. de Parochiis, &c.

59 Oblationum institutum iam pridẽ ab Apostolis vsq; tpibus Apostolico ẽt canone sancitũ, sanctissimorumq; Pontificum Melchiadis, Fabiani, & Gregorij Constitutionibus, & Conciliorũ prætereà decretis communitum, quo grauius his temporibus à fidei, doctrinæq; Catholicæ hostibus exagitatur, & languescente pietatis studio, quò magis à fidelibus negligitur; hoc diligentius seruari, atque ad executionis vsum, vbi intermissum est, reuocari conuenit, cùm præsertim, & ad diuinum cultum illud pertineat, & populis salutare sit, ad expiandaque peccata utile. Quare Episcopi in sua quisque diœcesi, & suis, & concionatorum sermonibus, & omni alio persuadendi, cohortandique officio, omniq; iuris ratione illud, ubi est, retineri; ac ubi negligitur, restitui studiosè ad sacrorum Canonum præscriptum itacurent, vt in solennitatibus scilicet Domini, diebusque Dominicis, ac festis item, quos coli, aut præcepti, aut consuetudinis est, omnis Christianus aliquid, prout pro sua quisque pietate

deuotione

deuotioneque maluerit, Deo offerre procuret: idque in Ecclesia vel cathedrali, cum ad Missæ sacrificium, quod solenniter celebratur, vel in parochiali cùm a parocho conuenit.

60 Quo in officio seruetur, vt quod antiquæ ecclesiasticæ consuetudinis est, primo mares, deinde fœminæ offerant.

Cum pro cuiusque ecclesiæ consuetudine populus ad oblationes inuitatur, id grauiter, & modestè faciendum est. 1. quę pert. ad bonorum &c.

Nec eo vasis, aut sacculi genere pecuniam accipiant, in quo quid quisque dederit, cerni possit, vt fideles pietate adducti, nõ pudore quo dammodo coacti, eleemosynam afferant.

Quæ cum ad subsidium sacerdotum, vel aliorum pauperum, uel ecclesiarum reparationem, & ornatum sit instituta, eam populus libera liter præbere debet.

61 Sacerdoti, Missam celebrati, oblationis accipiẽdæ causa ab altari paulum se remouere licet: at inde longè discedere, ac per ecclesiam uagari eamque quasi circuire, nullo modo liceat. 4. ut supra.

Ad eum autem vsum parata sint vasa duo, tam in cathedrali, & collegiata, quam parochiali ecclesia. Instruct. sup. eccl. lib. 2.

Ne patena, cum oblatio fit, sed Crux, aut sacra aliqua imago offerentibus, fidelibus ad osculandum præbeatur. 3. de iis, quæ pert. ad Missæ sacrifi.

62 Quo gratias autem Deo sit, quod offerunt, ad id præstandum accedant fideles intima animi pietate, spirituali hilaritate, sancta charitate, omnique christianæ deuotionis testificatione. 4. ut supra.

63 Offerentium autem, prout sanctæ institutionis est, commemoratio in Missę sacrificio fiat.

64 Ab iis uerò oblationes nè accipiantur, ut antiquo etiam canone uetitum est, qui scilicet inter se iniquo animo dissidentes, inimicitias exercent, qui vsurarii, meretrices, sacrilegi, raptores, quive alio nomine publicè, notorièque criminosi sunt. c. oblationes dist. 90. c. qa in omnibu de vsur.

65 Quicquid porrò oblatum erit, præter illorum dierum oblationes, oblationumve partes, quę ad Episcopos ipsos iure spectant, quæue ad sacerdotes, uel ad Ecclesias, uel ad ecclesiarum fabricas, uel ad scholas, uel ad eiusmodi pia collegia, Episcopali, aut alia legitima authoritate, concessiue propriè, ac expressè iam pertinent, aut in posterum quouismodo, aut iure spectabunt, id omne, si in Ecclesia cathedrali oblatio fit, in illius ecclesię, alteriusue pii loci, aut operis usum, ut Episcopus iusserit conuertatur; si uerò in parochiali, aliaue ecclesia offertur, quidquid datum, oblatumue erit, parochi sit, in cuius parochiali, aut in alia ecclesia, intra parochiæ fines sita, oblatio fiet. 4. ut supra.

66 Capellanis uerò, aliisq. sacerdotibus, & aliis itẽ, præter cathedralẽ ec-

Ecclesijs, earumque fabricis, ac scholis, pijsque eiusmodi collegiis, atq; aliis quibusuis, ius parochiale non habentibus, oblationes deinceps inter Missæ sacrum accipere, aut exigere omninò interdictum sit: nisi quibus hæc facultas ab Episcopo, aut aliàs legitimè data erit.

67 Si cum parocho de oblationibus diuidendis quisquam pactiones fecerit, vt sibi, aliique sacerdoti liceat oblationes recipere contra quam præscriptum est, hæc pactio irrita sit, ac planè nulla: neque propterea aliter, quàm suprà præscriptum est, oblationes alii exigere, accipereve liceat; tum præterea parochus ipse, & alius Ecclesiæ rector, & sacerdos item, aliusve, qui pactum inierit, quive pactioni consenserit, grauiter puniantur.

68 Quæcumque deinceps oblationes, siuè pecunia, siue cereis, siue alio eleemosynæ genere in Missæ sacrificio à populo fient eæ, & fiant, & à Sacerdote accipiantur, dum canitur Antiphona, quę offertorium appellatur.

Quod si Missa non conuentualis nè semper tamen, tum etiam fiat, accipiaturve proximè, antequam hostiæ, & calicis oblatio fiat.

69 Si quid verò aliquando non intra Missarum solennia, sed alio tempore offerri contigerit: curet Episcopus restitui sanctum vsum, & oblationi illi, & offerentibus benedicendi stata prece, atq; oratione in libro sacerdotali, aut rituali præscripta.

70 Qui verò oblaturi sunt, Missæ sacrificio, in quo oblatio fit, & ab initio piè, deuotèque interfint: nec verò inde abeant; nisi, vbi peracto sacrificio benedictionem sacerdotalem demum acceperint, quæ in fine Missę de more fit.

71 Videat Episcopus, ut eleemosynarum, & alius cuiuscuis generis piis oblationibus quæcumque à populis fiunt, certam rationem præscribat: qua, & mane potius, quàm a prandio fiant: & illæ non popularibus spectaculis, non commessationibus, aut tumultibus, non clamoribus, aut prophanis actionibus, quæve vllam offensionis speciem præbeant, sed precibus, Litanijs, Hymnis, atq; ijs pietatis officiis pstentur, quæ decent, iusmodi religiosas actiones, officiave, & quæ respondent veteri sanctitati, ac disciplinæ huius nstituti.

72 Ne imagines cereæ, uoti causa, ecclesijs, pijsque locis oblatæ venditari vllo modo possint, ac nè confractæ quidem, etiam vetustate temporis, nisi concessu Episcopi, in vsum Ecclesiæ conuertendæ.

Nec verò ullas eiusmodi, vel alterius generis oblationes, vel eleemosynas, antequam illæ sexceptæ sint, vendi, locari, aut contractus vllos, pactionesve etiam secretas eius generis iniri cuiquam, etiam parocho, vllo pacto, modove liceat, pęna grauj propositą, Episcopi arbitrio irroganda.

Que

Quæ huic titulo congruere possunt ad parochos pertinentia, videantur in titulo de vita, & hon. cler. De Canonical. & parochiædibus, & in indice verbo. Parochus.

De Vicariis perpetuis, & Temporalibus coadiutoribusve.

SVMMARIVM.

1 *Stipendium Vicecurato Cathedralis, collegiatæque ecclesiæ attribuendum.*
Stipendij ipsius summa ex decretis Prouincialib. arbitraria. Ibid. & De benef. plural. num. 2. & de parochijs. 41.
Ex constitutione vero Pij V. ad aureos quinquaginta redacta. De constit. 51.
2 *Vicarij perpetui in Ecclesiis Monialium Monasterijs annexis constituendi.*
3 *Vicarij temporales ecclesiis parochialibus vacantibus deputandi, qui & qua mercede. De Parochijs, 40. 41. & Conc. Trid. sess. 7. c. 2. sess. 7. c. 5. 7. sess. 21. c. 6. sess. 24. c. 18 sess. 25. c. 16.*

1 QVÆ Ecclesiæ, vel cathedrales, vel collegiatę peculiarem parochiam habent, neque eius parochię curatio ad certas personas ex officio pertinet, in ijs curet Episcopus, vt quibus ea ipsa cura committetur, certum stipendium, aut emolumẽtum ad eorum vitam honestè sustentandam, ipsius Episcopi arbitrio, a Capitulo, vel ab ijs, ad quos spectat, attribuatur. 2. tit. 1. dec. 8. Sess. 7. c. 7. Sess. 14. c. 9.

2 In parochialibus Ecclesiis, quæ Monialium monasteriis annexæ sunt, perpetui Vicarii ex formula Tridentini Concilii præscripta, ab Episcopus constituantur. 1. de Concionat. & c. Monial. Sess. 7. c. 7.

De beneficiorum permutatione.

SVMMARIVM.

1 *Permutatio ecclesiarum parochialium quando examen requirit.*

IN

5. quæ ad benef. collat. attin.

1 IN Ecclesiarum Curatarum permutatione, coram ordinario faciẽda, nè locum habeat, quod primo prouinciali Cõcilio decretum est de proponendo edicto examinis causa i uacatione ecclesiarum. Si tamen uel parochialium hominũ multitudo ualde inæqualis est, uel qui permutant, quo tempore parochiales illas ecclesias adepti sunt, examen præscriptum non subierunt, fiat tunc de illis experimentum examinis, sed absque concursu,

Idem examen sine concursu adhibeatur de eo, qui beneficium simplex commutat cum alio, quod curam animarum habeat: si quando eiusmodi permutatio coram ordinario fieri iure potest.

De beneficiorum pluralitate.

SVMMARIVM.

1 *Parochialia beneficia plura obtinentium pœna.*
2 *Fructus ipsorum quibus attribuendi.*
3 *Beneficia quæ incompatibilia.*
4 *Beneficium secundum obtinens, ut puniendus, si primi beneficij censum exegerit.*
5 *Duo beneficia simplicia, quando sine dispensatione Sedis Apostolicę obtineri possunt.*

1. de Resid. Sess. 7. c. 4. 5. Sess. 24. c. 17.

1 QVicumque plures parochiales ecclesias retinere intra tempus à Sacro Tridentino Concilio præstitutum non dimiserunt, eos Episcopi intra duos menses beneficiis omnibus ecclesiasticis iam ipso iure priuatos esse declarent.

c. Ordinarii de off. ord. in 6.

2 Fructus uerò, & quos ex eodem decreto suos facere non potuerunt, & qui deinceps quamdiu uacauerit ecclesia percipientur, fabricę, uel ornamentis eorundem beneficiorum, uti magis expedire censuerit episcopus, iam nunc attribuimus excepta tamen congrua portione, idoneis Vicariis ab episcopo assignanda: quos ipse facta declaratione, statim in illis ecclesijs constituere debebit.

4. de benef. collat. & prouis. Sess. 24. c. 17. de Ref.

3 Beneficium etiam simplex obtinenti, quod aduitę sustentationem satis est, si alterum simplex aut ecclesia etiam parochialis, aliudue beneficium cuiusuis generis conferatur, ubi is alterius beneficii cuiuscumq; generis illud sit, possessionem pacificam adeptus est; aut si per eum steterit,

terit, quominus duobus mensibus, quos à die, quo alterum collatum est, præstituimus, illam adipiscatur, primum ipso iure vacare censeatur: cui vacante prouideatur. Cum ex Tridentini Concilii sententia vnũ, & alterum item ab illo simul retinere nullo modo liceat.

4 Beneficii quacumque auctoritate deinceps collati, vnde satis ad victum sumitur, possessionem pacificam quis adeptus, si nulla sibi facultate, dispensatione ve legitima concessa, beneficii prioris, quod obtinebat, censum exegerit, ea pœna illi sit, ut quod exegerit, illius duplũ ad Ecclesię vsum restituat, tum alia ratione etiam mulctetur, plectaturve Episcopi arbitratu. 4. Ibid.

5 Quod Synodi Tridentinæ auctoritate quarto concilio prouinciali nostro permissum est, simplex beneficium habent; alterum etiã eiusdem generis, quod personalis residentiæ munus non requirat, ob honestam illius vitæ sustentationem conferri, id ita locum habeat, ut nè tamen eo prætextu, causave vitæ honestæ sustentandæ, plura, quam duo, beneficia simplicia vni, eidemque conferri liceat, sine concessu, permissuve Sedis Apostolicæ. Sess. 24. c. 17. 5. quæ ad benef. coll. att.

De beneficiorum unionibus.

SVMMARIVM.

Quæ, & quot beneficia Seminario applicanda. De Semin. cler. 9.
Quando illa potius Ecclesiæ parochiali, quàm Seminario vnienda. Ibid. num. 10.
Vnio beneficiorum Seminario fieri etiam potest, antequam vacent. Ibid. 9.
Vnionis ipsius vis. Ibidem.
1 *Vniones perpetuæ ab Episcopo recognoscendæ.*
Parochiæ vnius pars, quando alteri parochiæ vnienda.
De Parochijs. 34.

1 EPISCOPI intra sex menses vniones perpetuas, etam ecclesijs iurispatronatus factas, & ipsa patronatus iura, ex præscripto Tridentini Concilii recognoscant: & traditam eiusdem Concilii decretis de illis rationem diligentissimè seruent. 1. quæ pert. ad bon. &c. Sess. 7. c. 6. sess. 24 c. 13. Sess. 25. c. 9.

De

De pensionibus, & pensionariis.

SVMMARIVM.

Pensionis extinguendæ causa, quid seruandum. Quę ad benef. col. pert. 9.
Pensionis onere grauatam præbendam obtinens, quid agat, vbi primi anni suæ præbendæ fructus ecclesiæ soluendi sint. Ibid. 20.
Pensionarij, ad recitandum officium paruum Beatæ Virg. obligati. De constit. 23.
Pensiones Cancellarijs Episcopalibus assignatę tolluntur. De cancellario 27.

De examine, & Inquisitione in promouendis ad Cathedrales Ecclesias.

SVMMARIVM.

1 *In prouinciali Synodo præscribenda examinis, & inquisitionis formula promouendorum ad cathedrales.*
2 *Formula eiusdem examinis, & Inquisitionis.*
3 *Inquisitio diligens de fide, vita, & moribus, à quo fiat, & a quo de eisdem testificatio fiat. 7.*
4 *De natalibus etiam ætate, corporis habitu.*
5 *De doctrina item; & quale examen in eo fiat.*
6 *Fidei professionis emissio.*
Formulæ prædictę a Pio V. confirmatio. De constit. 3.

1. de exam. & Inquis. in promou. ad Cath. Eccles. Sess. 24. c. 1. de Ref. sess 6. c. 1.

1 QVoniam statuit sancta Tridentina Synodus, vt in prouinciali Synodo forma examinis, seu inquisitionis, aut instructionis natalium, vitæ, ætatis, doctrinę, atque aliarum omnium qualitatũ, quas sacri canones, & ipsa Tridentina Synodus in promouendo ad Episcopatum postulant, præscribatur; nos hanc formulam Sanctissimi Domini nostri arbitrio comprobandam proponimus.

2 Cum examen de aliquo ad Episcopatum prouinciæ nostrę promouendo, faciendum erit. Episcopus, in cuius diœcesi is maiorem eius anni partem versatus fuerit, mandato à Summo Pontifice accepto, ex

quinque

quinque probatis,& doctis,ac iuratis,omniquè exceptione maioribus testibus,de eius fide,vita,& moribus cognoscat in hunc modum.

An sit bonæ existimationis.

An hæresis nomine,aut schismatis suspectus sit.

An hæreticorum libros legerit habeatve.

An cum hereticis versatus fuerit,aut eis aliquo modo fauerit.

An statuto ecclesiæ tempore confiteatur, & Eucharistiam sumat, ac Missæ intersit.

An sacris ordinibus sit initiatus,& quampridem.

An sit criminosus,vel vitio,aut infamia notatus.

An cum aliquo inimicitias gerat capitales,& præsertim in loco Episcopatus.

An filios habeat non legitimos,& cuius ætatis,& quot.

An familiam suam prudenter,& catholicè regat.

An bigamus sit.

An excommunicatus,aut suspensus.

An apostata.

An ei publica pœnitentia imposita fuerit.

4 De Natalibus verò, ætate, gradu, & corporis habitu à duobus, vel tribus testibus fide dignis, vel ex instrumentis publicis hoc modo cognoscat.

An legitimo matrimonio natus sit. cad. sess. 24. c. 1.

An hæretici filius,neposve.

An trigesimum annum confecerit. e cum iniunctis. de elect.

An in vniuersitate studiorum magister,siue doctor, aut licentiatus in Sacra Theologia, vel iure canonico meritò sit promotus, aut publico alicuius academię testimonio idoneus ad alios docendum ostendatur.

Et, si regularis fuerit, an à superioribus suæ religionis similem fidem habeat.

An aliquo vitio, vel insigni deformitate corporis, & in qua parte laboret.

An comitiali morbo tenetur.

5 De doctrina autem sic periculum faciat.

Adhibitis tribus Theologiæ,totidemq; viris pontificii peritis,quos, si ibi non fuerint,ex vicinioribus locis accersat,promouendum vndecumque euocatum interroget.

Quid differant inter se sacramenta veteris,& nouæ legis.

Quot sint ecclesiæ sacramenta, & quo modo singula nominentur.

Quæ sit eorum materia,forma,minister.

Quod officium presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, quodve mino-

minorum ordinum.

Quæ præcepta diuina, quæve consilia euangelica.

Duos item locos ei proponet interpretandos, alterum veteris alterum noui testamenti, a mane ad vesperam dato spatio cogitandi.

Quibus interpretatis, percunctantibus etiam aliquid de iure pontificio, ità respondebit, ut etiam si Theologus sit, tamen se iuris canonici in iis, quæ ad Episcopi munus pertineant, non omnino rudem esse ostendat.

6 His confectis, ex formula præscripta a Sanctiss. D. N. coram eodē Episcopo fidei professionem faciat.

7 Quod si promouendus in pluribus ciuitatibus, vel diœcesibus proximum triennium moratus fuerit, eius fidem, vitam, & mores illi etiam Episcopi in quorum locis sex menses manserit, a Summo Pontifice admoniti, vel ab eo, qui processum confecerit, rogati, suo testimonio comprobent, idque scriptum ad eundem mittant, a quo processus confectus sit.

Is vero acta hæc omnia in publicum instrumentum relata, ad Sanctissimum Romanum Pontificem, obsignata quamprimum mittat.

De loco episcopalis Cathedræ in Cathedrali Ecclesia.

SVMMARIVM.

1 *Episcopalis Cathedra, vbi in ecclesia collocanda.*
Ad illius ornatum, nec pallia, nec alia Altaris indumenta adhibenda. De Missis sine cantu. 41.

3. de iis, quæ pert. ad orn. & cult. eccl.

1 SI qua in Cathedrali Ecclesia Episcopalis Cathedra loco depresso est, vel ita collocata, vt in populi conspectu non sit; id curet Episcopus, vt quod & à patribus, & a beatissimo patrono nostro Ambrosio institutum est, & ab Vrbano primo Pontifice Maximo declaratum, illa ponatur conspicuo, & eminentiori loco: vt inde velut è throno speculationis suæ, ipse populum intueatur; rursusq; ab eodem conspiciatur.

De

De uita, & honesta. Episcoporum, & certis Episcopalibus officiis.

SUMMARIUM.

1 *Vita Episcoporum qualis.*
2 *Episcopi dignitatem suam qua ratione retineant.*
3 *A Principibus honorandi.*
4 *Eis clericus maledicens, vt punitur.*
5 *Laicorum nimiam familiaritatem.*
6 *Atque conuiuia vitent.*
7 *Iidem, aliique inferiores qua formula iusiurandum præstent.*
8 *Vestitus eorum qualis.*
9 *Annulum vnum adhibeant. Eoque quando utantur.* 10.
11 *Mula, equusue episcopalis, vt induendus, quibusque ephippijs, & calcaribus vtatur Episcopus.*
Quot item equos alat. 18.
12 *Rochetum quando, & vbi induat.*
13 *Tunica talaris qualis, & quando cum mozeta, ac Rocheto induendas.* 12
14 *Vestes priuatæ quales.*
15 *Viatoriæ item quales.*
16 *Quales ieiuniorum diebus, & in ecclesia adhibendæ.* 17.
18 *Suppellex episcoporum qualis, qualisque cubiculorum apparatus.*
19 *Domus qualis item: quæque picturæ, & imagines in ea.*
20 *Mensa qualis: eiusque benedictio ante, & post.* 23.
Qui ad eam non recipiendi. 22.
21 *Lectio in ea, & qualis.*
24 *Familia in regenda episcopi officium familiaque ipsa quota.*
25 *Familiares quales.*
Clerici familiares, quibus in rebus non occupandi.
26 *Eidem familiæ qui præficiendus.*
Qui etiam deligendus ad deferendum episcopo, quæ emendanda sunt. 36.
27 *Familiares arma non ferant.*
28 *Illorum qui vestitus.*
29 *Reliqua familiæ disciplina.*
30 *Institutio.*
31 *Custodia.*
32 *Visitatio.*

33 Confessariorum deputatio.
34 Aegrotantium cura.
35 Familiarium merces.
36 Fraterna correctio instituenda, certæque regulæ præscribendæ de familiæ disciplina.
Regulæ ipsæ in tabella redactæ, publicè proponendæ.
37 Episcopi officium, & mores.
38 Orandi certa hora ab eo constituenda.
39 Orationisque vespertinæ institutum introducendum.
40 Preces horarias quomodo recitet, & seq.
41 Festis diebus ecclesiæ non desit. Impeditus domi officium opportunè citet.
43 Confessarium habeat æqualem.
44 Lectio, & studium sacrarum litterarum.
45 Audientia qualis.
46 Quæ per se, & quæ per Vicarios agat.
47 Reliquum tempus, ut ab eo conseruandum.
48 Sacerdotes duo ab Episcopo deligendi, qui eum admoneant, quidquid in eo desideratur.
49 Episcopus item Prouinciæ aliquis eligendus, cum quo pastorales administrationes communicentur, quod etiam fiat, cum ad Episcopum Prouinciæ diuertitur. 50. in fin.
50 Episcopi officium erga negligentem coepiscopum.
Quod etiam erga familiam suam supra num. 36.
51 Cum coepiscopo, quæ conferat.
Ea in re etrorum aliorum exempta.
52 Hospitalitas ab episcopis ĩ quos exercẽda. Quę pert. ad bon. &c. n. 40.
Pupillorum, viduarum, & aliorum ægentium quam cura gerat. 64.
Et de Causidicis, num. 8.
53 Hospitio excipiendis illustribus, & diuitibus, quid ab Episcopo seruandum.
54 Eleemosynis dandis, sit promptus Episc. eleemosynariumq. deputet.
55 Episcopus hospes, vt excipiatur, vt etiam accedens ad actionem solennem extra Prouinc. 62.
56 Coepiscopo aliqua difficultate laborati, ut subueniendum.
57 Nuncius ab Episcopo mittendus quotannis Romam.
58 Nuncij ipsius qualitates.
59 Officium Episc. erga Metropolyt. egrotantem, & defunctum.
60 Episcopus egrotans quid agere debeat cum suo capitulo.
61 Quomodo etiam communicet.
Episcopi officium erga egrotos, & moribundos. Quę pert. ad sacr. extr. vnct.

Punct. num. 24.

63 *Præsertim erga ecclesiasticos quoscumque, & qua ratione.*
64 *Eius cura de annona tempore penuriæ, & de pauperibus.*
65 *Subsidium charitatiuum, quando, & quomodo exigat.*

1 PIE, ac sapienter Sancta Tridentina Synodus, duce Spiritu sancto, Ecclesiæ vtilitate consuluit, cum Episcopis, & reliquo clericorum ordini certas officiorum vias, rationesque præscripsit, quibus intelligerent, se, cum in Dei militiam adscripti sunt, non ad commoditates, aut voluptates, sed ad labores, ac sollicitudines vocatos esse, & in iis numerari, quos dedit Deus, quosdam quidem Apostolos, quosdam autem prophetas, alios vero Euangelistas, alios autem Pastores, & doctores, ad consumationem sanctorum, in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi. 1. vita, & honest. Eporũ, & cler. Sess. 25. c. 1. de refor. Eph. 4.

Quare ipsis diligentissimè prouidendum est, nèa recta viuendi via, & ab officii sui ratione deflectant; neve quidquam præseferant, quod non simplex, castum, integrumque sit, ut modestiæ, frugalitatis, benignitatis, & quæ nos Deo tantoperè commendat, sanctæ humilitatis, ac virtutum omnium cæteris exempla præbeant: est enim vberrima docendi, ac pascendi ratio eorum, qui pietatem, quam profitentur, vitæ integritate, & innocentia comprobant, & quæcũq; verbis alios docent, ea factis exprimant suis, non iam quæ sua sunt, quærentes, sed, quæ Iesu Christi.

Id autem cum omnium clericorum professio requirat, tum maximè Episcoporum dignitas postulat, qui cum sint mundi lumina, religionis, ac pietatis exemplo cęteris prælucere debent: neque committere, vt ulla in parte Dei lucem, in ipsis collocatam proprijs tenebris obscurare videantur.

Qua in cogitatione obeundi sui muneris, illam Episcopi perfectam imaginem, digito Dei ab Apostolo descriptam, assiduè sibi proponẽt, Oportet Episcopum irreprehensibilẽ esse, sobrium, prudentem, ornatum, pudicum, hospitalem, doctorem, non vinolentum, non percussorem, sed modestum; non litigiosum, non cupidum, sed domui suæ benè prępositum. Hęc autem clericorum, maximèque Episcoporum studia, & officia, si reliquorum oculis, auribusque obuersabuntur, profecto efficient, ut illi glorificantes Patrẽ, qui in cęlis est, magis etiam vitę exemplis, quàm doctrinæ pręceptis ad imitationem virtutis incitentur. Itaque nos, qui eo Consilio hoc conuenimus, vt quæ à Sacra Tridentina Synodo sancita sunt, exequentes, prouinciæ nostræ mores ad 2. Tim. 3.

optimam Christianæ religionis disciplinam conformaremus, ecclesiasticis hominibus certas rectè, pièque uiuendi formulas constituimus; quas partim à sacra Tridentina Synodo summatim expositas, latius explicauimus, partim sanctas ex veterum canonum fontibus, eiusdem Concilii auctoritate reuocauimus ad vsum, vtilitatemque nostrorum hominum: nonnullis etiam aditis, quę maximè ad huius temporis, statum rationemque pertinere videbantur.

Sess. 22. c. 1.

1. de dignitate ab Episcopo retinéda.

2 Alienum est valde ab Episcopali dignitate, si Episcopi in consuetudine Principum sese deprimant, & abijciant.

Nè igitur Principibus accumbentibus stent ipsi.

Nè eo quidem nomine, quod sumpto à Principibus cibo, Deo gratias agere debeant.

Neque inter Missam, pacem, aut Missale illis exosculandam præbeant.

Sess. 24. c. 17. Denique seruent cætera omnia, quæ illis sacra Tridentina Synodus ea de re grauissimo decreto præcepit.

Sess. & ca. eisdem.

3 Princeps autem summo studio cohortamur, ut meminerint Episcopos eos duces esse, quorum cura, & vigilantia fideles ad cœlorum regnum dirigantur.

1. Ibidem.

4 Qui clericus episcopo, uel alii superiori cuiuscuis generis, quem reuereri, & colere debet, maledixerit, episcopus in eum ex sacris canonibus animaduertat.

4. de episc.

5 Animi a laicorum familiaritate meminerint abstinere.

6 Laicalia conuiuia fugiant.

5. quæ ad cleric. disciplinam att.

7 Quod ab Episcopis, Prælatisve ob dignitatem, qua præcellunt ex instituto fieri decet, vt manu ad pectus admota, si quando oportet iusiurandum præstent, id sanè ubique, & semper, ita ritè seruent, nisi causę grauitas, prout iure cautum est, aliter postulat: cætera ridenda in tit. de vita, & hon. cler.

1. de episcopi vestitu.

8 Episcopus non prophano ornatu, aut apparatu, sed fidei, & vitæ splendore sibi auctoritatem quærere debet.

Itaque in vestitu sericum non adhibeat.

Non pretiosis pellibus utatur.

Vnguenta nè fumat, neve alias odorum suauitates confectetur.

9 Sit annulo episcopali contentus.

4. de episcopis, §. annulo autem.

10 Annulo autem episcopali semper vtantur, & vbique tum domi, tum foris, tùm in sua, tùm in aliena diœcesi, ut perpetuò se ecclesiæ suæ sponsos meminerint.

3. vt supra.

11 Nè mulę, aut equo episcopali stragulum, & ornamentum ex villuto, aut serico, sed ex corio factum, aut lana adhibebit.

Ephippiis, aut calcaribus, aut frenis inauratis non vtetur.

Linęam

12 Lineam tunicam, quam rochetum appellant, ex decreto Innocentij III. in Concilio generali, in Ecclesia, & in publico habeat.

Rochetum etiam, & mozetam induant, cùm per diœcesim iter faciunt: interiorem verò tunicam breuiorem, ac mantellum viatoriũ adhibeant liceat.

Si quando contigerit, vel legatum Pontificum, vel Cardinale S.R.E. vel Metropolitanum huius prouinciæ aduẽtare, aut diuertere in aliquam prouinciæ diœcesim, aut in ea diutius etiam commorari; tunc Episcopus diœcesanus, cum ei obuiam prodit, aut congressum, colloquiumve cum eo habet, aut denique in eius conspectu præsens, siue publicè, siuè priuatim adest, ne rochetum detectum ferat, sed superiori veste contegat. 5. de Episcopo, &c.

Eundem honorem tribuat, deferatue Apostolico suę ecclesiæ Visitatori, & illi item, qui in ea regione inter nuntius Apostolicus est.

13 Sine talari tunica, quæ ad collum adstricta sit, ac mozeta, neque è cubiculo exeat, neque quemquã nisi ex familia, admittat: neque eum uestitum ante noctem, vel nisi dimissis omnibus, deponat. 1. vt supra.

Vestitu vtantur ad Concilij prouincialis primi præscriptum talari scilicet tunica, collo adstricta, rocheto, & humerali indumento, quam mozetam dicunt, ita ut nè domi quidem in ullius conspectu, se exponant, nisi eo Episcopali vestitu induti. 4. de Epis.

Rochetum etiam, & mozetam induant, &c. suprà num. 12.

14 Vestes, quibus priuatim utetur, tales omninò sint, ut modestiæ, & grauitati consulatur. 1. vt supra.

15 In itinere quoque tam in diœcesi, quam extrà, eum vestitũ habeat, ex quo illum esse Episcopum appareat, & supra num. 12. ver. rochetũ.

16 Sexta quaque feria, tum præterea in vigilijs, in Aduentu, in Quadragesima, vestitum induant nigro colore, ijs diebus exceptis quibus ex ritu ecclesiæ nullum mæstitiæ signum vestibus ostendere debent: aliis autem, uiolacei coloris uestimenta adhibeant. 4. de Epis.

17 Cappam episcopalem, cum in Ecclesia, vel ad diuina officia, vel ad conciones, vel ad sacras lectiones, vel ad alias eiusdem generis actiones, accedunt, omnino induant.

18 In eius suppellectili nihil aureũ, aut argẽteũ sit, pter leuissima, ac tenuissima quędã instrumẽta, ad cibũ ori admouendum comparata. 1. Ibidem. De Episcopi suppelle. sess. 25. c. 1. de reform.

Nihil auro, argentove ornatum.

Nihil sericum, aut serico distinctum.

Non colorum varietas.

Non aulæa, non tapetia.

Nihil acu pictum.

Nihil variè textum.

Nihil studiosius elaboratum.

Denique non pluris sit artificium, & manus pretiũ quã rei necessitas postulet.

Simplici tantum corio, aut panno mensas, aliave sternere liceat.

Signa, & tabulas prophanarum rerum reiiciat. nu. 19.

In ædibus duo tantum loca vestiri possint, quæ attributa sint.

Episcopo alter eius valetudinis causa, alter eorum gratia, qui ad Episcopum conueniunt.

Liceat etiam & hospitum gratia, qui accipiendi sunt, habere necessarios apparatus, non tamen diuersi generis, nec maioris pretij, quàm eos, qui ad ipsius usum conceduntur: ita vt in omnibus humilitas, & modestia episcopalis eluceat.

Equos nè alat, nisi necessarios.

19 Domesticam omnem luxuriam in ædificiis extruendis magnificẽtiam, picturas, & inania ornamenta, ac delitias excludat.

Caueat denique nè quid in eius domo appareat, quod nõ simplex ac purum sit, quod nõ Dei zelum, & omnium inanium rerum contemptionem testetur.

Cum in iis, quæ ad priuatum vsum, cultumque requirũtur, eam moderationem adhibuerit, ut sordes, & superuacaneum sumptum fugerit, omnem operam, & artificii splendorem ad publicum Dei templorum cultum, & ornamentum conferat.

4. de Epis. Ab Episcopali domo absit omnis picturæ ornatus, quæ prophana sit.

In atrio Episcopos ordine pingi curet, qui præcesserunt; si minùs omnes, eos saltem, qui sanctitatis, aut doctrinæ, aut rerum episcopaliũ gestarum laude clari sunt.

In cubiculis omnibus, reliquisque domus locis frequentioribus nè desit aliqua imago sacra.

In hortis, ædibus, aliisve ecclesiarum, aut ecclesiasticarum hominum locis, si signa, &c. tit. De vita, & hon. cler. num. 105.

1. de episcopi mensa. 20 Accumbens Episcopus mensę benedicat.

Et quam decet frugalitatem, & temperantiam adhibeat.

Sess. 25. c. 1. In ea, præter primam escam, & vnum iurulentum cibum, alterum lacticinium, & duo fructuum genera, unum, aut alterum, uel. vt aliquid consuetudini, & hospitum stomacho indulgeamus, tertium ad summũ simplicis obsonii ferculum tantum ei apponi liceat; etiam quorumuis hospitum causa.

Bellaria, placentæ, omniaq. saccaro artificiosè cobdita, cæteraq. escarum lenocinia, exquisita etiam vinorum genera prohibentur.

Adhi-

21 Adhibeatur verò in eius mensa lectio sacrorum librorum; ut conuiuæ non solum corporis cibo; sed etiam epulis animæ recreari possint.

Lectio in mensa potissimum sit ex sacra scriptura, & pastoralibus libris, & uitis sanctorum Episcoporum, qui Episcopale munus egregie gesserunt. 4. de Epis.

Die autem consecrationis suæ, ut alias utiliter in Concilio Oxonien si sancitum est, formulam illam promissionis suę, in ipsa consecratione de pontificali libro prolatam, annis singulis in mensa legi curent; tum certis etiam aliis solennibus diebus, ut diligentius prę stent, quò crebrius illa lectione quasi moniti, videant Episcopalis muneris partes.

Tridentini item Concilii decretum in sess. 25. editum, cap. 1. & Cõcilii prouincialis primi sanctionem de uita episcoporum, & hanc prę terea sępè sibi recitari curent, tum maximè aliquando, quibus diebus, vnà cum familia omni, cibum capiunt.

22 Parasiti sanniones, scurriles ioci, & maledicta non admittantur. 1. vt supra.

23 Quemadmodum autem benedictio cibi caput; sic actio gratiarũ clausula esse debet: ut Dei laudes, sicuti par est, vsquequaque celebrentur, & omnia eius benignitati accepta referantur.

24 Episcopus domui, ac familię suę benè prę sit; curetque, ut honestas decorumque seruetur tam in internis, quam in externis, qui enim domum suam regere nescit, nec Dei Ecclesiam rectè gubernabit. 1. de Epi familia.

Familię numerus is tantummodo sit, quo simul ecclesię utilitati, & Episcopi necessitati consulatur.

25 Eum autem vehementer hortamur, vt in familia, quamplurimos possit, habeat clericos, qui nonnisi clericali vestitu vtantur, & in illis, si commodè fieri possit, minimum duos sacris initiatos, & bonę existimationis; qui vigilantem, orantem, in opera misericordię incumbentem, ac diuinarum litterarum mysteria scrutantem Episcopum studiosius attendant: eiusque actionum, & sanctę conuersationis quasi testes sint, & imitatores.

Familia Episcoporum Ecclesię sumptibus sustentata, in domibusq; ministrorum Dei educata, cęteris proposita esse debent, ad imitationem christianarum virtutum. Quamobrem eiusmodi sit, quę prę luceat vitę, & morum exemplis. 4. de Epis.

In ea nè sint rixosi, impudici, blasphemi, factiosi, scurrę.

Nè Episcopi consanguinei, nisi eadem uiuendi disciplina, qua cęteri vtantur. sess. 2. de modo viuendi, &c.

Neque item, qui parochialem curam gerunt.

Neque rursus, qui alio residentiæ munere adstricti; illis exceptis, qui licet Episcopo operam nauent, possunt tamen debitas ministerii sui functiones in Ecclesia præstare.

Veruntamen nè, & facultati detractum ideò sit, qua canonicos duos habere secum Episcopo, per sacros canones licet.

c. ad audientiam de cleric. nõ resid.

Cubicularii, præ cæteris ætate sint, moribusque graues, & boni testimonii.

Adsintque omninò ex primi Concilii decreto, clerici, qui Sanctæ Episcopalis vitæ, religiosarumque actionum sint, non solum testes, sed imitatores etiam; atque adeò eiusmodi denique qui, vt an Sanctissimum Pontificem Eugenium III. S. Bernardus scitè scribit his verbis, præcipitem etiam frenarent, dormitantem, excitarent: quorumque libertas excedentem corrigeret, extollentem reprimeret constantia, & fortitudo nutantem firmaret, erigeret diffidentem; quorumque sanctitas ad omnia bona incitaret.

Qui clerici sunt, vel sacris initiati, vel sacerdotes, eorum operam Episcopi vtantur ad officij alicuius, quod sacerdotali, clericalive ordini minùs conueniat, actiones.

1. de Episcopo familia.

26 Habeat deinde Ecclesiasticam personam, spectatam, & probatam, quæ præfecta sit moribus familiæ, ac de omnium salute sollicitam; spiritualem curam sustineat, eamque bonis, & piis artibus, ac litteris præsertim sacris, pro cuiusque sensu, & intelligentia, erudiendam curet.

1. de Episcopi familia.

27 Familiares arma nè ferant, nisi in itinere, vel necessitatis causa; idque Episcopi arbitratu.

28 Sericum, aurum, & argentum, colorumque varietatem omninò excludentes, nigrum tãtummodo, vel fuscum colorem vestibus adhibeãt. Quibus scissis, aut prætextis ad elegantiam non vtantur.

Calcei inaniter non incidantur.

Non sint turgidæ caligæ, non virgatæ, non sectæ, aut acupatæ, sed simplices, & vnius coloris, ac generis.

Denique talis sit domesticorum omnium vestitus, vt ex eo etiã appareat, illos esse ministros ministrorum Dei.

4. de Epis.

29 Nè quisquam de familia vllo vmquam die prætermittat rei diuinæ interesse, nisi necessariò impeditus sit ijs, quis de familia sunt, præsertim clericis, certus ieiunii dies in singulas hebdomadas instituatur.

In Aduentu item curetur, vt familia ieiunet, saltem feria quarta, & sexta.

Ieiunet familia pridie diei consecrationis Episcopi, in vigiliis item Sancti Cathedralis Ecclesiæ, ac Patroni Ciuitatis, si quando non

huius

huius nomine nuncupatur Cathedralis.

Vnusquisque de familia singulis mensibus confessus, sacram Eucharistiam sumat, vnà cum reliquis, qui in familia sunt.

In Aduentu, vt Siluerij Pontificis decretum est, & præterea in Quadragesima singulis diebus Dominicis, sacram Communionem salutariter accipere studeant, clerici præsertim, & vitæ spiritualis studiosiores.

Duobus ante diebus, quàm sacra communio fiat, paterna cohortatione ab Episcopo ea de re familia præmoneatur.

30 Singulis hebdomadis, bis minimum, qui de familia sunt rudiores, & Christianæ fidei doctrina, & litteris ab aliquo instituãtur, cui id curæ Episcopus dederit.

Quo loco domestici, & exteri, domi ante cubiculũ Epi cõueniant, eo loco liber, aut de vitis Sanctorum, aut de spirîtualis vitę exercitationibus conscriptus, in mensa sit, vt, qui conueniunt, lectioni incumbere possint: nec verò inanibus confabulationibus se dedant.

Dùm familia cibum capit, lectio etiam adhibeatur.

Ne familia otiosa sit, ne inertiæ, aut desidiæ dedita; sed, aut in obsequio Episcopi, aut in honestis exercitationibus occupata.

A nugis abstinens, silentiũ, cum modestia cõiunctũ, seruare studeat

Abstineat autem vnusquisque qui in famulatu Episcopi est, cùm à flagitiorum hominum consuetudine, tum à locis, vbi turpiter viuatur.

Ne quis præterea foris pernoctet.

Ne rerum nouarum curiositates sectetur. Ne, quæ iocularia sunt, quæ ridicula, vnde cachinni, risusque solutiores excitantur, loquatur.

Conuiuia publica, commessationes laicales, frequentemque laicorum hominum consuetudinem vitet.

Libros ne habeat de rebus iocosis, scurrilibus, ridiculis, obscœnis impurisque conscriptos.

31.32 Super custodia familiæ Episcopus perpetuò stet, tum etiã bis quotannis visitet, semel ineunte quadragesima; iterum initio aduentus, eiusq; mores paternè inuestiget, ac uideat, vt vnusquisq; religiosæ, vitæq; spiritualis institutis congruenter uiuat. Si quos ad Christianas uirtutes progredi compererit, eorum studia, progressionesve spiritualis vitę adiumentis excitet, qui verò à bene agendi studio auersi sunt, illos moneat, atque obiurget; ac, si contumaces, incorrigibilesque inuenerit, domo eijciat.

33 Rursus Episcopus familiæ suæ confessarios sacerdotes, viros spiritualis vitæ vsu exercitatos, constituat: quibus etiam tamquàm

clericalis

clericalis disciplinæ, & sanctæ institutionis magistris illa vtatur.

Episcopo Missam celebranti, vel audienti frequens familia adsit.

Cùm in Ecclesia ad diuina officia ipse accedit, familiam quoque secum adesse iubeat.

Nihil denique ommittat, vt omnes domestici in omni benè, sanctèq; agendi officio se contineant.

34 Familiarium prætereà, cum ægrotant, magnam habeat curam.

Prouideat, vt illorum salutis animarum ratio in primis habeatur, tùm valetudinis recuperationi per medicum consulatur: neque verò impensis parcatur, ita vt ægrotantibus omnia ad conualescendum necessaria suppeditentur.

Illos etiam aliquando inuisat, tum salutaribus consilijs, & benignitatis officijs consoletur, quod Episcopalis charitatis officium, etiam infimis familiæ suæ præstet.

35 Vnusquisque autem de sua familia, ratione in mercede cõstituenda habeat, pro virtutum, meritorumque, & pro ecclesiasticorum fructuum dispensationis sibi creditæ ratione.

6. De Epõ episcopali iurisdi. & foro.

36 Vt autem familiam suam in bene viuendi regulis, atque officiis perpetuò contineat, deligat aliquem ex suis virum prudentem, spiritualisq; vitæ studiosum, cui id planè mandet, vt quæ in moribus familię emendationem aliquando desiderant, ea quam primùm sibi referat animo simplici, ac puro, vt ipse, prout opportunum esse viderit, remedium adhibere possit.

At prætereà quò diligentius familiæ suæ institutioni consulat, cùm fraternam etiam correctionem in eam instituendam curet, tum verò frequentes spiritualium rerum collationes, & alias exercitationes, disciplinę etiam regulas ex Conciliorum Prouincialium decretis præscribat.

Quas regulas in tabella ordine descriptas ipsi familiæ in cõspectu propositas certo loco affigi iubeat. Cùm verò aliquem in ea adscribet, illas eidem proponat, antequam in familiam illum adscribat.

4. De Epis.

37 Vt, quò sponte nos contendere studemus, eò etiam sanctis legibus, & cohortationibus, quasi stimulis incitati, adiutrice in primis Dei gratia, studiosius properemus, non solùm in illis vitę Episcopalis legibus, quas nobis in Concilio Prouinciali primo constituimus, insistere; sed longius in dies nos progredi oportet; cum ij scilicet nos simus, quibus proposita Christi Domini vita, nullus definitus sit progrediendi termi nis. In hoc igitur Concilio Prouinciali quarto hæc etiam illis addenda censuimus.

Primò Episcopi sibi, & gregi attendentes, in omnibus, vt est Apostoli præceptum, laborent, ac ministerium suum impleant; cunctaque

ad Dei

ad Dei voluntatem administrare vigilanter studeant, constanti virtutum Episcopalium officio.

Sicut autem præstantibus virtutibus Christianis, populi, quorum curam gerunt, ab ipsis instituendi sunt, ita optimam illam, quę in Episcopali animo castissimo, ad diuinasque suscipiendas illuminationes idonco, inesse debet, vitæ institutionem, euangelicis litteris explicatam, non verbis solum declarent, sed sanctissimis factis, è charitatis fonte manantibus, comprobent, exemplisque virtutum suarum in omnem sanctæ, veræque Christianæ uitę usum illos conformare diligenter curent.

38 In oratione, sanctisque meditationibus, cùm eos frequentes esse oporteat, certam sibi horam quotidie sumant, quam in contemplationum diuinarum studio, exercitationeque attentissimis religiosæ mentis cogitationibus ponat. Qua oratione non sibi ipsis tantum diuini luminis illustrationem deposcat; sed etiam pro fidelibus suę curę commissis, humiles preces fundant; eorum peccata deplorando, pioque gemitu, & religiosa supplicatione Deum orando, vt disiectis peccatorum nubibus, pluuiam, & rorem suę diuinæ gratię, ac misericordię effundat in hereditatem, & agrum ecclesię suę.

39 Domi item suę orationis vespertinę institutum introductum retinere studeant, ad quam ipsi, si modo aliquando impediti non sint, conueniant, tum planè familia omnis.

Missę sacrificium, &c. usque ad §. Diuinas laudes. Vide in titu. de Missi sine cantu ab Episcopo celebran. nu. 2. & 5.

40 Diuinas laudes, precesque horarias piè, decorè, studiosè, deuotèq; quantum eis Deus dederit, ac supplici mente recitent, ne uerò quicquam aliud agendo, debitum hoc munus obeant, id pro religionis studio ualdè caueant.

41 Dominicis uerò, festisque diebus ne Ecclesię desint, nisi infirmitate impediti, ad Concilii Aurelianensis prescriptum, atque alijs itē diebus, quò frequentius per alias quotidianæ pastoralis solicitudinis occupationes licebit.

42 Quod si in Ecclesia non possunt, impediti, domi tamen diuinum officium non continenter, sed aptis, conuenientibusque horis recitare studeant. Si uerò ne illis quidem horis licebit aliquando per negocia, videant, ut præueniendo potius, quàm tardando diuinis laudibus satisfaciant.

43 Confessarium sęcularem, aut regularem deligant, adhibeantve, qui uir sit sacra scientia, prudentia, spectatis moribus, & uitę sanctitate insignis: cuius etiam studio, & consilio, & precationis spiritu in rerum grauiorum deliberationibus aliquando uti possint.

44 Ne ommittant etiam sacræ Theologiæ, sacrorumque canonum, aliarumque Ecclesiasticarum doctrinarum officio, muneriq; Episcopali propriè congruentium, studijs quotidie statis horis operam dare, quotidieque aliquid ex sacris bibliis, potissimùm Episcopali fidei, religionique commissis studiosè legere, gentilium autem libris, ut Carthaginensis Concilij canone vetitum est, ne operam dent.

45 Officij prætereà sui esse putent, eos excipere, atque audire, qui ipsos, uel tamquam Iudices, uel tamquam parentes, vel consultores, adiutoresve adeunt.

Itaque his peractis, quæ ad diuinum cultum, religionis officia, & ad animi, spiritusque pia studia spectant, omnibus adeuntibus sese faciles, benignosq; præbeant, ita tamen, vt ne à grauitate recedant.

In adiutorio omnibus satisfacere studeant: ac ne infimos homines audire negligant, sed hos vel in primis, cùm adsunt, ad se accersant.

Expediant statim, quæ rectè possunt: omnibus, vel re, vel consilio, uel consolando, prodesse studeant.

46 Quæ ipsi possunt, ac debent, ad spiritualem curationem, & gubernationem diuinumq; cultum spectantia, hæc per se in primis præstare studeant: cetera, quę inferiora sunt, potius per Vicarios, ministrosve alios exequantur.

47 Auditorij negotiis postquam satis temporis dederint, tunc à prandio diem etiam distribuant, vt reliquis conficiendis opera ponatur.

Quicquid autem temporis animi relaxationi aliquando ob ualetudinem dabitur; id omne, uel in spiritualium librorum lectione, studioue, uel in consuetudine, & colloquio piorum, & eruditorum hominũ, spiritualisq; vitę amantium ponere studeant.

6. De Episcopo, &c.

48 Pro ea, qua Episcopus abundare debet, præstanti cura, proque illa perfectionis Episcopalis ratione, ad quam omnes eius rationes referuntur, nihil vel minimum ei prætermittendum est, quo munus, quod multiplex, graueque gerit, non modo sustinere, sed explere salutariter possit, aliorum etiam subsidiis ad officij sui executionem comparatis. Quamobrem duos sibi sacerdotes pietatis zelo flagrantes, spiritualiq; usu peritos, ac prudentes pro conscientiæ suæ religione, secreto in Ciuitate deligat, quorum sacerdotum officium in primis sit, Episcopum assiduè omni charitate, & humilitate, omniquè debitæ obseruantiæ officio priuatim sincerè admonere quicquid in eo, uel desiderare, vel opus esse uiderint, cùm ad omnis disciplinæ, tùm uerò ad sari Tridentini, nostrorumque Prouincialium Conciliorum perfectam, atque absolutam executionem.

49 Ob eam etiam causam aliquem Prouinciæ Episcopum item deligat, qui cùm aliquando per litteras pastoralis administrationis suę rationes

tiones

tiones,consilia,omnemque Ecclesiæ sibi commissæ bene gerendæ modum,familiariter communicet,ita vt hoc subsidio sibi in omni deliberatione,atque actione opem,atque adiumentum paret.

Vicini quoque Episcopi ad muneris sui functiones rectè progrediẽtes,exemplis se in dies ad id excitent,vt uno,eodemque spiritu, pariq; diligentia,immò verò sancta quadam, pastoraliq́ue piæ æmulationis contentione ipsi curæ suę partes exequantur; cùm hęc accensi studij coniunctio ad constituendam, perpetuoq́, communiendam omnem disciplinam permultum intersit.

50 Sin autem fratrem Episcopum,cuius diœcesis finitima est,aliquid uel in officij pastoralis partibus, uel in Tridentinis, Prouincialibusve decretis exequendis, vel in aliis officiis pastoralibus aliquid prętermittere animaduerterit, cum eo fraternè agat, ut omni vigilantia, decretorum,munerisque Episcopalis executionem præstet,quę eorum cuique præscripta est.

51 Si qñ aũt ad Epm Prouincię diuerret, cũ eoq́; congredietur, illud sibi magnum,prȩcipuumq́; negocium propositũ sit, ut cũ eo Ecclesię suę administrandę rõnes conferat,constitutionesq́; ineat: id quod sanctissimos Episcopos fecisse memoriæ proditum est.

52 Nec verò has solum rationes ineat; sed etiam longè diligentiores, quò accuratius commissa officia exequatur.

53 Hospitio,mẽsaue recipiendis ẽt illustribus, & locupletib. hoĩbus, ne prȩscriptam Epalis frugalitatis normam deserat, ut exẽplo suo ipsi quoque hospites incitentur ad frugalem uitę modum. 4. De Episcopis,&c.

54 Eleemosynis dandis prõptus ita fit,ut ꝓter illas, quas p eleemosinarium,alios ve largiri solet,ipse etiam,misericordiæ viscerib. indutus,manu sua in pauperes episcopali liberalitate conferat.

55 Quod de epõ excipiendo Clemens Pontifex,& martir,Apostolica quędam Constitutione scribit,& B. Ambrosius studiosè seruauit, id episcopi prouincię nostrę ad usum reuocare studeant,ut episcopum, qui aliunde uenerit,benignè hospitio accipiant; cum eoq́ue agant, vt die festo,si permanserit,sermonem in primis habeat. Est enim inquit, idem Clemens hospitis hortatio grata, atque vtilis. Hoc prȩterea, etiam si ille renuat,facere cogant sancta quadam in charitatis,ut populo benedicat. 5. De Epo epali iuris, & foro.

56 Si qñ aliquẽ ex Coepis nostris in belli,famis, pestis, aut alias eiusmodi necessitates,aut difficultates,quas Deus,pro sua pietate ꝓhibeat, publicas,uel priuatas incidere contingat; reliqui Prouincię nostrę epi opem illi afferre ne differant tum oratione, & publicis supplicationib. tum eleemosynarum, vt quisque poterit,largitione.

Tùm omnem etiam aliam rationem quisque ineat, qua fratris Episcopi,

scopi, ac eius etiam populi laborans calamitatibus: largè atque opportunè succurratur.

6. decreto, &c.

57 Quod Episcopus sanctè iuratus in sua consecratione promisit se singulis annis visitare limina Sanctorum Apostolorum, Petri, & Pauli, cùm longè ab Vrbe Romę absit, nec propterea id personalis residętię munere adstrictus, quotannis facilè prestare possit, certum saltem nuncium ex iusiurandi prescripto ad Vrbem Romam mittat, qui id obedientię officium nomine suo prestet.

58 Is verò, quem miserit, constituerit ve rectè instructus sit cognitione rerum ad Ecclesię suæ statum pertinentium, vt, & cleri sui disciplinam, & populi in via Domini progressionem; & omnis Ecclesię, diœcesis que suæ rationes Pontifici, aut ijs, quibus ille mandarit, quàm rectissimè exponat,

59 Metropolitanum, si quando febri, morbove periculosè laborauerit, Decanus Episcopus Prouincię, alij que Episcopi duo Prouinciales, qui propius adsunt, de illius inualetudinis periculo à Vicario illius certiores facti, nulla mora interposita, inuisant, fraterna charitate consolentur, salutaribus que consilijs opportunè viuent. Si verò illum obire contigerit, eius funus, exequias que itidem solenni cerimonia ritè concelebrent, ijs omnibus piè, rectèque seruatis, quę hoc de genere constituta sunt: eo que accuratius, quò prestatior est Archiepiscopalis dignitas.

60 Si quando eo febri, aliove morbo Episcopus laborat, ęgrotationis initio, ac deinceps aliquando, prout expedire censuerit, Cathedralis Ecclesię suę Capitulum, cum quo de spiritualis, sanctę que vitę officijs, ac studijs colloquia salutaria ineat, ad se conuocet. Quod verò à sanctissimis Episcopis huius Prouincię, pręsertim Ambrosio, Eusebio Vercensi, Gaudentio Nouariensi, alijs que factum esse memorię proditum est, id proposito etiam ad imitationem illorū exemplo, Episcopus exequatur, vt cùm periculosè ægrotans propediem mortem obibit, Cathedralis Ecclesię Capitulum, clerumq; ante conuocet, cui cum pacem, charitatem, Sanctarum que virtutum disciplinam suadeat, eamque quasi hæreditariam quandam disciplinam relinquat, tum & vniuersè, & sigillatim religiosis eorum precibus sanctis sacrificijs sese que intimè commendet,

61 Episcopus cùm ęgrotans in lecto iacet, frequentissimè tamen sacræ Eucharistię pabulo se salutariter reficiat, ac recreet, cui saltè cùm primum, & cum pro viatico illam sumet, & semper denique, nisi cui ipse secùs iusserit, uniuerso clero, & Capitulo cathedralis Ecclesię prosequente, Archipresbyter, aliusve deferat, & ministret, qui secundum Episcopum primariam dignitatem sacerdotalem obtinet.

Si

62 Si quando Epiſcopus ad actionem ſolennem, quę in alia Prouincię Ciuitate, locove celebratur, accedit; itidem excipiatur, vt eum excipi decretum eſt, cùm ad Concilium Prouinciale venit; ac prætereà obuiam ei procedat Epiſcopus, ad cuius Ciuitatem venit.

63 Epiſcopus, ad quem uniuerſi cleri ſui cura, etiam paterna refertur, zelo charitatis accenſus, ſi quem Eccleſiaſticum hominem etiam minoris ordinis intra alicuius parochialis vicinię fines ęgrotantem audierit; ipſe, aut alius, eius nomine inuiſat, & conſoletur paternis, & conſilijs, & officijs, quę ſi illi pręſtare debet, certè multò accuratius, atque adeò ardentiori dilectione exequatur erga eos, quos habet Baſilicę ſuę Cathedralis miniſtros, & Parochos in animarum ſalute procuranda adiutores.

Quò verò cumulatius id pręſtet, pro ſollicitudinis paternæ zelo id etiam curę ſuſcipiat, vt, cùm in ſtatis vrbis regionibus, tùm in diœceſis partibus diſtinctis, præter parochum, uel proprium, vel propinquiorem, de quo in altero Concilio alias cautum eſt, certos etiam ſacerdotes charitate flagrantes, vitæque ſpiritualis moribus, & vſu præditos decernat, quorum munus ſit ęgrotantibus clericis cuiuſcũque ordinis ſint, pręſertim ope deſtitutis, præcipuam operam, ſollicitudinem, & curam nauare ſi qua opus eſſe viderint, cùm in primis ad piè, ſanctèque iuuandam animę ſalutem, tùm ad corporis bene curandi rationem.

64 Epiſcopus, qui totis in Chriſto viſceribus egentium curam gerere debet, cùm cę teras rationes ineat, quibus in difficultate annonę populi ſibi commiſſi egeſtas ſubleuetur, tùm verò quàm diligentiſſimè caueat, vt in rei frumentarię inopia Eccleſiaſtici homines frumentum, aliudve alimenti genus, quod ad ſubleuandam annonam pertineat, ne ſupprimant, abſcondantve. At prętereà eos omnes, & ſingulos pęnis propoſitis, omniq; uiris remedio cogat, quicquid frumenti habent, ſiue proprium, ſiue alienum in priuatis, aut Eccleſiaſticis ędibus reconditum, apud Eccleſiaſticum hominem, quem, ſi ita expedire cenſuerit, eo nomine ipſe conſtituat, ſine dolo, & fraude ſcripto profiteri, eidēq; frumenti illius omnis numerum, & conditionem, rectè, ſincerèque denunciare. Et verò, ſi quando annonę grauitas, difficultasq; ita tulerit, id omne frumentum uenditioni exponi iubeat, ac vendi, quo pretio illius annonę temporibus in foro frumentario vendi ſolet.

65 Epiſcopus, qui cauſis, iure permiſſis, ſubſidium charitatiuum exacturus eſt, antequàm illud ſibi perſolui curet, clerum, eiuſve procuratores, aut negociorum geſtores conuocet, eisq; cùm cauſam exponat, quamobrem illud petere, atque exigere cogatur, tùm humaniter eoſdē cohortetur, vt ſibi ſponte ſubueniant. Ne verò, maiorem ſummam ſibi ſolui curet, aut patiatur, quam Benedicti XII. Conſtitutione, cuius 2.ti.3.dec.15

initium

initium est, vas electionis præscriptum est: idque nisi consuetudinis ratione aliud obseruatur. Qui contrà fecerit, hęc ei pœna sit, vt, & restituat quod perceperit, & aliam prętereà pœnam, iure expressam, luat Superioris arbitratum.

De vita, & honestate clericorum, eorumq; studijs, & spiritualibus occupationibus.

SVMMARIVM.

Vita clericorum, qualis. De vita & hon. Episc. nu. 1.

1 *Edictum ab Episcopo proponendum de clericali habitu deferendo, certa constituta pœna.*

2 *Quod edictum vbi adhuc propositum non sit, proponendum, & extendendum ad existentes extrà prouinciam, & in gymnasiis publicis.*

3 *Habitum clericalem qui deferre non possint. 2.*

Tonsura à quibus deferenda, & cuius forma.

4 *Eiusdem præscripta forma, pro cuiusque ordinis ratione.*

5 *Coma, & Barba* } *studiosè non nutrienda: eaque à superiori labro rescindenda.*

6 *Vestitus clericalis, qualis, cuiusque coloris.*

7 *Vestitus exterior, qualis.*

Qualis item interior. 9.

Quando vti liceat habitu breuiori. 11. & 20.

8 *Toga, Mantelletumve* } *quale, quibus concedatur, & quibus prohibeatur.*

10 *Pallium, seu Ferrarolum* } *quale, & quam ob causam concedatur.*

12 *Caligæ, Calcei, Crepidæ* } *quales.*

13 *Torques, Armillæ, Monilia, Annulus* } *eisdem prohibentur.*

14 *Annulus tamen quibus, & quam ob causam concedatur, & quando deponendus.*

15 *Quæ alia Episcopis præscripta, ad clericos quoscumque extendenda.*

16 *Vestes clericales, monachales q; personati inducentes, puniendi.*

Vestibus

17 Vestitus clericalis domi, qualis, qualis item fons. 19.
18 Qualis in ecclesia.
20 Qualis in itinere. & 11.
21 Clericis vestis lugubris vetatur; alterius ve formæ, quæ à clericali differat.
22 Superpelliceæ eorum qualia; ex decreto Prouinciali, & instruct. suppellectilis Ecclesiæ, & quando adhibenda.
23 Qui illa habere debeant.
24 Eis induti, vbi non morentur.
25 Clericorum, qualis incessus, qualisq; mores. 69.
Sacerdotes simplices, quando celebrent, & quando curati. De Missa paroch. num. 1. Et de Missa sine cantu, num. 29.
26 Si suspensi fuerint, quando communicent.
Alienæ diœcesis, qua ratione admittantur ad celebrandum. De Missis sine cantu. 30.
Diaconi, subdiaconi, & alij clerici, quando confiteantur, & cui; & quando Eucharistiam sumant. De Sacr. Eucharist. in Eccles. administr. nume. 33.
Ordinationis tempore alicui Ecclesiæ adhibentur. Quæ ad ordin. Sac. 89.
Parochum adiuuent in diuinis officijs celebrandis, & Missis decantandis. Ibidem. nu. 98. Et de parochijs. num. 52.
Et in docenda Christiana doctrina. De fidei initijs, num. 7.
Concionibus intersint, & quo habitu. De prædicat. ver. Dei. 16.
27 Arma clericorum, quæ.
28 Arma offensiua, & defensiua, quæ clericis prohibentur,
29 Quando permittantur.
30 Quæ omninò interdicuntur.
31 Clerici personati non incedent.
32 A choreis.
33 A venatione.
34 A fabulis, comœdijs, &c. } abstinebunt.
35 A ludo aleæ, tesserarum, globi.
36 A ludentium spectatione.
37 Pilæ parua ludus, qua ratione concedatur.
38 Conuiuijs, quibus non intersint. 40. in fi.
39 Conuiuas, quot, & qualis, secum adhibeant, quæ modesta frugalitas seruanda, quæ fercula paranda.
40 Nuptialibus in conuiuijs, laicalibus ve non canant.
41 Cauponas non adeant, vbi eas adire necesse sit et cum clericis rusticanis, mulieribus non discumbant.

47 Diuersorium in Vrbe parandum.
43 In eo, qui non recipiendi.
44 Improborum neci clerici non intersint.
45 Negocia sæcularia quæ à clericis fugienda.
64 Aduocutionis officiũ in foro sæculari, quibus ex causis permittitur.
47 Tabellionatus officium in profanis negotijs.
48 Ars medendi.
49 Negociatio cuiuscumque generis. } prohibentur.
50 Quæ tamen artes conceduntur. } prohibentur.
51 Conductio alienorum prædiorum. } prohibentur.
52 Tutela, curave. } vetantur.
53 Fideiussio. } vetantur.
54 Procuratio negotiorum alterius. } vetantur.
55 Famulatus laicorum, absque Episcopi licentia, & fœminarum associatio. 56.
56 Et quando ea licentia non concedatur. 67.
57 Ea ipsa sæcularia negotia exercendi facultatem habentes, illam exhibeant.
58 Decreta, ad vitam, & honestatem clericorum pertinentia, Episcopi cura obseruanda.
59 Clericus in eis peccans, vt castigandus.
60 Vt etiam Epō maledicens punitur. De vita, & honest. Episcop. nu. 4
61 Mulierum instructio in legendo, scribendo, canendo, &c.
62 Sacerdotes, vt se gerant in sacerdotali officio.
63 Vt ij à laicis venerentur Episcopi cura.
64 Vtque sacerdotalem dignitatem domi seruent.
65 Sacerdotes senes, & pauperes vbi sustentandi.
66 Vt clerus doctrina, & moribus præluceat, quæ cura Episcopi.
67 Clerici adolescentes in litterarum studijs exercendi.
68 Prouectiores, & parochi quibus studijs, & exercitationibus adscribendi.
69 A quibus conscientiæ casus illi percipiant.
Lectionibus, & sacrarum litterarum interpretationibus intersint. De prædic. ver. Dei, num. 16.
70 Reliqui ætate, & tarditate ingenij ineptiores in quibus occupentur, et instruantur.
71 Quorum opera ea instructio fiat.
72 Clerici imperitiores lectoribus, & docentibus commendentur.
73 Clericorum in litteris progressus, quando recognoscendus. 84. & 85.
Recognitionis quæ forma. De examine eorum recognoscendæ doctrinæ, nume. 1.

74 In cæremonijs, & ecclesiasticis ritibus probandi.
75 Sacerdotes deligendi, à quibus clerus vitæ Ecclesiasticæ moribus instituant.
76 Cleri conuocatio in singulos annos.
77 Conuocati in quibus probentur.
78 Eis sermo habendus de ordinis præstantia, officijs, & uirtutibus, quibus præualere debent.
Idem fiat pridie diei, quo sacra ordinatio fiet, ipsoque die.
79 Liber status cleri studij causa absentibus, quæ condõnes præscribendę.
60 Tempus, quomodo collocent diuinis officijs absolutis.
81 De hoc visitationis tempore inquirendum.
82 Otiosi, vt occupandi.
83 Quorum consuetudine vtantur.
84 A quorum familiaritate abstineant.
85 Peccantes, ut corripiant.
86 Testimonium de Sacramentorum vsu, de functionibus præstitis, &c. quando afferant.
87 Confessionem peccatorum generalem, & spirituales exercitationes obeant.
88 Horæ Canonicæ à quibus clericis recitandæ. 94.
Et quo ritu. De diuinis off. num. 9.
Breuiarij Romani noui ritu non vtentes, quibus pœnis afficiantur. Ibidem.
Infirmitatis causa, quando omitti possint. 94.
89 Beneficiati, eas omittentes quid amittant et ut cõtrà eos procedatur.
Quid item pensionarij perdant. 93.
90 Quando ob id beneficijs item priuentur.
91 Priuatio ipsa, qualem omissionem requirit.
92 Non beneficiati omittentes, in quo puniantur.
Bulla Pij V. contra non recitantes canonicas horas. De constit. nu. 4.
95 Clerici quatuordecim annorum, quos libros habeant.
96 Quos item parochi.
97 Libros obscœnos, & profanos non habeant, nec legant.
98 Quæ nec loquantur.
99 Iusiurandum qua forma ab eis præstandum.
Si in foro sæculari sint examinandi, quid curandum. De foro Episc.
Canonici, quibus in ædibus habitent. De Canonical. ædib. num. 1.
100 In quibus parochi, & qua noctis hora exire possint.
101 Mulieres secum non habeant.
102 Ædes ecclesiasticas laicis non locandæ, & quibus præcipuè.
103 Quando locari liceat.

104 *Inijs,facultate inhabitandi impetrata,non saltetur, neque spectacula agantur.*

105 *Ne item in illis hortis,& alijs locis,signa, & imagines obscœna habeantur.*

106 *Clericorum concubinariorum pœnæ.Beneficijs,qui beneficiati priuari possint,infrà 106.*

107 *Fornicariorum,item quæ.*

108 *Clerici concubinarij,fornicarij ve notorij,quando Apostolica dispensatione egeant.*

109 *Clericus alienæ diœcesis delicti alicuius reus, quando ad proprium Episcopum mittendus.*

110 *Clericus, ex licentia absens, quando Episcopum de suo reditu certiorem faciat.*

Monitiones ad sacerdotalem, clericalemque disciplinam, officia, & partes attinentes in Synodo diœcesana legenda, & quæ. De monitionibus,&c.per totum.

1.de clericorum vestitu, & reliq. vitæ erat. Sess.14. ca.6.

EPiscopi,& sacri Trident. Concilij auctoritate per edictum ad mensem ab eis proponendum,moneant oēs,& quascumq; ecclesiasticas personas, quæ aut sacris initiatæ sint,aut dignitatis,personatus,officia,beneficiave qualiacumq; ecclesiastica, etiam simplicia obtineant, etiam si studij causa absint,& in gymnasijs publicis, aut vbius locorum sint;vt qui in prouincia manent,ad duos mēses, qui verò extrà prouinciæ fines,ij ad quatuor clericalem habitum sumant,ordini suo, ac dignitati congruentem;hac constituta pœnâ,vt qui non paruerint,si in sacris ordinibus sunt, ab omni ordinū suorum munere sint suspensi,& beneficiorum suorū omnib.anni vnius fructibus iure ipso priuati sint:quos eps pijs locis arbitrio suo attribuet. Sin aūt beneficio ecclesiasticum nullum obtinent,aliàs pœnas luant, Episcopi iudicio.

Clem.1. qm̄, de vi.& hon. cleric. 3.de ijs, quæ partim ad ordi.sac.& c.

Si qui aūt post mensem transacto tempore in edicto ad clericalem habitum sumendum præscripto, eum, vel non suscepisse, vel susceptum abiecisse conuicti fuerint, officijs, ac beneficijs ecclesiasticis priuentur,& feuerè præterea ab Episcopo puniantur.

2 Epi,qui aut priuata monitione,aut edicto publicè proposito, vt ex Tridentini Cūcilii auctoritate à nobis prouinciali prima Synodo mādatum est,eos non monuerint, qui ecclesiastica quæuis beneficia obtinent, aut sacris ordinibus initiati sunt, vt clericalem habitum induerent mense post huius Concilij promulgationem, propositis edicto ēt publico pœnis, quæ ipsis Concilijs sancitæ sunt,eos moneāt, vt, etiam si extrà prouinciam, & in gymnasiis publicis sint, mensis spatio,

spatio, clericales vestes, ordini suo congruentes decenter induãt, ac deferant. Quos aũt ad id tpis non sumptisse, aut semel sumptas, deinde abiecisse cognouerint, illos pœnis in monitione expressis afficiat, eosq; iterum monitos, si in contumacia permanserint, beneficijs Ecclesiasticis, quæ obtinent, omninò priuent. Episcopi verò, qui iam eos beneficia Ecclesiastica obtinentes, semel, atque iterum monuerint, si ij præscripto tempore clericalem habitum non induerunt, vel iudutum deposuerunt, pœnam in monitione edictam, omnino exequantur, eosq; etiam beneficiis ecclesiasticis priuent, aut priuatos declarent.

Ne cuiquàm, antequàm prima tonsura is initiatur, clericalem habitum sumere liceat, sine Episcopi concessu, eoq; scripto dato.

3 Presbyteri, diaconi, subdiaconi, cæteriq́ue clerici, clericali tonsura sint insigniti, ad eam formam, quam ratio vniuscuiusq; ordinis, episcopi arbitrio postulabit. Ita sint abraso capillo, vt tonsura conspicua sit omnibus. 1. vt suprà.

4 De tonsura clericali decretum in Concilio prouinciali primo concecimus; sed, vt, pro ordinis, quo quisq; initiatus est rõne illã magnitudine distinctã, cõspicuè ferat, certam, atq; prefinitã illius formam hoc decreto describi placuit, quam omnes ita seruare iubemus, vt neque ea minorem, nec uerò etiam maiorẽ quisquam omnino, Episcopo inferior gerat, quacumque dignitate ille præditus sit. 5. quę ad cle. honest. attin.

Sacerdotalis igitur tonsuræ forma, in orbem ducta, latè, & amplè pateat vnciis quattuor.

Diaconalis vncia vna minor.

Subdiaconalis, aliquanto angustior, quàm diaconalis.

Minorum deniq; ordinum corona lata sit vndiq; vncijs duabus.

Vncia, aũt mẽsura est ad pscriptũ instructionũ fabricę ecclesiasticę.

5 Comam verò, & barbam, ne studiosè nutriant: capillis simplicem cultum adhibeant. 1. Clericorũ vestitu, &c.

Barba ab superiore labro ita recidatur, ut pili in sacrificio Missę, Christi Domini corpus, & sanguinem sumentem non impediant.

6 Ne in habitu clericali, aut studiosius exquisita cultus elegãtia, aut nimis abiecta negligentia, & affectatæ sordes appareant.

In omni vestitu color tantum niger adhibeatur, nisi fortasse alium colorem requirat dignitatis gradus.

Omnem habitus, & ornamenti nouitatem clerici fugiant.

Ne serico vestimento, aut ornamento domi, aut foris vtantur.

Iubemus verò illos laneum, & ei ordini decorum vestimentum adhibere.

Reticulum, aut subbiretum, vt uocant, ne ferant; nisi ualetudinis causa, & sine redimiculis.

Camisas ad collum, & ad manus crispas, & rugosas, vel artificio elaboratas reijciant.

Collare, quod dicunt, simplex, ac modice latum, honestè reclinetur.

7 Externa vestis simplex, ac talaris erit, quæ neque à cervicib. in tergum reflectatur; sed apto ad collum modo decentissimè annexa sit.

8 Toga verò, quod mantelletũ vocant, aut æquetur cum tunicæ longitudine, aut nemini permittatur: nisi sit ex numero Prælatorum, quibus ex dignitatis gradu, iudicio Episcopi debeatur.

2. n. 3. dec. 31 Vt quod de mantelleti vsu alias prouinciali Synodo per nos decretum est, exequutionem habeat, decernimus; vt ne quiuis alij, nisi Abbates, Referendarij, & Prothonotarij eo breuiori vtantur, quàm tunica talaris interior sit. Metropolitanæ autem nostræ, & aliarum huius Prouinciæ Cathedralium Ecclesiarum Canonicis, Præpositis item, & alijs clericis, ecclesiastica, aut doctoratus dignitate præditis, exterioris tunicæ, seu mantelli vsum concedimus, quod tamen interiorem tunicam talarem longitudine adæquet. Reliquis autem clericis, qui hoc decreto nominatim expressi non sunt, mantelleti, & mantelli vsu interdicimus.

1. vt suprà. 9 Interior eiusdem generis ad talos demittatur, quam tamen pro hominum genere; proq; loci natura, ac conditione, Ordinariorum arbitrio, in aliquibus moderanda relinquimus.

10 Pallium, quod ferrarolum appellant, ne sumant nisi per plunias: tùm verò nec à collo plus duobus digitis emineat: neque eo sine talari toga, vel tunica vtantur.

11 Verumtamen, si iter faciendum sit, illis vti liceat habitu contractiore, & ad iter accommodato, sed simplici, & in quo honestas, & decorum ordinis eluceat.

12 Turgidis caligis, & dissectis abstineant.

Calceos, & crepidas ad elegantiam non incidant.

13 Torques, armillas, ac monilia respuant.

Annulum non induant, nisi quibus propter officij munus aut honoris gradum sit iure concessus: quo loco, & unico, nec magni precij contenti sint.

4. De vita, & hon. cler. 14 Nulli sacerdoti, clericove annulum, nisi ea dignitate prædito, in qua conferenda ille sibi traditur, gestare liceat: tuncque unum solum, & digito dextere manus quarto. Eum verò, dùm Missæ sacrificium facit sacerdos, deponat.

1. vt suprà. 15 Quæcunq; autem de eporũ mensa, eiusq; benedictione, & cibis, lectione, & gratiarũ actione, suppellectili, auro, argento, & serico, cubiculorum apparatu, ædificiorũ magnificẽtia, superuacaneis sumptibus, priuata

priuata moderatione,templorum cultu,& ornamento, familiæ cura,& institutione,eiusque ~vestibus,eorumve modo,colore, & ornamentis, equorũ numero,& si quæ alia decreta sunt, quæ non sint Episcoporũ tantum propria,eadem à clericis quibuscumq; cuiuscuis conditionis,ordinis,& dignitatis sint,accuratè seruari iubemus; etiam si in alienis ædibus,aut cum propinquis habitent.

Meminerint autem in quibusdam,quæ Episcopis permissa, ipsis cõmunia esse possunt,eo maiorem sibi moderationem adhibendam esse,quo dignitatis gradu Episcopis sunt inferiores.

16 Si quis personatus,vestes clericales,aut monachales,~vel ad eorum formam induerit,& is,qui eas assumpserit,& is,qui accommodarit,graues pœnas subeant.

17 Vestes,quas domi priuatim clericalis ordinis homines inducunt, eiusmodi sint, quæ non colore,non ulla habitus specie à clericali modestia discrepent. 4. de vita, & hon.cler.

18.19 Cùm in ecclesia versantur, quo tempore superpelliceũ induere non debẽt,ne sint sine toga exteriori,præsertim horis, quibus diuina celebrantur;aut populus ad ecclesiam accedere solet: nec verò absque ea,etiam in diœcesanis locis prodeant,nisi cùm eos pedibus iter facientes,viæ difficultas,& longitudo aliter cogit.

20 Si quò iter equo faciunt: ne absq; viatoria veste exteriori æquitẽt, succinta interiori tunica,aut alia contractiori, decenter adhibita.

21 Clericus,qui amictu clericali indutus, incedit, ne in propinquorum, ne parentum quidem, obitu, ~vestes lugubres more laicorum induat, gestetque,neque ~verò uestis formam, aut panni genus, quo clerum vniuersum vti moris est, commutet; sed pium erga propinquos mortuos charitatis studium, officiumque præ se ferat omni alia ratione, quæ cum clericalis ordinis decoro, dignitateque omninò conueniat.

Superpellicea latis sint manicis, non angustis,instar rocheti. 1.Cõia de rat. diu.off.

22 Superpelliceis, cum ministerij vsus postulat, omnes vtantur, quæ non lacera sint,non sordida,non ita elaborata,ut artificij ornatus in humeris nimius appareat, 4.vt suprà.

Superpelliceum è tela lini,aut cannabi puri sit,eaq; nõ rudi,sed candida,non crassiori,sed tenui potius. Instr.supp.eccle.lib.2. De suppelliceo.

Manicis ita oblongis, vt crisparæ vsque ad digitos summos pertingant,quæ esse possunt cubitis circiter duobus,vel circa, latè autem patentibus in orbem cubitos circiter quattuor.

In ipso ore forma rotunda potius,quàm quadrata,latum pro capitis crassitudine.

A pectore nullo modo scissum, aut dissectum.

Longè ductum infrà genua, atque adeò ferè vsque ad crura media.

Latè pateat ab extremis oris in ambitum cubitis circiter tredecim vel circa, absumens cubitis octo circiter; ita vt aptè consutum, & crispatum decenter appareat, pro humerorum latitudine, corporisve crassitudine.

A nulla parte, neq; nimis, neq; affectata artificiosi operis elegantia elaboratum, ab humeris præsertim, non speciosо artificij ornatu.

4. vt suprà. 23 Singuli autem præterea, præsertim, qui in aliquo minorum saltem ordinum sunt, proprium superpelliceum habeant: quo, & in ecclesia, cui adscripti sunt, & alibi, cum ipsos suis fungi muneribus contigerit, vti possint.

3. de iis, quę pertin. ad ordi. Sacr. &c. 24 Ne sacerdos, neve clericus cuiusuis ordinis pro foribus Ecclesiæ itet, aut officinas obeat, aut via incedat, aut extrà ecclesiam exeat, superpelliceo indutus, nisi cum processiones, aut aliud Ecclesiasticum munus, & officium obit, quod superpelliceum requirat.

4. ibidem. 25 In omni item incessu, statu, gestu, vultu ordinem suũ sacerdos, & clericus profiteatur, omni clericalis vitæ actione, religiosi animi mores exprimens: qui in ecclesiastici ordinis hominibus elucere debent.

26 Sacerdotes Missæ celebrandæ munere suspecti, impeditive frequenter, & verò præsertim diebus Dominicis, ac festis sacram Communionem sumant.

1. De armis, ludis, spectaculi, & eiusmodi a clerico vitandis. 27. 28 Clericorum arma sunt orationes, & lachrymæ. Idcircò edicimus ne clerici arma cuiusuis generis ad offensionem, vel etiam ad defensionem ferant; exceptis cultellis ad domesticum vitæ vsum accõmodatis: nisi fortè extrà ciuitatẽ suspectis locis iter eis faciendũ sit.

29 Quod si Episcopus probabili, iustaq; de causa id eis permittendũ iudicauerit, tunc, scripta impetrata venia, ipsis vti liceat, non tamen publicè, nisi rei, aut facti necessitas postulet.

30 Omninò balista, hastis, & sclopeto, telis, alijsque huius generis instrumentis ipsis interdicimus.

31 Clerici personati non incedent.

32 Choreas priuatas, aut publicas non agent, nec spectabunt.

33 A venatione abstinebunt.

34 Fabulis, comędiis, & hastiludijs, aliisve profanis, & inanib. spectaculis non intererunt, ne aures, & oculi, sacris officijs addicti, ludicris, & impuris actionibus, sermonibusque distincti polluantur.

c. eps, dis. 35, c2. clerici, de vi. & ho. cler. 55 Clericalis ordinis hominibus omni genere saltationis, & ludi, præsertim uerò aleæ, & tesserarum, ac talorum interdicimus.

Prohibemus etiam globos, qui malleis ligneis impelluntur: item follis ludum, ideſt, pilæ maioris.

36 Nec solùm ludere vetamus, sed eos ludorum spectatores esse nolumus:

mus: aut quemquam ludentem in ædibus suis permittere.

37 Si autem ~valetudinis interdum causa parua pila, aut alio non indecoro eiusmodi exercitationis genere vti contigerit, nec publicè id faciant; nec pecunia intercedat in ludo, nec quidquam, quod facilè pecunia æstimari possit.

38 Non in commessationibus, & ebrietatibus; sed vt sobriè uiuamus, prædicat Apostolus; ideò clerici minus honestis conuiuiis nè intersint: neve ad bibendum quemquam incitent. c. a crapula & vita, & hon. cler.

Quod si interdum ~solennibus festis diebus, ~vel cum sacrorum, aut exequiarum causa in vnum congregantur, aliqui sint inuitandi, nè plures sex, & eos clericos, ad suam mensam adhibeant.

39 Quoniam superioris Cõcilii constitutione vetitum est quo tempore, ~vel sacrorum, ~vel funeris, exequiarumve causa in vnum clerici conueniunt, non plures ad mensam, quam sex, eosque clericos adhiberi, id multis locis facilè præstari non quæat, propterea quod Ecclesiæ sæpè longius inter se distent, graueque sit clericis de itinere fessis, manè ad Ecclesiam suam reuerti; ideò liberum sit parocho, tot conuiuas habere, quot sanè in mensam adhibere par esse iudicauerit, & pro temporis ratione, laicum etiam hominem, quem christianæ pietatis studiosum, etiam sacerdotali conuictu, consuetudineque dignum norit, a mensa non excludere: modo ea seruentur; quæ in parochialibus conuentibus de frugali, clericalique modestia nostris Constitutionibus præscripta sunt: tùm sacra item lectio in mensa perpetuò adhibeatur. 2. tit. 2. dec. 33.

Quod verò de mensæ frugalitate, & ferculorum numero aliàs superiori Concilio decretum est, id omninò sic seruetur, vt etiam si ~vel ~vniuersitati, ~vel cuiuis alii, pacto, consuetudine ve, aut ~vltima quauis voluntate certis quibusdam diebus cibum à Sacerdotibus parari oporteat; in eo ab illa Decreti ratione ne vllo modo discedat, nec sacra lectio in mensa desit.

40 Sacerdotem, clericumque cuiusuis ordinis in canticis, hymnis, psalmis, cæterisque Ecclesiastici cultus officijs, religiosa modulatione concelebrandis, diuinisque laudibus sanctè concinendis ita uersari cõuenit, ut uoce sua, sacris dicata, abuti non debeat ad prophanas cãtiones, & modulationes, atque ad voluptarias, delitiosasque laicorum oblectationes. Quam ob rem caueat, nè in nuptialibus, laicalibusve cõuiuijs, aut mẽsis canendo operam suam nauent, nè ullo quidem, vel cognationis, vel amicitiæ, familiaritatis, obsequij, alteriusve rei causa, cum præsertim clericalem hominem inter epulas canere, veteri canone planè interdictum sit. 1. de uita, & hon. cler.

Omnis

Omnis etiam sacerdos,clericusve publica conuiuia, & commessatio nes eiusmodi uitet, quibus sæpè fit, ut contemptui sit ecclesiastici ministerii dignitas.

1.Ibidem. 41 Vt flagitii occasionem,quæ in cauponis,& tabernis deesse non solet, clericis adimamus, cauponarum aditu, & ~usu eis omninò interdicimus, nisi in itinere, necessitatis causa: quo loco cum mulieribus nè discumbant.

42 Monemus autem Episcopos,& vehementer hortamur, vt in singulis eorum ciuitatibus curent parandum vnum aut alterum publicum,& honestum diuersorium,quo suarum diœcesum clericis rusticanis necessitatis causa conuenire liceat.

43 Nec in eo hospitio improbis,aut nequam hominibus locus sitneve fœminis vllo modo;sed tantum clerici,ac religiosi viri,si fieri possit, in eo recipiantur.

4.de vita, & hon.cler. 44 Nè,cum neces,& cruciamenta, improbis hominibus magistratum iudicio illata multitudini spectanti proponuntur, vllo modo ecclesiastici ordinis viri interfint;nisi eorũ pia opera, consolandis q; officiũ ~usui futuram illis sit,qui ad supplicium ducuntur.

1.de negociis sæcularib. a clerico fug. 45 Qui Deo militat,implicare se negocijs sæcularibus prohibetur;idcircò edicimus.

c. 1. de postulando. 46 Nè clericus sacris initiatus, aut ecclesiastico beneficio præditus,coram iudice sæculari aduocati,aut procuratoris nomine causas agat:nisi ab aliis in iudicium vocatus,suam ~vel ecclesiæ suæ, propinquorum é, si necesse erit,& miserabilium personarum causas,ab Episcopo facultate prius scripto concessa,tueatur.

c. peruenit 86.dist. c.sicut ne clerici vel Monast. 47 Nè in prophanis negocijs officium tabellionatus exerceat.

48 Nè artem medendi faciat.

49 Nè in negociationibus, & mercataris se interprætem,& medium interponat.

Negotiationem etiam omnis generis omnino prohibemus.

50 Artes ~verò honestas concedimus, ut aliquid manibus suis lucretur,quo sibi,quæ ad victum necessaria sunt,comparare possit.

86. dist. per tot. 51 Nè aliena prædia,lucri causa.conducat.

86. dist. per uenit. 52 Nè aliorum tutelam,aut curam suscipiat.

c. peruenit& cap. constitutus d fideiuss. 53 Nè pro aliis fideiubeat.

54 Nè alicuius Principis,aut alterius negotiorum procurator sit, sine facultate, ab Epo prius per litteras impetrata,singulis annis renouãda.

Nève

55 Nève parum memor ordinis, ac dignitatis suæ, sit in famulatu laicorum, etiam Principum, eorumve, quibus suis alijs obsequiis, nisi cui ex causa, & ad officium, sacerdotali munere non indignum, Episcopus huius rei potestatem ante scripto fecerit. c. sacerdotibus ne clerici, vel monachi, &c.

56 Huiusmodi autem licentiæ, scripto permissæ, quotannis renouentur; alioquin irritæ, ac nullæ sint.

℣. Nève præcursor, aut assecla fœminarum, aut eis discumbentibus adsistat, aut ancilletur.

57 Qui huiusmodi sæcularia negotia exercendi facultatem, seu dispensationem impetrarit, intra duos menses episcopo exhibeat.

Qui concessas ante Sacri Tridentini Concilii confirmationem auctoritate generalis Bullæ Sanctissimi Domini Nostri Pij IIII. Pont. Max. non admittat.

58 Quæcumque in hac ℣niuersa, quæ ad vitam, & honestatem clericorum pertinet, parte, ℣ariis titulis expressa, præcepta continentur efficiat Episcopus, vt ea omnia ab omnibus, ad quos spectat, diligenter, & inuiolatè seruentur.

59 Qui verò clericus, cuiusuis etiam gradus; ordinis, dignitatis, in aliqua re iis non obtemperarit, is aut salutari pœnitentia, aut pecunia, aut suspensione ab ordinum munere, & beneficiorum administratione, aut ipsis etiam beneficiis, aut carcere, aut exilio, aut pluribus simul ex iis pœnis, aut etiam grauioribus pro modo culpæ Episcopi arbitratu mulctetur.

Qui iterum in eadem re peccarit; duplicata is pœna pro ratione criminis ab eodem plectatur.

60 Que in Concilio prouinciali primo ijs, qui sacris ordinibus, & Sacerdotio initiati sunt, quique ecclesiasticum beneficium obtinent, de sæcularibus negotiis fugiendis constituta sunt, eadem pœnis iisdem, ℣el aliis, quas arbitratu suo Episcopus edixerit, irrogatiuè, illis præscribimus, qui minorum ordinum clerici sunt; etiam si nullum beneficium obtinent, si modo clericalem vestitum deferunt, cum præsertim iam inde vsque à teneris annis se religionis pietatisque institutis, & disciplinæ ecclesiasticæ moribus, imbuant, oportet, qui in sortem Domini vocati sunt. 5. quæ ad cler. hon. att.

Atque in iis, quidem, quæ illis vitanda sunt, hæc etiam cautio sit, nè sine Episcopi concessu, eoque litteris exarato laicis in seruitute, famulatuve operam nauent.

Nec verò cuiquam clerico etiam facultatem det Episcopus in aliqua re inseruiendi, quæ clericalicalis ℣itæ rationibus, pietatisque officiis non admodum conueniat.

61 Clerici in eo officio nè se exerceat, ℣t ullas mulieres etiam quauis 2. tit. 2. decr. 32.

digni-

dignitate illustres, doceant legere, scribereve, aut canere, aliove cuiusuis generis musico instrumento sonare nisi ii sint, quibus ętate, moribus & vita probatis, Episcopi iudicio id permissum est, facultate ab eodem scriptis data.

Nè libris item, de musico cantu obscenè, vel parum pudicè scriptis, illi vtantur.

3. de ijs, quæ Pert. ad ord. Sacram. &c.

62 Qui in sacerdotio sancto constituti sunt ad offerendum illud Deo acceptabile Corporis Domini Sacrificium, sicut eam functionem gerunt, qua nulla maior excogitari potest; ità in omni sacerdotalis vitę officio sic se gerant, ut morum etiam præstantia, & splendore alios alliciant, atque excitent ad debitum sacerdotio honorem illis pręstandum.

Sess. 14. c. 5.

63 Episcopus autem, cuius in primis est sacerdotalem dignitatem tueri, vt laici homines discant illos, tamquam parentes, ab ipsis vnice in Christo diligi, & coli etiam debere, cū hoc sæpe, prout vsu venerit, monendos fideles, sibi commissos, curet, tum efficiat, ut vbicumque, vel publico, vel priuato loco sint, semper illis à laicalibus ordinis viris debitus tribuatur locus, & honor.

64 Idem domi prętereà suę nè patiatur sacerdotem quemquam abiectius se gerere, quàm sacerdotis dignitas postulat.

65 Sacerdotes verò morbo, senectutisve incommodis affectos, qui sacerdotale munus pręstare nequeunt, inopiaque pręmuntur, in locum aliquē cogi curet, aut alio modo eis cōsulat, & prouideat: vbi uictus ex fidelium eleemosynis, aliaue ratione suppeditetur, ne ostiatim miserrimè mendicent non sine sacri ordinis contumelia.

66 Magna, & salutaris populo fideli utilitas ex eo existit, cum clerus is est, qui, & doctrina, & uitę moribus pręluceat.

Quare in pręcipuis curis Episcopi cum hęc esse debeat, eius tum ad studia, tum ad ecclesiasticę disciplinę cultum progressiones, omni paterna sollicitudine ille adiuuare studeat.

67 Itaque Episcopus inferioris ordinis clericos adolescentes, qui spē aliquam prębent, posse eos longius progredi ad doctrinarum eruditionem, nè patiatur ętatem, quę ad discendum apta est, frustra consumere: sed in iis litterarum initiis, ac studiis tempus ponere iubeat, quibus aditus eis, & progressio fiat, uel ad Theologię scientię, uel sacrorum canonum peritiam, ad ecclesiasticarumque rerum cognitionem.

68 Parochus uerò, & alios prouecta ętate clericos, qui apti sint, ijs studiis, atque exercitationibus adscribat, ut & in sacrosancti euangelii sensibus iis potissimum cognoscendis, ac percipiendis uersentur, qui ad populum Christiana disciplina, moribusque informandum pertinent, & in comparanda etiam doctrina se exerceant, quę in explicandis

candis eſt conſcientiæ caſuum quęſtionibus.

69 Iubeat Epiſcopus clericos frequenter audire magiſtros, qui caſus conſcientiæ in monaſteriis, vel vbiuis, eius iuſſu interprætentur. 1. quæ pert. ad ſacr. pœn. adminiſtr.

70 Reliquos autem, de quibus aut ob ingraueſcentem ætatem, aut ob ingenij tarditatem, ob aliamve cauſam, ad litteram doctrinam capeſcēdam exigua progreſſionis ſpes eſt, in id ſaltem incumbere iubeat, vt in Romano, vel alio breuiori probati auctoris Catechiſmo, pro eorum ingenij captu, inſtruantur: iique ſi rudiores, iam olim ſacerdotio, alicuive ſacro ordini adſcripti ſint, in ſacrificij Miſſæ myſteriorum, & ſacrorum rituum, ſtatarumque cæremoniarum cognitione, & in ſanctioribus earum ſignificationibus, atque in ſui ordinis eccleſiaſticarum functionum diſciplina, breui aliqua inſtitutionis ratione erudiantur. 3. de iis, quæ pert. ad ord. ſacr. &c.

71 Hanc autem diligentiam, & in vrbe, & in diœceſi Epiſcopus exequatur, tum omni, qua poterit, ratione, tum aut opera publicè docentiū, theologorumve, ſeu magiſtrorum, qui in ſingulis Cathedralibus, collegiatiſque inſignium oppidorum eccleſiis ex Tridentino Decreto iam inſtituti, inſtituendive ſunt; aut adiumento regularium, in monaſterijs ſacras litteras interprætantium, ſiue hoc ipſum munus bonarum artium diſciplinis clericos erudiendi ſuſcipientium, aliqua illis ſtudio ſuo erogata, attributave eleemoſyna, vel ſi opus erit, ab iiſdem etiam Clericis, contributa, aut ſæcularium ſacerdotum, quos in ſua vrbe, diœceſive peritiores probatioresque habuerit ſtudio. Seſſ. 5. c. 1.

72 Quorum ſacerdotum charitati, ac diligentię clericos imperitiores, aut ſingulos, aut complures ſimul, litteris, & Clericalium virtutum diſciplina inſtituendos commendabit.

73 Diligentię huius fructus quò vberior exiſtat, is aliquando per annum, doctis adhibitis viris, illorum ſingulorum ad ſtudia progreſſiones, prout expedire exiſtimarit, recognoſcat omni paterna ſollicitudine, & diligenti ratione, inſtitutis etiam per Sacerdotes homin s doctos pro ſtudii ratione, diſciplinarum, quibus ſe eorum quiſque dederit, interrogationibus.

74 Cognoſcat etiam aliquando progreſſum, quem in ſacrarum cærimoniarum rituumque diſciplina iidem fecerint, opera adhibita ſacerdotum eccleſiaſticarum cærimoniarum vſu peritorum, a quibus eos ex alterius prouinciali Synodi decreto inſtrui iuſſerit.

75 Epiſcopus ſacerdotes aliquot vitæ integritate, & ſcientia probatos in vrbe deligat, a quibus Clerici inferioris ordinis ſæpè conuocati, vitę Eccleſiaſticę moribus inſtruantur. 2. tit 2. decr. 29.

76 Eos autem ipſos Clericos vniuerſos, ſemel atque iterum ſaltem quotannis Epiſcopus ad ſe item conuenire iubeat; vt progreſſiones intelligat, quas quiſque eorum ad litterarum cognitionem, tùm ad vitæ ſpiri-

tualis

tualis disciplinam fecerit.

3. Ibidem. 77 Deinde, ut non solum in litterarum studiis, atque exercitationibus, verum etiam in disciplinę morum officiis clerus se studiosius contineat, in diesque magis ad Clericales ℣irtutes progrediatur, idem, & inferioris ordinis Clericos, ut altera prouinciali Synodo iussum est, & Sacerdotes prętereà, modo vniuersos, modo partem eorum, modo certos aliquos singulos ad se aliquando conuocet; illorumque uniuscuiusque vitę rationes, christianarum ℣irtutũ exercitationes, & progressus cognoscat adhibitis sacerdotibus, in ℣itæ spiritualis, clericaliumque virtutum disciplina exercitatis.

78 Conuocato prætereà sępè per annum, ut alias iussum est, ad se clero, aut ipse, aut sacerdos aliquis, ℣ir doctus, in ecclesiasticaque disciplina versatus, eius nomine ad illum, remotis laicis, sermones, concionesve habeat de ordinis eorum pręstantia, & sanctissimis officijs, de virtutibus, quibus clericalis ordinis homines prælucere debent, de ℣itiis, quibus in populo offensionem præbere possunt, de omni denique Clericali morum disciplina, virtutumque perfectione.

Quod sequitur ℣sque ad sequ. decretum videatur in titulo, quę ad ordinis sacramentum, num. 86.

79 Cleri autem sui, & doctrinę, & disciplinę ratio, quo sibi exploratior sit, singulorum tum sacerdotum, tum inferioris ordinis clericorum nomina, vitæ rationem, studia, exercitationes, progressiones, statum omnẽ denique certo libro notari mandet.

4. de uita, & hon. cler. 80 Illud autem ℣nusquisque Clericus sæpè repetat, se non ad inertiam atque ignauiam, sed ad spiritualis, & Ecclesiasticæ militiæ labores vocatum esse.

Sciat propterea id in officio suo positum esse, vt cum vel in officiis diuinis obeundis, vel in frequentandis Ecclesiis, quod debet, tempus consumpserit; si quid sibi reliquum est, id omne non in rerum sæcularium colloquiis, prophanisque actionibus, sed in diuinarum litterarum studiis, & in cælestium rerum contemplationibus, & sanctis, piisque officiis traducat.

81 Quare vnusquisque huius prouincię Episcopus, & alii item, qui illius nomine, atque auctoritate visitationis munus obibunt, videant, atq; inquirant diligenter, quibus in rebus tempus; Clerici, ad in iis potissimum, quę ab illis agi, curarique debent, qui in Dei cultum se dediderunt.

82 Quod si Clericos aliquos otiosos esse compererint, inita aliqua ratione, salutaribus eos occupationibus, & Ecclesiastico homine dignis incumbere procurent, ac prouideant omninò, nè isti ad suæ salutis discrimen, & aliorum offensionem otio aburantur.

Omnes

83 Omnes præterea,& singulos clericalis ordinis homines hoc decreto monitos esse ~volumus,ut ad eos se crebrò conferant, qui in sacerdotio constituti, in spiritualis vitę studiis, exercitationibus versati, atque eiusmodi sunt,de quorum Consilio vitam ad omnes sanctè,religiosè q; agendi rationes instituant.

84 Ab illorum autem,qui in vitiorum luto ~volutati, se maleficijs pascunt,familiaritate abstinere,cum eos omnes iubemus,tum præcipuè minorum ordinum clericos,qui nondum ætate confirmata sint,neque firmo virtutum robore muniti,procliuius ad ~vitia prolabuntur.

85 Ad illud non modo prohibemus,sed diuina contestatione obsecramus ecclesiastici ordinis homines, eos præsertim, qui in Sacerdotii gradu constituti sunt, quive animarum curam gerunt, ut quos in vitiorum fœce versari animaduerterint,cautè,& sapienter studeant a peccatis,flagitiisque deterrere,& ad virtutem cohortari; eisdemque in scelerum gurgite laborantibus opem ferre,verbis, consiliis,exemplis, atque ita quidem, ut dum illos iuuare conantur, nè se familiaritate inquinent.

86 Quo diligentius cleri in omni ecclesiastica disciplina progressus constet, vnusquisque sacerdos, & cuiusuis ordinis clericus, de frequenti sacramentorum vsu, de functionibus in Ecclesia præstitis, de lectionibus, studiorumque progressione,de cæteris exercitationibus,sibi præscriptis,testimonium ab iis singulis, quibus ex præscripto accipere oportuerit,singulis mensibus,uel alio statato tempore per Episcopum statuendo,afferant,idque ad constitutam rationem.

87 A Sacerdotibus,ab iisque etiam,qui prouectiori ætate sunt, hoc si nunquam per ipsos anteà præstitum est,ominò præstari peroptamus, ut cum omnis ante actæ vitæ suæ peccata diligenter, ritèque confiteantur, tum spiritualium exercitationum,prout iis,qui subdiaconatum, vel diaconatum, uel sacerdotium susceputi sunt, præscriptum est, studium aliquando suscipiant, quo diligentius in via salutis sibi prospiciant.

88 Malitiæ, ac negligentię Clericorum, qui, quas debent, Canonicas horas dicere ommittunt, occurrere cupientes, ex decreto Leonis X. in Lateranensi Concilio mandamus,vt clericus quicumque Curatum, vel sine cura Ecclesiasticum obtinens beneficium,si post sex menses ab eo die,quo illud obtinuerit,sine iusti impedimenti causa diuinum officium non dixerit, beneficiorum fructus suos non faciat, sed eos, tamquam iniustè perceptos,in eius ecclesiæ fabricam, vel pauperum eleemosynas erogare debeat. 1. de Canonicis horis nõ interuitt.

89.90 Si ~verò,canonicè admonitus eadem negligentia, ac malitia perstiterit,beneficio priuetur.

91 Officium autem amittere, ut beneficio priuati possit, is iure dicatur,

tur, qui quindecim dierum spatio bis illud omiserit.

Quæ pœna ab iis, qui plura obtinent beneficia, toties repetenda est, quoties huius delicti conuicti fuerint: quamquam illud grauius est, & eos omissi officii rationem Deo reddere oportet.

92 Qui uerò, sacris initiati, beneficiũ Ecclesiasticũ non habent, si diuinum prętermiserint officium, præter graue peccatum, quod committũt, grauiter etiam ab Episcopis in eos animaduertatur.

3. de iis, quæ pert. ad ord. sacr. &c.

93 Quod ex Concilio lateranensi vltimo a nobis prouinciali prima Synodo contrà Clericos iustum est, qui Ecclesiastica beneficia obtinẽtes, Canonicarum horarum officium intermiserint, id ex Pii etiam V. Põt. Max. constitutione, qua hoc diligentius cautum est, contrà eosdem Episcopus agat.

Ad cuius etiam constitutionis præscriptum eum item mulctet, qui pensionem habens Canonicarum horarum officium de Beata Maria Virgine dicere omiserit.

4. Ibidem.

94 Sacerdos, clericusve sacris initiatus, aut ecclesiasticum beneficium obtinens, horarum Canonicarum officio cum adstrictus sit, meminerit se febri, morbove aliquo, uel aduersa valetudine leuiter aliquando laborantem, non iustam propterea excusationem habere, quamobrem illud intermittat, omittatve.

Itaque si quando corporis infirmi affectus est, ipse pro sua conscientia rectè videat, qui præstare possit, ac nè ommittendo grauiter peccet, & beneficii, si quod habet, fructus suos non faciat.

1. qui libri potissimũ à clericis legendi.

95 Clerici, postquam decimum quartum annum attigerint, ut legem Domini, in cuius sorte sunt, dies, noctesque meditari possint, habeant sacrorum librorum, si non copiam, certè necessarium delectum; omninò verò Testamentum uetus, & nouum, Cathechismum Romæ edendũ, cum primum in lucem prodierit, Sacrum Tridentinum Concilium, Cõstitutiones has nostras, & Diœcesanas proprii Episcopi, Calendarium festorum dierum, quod Episcopi in sua Diœcesi singulis annis edendũ curabunt.

4. de vita & honest. cler.

96 Parochi verò, ut ecclesiasticos ritus cognosuere, rectèque curam animarum ministrare possint, præter eos libros, quos suprà diximus, sibi etiam comparent Homiliarium, ab Episcopo eligendum, summam Antoninam, uel aliam ab Episcopo delectam, & quos præterea ab eis legi Episcopus iusserit.

Hortamur autem, ut in lectione Pastorali Sancti Gregorii, & sancti Ioannis Chrysostomi de Sacerdotio assiduè versentur.

97 Ne clerici apud se libros habeant, aut legant, quorum lectione bene agendi studium, morum disciplina, & timor, charitasque Dei languescere possit; quales libri sunt, qui res, uel inanes uel iocosas, uel scurriles,

riles, ridiculasve, vel impuras continent.

98 Rerum nouarum curiositates fugiant: tum nè, quæ ridicula sint, vnde Cachinni, risusque solutiores existunt, loquantur.

99 Reliqui autem Ecclesiastici homines, utpotè clerici inferiorum ordinum, Subdiaconi, Diaconi, & Præsbyteri, si iurare necesse habent, id tactis sacris litteris agant. 5. quę ad cleri disciplinam attinent.

In causis porrò leuibus, ubi opus est, iurent, manu scilicet pectori admota, si modo superior præsens non adest, quo præsente, contactis scripturis iusiurandum præstent.

100 Rectores parochialium, seu Curatarum Ecclesiarum, quicumque sint, in earum ædibus tantum habitent, ibique cibum, & somnum capiant, nisi aliud Episcopus censuerit ex causa necessaria. 1. de clericali ædibus.

Clerici, nè de nocte post primam horam, nisi esi iusta causa, & cum lumine, domo exeant.

101 Quoniam non solum malum cauere, uerùm etiam omnem mali suspicionem fugere oportet, nè in cuiusque offensionem incurramus, in ædibus ad Canonicorum, aliorumve Clericorum domicilium, & vsum ædificatis, aut aliis, in quibus ipsi habitant, fœminas quascumq; etiam quouis sanguinis cognationis, aut affinitatis uinculo eis cõiunctas habitare prohibemus: nisi Episcopus in alicuius vrgenti necessitate, aliter faciendum esse nixerit, cuius conscientiam in hoc valde oneramus.

102 Nè parochi, aut omninò clerici, quauis etiam dignitate prædicti, Ecclesiæ, etiam si commendata sit, ædes, aut earum partes in vrbe, aut in oppidis positas, in quibus ipsi habitare soleant, aut debeant, ullo modo Laico locent: nisi Ecclesia magna præmatur inopia, & ea domus cõmodè Episcopi iudicio diuidi possit.

103 Si verò ædes extra vrbem, & oppida ruri sitæ sint, locandi facultatem habeant, modò earum diuisio eiusdem Episcopi iudicio rectè, & commodè fieri possit.

Caueat etiam Episcopus, nè in vrbe, aut extra, huiusmodi ædes, vel aliæ ab Ecclesia seiunctę, vel etiam si patrimonii sint, ac propriæ, locentur iis, quorum fidem, uitam, moresve suspectos esse iudicauerit.

104 In quibus Ecclesiarum ędibus ad Rectoris vsum, & domiciliũ, constituus, & laici præterea, facultate impetrata habitant, in iis, nè propter nuptias quidem saltetur, neve comœdiæ, aut spectacula agantur. 2. tit. 2. decr. 24.

105 In oris, ædibus, aliisve Ecclesiarum, aut Ecclesiasticorum hominũ locis, si signa, imagines, aut picturæ sunt, quæ procaces, vel vllo alio modo aliquam obscęnitatis, turpitudinisve speciem prę se ferunt, ita reconcinentur, ut offensionem oculis nè prębere possint, aut tollantur, 3. de ijs, quę parum ad ordinis sacram. &c.

deleantur,ex omni loco,ubicumque extant,neq; in posterum eiusmodi aliquo modo effingantur,aut pingantur.

5.quæ ad cleri discipl.att. 106 Si quem cuiusuis ordinis Clericum Episcopus concubinam,mulieremve eo nomine suspectam habere,aut illius consuetudine, commercioue uti,compererit,in eum pœnis à sacris Canonibus ,vel statutis Ecclesiæ suæ impositis animaduertat: quod si monitus speciali monitione secundo deliquisse repertus fuerit,tertia pars fructuum, prouentuumque suorum beneficiorum , quo ipso facto priuatus existit, iuxtà Sess.25.c. 14. Decretum Sacri Tridentini Concilii fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco,arbitrio Episcopi applicetur.

Sess.21. ca. 6. de Refor. Si autem in eodem delicto perseuerans secundę monitioni nõ paruerit,omnibus suorum beneficiorum fructibus priuatus , prædictis locis similiter applicandis, ab ipsorum etiam administratione eiusdem Episcopi arbitrio suspendatur,& distributiones quoque quotidianas, quas alioquin interessendo diuinis perciperet,amittat:

Et si ità suspensus nihilo magis resipuerit,in eum episcopus pro contumaciæ pertinacis ratione, culpæve grauitate sententiam priuationis omnium beneficiorum proferat,& indignus,atque inhabilis ad quæcumque beneficia,& officia declaretur, & præter prędictas pœnas excommunicatione,& aliis,ad prescriptum eiusdem Concilii, & pro ipsius Episcopi arbitrio plectatur.

Liberum autem erit Episcopo,monitiones has facere, tum in Visitatione,tùm aliis etiam temporibus,inter vnam,& aliã monitionẽ, tempus,quod sibi videbitur,interponendo, procedatque ex denunciatione,vel ex Inquisitione,vel ex officio,vel alio quouis modo:& prędictã executionem nulla exemptio,aut appellatio,siue ante,siue post diffinitiuam sententiam ullo casu suspendat.

sess.21. ca. 21. cap.2. 107 Hęc eadem,quę de concubinatu , uel aliis impudicitię sordibus Clericorum statuta sunt,seruanda erunt , etiam si quis clericus modo cum vna , modo cum alia impudica muliere deliquisse comprehendatur.

108 Quoniam clerici in fornicationem prolapsi,quorum peccatum eiusmodi notorium est,per sententiam,seu per confessionem factam in iure,aut per euidentiam rei,quę terginersatione aliqua celari non possit:aliquando tamen ante,& sępè numero post pœnitentiam actam, ordinis , quo initiati sunt , proprium munus sine dispensatione obeunt: quippe cum fortasse non animaduertant, neque Dei offensionem, neque Canonicum impedimentum,quo ob tale crimen sese deuinciunt: idcirco Clerum cum sępissimè, omnique studio,periculi huius Episcopi commonefaciant,tùm hoc etiam diligenter curent, ut ii ipsi Clerici,vsque adeò manifesta concubinatus , fornicationisve labe contami-

nati

nati pœnitentiam verè peragant,& ordinis sui muneris, a quo suspensi sunt,fungendi facultatem, dispensationemve ante obtineant, quàm illud ipsi obeant:alioqui meminerint ii,qui in malè agendi consuetudine perseuerantes,antequam pœnitentiam præstiterint,& cuiuscumque vel peccati, vel offensionis publicę occasionem præciderint, ordinis sui functionem,ministeriumve Episcopo inuito executi sint,se præterea irregularitatis maculam,quę a solo Summo Pontifice deleri potest, suscipere. Si verò præstita etiam pœnitentia,& peccati , offensionisque publicę remota,præcisaque occasione,id ipsum egerint, nulla saltem impetrata ab episcopo dispensatione,qui eam concedere potest,norint se peccato mortali illigari.

109 Episcopus Clericum alienum, qui in propria diœcesi deliquerit , & ad suam diœcesim confugerit,proprio illius episcopo petentem , & sibi de clerici,qui deliquit,citatione,& contumacia, aut condemnatione fidem mittente,comprehendi,& ad illum mitti curet,idque sumptibus petentis.

110 Qui,impetrata ab ecclesia discedendi facultate,aliquandiu abfuerit,mensis saltem spatio,postquam redierit,episcopum de suo ad ecclesiam reditu certiorem faciat,quod si neglexerit,perinde censeatur , ac si non legitimè abfuerit.

Cætera ad parochos Sacerdotes,& alios Clericos pertinentia, videantur in tit.de Parochijs,de Canonicalibus,& parochialibus,& copiosius in Indice,verbo,Parochus,Sacerdotes,Diaconi,Subdiaconi,Clerici.

Finis Libri Tertij.

CONSTITVTIONVM ET DECRETORVM Synodalium Prouinciæ Mediolanensis.

Liber Quartus.

De Ministris Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1 *Ministris Ecclesiæ omnibus certa muneris ratio præscribitur.*
2 *Canonici tres initio anni deligendi, qui de officialium, & ministrorũ creandorum moribus inquirant.*
3 *Suum munus ipsi per sese obeant.*
4 *Ministrorum singulorum officia quę hac prima prouinciali Synodo explicanda.*
5 *Munera alia communi iure, vel Ecclesiarum statutis illis attributa seruanda, uel restituenda.*
Idque Episcopi cura censuris propositis. 8.
6 *Canonici duo ab Episcopo adhibendi ad assignandum singulis proprium munus, quibus certum attributum non est.*
7 *Beneficijs quibuscumque immunibus pristina munera restituenda imponendaue, aut ea vnienda.*
9 *A quibus absentiæ facultatem petant.*
10 *Quibus ipsa licentia non prosit.*
11 *Canonicorum pactio, colluſio, remissiove sublata.*
12 *Quando permittatur: cum limitatione ex Quinto.*
13 *Distributiones quotidianæ tenues, qua ratione augendæ.*
Præsidens Choro tridui licentiam Canonicis, & ministris concedere potest supra num. 9.
14 *Diuinis officijs persoluendis quid præstet: quos obiurget, quosque Episcopo deferat.*
15 *Negligens in officio suo a quo puniatur.*
16 *Si tale officium institutum non erit, qui eo fungatur, & quando amoueri possit.*
Is solum in choro, in Ecclesia, & Sacristia iubeat communia de rat. diu off. num. 27.

Licentiam concedit carico alium substituendi, alioſque ſubſtituit, in mũ sionariorum locum, infra num. 21. 47. & 48.
Corripit inobedientes, & Episcopo defert, num. 30.
Obiurgat magistrum chori, num. 32.
Probat causam absentis a choro. De diu off. 75.
Birreto in choro vtentes monet, ne vtantur. Ibid. nu. 36.
Quæ alia moneat, ac faciat. Ibidem.

17 Canonici in choro vnà cum alijs canant.
18 Ex ijs constituendus hebdomodarius.
19 Is si suo muneri defuerit, quid amittat.
20 Eorum in diuinis officijs, & Episcopo celebrante munus.
21 Canonicatibus munus sacri ordinis annexum, per eos obtinentes exercendum.
22 Ordo sacer vbi annexus non sit, annectendus.
23 Non ipsis Canonicis, sed Canonicatibus, & in quibus id locum habeat.
24 Canonicorum dimidia pars, dignitatibus exceptis præsbyteri sint.
25 Sacer ordo qui Canonicatui est annexus a Canonico illum obtinente, ſuſcipiendus.
26 Non ſuſcipiens, eo priuatus declarandus.
27 Canonici quo tempore capitula non habeant.
Canonicorum quæ ratio ſedendi, & collegialiter incedendi. Quæ ad capit. pert. num. 10.
28 Magister cæremoniarum seu chori, Officium, Antiphonas, Psalmos, Lectiones recitandas denunciet.
29 Quando item ſtandum, ſedendum, &c.
30 Quos admoneat, & erudiat. Is ab omnibus audiendus.
31 Tabellam conficiat de tempore, & ordine, quo quiſque Miſſam celebret, & alia munera obeat.
32 Si in officio deliquerit, à quo obiurgetur, & puniatur.
33 Si tale officium in Eccleſia non ſit qui ad id, & a quo conſtituendus.
34 Vbi verò, & chori Magiſter, & Magiſter cærimoniarum fuerit, quid ab eorum ſingulis præſtandum.
Quos Miſſæ ritus inſtituere debet. De Miſſis ſine cantu, nu. 47.
Magiſter cærimoniarum in vnaquaque plebe item conſtituendus, qui Clericos in Miſſæ cæremonijs, & diuinis officijs ritè obeundis inſtituatur. Ibidem. nu. 50.
35 Sacriſtæ officium in ſacris vaſis, & veſtimentis cuſtodiendis conſiſtit.
In renouanda ſæpius acqua benedicta. 37.
36 In rebus ad diuina officia præparandis.

38 *In ornando Altari maiori.*
39 *In dandis Canonicarum horarum ſignis.*
40 *Ad quem vſum in Sacriſtia tres tabellas habeat.*
41 *In rebus, & ſermonibus in anibus è Sacriſtia remouendis.*
42 *In Laicis item excludendis.*
43 *Quæ alia obſeruet in celebranda Miſſa.*
Sacriſta abſq; facultate ordinarij id officiũ non exerceat. De diu. off. 69.
44 *Manſionarij columnæ chori.*
45 *Munus ſuum accuratè obeant.*
46 *Quale illorum munus.*
47 *Si defuerint, quid ammittant. 52.*
48 *Vtque muneri ſuo commodius ſatisfacere poſſint, a quibus oneribus liberandi.*
49 *Quod eorum ſtipendium.*
50 *Duo ſingulis hebdomadis eligendi.*
51 *Quale ipſorum duorum officium.*
Manſionarij, qua ratione approbandi ad vis diſtributionum capiendarum. De diſtribut. num. 14.
Si muneri ſuo defuerint, a quo punctentur. De Punctoribus. 29.
Quoquo modo ſupputatio, & ſolutio fiat diſtributionum eis ſpectantium Ibidem 33.
Punctatoris officium. De Punctatoribus.
Theſaurarij officium quale, & quo tempore perſeueret. De diſtribut. num. 21.
52 *Cuſtodes eccleſiæ obſeruent contra decorum Eccleſiæ delinquentes.*
53 *Quæ ornamento eccleſiæ officiunt, prohibeant, & arceant.*
54 *In Eccleſia pernoctari non patiantur.*
55 *Vigilent, nè Altaria ſpolientur.*
Laicos homines de rebus profanis Concilia, & parlamenta publica habere non permittant. De religioſa in Sacris locis conuerſatione, nu. 3.
Colloquia, congreſſus, & deambulationes in eæ non tolerent, Ibid. 4.
Id munus nè exerceant, niſi approbati, & ex licentia Epiſcopi. De diu. off. 69.
56 *Functiones minorum ordinum ad vſum reuocandæ.*
57 *Et quibus in Eccleſijs; infrà quod tempus, à quibus, quo ſtipendio, & qua ratione, quæque diſciplina præſtandæ. 59. 60.*
Eæ ordine traditæ à Metropolitano ædendæ: quæque aliæ. 60.
In tabellamque redigendæ: & loco Eccleſiæ publico proponendæ. 61.
58 *Iis conſtitutis, qui liberi eius ab ipſis functionibus.*
Functiones minorum ordinum clericatibus etiam imponendæ, 5. numero 7.

Ab ijs quoque exercendæ qui Ecclesiasticos ordines suscipiunt. Quæ ad ord. sacr. pert. num. 89.
Et qua ratione. Ibid. num. 91. & 93.
A designata Ecclesia discedentes, vt puniantur. Ibid. nu 96.
Rector Episcopo referat an illæ præstentur. Ibid. 94.
Testimonium ab eodem Rectore de eis præstitis quale. Ibid. 95.
Quæ aliæ functiones non præstandæ absque licentia, & approbatione. De diu. off 69.

61 *Ostiarij officium est fores Ecclesiæ custodire.*
62 *Ecclesiam claudere, & aperire.*
Obiique certa constituenda hora. De religiosa in sacris locis conuersatione. num. 5.
63 *Infideles, &c. eiycere.*
64 *Populum impedire, nè ad Sacerdotem celebrantẽ propius accedat.*
65 *Campanas pulsare.*
66 *Dormientes, vendentes, deambulantes, &c. monere, & expellere.*
67 *Mendicantes excludere.*
68 *Ecclesiam verendam curare.*
69 *Bruta expellere.*
70 *Aliaque in decentia amouere.*
71 *Lectoris in ecclesia munus quale.*
72 *Pueros Christianam doctrinam edoceat.*
73 *Exorcistæ munus qui exercere possint.*
74 *Exorcismos memoriæ mandent.*
75 *Ne exorcizent Episcopo inconsulto, & facultate scripto non impetrata. 78.*
76 *Episcopus uero, id non promittat, nisi ætate, & moribus exorcitaturi probatis.*
77 *A quibus exorcitaturus caueat, & quæ seruet.*
79 *Antequam exercitare incipiat, quid perquirat.*
80 *Nullum donum capiat.*
81 *Vbi exercitet.*
82 *Et quibus præsentibus, quibusque absentibus præsertim si mulier exercitetur.*
83 *Quando exorcismus adhibendus.*
84 *Duobus eodem tempore non adhibendus.*
85 *Vt hoc munus religiosè exerceatur q̃d agendũ si inferior, vel Sacerdos sit.*
86 *Energumeni, antequam exercitentur, confessi sint.*
87 *Mulieris energumenæ caput, corpusve, vt non tangendum.*
88 *Liber in exercitando, qui adhibendus.*

89 *Regulæ exorcismorum tabellionatæ, vbi proponendæ.90.*
91 *Acoluthi functiones subdiaconum, & Diaconum affectari illisque inseruire.92.*
93 *Lumina accendat,& deferat.*
Vrceolos vini,& aquæ pro Missa præparet.
94 *Acoluthi muneris restituendi ratio.95.*
Comitetur Episcopum,& quando 96.

1. de Ministris Eccles. & diuin. officiis.

1 NE studium,ac pietas eorum,& qui celebrant, & q audiunt diuina officia,perturbetur, neque quisquam alieni muneris partes vsurpet,sed suũ,quisque officiũ diligenter exequatur,omniaq; vt debent,in domo Dei ordine fiãt:decreto Sacri Trid. Cõcilii obtemperantes,qđ in prouincialibus Synodis certam diuinis officiis, & Ecclesiæ ministris formulam pro cuiusque prouinciæ ritu, & moribus præscribi voluit,hæc statuimus,

sess.24. c. 12. 1.communia de Min.str.

2 Cathedralium,& collegiatarum Ecclesiarum capitula, quibus ius est creandi cuiusuis generis officiales, & ministros in eisdem Ecclesiis initio anni semper tres diligant Canonicos,quorum munus sit, cum huiusmodi creatio facienda erit,prius diligenter,de eorum, qui creandi erunt,moribus inquirere, deinde coram Episcopo iurare eos, quod ipsi sciant,probos,idoneos,& dignos esse,qui ei muneri pręponãtur. Quod si aliter officiales creentur,eorum creatio nulla,& irrita sit.

Conc. Trid. sess.24.c. 12. in fine.

sess.24. c. 13. ver. omnes verò-

3 Archidiaconi, Archipręsbyteri, aliique in dignitate ecclesiastica constituti, Canonici, & reliqui ecclesiarum ministri in Sacris Ecclesiæ officiis munus suum ipsi obeant,non per alios exerceant.

4 Singulorum autem munera,atque officia, ad res diuinas obeundas pertinentia,hac Synodo explicanda illa quidem videbantur, sed, quoniã,quę iis de rebus Sacrorũ Canonũ legibus olim explicata sunt,ea partim vsu eorum neglecto,obscurata sunt,partim pro varia,& locorum,& temporum ratione iam pœnè omninò mutata videntur,non certa quædam præcepta tradi,ac præscribi facilè possunt. Ad quorum sanè rationem omnis vniuscuiusque eorum munerum regula,atque vsus dirigeretur,eam ob causam his nostris decretis, & tantum munera præscribenda censuimus,quæ ad Ecclesiarum,quę in nostra prouincia sunt, administrationem hoc tempore pertinere,vel maximè viderentur.

5 Sed quæcumq; alia ēt munera,vel cõi iure,vel ꝑbatis cuiusq; Ecclesiæ Constõnibus,uel dignitatũ,personatuũ,portionũ, aliorũve officiorũ Ecclesiasticorũ institutione,ipsis Ecclesiæ ministris in officiis diuinis attribuũtur, ea oĩa magna cura,summaq. diligentia studeant Episcopi ab omnibus seruari,& quæ antiquata sunt,ad vsum reuocari.

Nec

Nec verò ab ijs præstandis cuiquam se propterea excusare liceat, quòd his nostris constitutionibus ex ijs officijs aliqua alijs ministris, vel alio nomine appellatis, adscripta sint.

6 Quòd si aliqua dignitas, personatus, aut officium in Ecclesia fuerit, cui neque ab institutione, neque à iure communi, neque à proprijs constitutionibus, quæ probatæ sint, neque his decretis proprium munus in diuinis officijs sit attributum, aut quod sit non satis constet, Episcopi, duobus adhibitis de Capitulo, quorum alter ab Episcopo, alter à capitulo deligatur, assignent singulis dignitatibus, & officijs propriũ munus, quemadmodum cum sententia sacrorum canonum, & cum propriæ ecclesiæ probatis constitutionibus, & cum his sanctionibus pro ratione loci magis congruere iudicabunt.

7 Cęteris etiam beneficijs, quæcumque iam ab Ecclesiasticis officijs immunia reperiuntur, siue canonicatus, siue clericatus, siue etiam simplicium nomine appellentur, iis Episcopus pristina munera restituat: ac, si non constat satis, qualia ea essent, pro fructuum ratione onera imponat, aut Missas, diuinaque officia celebrandi; aut si clericatus, simplicia ve beneficia sunt, minorum etiam ordinum functiones obeundi ad diuini cultus propagationem. Nec verò tamen vetamus, quin talia beneficia venire Episcopo liceat ex facultate, sibi communi iure, Concilioque Tridentino permissa.

8 Ea verò officia, & cętera, quæ in diuinis rebus à nobis hac Synodo præcipiuntur. Episcopi, propositis censuris, & alijs pœnis efficient, ut ab omnibus ea ratione, qua dictũ est, diligenter præstentur.

9 Ne multis Ecclesiæ ministris eodem tempore absentibus diuinus cultus deseratur; Canonici, & qui præterea choro, uel Ecclesię addicti sunt, quo tempore eis à iure communi, vel à sacro Trident. Concilio permissum est, vt ab Ecclesia abesse possint; à Præsidente chori, si triduo reuersuri sunt, si diutius abfuturi, ab ordinario facultatem discedendi petant. Sess. 24. c. 12.

Si quid prętereà ab eo, qui discessurus est, eius Ecclesiæ constitutiones requirunt, in eo constitutionibus pareat.

10 Nemini autem ita prosit absentię licentia, vt eo tempore distributiones quotidianas percipiat.

11 Nisi etiam constitutione Bonifacii VIII. & Tridentini Concilij auctoritate decernimus, vt nulla canonicorum, aut aliorum pactio, remissio, vel collusio fiat; factave vim habeat, nullumve statutum, aut consuetudo, quæcumque illa sit, valeat, quibus aut absenti quauis de causa eius diei, vel sacræ horę, in qua muneri suo defuerit, aut omninò cuiquàm contra, quàm iure communi, & eiusdem Tridentini Concilij, & his nostris constitutionibus definitum sit, distributiones quotidianæ

c. consuetudinẽ, de cler. non resid. sess. 24. c. 12. sess. 22. c. 3. Ex Quarto etiam de distributionibus, §. siverẽ.

dianę dari possint. Si datę fuerint, qui acceperit, suas non faciat, sed eas restituat, quę iure ipso accrescant alijs inseruientibus, qui huiusmodi pactioni, remissioni, collusioni, vel prębitioni assensi non fuerint, nisi ex constitutionibus Ecclesię probatis, alteri debeantur. Si verò omnes an senserint, vsibus Ecclesiæ iam tunc addictæ intelligantur.

12 Declaramus autem in his excipi eos, qui ob infirmitatem, vel aliam necessitatem, aut manifestam Ecclesiæ vtilitatem ex ipsa Constitutione Bonifacij, aut sacris canonibus, vel Tridentina Synodo excusantur.

13 Efficiant Episcopi intra sex menses, vt in Ecclesiis Cathedralib. & Collegiatis, in quibus vel nullę, vel tenues sunt distributiones quotidianę, tertia fructuum pars omnium dignitatum, & canonicatuum, aliorumq; reddituum, quemadmodum à Tridentino Concilio prędictum est, in quotidianas distributiones conuertantur.

Sess. 21. c. 3.

14 In Cathedralibus, & collegiatis ecclesiis, qui choro prędet, vigilet diligenter, ne quid prętermittatur in diuini officij institutione, vel progressione, vel in reliquis, quę ad probatã chori rationem pertinent, & aliis, quę communibus, vel proprijs constitutionibus in diuinis officiis obeundis prescribuntur. Neve absurdè, indecorè, vel prępostèrè quidquam fiat. Si qui suo officio non satisfaciunt, eos grauiter, & amanter obiurget: si non resipuerint, iubeat punctatorem in libro illos describere, & ad Episcopum deferre, cui dignas pœnas pendant.

1. de off. eius qui choro p̃sidet.

15 Sin ipse in suo munere obeundo negligens fuerit, ab Episcopo, vel ab alio, qui ecclesię prędit, puniatur.

16 Si quę autem ecclesia non habet, qui huic muneri nominatim prępositus sit, vel si habet, is non adsit in choro, Prędidentis officio fungatur, qui primo chori loco tunc sedet ex ijs, qui dignitates, aut canonicatus in ea Ecclesia obtinent.

Prędectus chori, vbi ex antiqua, probataq; ecclesię institutione nominatim nemo est, neque alius item, quem huic muneri Episcopus prędecerit, eiusmodi officio fungatur, vt primo Concilio Prouinciali cauetur, qui digniori chori loco sedet: verò quò ad alium ei muneri ab Episcopus arbitratu suo prępositum. A quo officio quandocumque cum amouere, tùm rursus confirmare Episcopo liberum sit. Qui autem ex antiquo probato instituto gerit, si ei curę, ac vigilantię minus aptum, aut negligentem, aut alias non rectè, vtiliterque munus suum prędantem animaduerterit, illum amouendi, & eidem muneri, illius loco, alium prędiciendi, ius item, & facultas omnis eidem Episcopo liberè competat.

4. quæ perti. ad sanc. Missę sacrif. & diu. offic.

5. de ijs, qui Dignit. Perso

17 Qui dignitates, aut personatus in Ecclesijs obtinent, & Canonici nomi-

nominis, ac institutionis suę memores ea pietate, & assiduitate diuina officia colere debent, vt alij eorum exemplo ad studium, & amorem diuini cultus accendantur. natus, aut Canonicatus habent.

Itaque auctoritate etiam Tridentini Concilij pręcipimus, vt, cùm in choro psallendum est, ipsi quoque quantum honoris gradu ceteris prestant, tanto studiosius psalmis, hymnis, & canticis, vnà cum aliis modulantes, Dei laudes concelebrent. Cui officio si defuerint, pro absentibus habeantur, & earum horarum, quas ea ratione non obierint, distributionibus mulctentur. Sess. 24. c. 12.

18 Constituatur ex Canonicis Sacerdotibus hebdomadarius, qui diebus infrà statutis Missam & Vesperas canat: cui octauo die succedat alius eiusdem ordinis: idque semper, aut in orbem fiat, aut alio modo, pro Ecclesię consuetudine.

19 Is, si suo officio defuerit, trium dierũ distributionibus careat, quas Episcopus arbitrio suo, vel ceteris, choro operam dantibus, diuidat, vel in locorum piorum vsum conferat: tributa tamen aliqua parte canonico, qui collegę munus expleuerit.

20 Reliqui canonici decoro cantu, antiphonas exordiãtur, quas Mansionarius dictarit.

Si celebranti Episcopo, aut alia Pontificialia exercenti, diligenter non adsisterint, & inseruierint, pœnam subeant, quę ei uidebitur. Sess. 24. c. 12.

21 Quibus canonicatibus, prębendis, dignitatibus, aut personatibus, & officijs adiunctum est munus aliquod presbyteri, diaconatus, aut subdiaconatus; qui ea obtinent si, quemadmodum à Tridentino Concilio prescriptum est suo officio per se non fungantur; priuentur eius officij distributionibus, in quo muneri suo defuerint, nisi legitimè impediti, impetrata licentia ab eo, qui choro prefederit, vel superiore ordinario, per alios satisfecerint. sess. 22. c. 4. sess. 24. c. 12.

22 Quibus autem canonicatibus, ac portionibus non est annexus ordo presbyteratus, diaconatus, & subdiaconatus, ijs Episcopus, cũ consilio capitali, singulis singulos ordines annectat, quemadmodum à Tridentina Synodo prescriptum est. sess. 24. c. 12.

23 Quod de ordine sacro annectendo, iam pridẽ decreto Concilij Prouincialis primi ex Tridentina Synodo constitutum est, id in executionis vsum ita ab Episcopo inducatur; ut, uel presbyteratus, uel diaconatus, vel subdiaconatus, non ipsis quidem canonicis, sed canonicatibus, & portionibus singulis, quæ in Cathedrali Ecclesia sunt, annectatur: nec verò annexionis decretum locum habeat in illis canonicatibus, prębendisve, quibus in fundatione iam certus ordo annexus est. 5. de initiandis ord. Sac. Ibidem.

Quod

sess 22. c.4. 24 Quod autem canonicorum saltem dimidia pars, cautum est, vt sacerdotio, presbyteratuve initietur, in ea, cùm dignitates non censeantur, totidem canonicatus sacerdotales constituendi sunt, quot prescriptam illam dimidiam partem saltem conficiant.

25 Vbi primùm unicuique, vel canonicatui, vel portioni sacer aliquis ordo annexus ab Episcopo est, ad eum ordinem suscipiendum, canonicus etiam, qui iam illud obtinebat, compellatur.

26 Si quis autem monitus, non susceperit, priuatus ab illo declaretur ad eiusdem Tridentini Concilij prascriptum.

3. vt suprà. 27 Canonici quo tempore diuina officia, celebrantur, non habeant capitula, nisi fortasse aliter euidens necessitas postularit. Qui contra fecerint, distributionem ne capiant eius horæ, in qua id commiserint.

Neque etiam diebus festis capitula habeantur, nisi probabilis causa intercesserit.

1. de officio Magistri chori, & cærem. 28 Chori, vel cærimoniarum magister, siue alio huiusmodi nomine appelletur, qui diuinis officiis celebrandis tamquam magister est, denunciet officium simplex, vel solenne celebrandum.

Quando de Dominica, de festo, vel de feria.

Quæ antiphonæ, orationes, psalmi, lectiones recitandæ, aut canendæ.

29 Quando standum, sedendum, caput submittendum, aut flectenda genua.

30 Omnes ecclesiæ ministros sui officii admoneat.

Adolescentes, vel rudes, quibus Euangelium, Epistola, vel aliquid eius generis publicè recitandum sit, prius in Sacristia audiat, & erudiat.

Eum omnes audiant, qui non audierint, ab eo, qui choro præsidet, corripiantur; & si opus erit, ad Episcopum deferantur.

31 Tabellam in sacristia figendam conficiat, in qua præscribat quid à singulis canonicis, vel aliis beneficiatis in singulis horis per hebdomadam, aut etiam per plures dies recitandum, cantandumve sit. Qui, quo tempore, & ordine Missam celebrare, vel horas dicere, aut alia munera obire debeant.

Qui autem, quod ei in tabella præscriptum fuerit, non fecerit; in quam horam peccarit, eius distributiones amittat.

32 Si magister in officio suo deliquerit, à Præsidente chori obiurgetur, & ab ordinario puniatur pro delicti modo.

33 Si in aliqua Ecclesia non fuerit huiusmodi officium Episcopus, capitulo adhibito, ad id constituat clericum aliquem probatis moribus, & in diuinis officiis exercitatum, cui stipendium det, communibus

munibus etiam sumptibus, si opus erit.

34 In qua verò ecclesia fuerint Magister cęremoniarum, & magister chori distincti, suas cuique munerum partes ex his regulis Episcopus, de capituli consilio, arbitrio suo attribuat.

35 Sacrista habeat custodiam sacrorum vasorum, vestimentorum ecclesiasticorum, & totius thesauri ecclesiastici. 1. de officio sacristę.

Vasorum, vestimentorum, instrumentorum, & ornamentorum omnium altarium, & reliquorum omnium munditiæ, nitoriq́ue consulat. Eiusdem curæ sint, lumina, cęra, & oleum.

36 Vinũ, hostias, candelas, & coreos, cęteraq́; è sacristia necessaria ad diuina officia præparet.

37 Aquam benedictam singulis hebdomadis, uel etiã sæpius, si opus erit, ipse renouet, vel ab aliis renouandam curet.

38 Altare maius, & oĩa alia, præcipuè diebus festis, decenter ornet.

39 Hora congrua ipse, vel alius eius iure, campanæ sono det signum matutini, missæ, & aliarum horarum canonicarum

40 Habeat in sacristia tres tabellas; vnam, in qua omnes Missę, & officia pro mortuis, & reliqua descripta sint, quæ ex imposito onere, aç munere, quacunque de causa in ea ecclesia celebrari oporteat; alterã, in qua vniuscuiusque dignitatis, canonicatus, præbendę, capellę, altaris, seu alterius beneficii, & officii eius Ecclesiæ in Missis, & aliis diuinis officiis obeundis debita munera contineantur; tertiam, quam suprà diximus à magistro chori conficiendam esse. Curetq́ue, vt quæ tribus his tabellis prescripta sunt, munera, à quibus debet, omninò prestentur.

41 Eiusdem officium erit operam dare, vt è sacristia sermones de inanibus, profanisq́; rebus, multòque magis iurgia, rixa, & turbæ omnes arceantur.

42 Laicos ibidem versari ne patiatur.

43 Nemini permittat, ut sacris vestibus induatur, nisi tũc, cum ei Missa celebranda sit.

In ijs, qui primo, qui secundo loco, qui deinceps Missam celebrare debeant, ordinem tabulę seruandum curet.

Si quis autem suo tempori prestò non fuerit, uel ei, quem absens suo nomine substituerit, uel proximo post absentem, suo arbitrio, Missę locum det.

Duobus autem ad summum, potestatem faciat eodem tempore parandi se ad Missę celebrationem.

44 Mssionarij, qui chori sunt, quasi quędam columnę, totum ferè horarum, ac diuinorum officiorum pondus sustinentes, munus suum accuratè obeant. 1. de off. Mãsionarii.

Cùm

46 Cùm oportuerit, ad lectorile accedant, vt antiphonas, respõsoria, gradualia, & alia huius generis canant.

Solennibus festis diebus, & quoties opus erit, pluuialia induant, nisi alij nominatim huic officio præfecti sint

47 Si muneri suo defuerint, illius horæ, in qua non satisfecerint, distributione priuentur, & alij eius arbitratu, qui choro præsidet, illorũ officij partes suscipiant.

48 Idem, vt muneri suo commodius satisfacere possint, ab ijs oneribus liberentur, quibus ad chori vtilitatem, magistri cęremoniarum, & eius, qui choro præsit, arbitrio leuandi videbuntur: neque quo tempore diuina officia in choro fiunt, paruam Missam celebrent, nisi necessitas postularit.

49 Eisdem episcopi honestum stipendium cõstituendum curent. Qđ si illis etiam dantur distributiones, eodem tempore, quo canonici, pro officii, & laboris modo eas percipiãt.

50 Ex mansionarijs duo in singulas hebdomadas deligantur; idq; in orbem fiat, nisi aliud probatus ecclesiæ mos reqnirat.

51 Horum alter officiũ ordiatur, & pficiat, cõsistens in medio choro, uel ad lectorile, qđ ab ea parte sit, vbi is fuerit: Missam ẽt festis diebus semiduplicibus canat, nisi alij sint ei muneri præpositi.

Alter psalmorum tonũ instituat pro tẽpore, & antiphonarum, quæ ubi legendæ fuerint, ab ipso tantũ, uel solum ab alio legantur. Diebus verò festis in decantandis antiphonis, canonicis, & alijs voce præeat: & quæ cantanda, uel legenda sint, ipsis indicet. Is, antequam officiũ inchoetur, chorum ingressus, libros præparet; Missam, psalmos, antiphonas, & alia, quæ vsus requisierit, inueniat.

1. de off. custodum. 52 Mansionarij in suo munere contumaces, vel negligẽtes, pro modo culpæ, iudicio eius, qui choro præsit, distributionibus careant.

Custodes ecclesiæ, uel quicumque alio noĩe id negotium curant, obseruent diligentissimè, & clericos, & laicos, contrà decorum, & honestatem ecclesiæ delinquentes, eosq; sui officij moneant; ac si non resipuerint, ad chori præfectum, vel episcopum deferant.

53 Omnia, quæ ecclesiarum honestati, ornamento, decorove officere possint, prohibeant, & arceant.

54 Neve quemquam noctu in ecclesia morari sinant.

55 Maximè autem vigilent, ne altaria spolientur, aut quidquam ex ecclesia surripiatur.

1. de functionib. Minorũ ord. ad usum reuocandis. sess. 23. c. 17. 56 Episcopi ex Tridentini Concilij præscripto veteres sacrorum ordinum functioues, quibus in locis intermissæ sunt, ad vsum reuocandas omni diligentia curent.

57 Atq; ideo in Cathedralib. saltẽ ecclesiis, sex mensiũ spatio, singulis minoribus

minoribus ordinib. instituant aliquos, quib. ex eiusdē Cōcilij formula stipendiū attribuant; vt non ea solū munera, quę illis infrà pscribimus in eisdē ecclesiis expleant; verum ēt cętera, quę sacris antiquorū canonū decretis ad eos ptinere epi cognouerint; ac, si q̄ itē alia ad cuiusque ecclesię utilitatē, dignitatēve eisdē pro tpis rōne imponēda duxerint.

58 Quibus sic constitutis, licebit episcopo ab eorum officiorū, quę ab iis deinceps præstanda erūt, munere alios liberare, quibus id oneris ex nostris constitutionibus suprà impositum est.

59 Vt & minorū ordinum functiones ad usum reuocētur, & per eos tantum præstentur, exerceanturve, qui in illis constituti, adscriptive sunt, ad Tridentinæ Constitutionis præscriptum, hæc decernimus. 4 qnæ pt. ad sacr. Ord. sess. 23. c. 17.

Vbi fabricæ ecclesiæ, cāpitula, monasteria, vniuersitates, confratriæ, collegiave itē cuiusuis gnis, ac alij prætereà quiuis hoīes laicum custodis, aut monachi, uel alio noīe, certis ēt olim, huic muneri attributis bonis, fructibus, redditibus, aut alio quouis modo, nomineve, etiam pro libito suo, constituta mercede, habere, adhibereve solent, qui ecclesiā custodiat, aperiat, claudatve, campanas pulset, aliasve huiusmodi ecclesiasticas functiones obeat, aut alius census est, quauis ratione huic sustentationi attributus, eius laici hominis loco, clericus deligatur: qui pro ratione ordinū minorum, quos susceperit, earū functionū munus præster: atq; is constitutā illi mercedē, aut attributos fructus, reditusve capiat: qui si satis non sint, illa, nel capitula, uel monasteria, uel collegia, vel alij, vt suprà, ad quos ullo modo pertinet, quod deest suppleant.

60 Minorum ordinum functiones, ac munera à singulis clericis pro eorum, quib. initiati sunt, ordinū rōne præstentur, quæ non solū Concilio nostro prouinciali primo pscripta sunt, verum ēt cętera, quæcumq; ex sacrorū canonū legibus, & cūprobatis ecclesiasticę disciplinę monimentis, & ecclesiarum huius prouincię rationibus, uberius, & copiosius expressa, ordineque tradita, ad totius prouinciæ vsū à nobis edētur.

Idque prēter functiones, quas Episcopus ad eos, quauis ratione pertinere decreuerit, vel ad cuiusque ecclesię dignitatem, utilitatemve illis imponendas, tribuendasve censuerit, ut est eodem primo Concilio decretum.

61 Tabella verò ex earum oīum functiouū pscriptarum rōne, in oī ecclesia Cathedrali, collegiata, & parochiali sit, quæ in sacristię loco certo, perspicuoq; proponatur, vt clerici adscripti, suas quique functiones noce, atque exequi ritè possint.

61 Ostiarius fores ecclesiæ custodiat.

62 Ecclesiam suo tempore claudat, & aperiat.

63 Infideles, laicos, excommunicatos, & alios, quibus iure interdictū est, ab ecclesia arceat, & eiiciat.

Ne

64 Ne populum propius ad sacerdotem, rem diuinam facientem, accedere patiatur.

65 Campanas pulset.

66 In ecclesia dormientes, vendentes, ementes, deambulantes, colloquentes, aliave ratione officia diuina perturbantes, & quouis modo indecorè, atque irreuerenter se habentes, moneat, si pertinaces sint, expellat, aut ad superiorem deferat.

67 Mendicantes excludat.

68 Ecclesiam verendam curet,

69 70 Bruta denique, canesve epellat: quidquidve in ecclesia dedecet amoueat.

1. de Lectore.

71 Lector in ecclesia prophetias, quę in Missa legendę sunt, & lectiones pronunciet, quę ex veteri, & nouo testamento in matutinis dicuntur.

72 Pueros, si ita Episcopo videatur, prima fidei rudimenta doceat.

3. de exorcista.

73 Nemo energumenis manus imponere, aut causa eiiciendi dæmones exorcismos legere audeat, nisi exorcistæ ordine sit initiatus.

74 Is exorcismos memorię mandare studeat, idq; ex libris, episcopi iudicio comprobatis, & cùm res postulauerit, vt eo munere fungi oporteat, id ne agat, nisi consulto, & consentiente episcopo.

76 Episcopus autem nemini, ne sacerdoti quidem permittat, ut id munus exequatur, nisi eius ętatem, & mores probarit.

77 Caueat etiam, ne intercedat vllus in exorcismis quęstus, neve vlla curiosa percunctatio, pręsertim, quę ad diuinationem pertineat.

4. quę ad sacram. vel ad sacram. cō. & pert.

78 Primo prouinciali Concilio aliqua de exorcistis constituimus, in quibus ad illius muneris, rectè gerendi rationem, hæc præterea præscribenda censuimus. Ne igitur sacerdoti, clericove sęculari, aut regulari, exorcismum energumenis adhibere liceat, nisi is exorcizandi facultatem scripto exaratam ab episcopo impetrarit.

Quam facultatem, ubi quis probatus obtinuerit, hęc, quę mox infrà ordine prescribentur, accuratè seruet, atque exequatur.

79 Antequam exorcizare aliquem aggrediatur, perquirat in primis energumeni, energumenęve vitam, ac mores, tùm exploret actiones, & medicum, si expedire censuerit, consulat, adhibeatve, vt uideat, an quod ab illo, illave agitur, fiat morbi alicuius, aut bilis atræ vi; an verò sponte, ac dissimulanter, an denique dęmonis, malorumque spirituum vexatione.

Videat item, an ille excommunicationis uinculo irrectitus umquam fuerit, anque absolutionem ritè acceperit.

In

80 In hoc exorcizandi munere, eiusve occasione, non modo quæstum fugiat; sed nè doni, aut muneris quicquàm, vel minimũ capiat.

81 Ne in ædibus laicalibus, locisve priuatis, sed in ecclesia, loco aperto, & conspicuo; neque in omni quauis ecclesia, sed in ijs solum, quas certas Episcopus statuerit.

82 Neque in conspectu multitudinis; non remotis tamen arbitris, sed præsentibus viris honestis, atque ætate grauibus, in ijsq; vno saltẽ, vel duobus ecclesiasticis hominibus.

Mulieri autem energumenæ, cùm exorcismum adhibet; id præstet, duobus ætate vitaq; probatis viris, tùm fœminis etiam, itidem probatis, præsentibus, ijsq; omnibus, si fieri potest, energumenæ consanguineis, aut affinibus.

Mares autem alios præsentes adesse, nè omninò patiatur; nisi vnum ecclesiastici ordinis hominem.

83 Nè ante ortum, nec verò post occasum solis quemquam exorcizet.

84 Nè duos simul eodem tempore, sed vnumquemque sigillatim, ac separatim.

85 In huius muneris functione, grauiter, piè, & religiosè in primis se gerat.

Quamobrem pridiè illius diei, quo alicui exorcismum adhibere inceperit, se ieiunio, & oratione præparare studeat; Tùm confessus conscientia ab omni culpa, pura, ac munda, magna cum humilitate, & fide, memor potestatis, quam a Domino accepit, expellendi dæmones, ad id munus obeundum accedat.

Si sacerdos autem est, antequàm exorcismum inchoet Missæ sacrũ faciat, si id commodè præstare potest.

86 Energumenis verò exorcismum nè adhibere incipiat; nisi illi primùm confessi sint: ad hocq; eos cohortetur, vt omnis ante actæ vitæ peccata diligenti conscientiæ discussione confiteantur.

Tum sæpè moneat, vt precibus, orationi, & sanctis meditationibus, & pietatis studijs, atque exercitationi se dent; religiosas ecclesias, vbi sanctorum reliquiæ reconditæ sint, certis diebus piè visitent; ieiunia præterea, & in sexta quaq; in primis feria, quo die passionis Iesu Christi Domini memoria recolitur, religiosè amplectantur.

87 Caueat, dum exorcizat, nè energumenæ mulieris capiti corporiue, nisi cum magna honestate, atq; cautione manum adhibeat: neve energumenam, energumenumve altari imponat: neve quicquam aliud agat, quod offensionem præbeat.

88 Nè alijs verò exorcismis, precibus, ritibusq; ad id munus vtatur; nisi ad libri, Episcopi iudicio, comprobati, rationem præscriptam.

89 Cui nihil ab eo addi, detrahi, aut mutari fas sit.

90 Prescriptas has regulas, quò diligentius seruet, tabella descriptas eo loci sibi proponat, vbi potissimùm id munus geret.

5. De initian. ord. sacr. 91 Exorcistę munus, cùm sit energumenis manum imponere, à quibus, vt mali spiritus eijciantur, ieiunia, & orationes Christi Domini testimonio adhiberi iuuat: eos porrò clericos, qui in exorcistarum numero ascribentur, curet Episcopus in ieiunijs, & rationibus frequentius sese exercere.

1. De Acolutho. 92 Acoluthus subdiaconos, & diaconos ad altaris obsequium accersetans eis inseruiat.

93 Lumina accendat, & deferat.

94 Vrceolos vini, & aquę ad Missę sacrificium paret.

5. De initian. ord. sacr. 95.96 Vt Acoluthi munus, quod prętер cęteras functiones, fuit, Episcopum comitari ad eam ipsam functionem, aliqua ex parte restituatur; curet Episcopus clericos, quos in eo ordine adscripserit, eam in loco, vbi ipse est, aliquando præstare, vt opus esse censuerit; presertim, cùm ad aliquod Episcopale munus obeundum accedit. Siquè complures eiusdem ordinis sunt; rationem certam ineat, vt per regiones distincti, in orbem id muneris prestent.

Videatur etiam Titulus de Missis, & Vesperis Pontif. Et de Missis Conuentualibus, & seq.

Communia de ratione diuinorum officiorum, deq; quibusdam alijs diuinis officijs, ab horis canonicis.

SVMMARIVM.

1 *Diuinis officijs celebrandis formula præscripta.*
2 *Nihil apocryphum legendum in diuinis officijs.*
3 *Ea, ex Calendarij præscripto celebrantur, & iuxtà Breuiarij Romani formam. 9.*
4 *Calendarium ipsum à Magistro chori singulis annis edendum.*
5 *Si non constet, ad quem ea editio pertineat, ab Episcopo deligendus, qui illud conficiat.*
6 *Quando illud emittendum.*
7 *A quo prius recognoscendum.*
Antiphonarij libri, Episcopo curante emendandi. 10.
8 *Ecclesiæ inferiores regulam Cathedralis Ecclesiæ seruent.*
11 *Officiorum communium signum non dandum ante signum Cathedralis, vel matricis Ecclesiæ.*

Diuinorum

12 Diuinorum officiorũ causa certa hora campanis pulsandis præscribenda pro temporum ratione.

13 Horæ Canonicæ quotidie in choro dicendæ.

14 Eæ dominicis, festisquè diebus cantandæ.

15 Matutinum tamen, & Primam, quando recitare liceat.

16 Vbi sit consuetudo matutinum, & alias horas, ferialibus etiam diebus cantandi, retinenda.

17 Quando Sextæ, & Nonæ horarum officium tantum recitari possit.

Qua hora matutinum inchoandum festis diebus.

18 Officium duplex Sancti fiat in Ecclesia, quæ eius corpus, aut reliquis insignes habet.

19 Item de sancto, cuius Altare in ecclesia extat.

20 Beatorum officium, qua facultate faciendum.

21 Officij duplicis, semiduplicis, vel simplicis diuersitate, diuersa celebrandi ratio constituenda.

22 Officium solenne Ambrosianum, respondet duplici Romano.

23 Horæ Beatæ Virginis non omittendæ.

24 Qui illis intersint.

25 Absentes, vt mulctentur.

26 Horæ, vt diuidendæ.

27 Qui solum iubeat in diuinis officijs.

28 Pœna canonici non vtentis insigni suo.

29 Chyrothecæ non induendæ in diuinis officijs.

30 Chorus, quomodo constituendus, & vbi ædificandus. De ecclesiarum fabrica, num. 30.

31 In eo, quo habitu ministri induti.

Superpellicea eorum qualia ex decretis prouincialibus, & qualis ex instruct. supellectilis. Et de vita & honestate clericorum, numero 12.

Chori disciplina qualis. 88.

32 Candelæ, quales in diuinis officijs, & Missa.

Diuinorum officiorum tempore non permittendi circulatores in plateis versari. De fest. dur. cultu num. 12.

33 Hebdomadæ sanctæ pulsandi ex more in tenebris tumultus amouendus.

34 Fragor, & strepitus post officium, semel adhibendus.

35 Quibus curantibus id fiat, & qualiter.

36 Loco campanarum crotala lignea adhibenda, & quot in Cathedrali collegiata, & parochiali ecclesia.

37 Eaque cuiusmodi.

38 Candelabrum etiam triangulare, vbi ob id parandum.

39 Consecratio Episcopi sanctis mysterijs plena.
40 Eiusdem consecrationis dies celebrandus.
41 Is in festum incidens, ex decreto Concilij Tertij in aliũ transferẽdus.
42 Ex decreto verò Concilij Quarti, de eo cõmemoratio tantùm faciẽda.
43 In feriam cadens, de consecratione ipsa Missa cantanda.
44 Sermo item per Episcopum habendus.
45 Consecratio ipsa in Calendarium referenda, atque populo denunciandæ.
46 Episcopo ægrotante, vbi supplicationes, & oratio instituenda.
47 Pontificis summi consecrationis die, quid à sacerdotibus in Missa, & diuinis officijs præstandum.
48 Eo ægrotante, quid curandum.
49 Quid etiam eo defuncto ab Episcopo peragen. & à sacerdotibus.
50 Ordinationis sacerdotalis dies, vt agendus.
51 Consecrationis Ecclesiæ dies, quomodo etiam celebrandus.
52 Is si ignoratur, ab Episcopo statuendus.
53 In Calendarium referendus dies consecrationis Cathedralis ecclesiæ, & à toto clero agendus.
54 Collegiatæ, & parochialis Ecclesiæ dies à clero earundem celebrandus.
55 Dedicationis parochialis Ecclesiæ anniuersarius dies vt sanctificandus.
56 Die Veneris campana pulsanda ad recolendam Iesu Christi passionẽ: ob idque indulgentia consequenda.
57 Sabbato sub Vesperum, Salue Regina, vel alia Antiphona decantanda, & vbi, & quibus adiutoribus.
58 Postridie commemorationis omnium fidelium defunctorum, quid ab Episcopo, Capitulo, & sacerdotibus præstandum pro defunctis Episcopis.
59 Die sequenti, quid à Capitulo pro Canonicis, & alijs ministris mortuis agendum.
60 Crucis adoratio feria sexta in Parasceue, qua hora in oĩ ecclesia fiat. Et qua animi humilitate, & corporis prostratione. 62.
61 Concio illius diei qua hora habenda.
63 Officijs debitis ne defraudentur Ecclesiæ, quæ ordinis Humiliatorum fuere, Episcopi cura.
64 Idem ab eodem præstandum in quocumque beneficio, quod quis cum alio incompatibili obtinet.

Feria quinta in Cœna Domini, Canonici, et alij ministri Eucharistiam sumant, & vbi eodem die, sanctissimi Christi corpus recludendum est, sacerdos excubet. De sanctæ Euch. in Eccles. adm. num. 32. & de orat. 40. horarum, num. fin.

Erratis

Erratis, quæ in diuinis officijs tam collegiatis, quàm alijs ecclesiis committi solent, occurratur, quid agendum. De Punctat. nu. 32.

65 Musica in diuinis officijs, quæ adhibenda.
Quæ instrumenta musica excludenda. 72.
Quando nulla omninò admittenda. Quæ ad Sacr. Matr. pert. nu. 41.

66 Cantus in diuinis officijs qualis.

67 Cantores clerici sint.

68 Quibus vestibus in choro induti.

69 Quam facultatem habere debeant.

70 Cantores laici, quando adhibendi, ijq́ue quo vestitu vtantur, & quales, quique facultate.

71 Pœna, id munus suscipientium, committentiumq́ue aliter, quàm præscriptum est.
Cantus in diuinis officijs, quando non omittendus, omittendusve, suprà 14. & 15.

72 Organum in ecclesia adhibendum cæteris musicis instrumẽtis exclusis.

73 Versiculi hymnorum, &c. in choro distinctè pronunciandi.
Organista quam facultatem habeat, siue ecclesiasticus, siue laicus sit. suprà 69. In fine.

74 Idem Episcopo in Ecclesiam aduentanti, oranti, de ecclesia abeunti, vestes sacras induenti, quod officium præstet.

75 Quando, & quomodo ad diuina officia conueniendum, quidque in Ecclesia, in sacristia, & in choro præstandum.

76 Quomodo versandum in choro.

77 Quomodo à choro recedendum.

78 Chori disciplina, qualis.

79 Matutinum officium quo tempore, & loco celebrandum. 90.

80 Quando vesperi dici liceat.
Ad id quo tempore veniendũ suprà nu. 75. ver. si quis nõ uenerit.
Quando cantu celebrandum, suprà 14. & 15.
Qua hora festis diebus, suprà nu. 17.

81 Prima, quando in ecclesia dicenda.
Quando cantanda, suprà 14. & 15.

82 Horæ, sexta, & nona, in choro celebrandæ, & quando.

83 Vesperæ celebrandæ cum pluuiali festis duplicibus.

84 Quæ quotuplexq; supellex vsui diuinorum officiorũ in promptu esse debeat ex præscripto instructionis supellectilis Ecclesiasticæ.

85 Quo item colore in diuinis officijs adhibenda.

86 Qui libri item parandi, tam in Metropolitana Ambrosiana, quàm alijs Cathedralibus Ecclesiis, ad præscriptum instructionis eiusdem.

1. Cõia de ratione diuinorum offic.

1 2 3 VIDEANT Episcopi, alijs doctis, & pijs viris adhibitis, ne quid apocryphum legatur in diuinis officijs, & quò ad eius fieri possit, à communi Romanæ Ecclesiæ officio ne discedatur.

Diuina officia ex ordine Calendarii, & Ecclesiæ instituto celebrentur: nec ea ratio sine iusta causa mutetur.

4 Quamobrem à Magistro chori Cathedralis Ecclesiæ, vel alio, cuius id munus sit, edatur singulis annis Calendarium dierum festorum, quo singulorum dierum officij ratio præscribatur.

4. quæ pt. ad sanctiss. Missę sacrif. & diui. officia.

5 Calendarium, quod ex Concilij prouincialis primi decreto, pro certa diuini officij recitandi ratione, quotannis edi oportet, si minus constat, à quo confici, edive debeat; Episcopus deligat, constituatve, qui hoc præstet, neque id cuiquàm recusare liceat.

6 Ita verò, à quo debet, in tempore conficiatur, vt & mense saltem ante Natiuitatem Domini in lucem emissum sit.

7 Ante uerò quàm prodeat, Episcopo tradatur, qui recognoscat, aut ab aliquibus, quos eius rei peritos delegerit, recognosci iubeat.

1. vt suprà.

8 Omnes inferiores ecclesiæ, quæcumque illæ sint, diuinorum officiorum rationem dirigant ad regulam Calendarij Cathedralis Ecclesiæ, neque ab ea discedant. Si quæ verò ecclesiæ diuinorum officiorũ alios ritus habent, Apostolica auctoritate concessos, eis vtantur; rerumtamen ea quoque, quæ hic de diuinorum officiorum ratione præscribuntur, vbi Apostolicæ concessioni expresè non aduersentur, inuiolatè seruent.

2. ti. 2. dec. 11.

9 Episcopi curent in sua quisque diœcesi, vt officia diuina, quę singulis canonicis horis præstari debent, & publicè in Ecclesia, & priuatim à singulis sacerdotibus, clericisve inferioris ordinis, qui illa obire debent, celebrentur, & peragantur, ad præscriptam Breuiarij Romani nuper editi, rationem: nisi tamen ecclesiæ eiusmodi sint, in quibus ex veteri consuetudine, vt summi Pontificis Pij V. litteris, eo nomine confectis, cautum est, alius ritus, aliaque ratio adhibeatur. Si verò secus à quibusdam factum erit, cùm isti, vt eisdem summi Põtificis litteris nominatim sancitum est, horarum canonicarum officio, quod debent, nõ satisfaciant; eos ipsos Episcopi pœnis ijs mulctent, quæ Lateranẽsi Cõcilio à Leone X. & Prouinciali Synodo superiori, contra clericos constitutę sunt, qui canonicarum horarum officium intermittunt.

Bulla, inf. de Const. nu. 4.

sess. 9. c. 9.

6. quæ ad diui. off. pert.

10 Libri, qui certis antiphonarum modulationibus olim notati, ex Breuiarij nuper editi præscripto nondum emendati sunt, in sua quisq; diœcesi episcopus curet, vt quamprimùm, & accuratè emẽdentur, atq; accommodentur ad Breuiarij noui editionem.

In

11 In urbibus,oppidis,aut vicis nullum signum communium officiorum campana detur ante signum Cathedralis,vel cuiusque loci matricis ecclesię, nisi episcopo aliud videatur: maximè verò sabbato hebdomadæ sanctę, & in Angelica salutatione matutina, meridiana, & vespertina: qua in re matutinum excipimus, quod non ubiq; eodem tempore dici solcat. 1. vt sup.

12 Episcopus pro temporum ratione,ac vicissitudine certam horam, certumque interuallum pulsandis campanis prescribere curet,quibus diuinorum officiorum significatio detur. Quæ certa, interuallisque distincta pulsationis ratio in tabella edita ordine notetur, vt & vrbanis,& diœcesanis ecclesijs vsui rectè accommodata, vbique eadem ad præscriptum eiusdem episcopi seruetur. 4. ibidem.

13 Horę canonicę omnes quotidie in choro dicantur: quę ratio neque concione, neque solenni Missa, neque alia causa impediatur, nisi eiusdem necessitas interceserit, de qua iudicium sit Episcopi. 1. ibidem.

14 Ijsdem prętereà, Dominicis, festisque alijs diebus, quibus officium duplex peragitur, diuina singularum horarum canonicatum officia, psalm scilicet, hymni, antiphonæ, responsoria, & reliquæ horarię preces, non verbis recitentur, sed stata modulatione canantur. 4. ibid. §. ijsdem.

15 In matutino tamen officio,& prima,si ita episcopo videbitur,prętерquam in anniuersarijs festorum dierum solennioribus celebritatibus,canora, distincta tamen vocum pronunciatione psalmos dici liceat; at hymni, antiphonę, responsoria, & reliqua eiusmodi; tum prętereà psalmi ad laudes stata omni cantus modulatione omninò pronuncientur.

16 Vbi verò,vel instituti,vel consuetudinis est, festis diebus, matutini etiam,vel primę psalmos, aut alijs prętereà ferialibus diebus reliquarum horarum psalmos,& omne officium cantu præstari: illud institutum,consuetudinemve perpetuò retineri iubemus.

17 Si verò quid aliquando inciderit,quamobrem diuina officia diutius, quàm temporis ratio postulat, protracta sunt; tùm Episcopi concessu, iussuve horaria sextę, & nonę officia, si minus stato cantu possunt, uerbis solum, distinctè tamen, & in choro pronunciari, & præstari licebit.

Festis verò,Dominicisque diebus,& aliis,quibus concio, aut solennis processio,aut sacra ordinatio habetur, si matutinum officium media nocte non dicatur, ita saltem anticipata episcopi iudicio hora inchoetur,vt & aliarum deinceps horarum officia, & Missas singuli sacerdotes,& Missam conuentualem collegiatim,tempore suo, ex in-

stituto peragant, & concioni interesse possint.

18 De sancto, cuius sacrum corpus, aut caput, aut brachium, aut crus, aliæve sacræ reliquiæ, Episcopi iudicio insignes, asseruantur, duplex officium fiat, in ea tantum ecclesia, vbi reconduntur: nec verò in alijs, nisi regulis Breuiarij Romani id præscribatur, aut alia causa grauis episcopi iudicio insit.

19 De sanctis item, quorum altaria in aliqua Ecclesia sunt, duplex in ea tantum ecclesia fiat, idque tunc solum, quando scilicet ex antiqua, probataque consuetudine, vetusta alia causa Episcopus censuerit faciendum.

20 De ijs, qui beati dicuntur, neque sedis Apostolicæ auctoritate in sanctorum numerũ adscripti sunt, horarium diuinarum precum officium ne fiat, nisi consulta eadem Sede Apostolica, facultate que literis Pontificijs concessa.

21 Officia diuina, sicut alia semiduplicia sunt, quædam duplicia, alia simpliciaita pro eorũ ratione certam regulam in iis singulis celebrandis adhiberi oportet. Quare episcopus duob. de capitulo, quorum alter ab ipso, alter à capitulo deligatur, aliisq; ecclesiasticis hominib. rituum scientia, & usu peritis, quos ipse delegerit, in consilium adhibitis, cantus modulationem, luminum numerum, & qualitatem, vestium apparatũ, campanarum sonum, ministrorũq; rationem pro illorum ritu præscribat, in iis scilicet, quæ adhuc Cõciliis prouincialib. præscripta nõ sunt donec alio tempore in Concilio prouinciali certa eorum ratio statuatur, ut & ritè, & diuino cultui congruenter omnia præstentur.

22 Quæcumq; verò, aut in hoc, aut in superioribus Conciliis prouincialib. de festis duplicibus seruari iussum est; & in ecclesijs, ritu Ambrosiano utentibus, cùm pro illius ritus ratione nulla sit simplicis, aut semiduplicis, aut duplicis officij distinctio, sed tantum solennis, aut non solennis, in festis ijs locum habeant, quę licet ex præcepto, consuetudineve non colantur, officio tamen solenni celebrari in Calendario, aut Breuiarij rubricis præscribetur.

1. ibidem. 23 Nec horæ aliquæ Beatæ Virginis, ne in Matutino quidem, in choro omittantur, exceptis diebus, & locis, quibus ex ratione officij eas præ termittere licet.

4. ibidem. 24 Quibus in Ecclesijs diuinum canonicarum horarum officium de Beata Maria Virgine recitari, aut solet, aut debet, earum clerus vniuersus illud in choro præsens pariter recitet, atque officium, quòd de Domino dicitur: id verò ita, ut singulas horas canonicas vnius officii, cum singulis alterius, ex Breuiarij Romani præscripto, ordine coniungat.

25 Quicumque ab vnius horæ officio de Beata Maria abfuerit, distri-

butione

bitione illius horæ perinde mulctetur, ac si à horę eiusdem officio, quod de Domino recitatur, abfuerit.

26 Horæ ita commodè diuidantur, ut manè aliquod interuallum si id fieri potest, sine detrimento diuini cultus, detur canonicis, & alijs ad studium diuinæ Scripturę, aut sacrorum canonum. 1 ibidem.

27 Ne in choro, Ecclesia, sacristia, quod ad diuinorum officiorum rationem, ritumve pertinet, quicquàm alius iubeat, nisi chori Præfectus, vel is, cui pro officij, quod gerit, ratione, id muneris competit, pœna ei constituta, Episcopi arbitrio. 3. de ijs, quæ ad diui. offic. pert.

28 Dignitatem obtinenti, & canonico item, & alii cuicumque chori officiis adstricto, almutiam, superpelliceum, cappam, aut aliud canonicale, aut proprium sui ordinis uestimentum, pro temporis, vel diuini officij, quod obit, vel pro sui in Ecclesia, chorove muneris ratione, non induto, distributio statæ canonicæ horę ne detur, in qua hic, illeve sine eiusmodi indumento adfuerit. 4. ibidem.

29 Ne quis canonicus, dignitateve præditus, aut ecclesiæ cuiusuis minister, clericus ve quicumque, dum horariis diuinarum precum officijs interest, aut processiones, funera, vel functiones ecclesiasticas obit, superpelliceo, aliove sacro indumento indutus, chyrothecis etiam manus induat.

30 Chorus ita, vel sepiatur, vel cõstituatur, vt ipse diuini officij laicis aditus in eum esse non possit, vel saltem à clericis seiuncti sint. 1. ibidem.

31 In choro, vel omninò in ecclesia nemo ministret sine suppelliceo aut ceteris indumentis, quæ pro ratione officii requiruntur. 2. ibidem.

Superpellicea latis sint manicis, non angustis, in star rocheti.

32 Candelæ, & cerei in Missa, & aliis diuinis officijs ea exiguitate ne adhibeantur, quę in tanto mysterio dedecet; & adstantibus offensionem adferre possit. 1. ibidem.

33 Curent iidẽ, vt ex eo more pulsandi in tenebris sanctę hebdomadę ad repręsentandam creatarum rerũ perturbationem in passione creatoris, omnis licentia, & inde corus tumultus amoueatur. 1. ibidem.

34 Triduo illo hebdomadę sanctę, quo ex sanctę Ecclesiæ Romanę consuetudine strepitus, & fragor fieri solet ad significanda in Iesu Christi passione illarum rerum omnium commotionem, is semel tantum post extremam matutini officii orationem adhibeatur, ad rubricę Romanę præscriptum. 4. ibidem. Inst. sup. ecc. lib. 2. De supell. q̃ Missæ Conuent. diuinorũ offic. processionũque usui cõmunis est. in cath colleg. & paroch.

35 Cura verò sit eorum, qui ecclesiis presunt, cauere, ut à populo religiosa pij, mœrentisque animi meditatione, ille fiat.

36 *Crotala, seu crepitacula lignea tria saltem in Basilica Cathedrali; in Collegiata duo, totidemq; in parochiali Ecclesia ad vsum pulsandi, loco campanarum, in tenebris hebdomadæ sanctæ habeantur.*

Crota-

Inst. for. sup. eccles. lib. 2. De Crotalis lgneis.

37 *Crotala lignea, quæ ex vsu Ecclesiæ in hebdomadæ sanctæ tenebris adhibentur, ex tabula sectili muta, querneave fiant: longitudine verò sesquicubitali, & latitudine cubitali constent. A summo habeant foramen, per quod manus infertur, lamina ferrea munitum; tum præterea laminas quattuor, quinqueve ab vtraque parte affixas, ex ære, seu ferro, vel totidem pilas ex ligno, rotundas; funè appensas, sonum ex percussione reddentes.*

Inst. sup. ecc. lib. 2. De supell. q̃ Missæ Conuentualis, &c. vt sup. 3 de iis, quæ ad di. off pti.

38 *Candelabrum triangulare ad vsum sustinendi candelas in tenebris hebdomadæ Sanctæ, præterquam in Metropolitana: idque in Cathedrali, collegiata, & parochiali ecclesiis, ritu Romano vtentibus.*

39 Plena sanctissimis mysterijs, cum fit consecratio episcopi, præter multa, quæ de tempore, loco, & formula eius, patrum institutis præcepta sunt, illud à Felice IIII. Pontifice Maximo constitutum etiam est, vt anniuersarius eius consecrationis dies celebraretur.

40 Quod institutum, iamdiù intermissum, vt in hac prouincia ad vsum reuocetur; statuimus, ab vnoquoque episcopo anniuersariũ consecrationis suæ diem solenni ritu agi.

41 Si verò in consecrationis diem, festus dies inciderit, cuius festi diei officium ex instituto ecclesiæ transferri non liceat, consecrationis celebritas in alium diem transferatur, quo agi liceat.

4. quæ perti. ad sanc. Missæ sacr. &c.

42 Quod ex Felicis IIII. Pontificis Maximi, sanctione in Concilio prouinciali tertio decretum est, episcoporum prouinciæ consecrationes quotannis solenniter celebrari; id ita deinceps p̃stari decernimus. Die anniuersario consecrationis, si Dominicus, vel festus sit, episcopus solenni celebritate de eo Dominico, festoue die Missam celebret; adiunctis pro se orationibus, in Missali Romano, nuper edito, præscriptis.

43 Si verò consecrationis anniuersarius dies in feriam, aut festũ simplex cadit, Missę sacrificium solenne de consecratione, prout in Missali Romano, faciat.

44 Quo consecrationis die episcopus exemplum etiam sequatur, atq; amplectatur, sanctissimorum episcoporum, Pontificumve, qui susceptı muneris curam, onus, & sollicitudinem in memoriam reuocantes, anniuersario eo die non solum sacrificio, religiosisque precibus diuinæ bonitati gratias agere non destiterunt: sed concionibus, pastorali charitate plenis, clerum, populumq; expositis multiplicis suę curæ partibus, excitare voluerunt cùm ad opem, sibi à Deo implorandam, tùm ad omnia religiosæ pietatis officia colenda.

45 Vtque consecratio Episcopi à sacerdotibus, etiam sacrificiis, & à reliquo clero piis precibus recolatur: in Calendario anniuersario, die suo, notetur: tùm populo etiam, vt moris est, denuncientur, vt is quo-

que

que sanctius illum diem veneretur: tùm pro charitatis officio, quo erga Episcopum,& patrem esse debet, vehementius excitetur ad preces pro illo piè adhibendas.

46 Pro Episcopo, qui pater, magister, duxque cleri,& populi est, si quando ex febri,aliove morbo laborans decumbit, omnis debitæ pietatis ratio deposcit,supplicationem,orationemve, & publicè,& priuatim sanctè celebrari. Quamobrem, cùm occasio tulerit, eius Vicarij officium erit,certis diebus illam instituere, atque indicere: ita ut cùm in vrbis, tùm etiam si ægritudo diuturnior erit,in diœcesis omni Ecclesia,tam collegiata, quàm parochiali,pro Episcopo ægrotante à clero,populoque prece religiosa oretur,& ab vnoquoque sacerdote in sacrosancto Missæ sacrificio stata etiam oratio frequenter fiat. 6. quę ad diu. offi. pert.

47 Quo die sanctissimus Pontifex consecrationis,coronationisve insignia accepit, pietatis ratio postulat in eo precationem à clero pro illo piè adhiberi. Quamobrem omnis sacerdos quo die summus Pontifex consecratus,coronatusve est, in Missæ sacrificio stata illa oratione, Deus omnium fidelium,loco suo in Missali adscripta,pro eo precetur: atque ob eam quidem causam consecratio Pontificia, cùm in Calendario anniuersario die suo notetur, tùm etiam de more denuncietur, vt reliquus etiam clerus, & populus item excitetur, ad preces pro illo piè adhibendas.

48 Summo Pontifici vniuersalis Ecclesiæ Pastori, & parenti,si quando illum ægrotare contigerit,id charitatis officium, prout morbi grauitas tulerit Episcopus præstari curet, vt ob eam causam in Cathedrali,Collegiata,parochialiq; vnaqnaque Ecclesia,clerus, populusq; certa stata hora pro ipso Pontifice oret.

49 Si quando autem is ex hac vita migrarit, nuncio certo mortis allato, id curet; ut cùm in omni ecclesia campanarum sono,vt pro mortuis fit, de more pulsetur; tùm in Basilica Cathedrali, Ecclesiisque collegiatis, Missa solennis, & officium pro eo mortuo ritè, pieque celebretur.

50 Sacerdotes verò, quo die eorum unusquisque sacerdotio initiatus est, illum etiam quotannis recolant Missæ sacrificio, & precibu. 3. de iis, quæ ad diu. offic. pert.

51 Quo die aliqua ecclesia uel Cathedralis, uel collegiata, uel parochialis consecrata est,is singulis annis solenni ritu agatur, & Missæ sacrificijs,& diuinis officiis,& decenti illius Ecclesiæ ornatu.

52 Quòd si certus consecrationis dies ignoratur,nõ est tamen de consecratione dubitatio;illius diem certum Episcopus statuat.

53 Qui constitutus dies consecrationis Ecclesiæ Cathedralis, in Calendarium quotannis referatur; stataque eius celebritas ab vniuerso clero agatur.

Colle-

54 Collegiatæ verò, & parochialis Ecclesiæ dedicationis dies celebretur ab illius ecclesiæ clero.

55 Curet autem episcopus ne eo die, mane saltem, quo tempore diuina fiunt, si ecclesia parochialis sit, fideles quicumque in illius ecclesiæ cuius anniuersarius consecrationis dies celebratur, finibus habitant, seruilis operis quicquam faciant: neque tabernas, officinasve aperiant, quò frequentiores conueniant ad illius officij celebritatem.

2.ti.2.dec.10 56 Sexta quaque feria, in singulas hebdomadas, paulò ante horam nonam, signum in vnaquaque Ecclesia campanæ sono detur, quo fideles admoniti, eadem hora, Iesu Christi Domini passionem omni intimamentis pietate recolant; terque orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam ex animo pronunciantes, quadraginta dierum Indulgentiam quam in sua quisque Episcopus diœcesi concedet, consequantur.

3.de ijs, quę ad diu.of.pr. 57 Religiosis Christianæ pietatis institutis, in vsum introductis, cùm ad sanctè agendi studium, adiutrice in primis Dei gratia, progressio maior in dies esse soleat: curet Episcopus, vt singulis sabbatis, sanctissimæ Virgini, Deique Matri Mariæ dicatis diebus, stata illa, & solennis, quæ veteri ecclesiæ instituto, perpetuoque vsu de ea dicitur Antiphona, Salue Regina, vel alia pro ratione temporis, in parochiali, tú vrbana, tùm diœcesana vnaquaque Ecclesia à Parocho, & reliquis illius parochię clericis, quibus ab episcopo iussum erit, sub vesperum, ante crepusculum scilicet, piè, religioseq; canatur, conuocatis etiam, certo campanæ signo, fidelibus.

58 Postridie illius diei, quo omnium fidelium defunctorum commoratio fit, ex antiquę ecclesię instituto, & diuinum officium, & Missę sacrum pro mortuis ritu solenni in ecclesia Cathedrali ab Episcopo, & Capitulo fiat pro suæ vrbis Episcopis; qui mortem obierint. Reliqui præterea singuli sacerdotes pro ijsdem illo ipso die sacrum faciant.

59 Die proximè sequenti, pro mortuis canonicis, & aliis de capitulo Ecclesiæ suæ à singulis capitulis, & Cathedralis, & collegiatę Ecclesię fiat.

5. quæ ad diui.off.pert. 60 Vt passio Christi Domini Redemptoris, à fidelibus in horæ redemptionis suæ digna ueneratione coleretur, illud in ecclesia sancta perpetuò institutum, religioso; usu, ac solenni ritu piè retentum est, ut in feria sexta Paraseues, in qua idem Christus Dominus mysterium Crucis expleuit, certa stata hora ab vniuerso clero, & populo, certis peractis precibus, & orationibus adoretur. Sed quoniam factum est, ut in multis prouincię locis non post, sicut instituti, ritusque veteris est, sed ante statas illas preces ea adorãda proponatur, aut saltem adoratio hæc

à multo

à multo populo, anteaquàm ex ritu ecclesiæ solenniter proponatur, & à clero adoretur: nos, vt, quod non sine mysterij significatione ecclesia instituit, ad statæ horæ vsum, solennemque adorationem reuocemus; id statuimus, vt in omni prouincię ecclesia Cathedrali sacro sanctæ crucis, perquam redempti sumus, adoratio religiosè celebretur, recitato scilicet de passione Euangelio, & peractis illis statis precibus, & orationibus, vt instituti ratio postulat. Quare vnusquisque prouinciæ episcopus efficiat, non solum, vt stata ea hora in sua Basilica Cathedrali præstetur; sed caueat etiam, vt in omni ecclesia collegiata, & parochiali, in omnique oratorio societatum, vbi fit ea adoratio, non antè, quàm in eadem basilica cathedrali, primariave, si locus diœcesis sit, celebretur.

61 Nec propterea concionator desistat, quin pro sanctæ ecclesiæ vsu ad exercitandam populi fidelis compunctionem eo sacro die eam de suggestu proponat, & ostendat.

Quin etiam curet Episcopus, concionem illam statim post recitatam passionem Domini haberi; nisi aliter aliquando magis expedire censuerit.

62 Et quoniam sacra ea feria Christus Dominus humiliatus est pro nobis patri, vsque ad mortem, mortem autem crucis; illius humilitatis imitatores in sanctissimæ crucis stata illa adoratione ità esse oportet, vt quod antiqui ritus est, non tantum genibus flexis, sed prostrato humi corpore humiliemur, quò significantius eo corporis habitu fixam, constantemq; animi nostri humilitatem demonstremus: ideò Episcopus curet, vt corporis prostratione, quæ Christianæ humilitatis index est, ea solemnis adoratio celebretur.

63 Episcopus, in cuius diœcesi ecclesiæ, locave olim ordinis Humiliatorum extiterunt, vbi Pij Quinti Pontificis constitutione, certus sacerdotum numerus præfinitus est, in eo euigilet, vt ne, fratribus illius olim ordinis decedẽtibus, illæ ecclesiæ debitis officijs, ac muneribus defraudentur: sed cum eorum aliquis mortem obit, in eius locum sacerdotẽ alium subrogari curet. At in quibus ecclesijs certus numerus constitutus non est; efficiat, vt quot anteà sacerdotes ibi sustentari consueuerant, totidem retineantur. Atque id quidem omne is exequatur, pœnis etiam, & censuris, arbitrio suo propositis, vt nihil planè pereat, quod earum ecclesiarum cultui debetur.

64 In capella canonicatu, aliove beneficio etiam simplici, quod quis vna cum alio incompatibili ex legitima dispensatione iam obtinet, Episcopus constitutis etiam Vicarijs, certaque fructuum parte attributa consulat, & prouideat, vt ea beneficia debitis ministerijs, debitoque cultu non fraudentur.

Idem

Idem efficiat, si ciusmodi beneficiis quis ob aliud legitimum esse absentię impedimentum munera sua non prestet.

1.de Musica, & Cantorib. sess.24.c.12. sess.22.de obser. & euit. &c.

65 In Diuinis officiis, aut omninò in Ecclesijs, nec profana cantica, sonive, nec in sacris cantieis molles flexiones, voces magis gutture oppressæ, quàm ore expressæ, aut denique lasciua vlla canendi ratio adhibeatur.

1.ibidem.

66 Cantus, & soni graues sint, pij, ac distincti, & domui Dei, ac diuinis laudibus accommodati: vt simul & verba intelligantur; & ad pietatem auditores excitentur.

4.quæ perti. ad Sacr. ord.

67.68 Cantores, vbi fieri potest, clerici sint, omninò autem in choro clericalibus vestibus, & superpelliceo vtantur.

69 Nec verò etiam ecclesiasticus homo cantoris, sacristę, custodis, clerici, in Missę sacrificio ministrantis, munus, aliamve ecclesiasticam functionem, in quauis ecclesia suscipiat, nisi illius vniuscuiusque muneris in ea ecclesia gerendi ab Episcopo facultatem scriptam, quotannis renouandam, vita etiam, ac moribus ab eodem probatus, impetrarit.

Qui aliter susceperit, obieritve, qui item aliter, quàm prescriptum est, conduxerit, aut receperit, pro modo culpę, arbitratu Episcopi puniatur.

De organista item, uel laico, vel ecclesiastico homine idem constitutum, sancitumve sit.

4.quæ pt. ad sanc. Missę sacrif. & di.of.

70 Cùm clerici desunt, qui cantorum in diuinis officijs partes præstent, ita vt laicos homines ad id muneris aliquando mercede conduci, adhiberive necesse sit; tunc ij non solum in Missa solenni, & diuinis officijs, id quod in compluribus huius prouincię ecclesiis vsu seruatur, sed & in processionibus, & in funeralibus, & in alijs ecclesiasticis actionibus ad quas, vel in ecclesia, uel foris adhibentur, cùm id munus gerunt, habitu clericali, superpelliceoq; decenti, ad Conciliorum prouincialium prescriptum vtantur: vita præterea, & moribus ab Episcopo, scripto ante probati sint.

71 Nec verò contra quàm prescriptum est, cuiquam laico in ecclesia musici, cantorisve munus illis diuinis ecclesiasticisve officiis, aut in ecclesia, aut foris concelebrandis committatur: nec rursus ille suscipiat, geratve, pœnis, mulctisve propositis, arbitratu Episcopi eas autem pœnas luat, tùm qui susceperit, tùm qui commiserit, dederit, conduxerit, permiseritve, quicumque sit, siue capitulum, siue fabricę administratores, siue rector ecclesię, siue anfratrię prefecti, siue alius quispiam, ad quem id pertineat.

72 Organo tantùm in Ecclesia locus sit, ubię, cornua, & reliqua musica instrumenta excludantur.

Et

73 Et si hymnis, psalmis, & canticis, suis ~vicibus organo canatur, omnes tamen eorum versiculi in choro distinctè pronuncientur.

74 Organista, Dominicis, festiquè diebus Episcopum ad diuina officia aduentantem, vbi primum pro basilicę foribus est, decora, grauiq; organi modulatione excipiat: neque sonare desistat, quousque ad altare genibus flexis orauerit, locoq; suo sederit. 5. quæ ad dñi. off. pert.

Idem præstet, cùm peractis de more officijs inde discesserit.

Item dum ille Missę sacrificium, aut vesperarum officium solēniter celebraturus, aliove Pontificali munere superfuncturus, vestes sacras induit, nec quicquàm canendum à choro est.

Hoc verò omne agat semper cùm in diuinis officijs, ad quę Episcopus conuenit organa pulsanda sunt.

75 Cùm in ecclesiam ad diuina officia diurna, uel nocturna conueniendum erit, id campanę sono significetur; ea interposita mora, qua omnes facilè possint conuenire. 1. qñ, & qūo ad diuina officia conue. sess. 24. c. 12. in fine.

Signo audito, qui dignitates in ecclesia, etiam si præfecti sint, personatusve, aut canonicatus habent, cęterique omnes, qui interesse debent, præparent se ad diuinas laudes: & maturè ad ecclesiam progrediantur.

Ingressi in ecclesiam, factisque ad Sacrosanctam Eucharistiam, vel vbi ea non seruatur, ad altare maius precibus, recta in sacristiam proficiscantur.

Quo loco, retenta talari veste, superpelliceum assumant, & reliquū vestitum ad sacrum munus necessarium, quod vt seruos Dei decet, tacitè, & modestè faciant.

In ingressu chori ad Matutinum, & aliàs horas, & diuina officia, is ordo seruetur.

Vt paulò post vltimum campanę signum ad rem diuinam faciendam, vniuersis in sacristia paratis, pulsetur parnula campana, quę gressus sacerdotum ad Missas celebrandas significari solet, vt omnes, qui in eum, ~vel circum eam sunt, diuini officij celebrationem instare intelligant.

Posteà omnes de sacristia ordine procedentes extant.

Et vbi se ad altare humiliter inclinarint, suum quisque locum in choro adeat.

Ibi flexis genibus, & submissa voce saltem orationem Dominicam dicant. Deinde dato signo, vel pronunciato, Pater noster, per hebdomadarium, ad initium officii omnes surgant, & officium inchoetur.

Qui ~verò in ecclesia, vel circum eam, aut in sacristia fuerit, & eo ordine chorum ingredi neglexerit, dimidia parte distributionum illius

horę

horæ priuetur, nisi aliquando causa, quæ ei, qui choro præsidet, vel ordinario probetur, impeditus fuerit.

Si quis ausus fuerit inchoare officium, priusquàm eo ordine in chorum conuenerint, & distributionem illius horæ ammittat, & grauiori etiam pœna ab Episcopo plectatur.

Si quis autem alijs in choro iam consistentibus, aduenerit, idem institutum seruet, & in sacristia, & in choro.

Si quis non venerit ad matutinum ante finem capituli de beata Maria virgine, cùm de ipsa officium celebratur; alioqui ante finem psalmi, Venite exultemus; in alijs etiam horis, ante finem primi psalmi, pro absente habeatur, illiusq; horæ distributione careat.

In Missa verò, nisi venerit ante finem vltimi Kyrieeleyson, eandem negligentiæ pœnam subeat.

Si quis, cùm possit initio officij, vel supplicationum conuenire, aduentum suum in extremum à nobis præfiniti temporis punctum de industria distulerit; absentis loco habeatur.

1. Quo versã dũ in choro sess. 24. c. 12. in fi.

76 Omnes in choro diuina officia, vt temporis ratio postularit, alternis vocibus canant, recitent, attentèque audiant.

Id non cursim, non perturbatè, non oscitanter, sed leniter, distinctè, ac studiosè faciant.

In choro pro temporis, & officij ratione ex instituto, & more ecclesiæ sedeant; stent, flectant genua, caput aperiant, & submittant, cæteraq; eius generis adhibeant. Omnes verò æquè idem faciant.

In choro etiam in matutino officio, clericali birreto; non pileo vtantur; alioqui moneantur à Præsidente chori, vel ab eo, qui proximo loco sedet: & nisi paruerint, pro absentibus habeantur.

Facessant somnus, risus, ioci, rixæ, colloquia.

Nè vagentur in choro, vel ecclesia.

Neve locum mutent, nè occasione quidem genua flectendi.

Nè in choro, vbi communi officio opera datur, priuatim officium dicant.

Neve litteras, libros, aliave scripta legant.

Nè exeant, nisi diuino officio confecto, nè causa quidem de communi re agendi, si necessitas non coegerit: idque à præfecto venia petita.

Si, cùm diuina celebrantur officia, sacerdoti, vel clerico, vel ministro, interdum per ecclesiam necessariò sit incedendum, grauiter, & modestè id faciat. Neque cum ullo sermonem habeat de rebus inanibus.

Qui dignitates, aut personatus habent, canonici, & alij omnes, qui aliquid in his commiserint, si moniti a Prætidente chori, non resipuerint;

runt; & horæ illius distributione careant: & pro modo culpæ alias pœnas dent, Episcopi, aut eius qui Ecclesiæ præsit, arbitratu.

77 Post diuinum officium in Choro flexis genibus submissa uoce sal- 1. Quo modo à Choro recedendum.
tem orationem Dominicam dicant.

Tum vel surgente, vel signum dante hebdomadario, consurgant omnes.

Et inter se consalutantes, & ordine procedentes, simul exeant; & de more ante altare se inclinent.

Eodemque ordine ad Sacristiam progrediantur; vbi modestè, & quietè superpelliceum exuant; non in Ecclesia.

Qui secus fecerit, monitus à præfecto Chori, nisi resipuerit, distributionem illius horæ nè capiat: & ab Ordinario pro modo culpæ plectatur.

78 Chori disciplina, plena religionis est, plena pietatis; ac propterea 5. quæ ad diui. off. pert.
sanctè ab iis obseruanda est, qui in eum locum conueniunt ad Dei laudes concelebrandas.

Quare, præter illa, quæ in Concilio Prouinciali primo, de illius cultu præfiniuimus, hæc admonemus, quò religiosius non modo excolatur, sed multis partibus augeatur sancta eiusdem Chori institutio.

Primò, ut studio quodam intimæ pietatis, cuius splendor foris etiam eluceat, vnusquisque, uel Canonicus, vel alius minister, quicumque sit, qui Chori officiis astrictus est, ad Chori disciplinam se se instruat.

Anteà verò, quàm eo conueniat, paululum attentè secum cogitet, & loci illius sanctitatem, & conueniendi causam, & diuinarum laudum, quarum munus angelorum est, officia, quæ castissimè ab omnibus concelebrari oportet.

Hac ipsa in cogitatione firmirer inhærens, nè quicquam quidem mente, animoque concipiet, ab eius loci religione alienum, nè dum aget, quod Dei oculos offendat.

Paret se propterea etiam atque etiam diligēter sancta intimi animi meditatione, & religiosa oratione, ut exteriorem quoque cultū diuinorum officiorum salutariter exequatur.

Dum superpelliceum, qui amictus ex tela linea candida constat, induit, cogitet, quam personam sustineat, nempè à sordibus labeque puram, qualem vestitus ille indicat.

Cùm almutiam pelliceam, quod insigne Canonicorum est, humeris, vel brachiis, prout moris est, Canonicus imponit, eam cogitationē suscipiat, in se restinctas, ac planè mortuas esse oportere rerum mundanarum affectiones, atque cupiditates, ut eius rei significans est illa animalis inter mortui pellis, quam de more induit.

Si verò, vt plerisque in Ecclesijs instituti, consuetudinisve est, cappam induit, quæ humeros contegit, & brachia quasi deuincit, ex eo amictu intelligat, se repressas, quasique deuinctas habere oportere appetitiones, ac se totum ad Dei voluntatem accommodare.

Cum igitur iis chori vestibus indutus, alium uestitum, quo foris vtitur contegat, sicque aliam personam habitu gerat; caueat, nè quicquam etiam in Sacristia, agat, admittatve, quod cum actione non rectè conueniat, ob quam illum habitum induit.

Nè in colloquiis quidem, ab ea actione alienis se occupet: nisi curæ præsit, quæ id necessariò postulet.

Abstineat autem semper, sed maximè, dum chori vestibus indutus est, vbicũq; sit, vel in sacristia, vel alio loco à iocis, à ridiculè dictis, facetiisve, à cachinnationibus, à verbis futilibus, atq; inanibus, quæ temerè, & imprudenter effunduntur.

In Chorum nè properanter, quasi distributionum quæstu incitatus, accedat, sed graui incessu.

Dumque ad Chorum procedit, quàmquam alii comes adiunctus, at quasi solus accedat, in ea meditatione fixus, ut secum cogitet, se ad Chorum, nempè ad sancta sanctorum, ut canone antiquo cautum est, & ad publicæ orationis sacrificium accedere.

Cum in Choro est, animum, mentemque ab omnibus curis, perturbationibus, & cogitationibus, à rei, quæ geritur, sanctitate alienis, quo ad eius fieri potest, abducat, seseque totum in Dei cultu colligat.

Illud etiam cogitet, quàm ob causam eo se se contulerit, tum sibi statuat se in conspectu Dei omnipotentis, & in corona innumerabilium angelorum, & sanctorum esse.

Qua in cogitatione videat, perpetuoque reputet se eo loci cõsistere, vt Deo sanctissimum cultum, venerationemque tribuat, atq; ab eo, & sibi, & alijs omne bonum deprecetur.

Consideret verò ipsum Deum, tamquam patrem, & redemptorem amantissimum, optimum, sapientissimum, misericordissimum, quique omnia intuens, vbique & semper est.

Tùm cordis castitatem, benèque orandi donum, & gratiam à Deo supplex petat, orationisque suę sacrificium simul cũ meritis Iesu Christi, & sanctorum, eius præsertim, cuius memoriam ecclesia illo die celebrat, ad gloriam sanctæ, & individuæ Trinitatis, & ad suam, proximorumque vtilitatem dirigat.

Cum psallendum est, primùm psalmi argumentum, mente, animoque concipiat.

Obseruet præterea, quis in psalmo loquatur, an Deus, an ecclesia, an pœnitens, an aspirans ad perfectionem.

Attendat item, ad quem præcipuè salutarem effectum psalmus referatur.

Cùm ità se religiosè pararit, magna animi attentione se ad uerba, sententiasque psalmi accommodet; ità ut laudet, gemat, extimescat, animo primùm concipiat.

Tùm verba singula notet, interprætationem studio assequatur, vnde mens, animusque ad aliquem salutarem affectum incendantur.

Ad uerba etiam adiungat animo cogitationem, uel amoris, vel reuerentiæ, vel humilitatis.

Atque ita quidem affectum aliquem excitet, ut si de virtute verba psalmi profert, desiderio accendatur imitationis, si de peccatis, intimè doleat, quoad in eo statu ipse fuerit, aut certè proximi eius. Et sic de aliis item, quæ psalmo significantur.

Eam porrò attentionem initio vniuscuiusque psalmi, orationis, & aliarum diuini officij partium, tùm singularum horarum canonicarũ renouare, atque excitare studeat; præsertim dùm illa verba, quæ ad sanctæ orationis spiritum inflammandum valent, pronunciat, Deus in adiutorium meum intende, &c.

Itidem faciat, cum aliorum se cogitationibus distrahi animaduertit.

In fine etiam vniuscuiusque psalmi sese excitet illis uerbis, Gloria patri, &c.

In conclusione item orationum, cum dicitur. Per Dominum nostrum Iesum Christum, spe sancta ergà illum, redemptionis nostræ auctorem sese confirmet.

Et quoniam attentio ualde admodum excitatur, si quæ quisque profert, rectè intelligat: ideò in ea potissimum expositione psalmorum assiduè versetur, quæ non uaria sit; sed quæ tota in excitandis, exercẽdisque sanctis affectibus uersetur.

Cum autem magnus psallendi fructus in psalmorum affectibus versetur, siuè quis in Choro, siuè priuatim, siuè submissa, siuè alta uoce oret: idcirco certos sibi locos psalmorum prætiniat, quibus omnis hæc ratio concludatur.

Loci præcipui, præter cæteros, si sint, unde salutares affectus existunt, laus Dei, memoria bonorum nostrorum, commemoratio nostræ miseriæ, & reprehensio malè agentium.

Psalmorum verbis, cum Dei bonitas prædicatur, ad illius dilectionem, & ad gratiarum actionem de beneficiis, quæ à diuina benignitate proficiscuntur, se toto animo accendat.

Cum illius infinita sapientia, potentia, commemoratur; admiratione afficiatur: tùm intimè gratuletur, cum aliquid Dei auxi-

lio benè gestum narratur.

Cùm bonorum memoria recordatioque psalmorum vocibus excitatur,desiderium quoddam concipiat,illa sibi,& alijs consequendi; tũ illa eadem à Deo petat,tùm in Deo spem animo capiat fore, ut diuina eius ope,non modo quæ bona sunt, quęque salutaria, assequatur; sed quę mala,ac quæ perniciem afferunt,uitet.

Aliquando etiam intimè in Domino gaudeat,se bona,Deo iuuante, adeptum esse,& mala cauisse.

Ex miseriarum commemoratione,timorem concipiat, dolorem,ac humilitatem,cum suas cognoscit infirmitates.

Ex reprehensione malè agentiũ,agnoscat zelũ diuinę uindictę,& indignationem contrà nequitiam. Atque ità quidem ex salutaribus his affectibus fructum psallendi vberrimum capiet.

Peroratis psalmis, absolutoque Canonicarum horarum officio paululum tacitus consistat,genibusque flexis ueniam deprecetur,& negligentię,& distractionis,alicuiusve culpę, quam in eo precationis officio admiserit: tumque hoc oret, ut pro Christi, totiusque Ecclesię meritis, orationis suę obsequium, ac ministerium gratum sit, atque acceptum.

In eo psallendi officio,cùm ea mentis attentio, & salutaris affectus, tùm corporis decens compositio requiretur.

Ideò, pręter ea, quę de genibus flectendis,de capite inclinando, de stando, de sedendo, ac de cęteris partibus in primo Concilio Constituta sunt, quędam etiam in Choro cauemus; quę, utpotè minùs decentia, & à loci illius cultu aliena, uitari oportet: ea verò tabella descripta sunt, quę cura nostra edetur, ac in singulis sacristijs Ecclesiarum, tùm Cathedralium,tùm Collegiatarum, tùm parochialium affixa perpetuò sit.

Tùm verò etiam hęc ipsa monita,alia tabella descripta, itidẽ in singulis Sacristijs habeantur.

1.de Matutino, & prima. 79 Matutinum officium,vel media nocte,vel saltem eo tempore instituatur,ut sub ortum solis absolutum sit, vel ea hora, quam Episcopus prescripserit: ea tamen habita ratione, ut verè matutinum dici possit; & alię horę, Missę, & officia,maturè perfici queant. Sed prętereà eorum Canonicorum, & clericorum commoditati consulatur, qui propè ecclesiam non habitant.

80 Matutinum Vesperi non dicatur,exceptis tamen diebus octauę festi & solemnis diei Corporis Domini nostri Iesu Christi, cęterisq; diebus, quibus ex Romanę Ecclesię instituto est permissum in iis Ecclesijs, vbi hęc consuetudo seruatur.

Matutinũ in Choro Ecclesię celebretur quouis anni tempore.

At si tamen vehementia frigora sint, uel aliæ ullæ iustæ causæ intercedant; de licentia Episcopi in sacristia, uel honesto alio eius Ecclesiæ loco dici possit.

81 Prima oriente sole, dicatur, uel paulò post, pro consuetudine ecclesiæ. 1. De Matut. & Prima.

82 Horæ sextæ, & nonæ item officia diuina, antè, aut post Missæ conuentualis sacrificium, pro ratione temporum, & officij diuini, ad præscriptum rubricæ Missalis Romani celebrentur; nisi aliquando urgens causa incidat, quamobrem illa alio tempore, quàm præscriptum est, in choro tamen, celebrari, peragiq; Episcopus iusserit. 4. Quæ pert. ad sanct. Missæ sacrif. & ad diu. offic.

83 Diebus Dominicis, festisq; alijs, quibus officium duplex peragitur, canonicus hebdomadarius, dum vesperarum officium obit, celebraturve, pluuiale induat: tùm etiam duo ecclesiæ ministri pluuialibus indutiadsint, eaque munera præstent, quæ præstari moris est.

84 Quoniam supellex, quæ canonicis, cæterisq; Cathedralis, & Collegiatæ, ecclesiæ ministris in diuinis officijs celebrandis usui est, libello institutionis ecclesiasticæ supellectilis præscripta, cum supellectile, quæ in Missis conuentualibus adhibenda, permixta est; ideò de ea ipsa supellectile infrà oportunè agetur, tit. de supellectili, quæ canonicis, cæterisq; Cathedralis, Collegiatæ, & parochialis ecclesiæ ministris in Missis conuentualibus diuinisq; officijs usui est. Deque supellectile, quæ in processionibus adhibenda est.

85 Sicut sancta mater ecclesia, pro temporum, officiorumque ratione, sacrarum uestium apparatum, ornatumque coloribus distinctum esse uoluit; ita quemadmodum etiam Missalis Romani rubrica præscribit, in omni ecclesia & altare, & sacerdos celebrans; sicque solenniter fit, diaconi etiam, & subdiaconi, & alij eiusmodi ministrates, sacro uestium amictu, ut pro ecclesiarum facultatibus fieri potest, induantur: qui, colore distinctus, diuinorum officiorum ritui, & temporum rationi conueniat. 4. Vt supra.

86 Libri item, seu uolumina ad usum diuinorum officiorum in Cathedralibus, collegiatis, & parochialibus ecclesijs, cùm alijs uoluminibus ad Missam conuentualem decantandam, aliosque usus pertinentibus, coniuncta sint, de illis propterea commodius post titulum de supellectili, &c. tractabitur.

Ad hunc Tit. facere etiam possunt Tit. De Missa & Vesperis Pontificalibus, De Missis conuentualibus, De Missa parochiali, & Missis sine cantu.

De Missa, & Vesperis Pontificalibus, vel Episcopo præsente ab alijs cantandis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus quibus diebus solemnem Missam canat. & seq.*
2 *Quibus vesperas, & Matutinum obeat; ac concionetur.*
3 *Episcopo solemniter Missam celebranti adsistat sacerdos pluuiali indutus.*
4 *Cui alteri is assistat, vel non.*
5 *Adsistentis munere nemini attributo, quid ab Episcopo præstandũ: Quique exempti ab officio Assistentis.*
6 *Quando alij Canonici eidem assistant, quæque non assistentibus constituta pœna; & vbi; quibusque in actionibus Episcopalibus. Et de Ministris eccl. nu. 20.*
7 *Eodem Episcopo Missam solemnẽ celebrante, a quibus Pluuialia, Planetæ, & Dalmaticæ induendæ, & a quibus non celebrandum. 9.*
In illo etiam Altari eo die ab alio sacerdote nõ celebrandum. De Missis sine cantu ab episc. celebr. nu. 4.
8 *Quæ alia cæremoniarum ratio seruanda.*
10 *A quo Euangelium canendum, & libro assistendum.*
11 *Benedictione in Episcopali impartienda festis diebus, maioribusq; solemnitatibus, quod officium Diaconi, alteriusue.*
12 *Missæ, Vesperæ, & alia diuina officia Pontificalia in Calendarium referenda, & festo præcedente denuncianda.*
Vt Principes, & Magistratus Missæ, & Vesperis Pontificalibus, ac supplicationibus intersint, Episcopi cura. De fest. dier. cultu. 24.
Quæ, quotuplexq; supellex Missarum, diuinorum officiorum ministeriorumque Episcopalium propria. De supellectile Missarum, &c. Episcop.
Quæ item, ac quotuplex aliorum ecclesiæ ministrorum Episcopo solẽniter diuina officia celebranti inseruientium. Ibid.
13 *Episcopo absente, vel impedito, quis eius loco, eisdem diebus solemnibus cantet.*
14 *Quibus diebus Missæ sacrificio, & diuinis officijs interfit.*

A quibus

15 *A quibus ad ecclesiam deducendus, & reducendus.*
Quod item officium organistæ, erga Episcopum in ecclesiam aduentantem, orantem, vestes sacras induentem, & de ecclesia abeuntem.
De diu. off. nu. 74.
16 *Eidem assistentes canonici duo.*
17 *Ante ipsum in Missa, quando canonici coronam faciant.*
18 *Benedictio ab Episcopo facienda, & quo ritu post Missam, ac Vesperas. 11. 12.*
19 *Diuinis officiis, quibus Episcopus interest, ipse initium faciat.*
20 *Supellex adhibenda in Missis, & diuinis officijs, Episcopo præsente cantandis, quæ & qualis.*

1 EPISCOPVS Missam maiorem, & vesperas, nisi impediatur, paschalibus, & alijs maioribus festis diebus cantet. 1. De Missa solemni.

Ea fuit olim vigilantissimorum, sanctorumq; Episcoporum religiosa pietas; vt non modò in solemnioribus anniuersarijs celebritatibus; sed ferè in singulis festis, & Dominicis diebus, ijsq; præsertim in Aduentu, & Quadragesima solemniter Missæ sacrificiũ celebrarent. Quod institutum cùm refrigesceret, aliquando Innocentius Tertius, Pont. Max. vehementer doluit. Cui sanè rei, in prouincia nobis commissa, prospiciendum, atque consulendum est pastorali cura nostra, iàm sanctionibus Tridentinis, auxiliante Christo Domino, excitata ad reuocandam, restituendamque ac studiosè retinendam pristinæ pietatis disciplinam, atque vsum. Et si igitur multiplicibus alijs Episcopalibus curis, ijsq; varijs, & quæ etiam ad continendos in obedientiæ, disciplinæq; Christianæ officijs populos attinent, pluribus hoc tempore Episcopi distinentur; at solemnioribus tamen diebus, quibus religionis Christianæ mysteria celebrantur, in diuinis officijs, sacrisq; solemniter faciendis, illos frequentius, ac studiosius versari oportet. 4 Quæ pert. ad sanct. Missæ sacr. & ad diu. off.

Itaque his solemnibus, festisq; diebus infrà ordine præscriptis, quibus & patrum monimentis, & veteri rituum, cæremoniarumq; Romanarum codice, eoquè comprobato, & antiqua, religiosaq; nonnullarum huius prouinciæ cathedralium cõsuetudine, ab Episcopis, prout etiam ipsa Christianæ religionis mysteria postulant, solemniter fieri traditum est, Missæ sacrificium solemni, pontificaliq; cæremoniarum ritu ab eisdem celebretur.

In sanctissima Natiuitate Domini nostri Iesu Christi.
Die solemni Circumcisionis, quæ est octaua Domini.

Die solemni Epiphaniorum.
Feria quinta in Cœna Domini.
Die sanctissimo Paschæ Resurrectionis.
Die sanctissimæ Ascensionis.
Die sanctissimo Pentecostes.
Die solennitatis sanctissimi Corporis Christi Domini.
Die Natalis sancti Ioannis Baptistæ.
Die festo sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli.
Die Assumptionis Beatissimæ semper virginis Mariæ.
In solennitate omnium sanctorum.
Die festo sancti, sanctæve, cuius nomine ecclesia cathedralis dedicata est: & die prætereà festo præcipui patroni ciuitatis.
Die consecrationis ecclesiæ anniuersario.
Die item consecrationis suæ anniuersario.
Die primo Synodi diœcesanæ.

Diebus statis, quibus sacras ordinationes solennes Episcopus habebit.

Diebus prætereà alijs pro consuetudine suæ Ecclesiæ, tùm alijs ité, quibus ex graui præsertim causa Missæ sacrificium solenni ritu celebrare eorum vnusquisque censuerit.

4. Ibidem. 2 Quò studiosius autem religiosa sua sollicitudine, sanctissimæque pietatis exemplis fidelium animos, atque mentes ad religionis christianæ officia Episcopi inflamment; hoc etiam pro pastoralis officij munere curent, vt quibus diebus Missarum solennia in Basilica Cathedrali concelebrant; ijsdem, quod antiqui instituti, consuetudinisque fuit, & vesperarum officium, & matutinum solenni ritu ipsi obeant. Tùm prætereà ijs diebus, vt religiosi cultus exemplo, sic sacra pastorali concione, aut sermone intrà Missarum solennia fideles sibi commissos pascere nè vllo modo omittant. Fideles verò quò magis à pastoribus suis religiosæ vitæ exemplis, consilio, spectatisque virtutibus adiuuantur, eò vehementius se in omnem benè, sanctèque agendi partem excitare; tùm cumulatius christianæ disciplinæ officia præstare eos oportet. Quare festis his diebus, cùm frequentissimi ad Missarum Episcopalium solennia conuenire studeant; tùm è sacra benedictione Episcopali aliquem salutarem fructum, largiente Domino, consecraturi, nè ante inde discedant, quàm ab Episcopo illam demissò, humiliqué animo, & genibus flexis de more acceperint. Vt id sanè omni studio illi præstant, cùm eos crebrò præmonere, tùm graui sermone cohortari parochi sollicitè carent.

1. Ibidem. 3 Episcopo, & ei, qui in Ecclesia dignitate præditus sit, & canonico,

nico, die feſto ſolennem Miſſam celebranti, adſiſtat ſacerdos, qui adſiſtens dicitur, pluuiali indutus.

4 Quod de Aſiſtente, pluuiale induto, in Concilio prouinciali primo decretum eſt, ità dùm taxàt locum habere decernimus, vt Epiſcopo & alij, Epiſcopalibus inſignibus vtenti, is adhibeatur; alij præterea nemini. 4. Ibidem.

5 Si adſiſtendi munus nemini attributum eſt, Epiſcopus cum capitulo attribuat; vel certos eligat ſacerdotes, qui id in orbem obeant: cuius officij immunes ſint, hebdomadarij, Magiſter chori, & Pũctatores. 1. Ibidem.

6 Epiſcopo, in vrbe etiam, extrà Eccleſiam Cathedralem, pontificalia munera obeunti, vtpotè conſecranti, vel reconcilianti eccleſias, cœmiteriave, aut ordines ſacros, aut confirmationis ſacramentum aut ſanctiſſimam Euchariſtiam frequenti populo miniſtranti, aut alia huiuſmodi munera pontificalia exercenti, cùm is viſſerit, aſſiſtant, inſeruiant, miniſtrentve, quicumque ex ijs, qui dignitates obtinent, & de capitulo, ac reliquo eccleſiæ clero eidem Epiſcopalia munera in Eccleſia Cathedrali exercenti, inſeruire, aſſiſtere, miniſtrareve ſolent, aut debent. 4. Ibidem. Conc. Trid. ſeſſ. 24. c. 12.

7 Quibus in Eccleſijs Cathedralibus dùm veſperarum, aliarumve canonicarum horarum officia, Miſſarumq; ſolennia ab Epiſcopo ſolenniter fiunt; canonici item, quiq́ue dignitatem obtinent, pluuialia, aliasve ſacras veſtes pro libri pontificalis Romani ratione non induũt; in ijs ex eiuſdem, & aliorum item de cęrimonijs ritè conſcriptorum, probatorumq́ue librorum præſcripto ad vſum introducatur, aut intermiſſus reuocetur ille, Epiſcopalibus officijs conueniens, pluuialia aut dalmaticas, aliumve ſacrum veſtitum, vtpotè planetas, certis ſtatis diebus induendi mos. Itaque vbi illa indumenta totidem non ſunt, quot pro induentium numero eſſe deberent, quàm primùm ad officiorum pontificio, ſolenniq́ue ritu, vt decet, celebrandorum, vſum comparentur communi vniuerſi Capituli ſumptu: niſi iure, aut conſuetudine, aliave ratione à ſacriſtia, vel à fabrica, vel à ſingulis canonicis cum ſumptum præſtare oportere Epiſcopus conſueuit; tunćque à quibus debetur, planè præſtetur temporis ſpatio, quod idem Epiſcopus præſcripſerit. 4. ibidem.

8 In cæteris quoque omnibus, quæ ad cęremoniarum rationem, ritumq́ue pertinent, regulę in libro pontificali, cęremonialiq́; item probato de diuinis officijs, pro temporum ratione, ritu Rom. pręſcriptæ diligenter, & accuratè omnino ſeruentur. Id autem omne pręſtari, atque in vſum omninò introduci, Epiſcopi cura ſit.

9 Dùm in eccleſia Miſſæ ſacrificium ſine cantu, ſiuè abſque cantu Epiſcopus facit, nè intereà ab alio ſacerdote in ea fiat, quò ad ille, ſacro 4. ibidem.

cro peracto, de more benedixerit: nisi aliquando secus ob vrgentem causam permittendum duxerit. Quod institutum, cùm Missæ Conuentuales ab alijs celebrantur, præsertim festis, solennibusque ecclesiarum diebus, vbique tùm maximè in oppidis, pagisve in vsum introduci idem Episcopus curabit.

10 Archidiaconus, etiam si sit sacerdos, vel præbendã etiam sacerdotalem, præter Archidiaconatum, obtineat. Missæ sacrum solemniter Episcopo celebrante, vt & in Metropolitana & in alijs huius prouinciæ ecclesijs compluribus moris est, suique muneris, euangelium canat; vel, vbi ex consuetudine id non seruetur, omninò vt Diaconus, diaconalibus vestibus indutus, Episcopo assistat. Archipresbyter autem officio assistentis ad librum seruiat; nisi ex consuetudine Præpositi, vel alteri, dignitate sacerdotali prædito id competat. Cui muneri, qui sine legitima causa, ab Episcopo approbata, defuerit, distributionibus illius diei sibi debitis, & grauius ex contumacia eiusdem Episcopi arbitratu, mulctetur.

11 Quod religiosi instituti, piaq; consuetudinis fuit, & in compluribus adhuc huius prouinciæ Ecclesijs aliqua ex parte retinetur, pontificialiq; libro antiquo traditur, de diaconi, alteriusve ministri & chori officio in Episcopali benedictione, id ad vsum vbique reuocari, pastoralis curæ est, cùm præsertim ad inflammandam fidelium pietatem, præparandamq; in ea Episcopali benedictione attentionem attineat. Itaque diebus Dominicis, festisq; cùm Episcopus benedictionẽ de more impartiet, diaconus, vel alius minister, ad quem de more pertineat, cuiue Episcopus iusserit, ad populum conuersus, his cantu solẽni pronunciandis vocibus præeat. Humiliate vos ad benedictionẽ. Tùm à choro respondeatur. Deo gratias.

In maioribus autem solemnitatibus aliquantò id solemnius præstetur, ritu scilicèt, qui in antiquo libro pontificali ità præscriptus est, vt chorus primò dicat. Princeps Ecclesiæ pastor cuius, tu nos benedicere digneris, Tùm diaconus respondeat: Humiliate vos ad benedictionem. Post, chorus humili voce concinat. Deo gratias semper agamus. Demùm Episcopus solemniter benedicturus, dicat præscriptas, pro temporum ratione, orationes, quæ ex libro antiquo pontificali descriptæ, edentur.

6. Quæ ad diu. off. pert.

12 Solemnes Missæ, Vesperæ, aliaq; diuina officia, quæ ab Episcopo ritu pontificali solemniter celebrabuntur, quo populus frequentior conueniat; cùm in Basilica Cathedrali, tùm in Ecclesijs collegiatis, & parochialibus item Ciuitatis die festo proximè præcedenti denuncientur: eamq; ob causam in Calendarium anniuersarium referantur, vt ordine descriptæ sunt in Concilio prouinciali quarto.

Si quę

Si quæ autem Missæ, aliave officia, ob causam, quæ extrà ordinem inciderit, aliqñ pontificiali ritu, solemniq; celebranda erunt, Episcopi iussu, ijs in tempore significentur à quibus populo denunciandæ sunt.

13 Cùm Episcopus statis præscriptis diebus, quibus debet, vel quia abest, vel morbo, aliave causa occupatus distinetur, Missam, vesperasve, aut alia diuina officia solemniter non celebrat, tunc eius loco hoc præstet, qui in ecclesia cathedrali primam sacerdotalem dignitatem obtinet. Hic verò si aliquando abest; aut impeditus est; is, qui post illam sacerdotalem item dignitatem, vel canonicatum obtinens alijs dignior non impeditus, adest, id munus obeat. 4. Ibid.

14 Episcopi, quàm sæpissimè possùnt, solemni Missę, ac diuinis officijs interfint. Diebus verò Dominicis Aduentus, & Quadragesimę, nisi legitima causa interceserit, omninò nè desint. 1. De Missa. solenn.

15 Episcopum ad celebrandum, vel audiendam Missam, ad aliave diuina officia solemnia venientem, canonici deducant, & reducant.

16 Episcopus pro cęrimoniarum ratione, rituve, cum Missę conuentuali, aut diuinis chori officijs in Basilica cathedrali, vel in alijs collegiatis ecclesijs interest, & item cùm processiones agit, aliave eiusmodi; adhibeat sibi assistentes duos de capitulo, qui ei, & cùm pontificale officium non celebrat, in omnibus his, alijsq; actionibus assistentium munera omnia præstent. 5. Quę ad di. off. pert.

17 Missę sacrificium cum solemniter, præterquàm pro mortuis fit, cui episcopus præsens adsit, canonici, & aliqua illius ecclesię dignitate præditi, quo tempore Hymnus, Gloria in Excelsis, & Symbolum item, & alia eiusmodi canuntur, ad Episcopum ordine veniant, in cuius conspectu corona facta, tunc simul cum eo singulas illas Missę partes dicant, pro cęremoniarum ritu, ac ratione. 4. Ibid.

18 Peracto Missę conuentualis sacrificio, vesperarum officijs in ecclesia absolutis, in quibus Episcopus præsens aderit, diebus Dominicis, ac festis, & alijs item, quibus ex cęremoniarum Romanarum vsu, rituq; moris est, solemniter ipse benedicat.

Quod sanè etiam præstet peractis solennibus processionibus alijsq; id generis officijs.

19 Episcopus diuinorum officiorum, quibus præsens in Ecclesia adest, initium, statis precibus, versibusve faciat, orationesq; statas ipse dicat, binis accensis luminibus in eius conspectum allatis. 6. Quę ad di. off. pert.

20 Hęc supellex eadem est, quę Canonicis, cęterisque ecclesię Cathedralis ministris in peragendis diuinis officijs necessaria est; de qua sequenti titulo dicetur.

Die

De supellectili Missarum, diuinorum officiorum ministrorumq; Episcopalium propria: deq; indumentis Ecclesiæ ministrorum Episcopo solenniter diuina officia celebranti inseruientium, cum eorundem præscriptis formulis.

SVMMARIVM.

1 *Supellex Episcopalis in diuinis officijs, vt distribuitur.*
2 *Apparatus altaris maioris Episcopo celebrante, & cuius formæ, & quotuplex. 6. 7. 8. 9. Cuius materiæ, & species & coloris. 11. 12. 13.*
3 *Vestes, indumenta, ornamentaue episcopalia Missarum, diuinorum officiorum, ac ministeriorum solennium vsui necessaria, quæ, & qualia, quotupliciaq; 6. 9. Cuius materiæ, operis & coloris. 11. 12. 13.*
4 *Indumenta ecclesiæ ministrorum, Episcopo solenniter diuina officia celebranti inseruientium, quæ item, cuiusq; formæ, ac quotuplicia. 6. 10. Cuius materiæ, operis & coloris nu. 11. 12. & 13.*
5 *Reliqua supellex, Missæ, diuinorum officiorum, aliorumq; ministeriorum Episcopalium solennium vsui, quæ, qualis, & quotuplex. 6. Cuius materiæ operis, & coloris, nu. 11. 12. 13.*
6 *Supellex, quæ Missarum, & officiorum Episcopalium vsui propriè, vt suprà, addicta, pro varietate colorum quintuplex esse debet.*
7 *Supellex indumentorum, quæ è lino, byssove confecta, ministeriisq; Episcopalibus addicta, & in simplici numeratione suprà mox posita, ob mundiciem, necessariumq; lauationis vsum multiplicia esse oportet, exponitur, videlicet*
8 *Indumenta linea altaris quot.*
9 *Indumenta linea episcopalia quot.*
10 *Indumenta linea vsui ministrorum episcoporum inseruientium quot.*
11 *Sacræ vestes, & indumenta quæ eiusdem materiæ, & coloris.*
12 *Vestes atq; indumenta eiusdem quidem coloris; sed materiæ diuersa.*
13 *Indumentorum ornamenta, materia, colore, opere, artificioue inter se, vt maximè potest conuenientia.*

Vasa, vestes, indumenta, ornamentaue supradicta omnia, ad quem apparatum non adhibenda. De Missis sine cantu. 41.

Ea neque in Missa, neque in diuinis officijs adhibenda, antequam sint benedicta. Ibid. 45.

Et à quo illa benedicenda. De sacramentalibus. nu. . . .

SVPEL-

1 SVPELLEX, Episcopali vsui solum addicta, hæc erit, quæ infra commõstrata, partim ad altaris maioris apparatum attinet; partim præcipua, ac propria est vestium Episcopalium, ad Missæ sacrificij, & diuinorum officiorum, ministeriorumq; sacrorum solemnem celebritatem vsumque necessariũ partim ex indumentis est, quibus utuntur, qui cumque Ecclesiæ ministri Episcopo solemniter celebranti ministrant, partim verò, quæ reliqua supellex est, ex multiplici genere constat: quod infrà exprimitur titulo suo. Inst. sup. ecc. lib. 2. de sup. Missa. &c.

2 Altaris maioris sequens apparatus est: cuius forma eadem est' quæ infrà tit. De supellectile, quæ Canonicis cæterisque Ecclesiæ Cathedralis, & Collegiatę ministris, & c. præscripta est. Inst. sup. eccl. lib. 2. de apparatu alt. maioris Ep.

Crux.

Candelabra septem, cum operculis ternis extinctoriis.

Emunctoria duo.

Tabella secretorum vna.

Mappæ, quas tobalias dicunt.

Mappa, seu Tobalia maior vna.

Pallium.

Velamentum ad ornatum frontispicij Altaris.

Tela stragula Altaris.

Tapetia, seu stragula bradellæ, & graduum altaris, & plani item, quod à fronte, & ab utroque eius latere est.

3 Vestes indumenta, & c.

Caligarum par.

Caligæ Episcopales, ità longę esse debent, ut vsque ad genua prætensæ, ligulis in ea parte astringantur; quemadmodum cum mysterij significatione conueniens est. Inst. for. sup. lib. 2. de caligis Episc.

Sandaliorum par.

Sandalia, calcei scilicet, quibus Episcopus ad Missæ sacrum solemniter faciendum utitur, è solea integra subtus constent: à parte autem superiori decenter ornata: quæ fenestrata etiam supernè olim fuisse non sine mysterij ratione, Innocentius III. Pont. ostendit. Ibidẽ de Sãdaliis.

Amictus vnus cum fascia, seu auriphrygio.

Amictus, qui quoniam humeris imponitur, superhumerale etiam appellabatur, eiusmodi, ut olim fuit, esse debet, cui fascia assuatur, quæ tamquàm collare quoddam, circa collum super casulam aptetur. Inst. fol. sup eccl. ibidẽ de Amictu.

Fimbria porrò fasciæ condecenter exornata sit: cui p̃tereà tres Cruces annectatur; vna in medio, et in utroq; capite duæ. Longa sit fascia hæc cubitum circiter vnum, et vncias sex: lata vncias circiter septem.

Porrò amictus, è tenui cãdidaq; tela linea sit: pretiosior è subtiliori.

Lon-

Longitudine esse debet cubitorum circiter duorum : latitudine autẽ sesquicubitali . In duobus eius angulis anterioribus assumuntur funiculi: qui Crucis instar supra pectus transuersi, indeque in tergum ducti, moxque reuocati, connectuntur, ut nè suo loco amictus moueatur .

Si verò amictus sine fascia adhibetur ; in eius medio Crux vnciarum duarum longè ab extremitate digitis duobus supernè , acu, aliaue ratione affigetur. Extremitates autem amictus, præterquàm ex ea parte, quæ collũ ambit, aliquo modesto opere exornabuntur: cæterę eius partes , ut illa superioris amictus fasciam habentis .

inst. for. sup. ibid. de Alba, &c.

Albæ cum suis Grammatis, seu auriphrygijs .

Alba , quam candida vestem, camisum etiam à colore vocant, è tela tenui , candidaque sit ; illa pretiosior è tenuiori , longè autem quatuor cubitos producta , & succinta , cùm à lumbis vndique redundet , tùm ad pedes usque pertingat . Latè præterea cubitos quattuor, ac paulò amplius, circumquaque pateat .

Manicas habeat longitudine sesquicubitali, latitudine ab humeris pene cubitali, quæ vsque ad manus sensim angustius ducantur .

Consuta autem sit non artificioso , sed simplici acus opere : in extremis verò manicis & in summa veste, aliquid dumtaxat sit, acu paululum, ac tenuiter elaboratum .

Et ab ima parte aliquantulum reflexum . In ima parte albæ à fronte, & à tergo, itidem in extremis eius manicis, quadræ particulæ, quas grammatas , seu auriphrygium appellant , panni serici , qui coloris , & panni eiusdem, ut casula sit, rectè assuantur . Quę grammatæ circumquaque fimbrijs densis exornatæ sint .

Vbi verò Albæ , sine auriphrygio , seu grammatis adhibentur , ampliè ab imma parte circumquaque pateant cubitos sexdecim : sic paulò , & latiores, & longiores sint , quam aliæ grammatis ornatæ, ut circumplicatæ , ac succinctæ , ad lumbosque reflexæ rugarum , crisparumve decorem exhibeant .

inst. ibidẽ de Cingulo.

Cingulum, seu Zona , cum suo succintorio .

Cingulum , quæ Zona ab Innocentio III. Pont. appellatur , ex candido lino, vel cannabi tenui sit confectum ; longitudine cubitorum circiter septem. Cuius cinguli capita globulis eiusdem materiæ inserantur, filamentorum manipulis appensis, quos floccos dicunt.

Cingulum verò Episcopale à sinistro latere duplex , ut uocant , succintorium, seu succingulum , quo scilicet Stola cum cingulo connectitur habere debet pro ratione mysterij .

Crux pectoralis, ad collum appendenda.

Ibidem.

Ibidem.

Stola .

Stola , quæ item orarium , & palla linostina à Damaso vocatur, extrin-

extrinsecus materiæ colore cum planeta congruat, intrinsecus autem tenui serico vestitur eiusdem coloris item.

Longè cubitis circiter sex, ità ut infrà genua producatur: latè autem, patet vncijs sex; ab utraque autem extrema parte sensim latiusculè patens laccinijs, seu frangijs, ornatur, quæ longitudine sint, unciarum trium: cui præterea Cruces tres annectantur, vna in medio, reliquæ duæ in eius partibus extremis.

Vnaquaque verò Crux parvula sit, forma quadrata: quę ab omni parte vncijs circiter tribus constet.

Stolæ Sacerdotali nihil appendatur, Episcopali verò, & diaconali, ab utraque media eius parte funiculi serici, eodemque colore, & flocculis laciniatis annectantur; ijsque ad illius rectè connectendæ vsum.

Tunica.

Tunica Episcopalis, quam Tunicellam dicunt, è serico tenuiter contexta esse debet: paululò angustior, & breuior, quàm Dalmatica infrà descripta. Ibidem. de Tunicella.

Dalmatica.

Ibidem. de Dalmatica.

Dalmatica Crucis formam præbere debet, ità ut non recisis manicis, sed ad manum vsque protensis, ijsdemque latè patentibus, conficiatur.

Episcopalis amplioribus manicis, quàm diaconalis, hæc latioribus, quàm subdiaconalis, quæ Tunicella vocitata, illas angustiores habere debet.

Ex eadem materia Episcopalis constet, qua Tunicella Episcopalis.

Longa esse debet cubitis duobus, & vncijs sexdecim, atque eiusmodi, quæ infrà genua protendatur, vncijs circiter decem; lata verò à summo, seu ab humeris cubito vno, & vncijs circiter quattuor, ab extremis oris vndique patens cubitis circiter quinque, vel amplius, vt eius latitudo cum mysterij significatione conueniat.

Diaconalis verò, & Tunicella Subdiaconalis lineis, seu fasciolis coccineis ornatur, à fronte, & à tergo, hinc inde à summo, vsque ad imum ductis.

Auriphrygio præterea insignitur, nempè quadris particulis, auriphrygio contextis, inter lineas coccineas illas in extremitate à tergo, & à fronte assutis.

Extremitates huius vestis omnes, præter eam, quæ circa collum est, fimbria cum modicis filamentis exornantur. Interior autem pars tela eiusdem coloris tecta sit.

Chirothecarum par.

Chirothecæ Episcopales contextæ esse debent, et circulo aureo insigniter in extrema parte ornatæ. Inst. ibidem de Chiroth. Episcop.

Planeta.

Casu-

Ibid. de Planeta.

Casula, quam alij phelonium, & planetam etiam ab ampla latitudine dicunt, cubitos tres, & paulò amplius latè patens sit; ità ut ab humeris proiecta, complicationem vnius saltem palmi infrà vtrumque humerum recipere possit. Longè autem cubitos totidem, aut aliquanto longius demissa sit, ut penè ad talos vsque pertineat.

Fasciam item latam vncijs octo ad minimum, quæ assuta sit, ab anteriori parte vsque ad extremum dependentem habeat: cui altera fascia transuersalis in summa propè parte, & à fronte, & à tergo adiuncta, Crucem vtrinque exprimat.

Subireta mitralia quatuor.

Ibid. de Subireto.

Subiretum mitrale non è serico, sed panno laneo sit: idemque forma rotunda, non quadrata.

Mitræ pretiosæ binæ.

Ibid. de Mitra.

Mitra, quæ pretiosior est, è serico auro intexto, gemmis, & margaritis, acusque opere ornata, Episcopalis dignitatis splendorem præfert.

Altera simplex è tela lini purissimi, eaque tenui, & candida conficitur, colore autem albo.

Circulo aureo circumamicta à parte, qua induitur caput: cornua itè duo à summo præseferens, vnum à fronte, alterum à tergo: duas etiam lineas in humeris pendulas habet: quarum extremitates, seu fimbriæ, lacinijs constant.

Annulus Episcopalis insignior.

Ibid. de annulo.

Annulus Episcopalis, ex auro puro puto solidè conflatus, palam habeatur cum gemma pretiosiori, in qua nil sculpti esse debet.

Gremiale.

Ibid. de Gremiale.

Gremiale, longè constet cubitis circiter duobus, latè cubito vno tantum, & vncijs item circiter duodecim, intrinsecus tenui serico eiusdem coloris vestitum; vndique verò cinctum laciniarum auro, argentove intextarum ornatu.

Baculus Pastoralis.

Ibid. de Baculo Pastorali.

Baculus pastoralis à parte ima præacutus, à media totus rectus, à summa retortus esse debet.

Orario, aut sudario non ornatur, si Episcopalis est: quo insigni Abbatialis ab illo distinguitur.

Longitudine recta est cubitorum trium, & vnciarum duodecim: pars verò illius retorta, totidem vncijs, aut paulò altius eminet.

A summa rectitudinis parte, est crassitudine orbiculari unciarum circiter septem: quæ propè ad imam partem descendens, paulatim diminuta, vncijs quinque constat: in ipsa verò planè ima parte ferro, vel argento, velioue metalli genere præacuitur.

Pars

Pars recta baculi integitur laminis solidis argenteis, nulla cælatura ornatis: retorta, laminis item argenteis cælatura elaboratis, & fabri argentarij iudicio inauratis.

Connectitur autem cum illa parte recta, aliquo cælati argenti opere, certis locis inaurato: quod sexanguli formam exhibens, sacris imaginibus ornatur.

Manipulus.

Pluuiale.

Vestis, quæ pluuialis vocatur, semicircularemque formã exhibet, ad imos vsque talos protenditur, longitudine scilicet cubitorum trium, & vnciarum circiter sex constans, & pro semicirculi ratione latè patens. Ibid. de pluuiali.

A fimbrijs ornatum laciniarum habet: à parte solum anteriori tota ab summo ad extremum vsque aperta, hinc & inde auriphrygio, sacris etiam imaginibus intexto, decoratur: à posteriori parte insigne, quod capucium dicunt, brevibus admodum laciniis, ornatu verò auriphrygiato, qui anteriori respondeat. A summa verò parte anteriori, tantùm fibula inconsuta connectitur: intrinsecùs autem serico tenui, aut panno bombycino eiusdem coloris circumuectitur.

Pectorale, ad pluuialis connectendi vsum.

Pectorale, ornamentum scilicet illud, quo ante pectus pluuiale connectitur, duobus vncinis subiectis, ex argento inaurato conflatũ esse debet, cui lapis aliquis pretiosus inseratur, aut sacra imago. Ibid. de Pectorali.

4 Indumenta Ecclesiæ ministrorum, &c. quorum forma partim supra descripta est, num. 3. & partim infrà describetur. Inst. supp. e cl. ibid.

Pluuiale Sacerdotis, assistentis ad librum.

Tunicellæ duæ, vsui duorum assistentium Diaconali vestitu.

Amictus, vsui Diaconi vnus: in Ecclesia Metropolitana duo, cũ suis fascijs, seu auriphrygijs.

Amictus item, usui Subdiaconi, unus: in Metropolitana duo, cum suis fascijs, seu auriphrygijs.

Alba Diaconalis, una item: at in Metropolitana duæ, cum suis grammatis, seu auriphrygijs.

Alba Subdiaconalis, vna etiam: duæ verò in Metropolitana, cum suis grammatis, seu auriphrygijs.

Cingulum Diaconale unum: item in Metropolitana duo.

Cingulum Subdiaconale, unum: in Metropolitana duo.

Dalmatica Diaconalis una: in Metropolitana duæ.

Tunicella Subdiaconalis una: at in Ecclesia Metrop. duæ.

Stola Diaconalis una: in Metropolitana duæ.

Manipulus Diaconalis, unius: in Metropolitana duo.

Manipulus Subdiaconalis unus: in Metropolitana duo.

Velum Subdiaconale ad vsum ferendi Calicis, patenęve sustinędę.

Inst. for. sup. de vel Subd.

Velum Subdiaconale fascia scilicet illa, quæ Subdiacono vsui est ad cō tegendum Calicem, cum illum instructum in altare defertur, ex velo sit, auro, aut argento intextum; à lateribus ornatum fimbrijs; à capitibus etiā filamentis aureis, aut argenteis, aut certè auro, & argento admixto.

Longè sit cubitos sex; latè verò patens, quanta est veli propria latitudo.

Pluuiale, vsui sustinentis librum.

Pluuiale preterea, vsui sustinentis candelam accensam.

Pluuiale vsui ferentis baculum.

Velum vsui Capellani sustinentis mitram.

Vela item, seu continentię, vsui, ministeriove portantium indumenta, ornamentave Episcopalia, cum Episcopus scilicet illis, vel induitur, vel exuitur: eaque duodecim.

Vela ministerialia, nempè fasciæ illæ, quæ à collo pendent ministrorū, Mitram, aliave indumenta Episcopalia ferentium, vel sustinentium, longitudine constent cubitorum circiter sex, latitudine tàm ampla, quanta est tela, è qua confecta sunt.

Confecta autem esse debent è velo candido bombacino, eoque tenui admodum, à capitibus filamentis sericeis albis ornata.

5 Reliqua supellex &c.

Crux.

Inst. for. sup. lib. 2. de Patena.

Calix, ex auro puto, aut si præ facultatum tenuitate non potest, ex argento puro puto itidem conficiatur; eoque inaurato ab omni parte interiori, & exteriori: cuius pes ex auricalcho inaurato permitti potest, si præ inopia ex auro, argentove fieri non potest.

Qui pes amplè, pro illius magnitudine ità pateat, ut firmissimè, vbi collocatur, hærens, cadere non quæat: forma autem, aut octangula, aut sexangula, aut alia eiusmodi sit.

In cuius pedis superficie imagines appareant, quæ tamen manum non impediant, aliqua sacra passionis mysteria significantes, nulla expressa sint signa ad ornatum inanem spectantia.

Nodus in medio decorè, rectèque ornatus, nihil, vel minimum, eminēs habeat, quo, dùm Calix capitur, incommodè capiatur, aut digiti quicquam lædantur; præsertim quo tempore in Missę sacro, ille, indice, & pollice coniunctis, manu teneatur.

Cupa aliquantulum in fundo angusta, sensim vsque ad summum labrū latior fiat.

Labrum eiusmodi sit, ut neque extrinsecùs, neque intrinsecus vllo modo reflectatur.

Calix maior, pretiosior scilicet, ex auro puro puto, & piarum imagi-

num

num cælatura insigniori, qui ad Missæ Sacrum solemniter faciendum adhibeatur, amplè in orbem pateat vncias saltem octodecim: ab imo autem vsque ad summum altitudine sit vnciarum quatuordecim: ampliori vero etiam in Ecclesia Cathedrali, collegiata, ac parochiali insigni.

Calix minor, qui in Missæ non solemnis sacro vsui est, amplitudine in orbem ducta vnciarum quattuordecim, altitudine duodecim.

Vas ad vsum abstergendi Calices, infrà de Corporalibus.

Patena.

Patena eodem auri, aut argenti genere, quo Calix est: quæ si argentea est, inaurata vndique esse debet, nihil artificiosè elaboratum; ac nè circulum quidem, circino profundiusculè ductum, vllo modo habeat. Inst fabr. sup pel. lib. 2. de Calice.

Labrum extremum circulare, ità tenue admodum, ut adiumentum inde sit ad Sacræ Hostiæ fragmenta rectè, facilèque colligenda.

Illam mediam tenuem concauitatem habeat, quæ amplitudinem libri Calicis ferè adæquet.

Patena maior, & pretiosior, quæ Calici grandiori conueniat, amplè in orbem pateat vncias triginta octo, vel amplius, pro amplitudine Calicis: minor verò triginta duas.

Velum Calicis.

Velum Calicis ab omni parte cubito, & vncys duodecim, ac paulò amplius latè patens sit: ab oris undique opere fericeo, auro, argentove teniter ornatum. Ibid. de velo Calicis.

Pretiosius autem auro, & argento contextum sit, fimbrijs itidem aureis, aut argenteis adhibitis.

Sacculus Calicis.

Sacculus Calicis, & patenæ è lino sit; vel ex cannabi latè tam patẽs, longèque productus, ut minimè arctè calicem capiat. Ibid. de Sacculo Calicis.

Ab altera parte clausus erit, & tota tela, quantum lata est, crispata, & in orbiculum consuta, & connexa: aut etiam ita consutus erit, ut duo anguli fiant, sicut communiter fit; tunc enim transuersus calix in ipsum Sacculum constringendus.

Theca Calicis.

Theca lignea, ad Calicem itidem, una cum Sacculo condendum, comparata, simplici opere, nulloque profano ornatu, ità conficiatur, ut ad Calicem, una cum patena capiendum apposita sit, operculo etiam adhibito, quo compressè claudatur: intrinsecùs laneo panno, aut holoserico, quem villutum dicimus, extrinsecùs corio circumuestiatur: cui etiam linea, sine cingulum ex corio ad eam gestandam insertum, adhibeatur. Ibid. de Theca calicis.

Corporale.

Corporale è tela linea pura, & candida sit, ac simplex item, nihilq; ela-

Ibid. de Corporal. boratum, & nihil sericum intextum habeat, ab oris autem acus opere simplici punctim solùm retortum sit. Longè autem vncias triginta ad minus pateat: latè totidem, ità verè complicatum, ut nulla eius extremitas appareat.

In Cathedrali, & collegiatis aliqua corporalia esse debebunt, ampliora, pro altaris maioris amplitudine.

Sacculus Corporalis.

ibid. de Sacculo corpor. Sacculus Corporalis à fronte sit; cruce, vel alia sacra imagine in medio intexta; à tergo etiam ex eadem materia, & colore: intrinsecùs verò subserico, aut tela tenui candida circumuestitus: latè verò vndique pateat circiter dimidio cubito, vel paulò amplius.

Ab oris verò inserantur funiculi sericei, cum globulo; quo astrictus claudatur.

Vas ad vsum abstergendi Calices, & lauandi corporalia.

ibid. de vase ad absterg. Calices, & lauandi corp. Vas ex auricalcho confectum, aut æneum paretur, instar peluis, binis manubrijs constans; atque ab vno labro, ad aliud cubito vno, & vncijs octo, pluribusve, pro ratione Ecclesiasticæ supellectilis, vndique amplum, oreq. eminenti, per quod, quasi per Canalem, aqua inde paulatim in sacrarium effundi possit.

Quod vas vsui solum sit abstergendi Calices, & lauandi corporalia.

Capsulæ Corporalium, & purificatoriorum.

ibid. de capsulis corporalium. Capsulæ Corporalium è speciosò ligno, aut certè condecenter, ornatò sint; intùs serico, aut tenui panno lineo circumuestitæ forma verò quadratæ.

Capsulæ item purificatoriorum itidem vestitæ, atque expolitæ.

Purificatorium.

ibid. de Purificator. Purificatorium è tela non crassa admodum, neque tenui nimis, & simplici acus opere confectum, latitudine sit vnciarum circiter octodecim ad minimum: longitudine totidem, nec verò minùs.

Cui purificatorio Crux parvula in medio acu appingatur.

Capsulæ purificatoriorum.

Capsulæ item, ut supra.

Hamulæ, seu vrceoli quattuor.

ibid. de Hamulis. Hamula non ex argento, stanno, auricalcho, aliove metalli genere, sed è Christallo pellucido, non picto, & denique ab omni parte sordibus puræ; & suo quæque operculo stanneo argenteove aptè contectæ: pretiosiores autem aureo. Peluis vrceolorum.

ibid. de Peluicula. Peluicula Hamularum, è stanno Britannico puriori sit: pretiosior, auro, aut argento saltem: opere autem cælato, piam speciem exprimente: fundo intrinsecùs constet lato, ac plano, neque elaborato, quo firmius hamulæ impositæ hæreant.

Mis-

Missalia duo.

Missale, opere Librario benè, firmiterque compactum, & conglutinatũ, tenuioribus tabellis sectilibus, corio intectis, operiatur. In quo corio nihil profani elaboratum, impressumve extet; sed Crucis insigne, aliave sanctæ pia imago. Ad Missalis autem ornatum folia inaurata existant. ibid. de Missali.

Pretiosius porrò, & operimento præterea coriaceo in aurato, & forma ampliori constet; tùm litteris etiam insignioribus impressum.

Liber Missarum Episcopalium, cantus modulatione notatarum.

Signaculum Missalis.

Signaculum Missalis, cornu transuersale, vnde funiculi pendent, habeat è sericis filamentis confectum, atque ità latum, ut eiusdem Missalis crassitudinem adæquet. Funiculos verò sericos duodenos, colore diuerso distinctos pro officij ratione, atque vsu: ac longè ita ductos, vt Missalis longitudinem vix quinque vncijs excedat. Pretiosius verò signaculum è cornu transuersali constet, quod solidum aureum, aut argenteum sit, idq; inauratum. ibid. de Sign. Missalis.

Integumentum Missalis.

Integumentum Missalis ità longè deductum sit, vt ab ima parte etiam reflexum, octo vncijs superet coriaceum Missalis operimentum: à summa verò nihil omninò extet. ibid. de integum. Missalis.

Latè præterea patens, vt ab utroque latere intrinsecùs reflecti commodè queat. Subuectiatur tela linea, aut bombycina, præter partem, quæ infrà pendens, eodem panno reflexo, ornatur.

Huius integumenti extremitates, quę Missale à lateribus, & à capite circundant, lineæ sericæ opere textili, quæ verò ab ima parte lacinijs sericis ornantur.

Pretiosius autem integumentum habeat extremitatum ornatum, & linea, & lacinijs, auro, argenteove intextis, insigniorem.

Puluinar Missalis.

Puluinar, quod Missali libro supponitur, plenum sit non pluma, non tomento, lanaque concisa; sed lana solida, pilisve ceruinis. ibid. de puluinari Missalis.

Longè patens cubito, & paulò amplius; latè vncijs circiter decem, & octo, ornatum ab vnoquoque angulo lacinijs fibulis: consutum simplici opere: sed partes extremæ consutæ integantur ornamento eiusdem generis, & coloris.

Cui puluinari nihil aliud, ac nè scabellum quidem subijciatur; nisi cum Sacerdoti, oculorum aspectu laboranti, opus est ad Missale altius tollendũ. Porrò scabellum, puluinari aliquantò angustius, vtrinq; quatuor baculis, transuersaliter inter se exigua linea lignea ĩ medio connexis, firmatur: Puluinaria ad quẽ vsũ nõ adhibẽda; Vide tit. de Missis sine cãtu, etc. n. 44.

Pontificalia duo.

Signacula Pontificalium bina.

Integumentum Pontificalis vnum.

ibid. de instr. Candelæ sustinēdę, &c. *Instrumenta duo, vsui candelæ sustinēdæ, cum suis emunctorijs.*

Instrumentum, quod vsui est sustinendæ per capellam candelæ, in Missa, officijsque pontificalibus, ex argento, pretiosius ex auro, aut argento vt aurato fiat: manubrio longitudinis unciarum quindecim, & à summa parte orbiculo constet: cui mediæ intus lunula infixa inhæreat ad candelam imponendæ vsum.

Thuribula bina.

Acerrę binę.

Cochlearia bina.

ibid. de Thuribulo, &c. *Thuribulum, acerra, & cochleare, ex auricalcho singula sine artificiosè celata, atque ornata periti artificis iudicio. Pretiosiora autem ex argento, aut ex auro, vbi per facultates fieri possunt.*

Quod sanè thuribulū, cum quadruplici cathenula, & operculo eiusdem metalli, ubi ritu Romano fit; at Ambrosiano more, cum cathenula triplici, sineque operculo, adhibetur. Longitudo porrò cathenularum sit cubitorū duorum, & vnciarum circiter duodecim.

Vestitus Sedis Episcopalis.

ibid. de vestitu Sedis Ep. *Sedes Episcopalis, vt ex patrum instituto, collocatur loco conspicuo, atq; illustri, ita vestitu decanti pro solemnitatum ratione ornari debet.*

Porrò vestitus eius sit è pannis sericis rasis, non villosis, nec auro, argento ve intextis. Illius gradus tapetibus, panniśve laneis sternantur.

Scabella picta usui assistentium Episcopo.

ibid. de Scabell. assist. Episc. *Scabella ministrorum, Episcopo assistentium è tabellis sectilibus populeis abegineisve constent; cubito, aut paulò amplius altè construenda, sū forma quadrata, quo firmius hæreant, decorè prætereà picta.*

Faldistorium.

ibid. de Faldist. *Faldistorium non amplum, neque altè extructum, vt sedes, Cathedraq. Episcopalis, sed longè depressius esse debet: nec prætereà à tergo neque à lateribus quicquam habeat, quo sedens Episcopus nitatur. E quaternis lignis nuceis, binis scilicet ab anteriori, totidemque à posteriori parte inauratis, laminarum argētearum tegmine ornatis; ijsque singulis ab omni laterali angulo, formam capitis leonini, paululum prominentis, in summo exhibentibus, decorè, aptè, firmiterque constans, sedile coriaceum habeat solidum, idemque non pluma, sed tomento, pilisve minutim concisis plenum.*

Integumentum faldistorij.

ibid. de integum. fald. *Integumentum faldistorij, subuestitum esse debet tela bombycina. Ità verò dissectum, vt sedili tantum inhærens à reliquis partibus*

vsque:

vsque in pauimentum defluat.

Puluinaria faldistorii, duo, unum ad sedendi, alterum ad genua flectendi vsum.

Puluinaria faldistorij, vnum genuflexionis, alterum sessionis vsui è serico villoso constent. Eorum longitudo sesquicubitalis erit; latitudo porrò cubitalis. ibid. de puluin. fald.

Abacus.

Mappa Abaci.

Candelabra abaci bina.

Sustentacula Mitrarum bina.

Vasa ad abaci ornatum tria, aut plura.

Peluis magna seu bacile vnum, aut duo.

Vrceus magnus, quod bocale dicunt, vnus, aut duo.

Abacus, mensa scilicet illa, in qua vasa magna, ex auro, argentove conflata, ad ornatum insignia, & rei diuinæ necess. ac vestimenta quædam, Mitræque, atque alia id generis exponuntur è tabulis sectilibus, populeis, abiegineisue politè confecta, longè pateat cubitis quinque, paulove amplius, pro Ecclesiæ magnitudine, Chori ve ratione, latè cubitis duobus, & vncijs duodecim: altèque item extruatur cubitis & vncijs totidem. ibid. de Abaco, & cæteris.

A tergo autem gradibus duobus pluribusue constet pro uasorum ratione. Suffulciatur porrò binis, terniſve tripodibus, querneis, aut nuceis, ad sustentationis firmitudinem.

Abaci mappa, è lino pretiosiori, byssove eleganter contexta, ita undiq. pateat, ut à fronte, & à lateribus ad pauimentum vsque pertingat: tùm à tergo, si fieri potest, abaci gradus aptè contegat. Si minùs altera eiusdem generis adhibenda est, qua gradus sternatur.

Vasa item, ad abaci ornatum in gradibus exposita, ampullari formæ sint, prout in vasis sacrorum oleorum confectioni dicatis, demonstratur in sua suo loco, altitudine cubitali, aut paulò maiori constent.

Quæ verò in medio collocantur, aliquanto altiora esse debent.

Ex auro præterea, aut ex argento conflentur, in quibus profana cælatura nulla extet, sed pia, ac religiosa.

Pelues aquariæ, seu bacila, quos fontes appellant, ex eodem etiam metallo, eademque cælatura, tum amplitudine sesquicubitali, per diametrum ducta.

Vrcei eiusdem item cælaturæ, metalli, ac magnitudinis prætereà, cum peluibus aquarijs conuenientis decoris.

Mantilia ad vsum abstergendi manus, quatuor: duodecim numero 9.

Linteum, quod manibus abstergendis, in Missæ sacro vsui est, ex lino tenui contextum, longitudine bicubitabili, latitudine verò sesquicubitali con- ibid. de linteo ad vsum abst. ma.

li constet: tùm prætereà vno, & altero capite ornatum lacinijs, & filamentis eiusdem materiæ, & ab extremitatibus lateralibus acus opere simplici, punctim retortum sit. At illud, quod Missæ Episcopalis vsui erit, cũ èlino pretiosiori, tùm amplitudinẽ maiori, atque ornatu insigniori existere debet.

Lectionarium ad usum Missæ solẽnis in Ecclesia Metropolitana.

Integumentum Lectionarij.

Epistolarium.

Integumentum Epistolarij.

Euangelistarium.

ibid. de libris lection. &c.

Integumentũ Euangelistarij: quintuplex 6. cuius materiæ, & coloris

Hi libri, nempè Lectionarius, Epistolarius, & Euangelistarius, & characteribus litterarum insigniores, & opere librario benè compacti, conglutinatiuè, & decorè, firmiterque operti sint ad diuturnitatis vsum, ità ornati, ut de Missali demonstratum.

Ad ornatum præterea, illud piè accommodatum esset, si sacræ mysteriorum imagines, in ijs libris certo loco impressæ, minio, & auro expolirentur.

ibid. de integum. lectorium.

Integumentum porrò eorum librorum tale esse debet, quale integumentum Missalis demonstrauimus.

Integumentum ambonis, vel suggesti.

Integumentum Lectorilis.

Integumentum Lectorilis statarij longè protenditur ferè vsque ad pauimentum: latè patet, vt lectorilis structura; à parte, in qua libri appositi hærent, corio vestitur.

Integumentum lectorilis gestatorij latum, vt est pannus, quo vestitur: longum ad pauimentum vsque suggesti ambonis, vt integumentum longitudine esse debet, qua est ipsius suggesti opus; latitudine, quæ vndique illud totum complectatur.

Vas gestatorium aquæ benedictæ.

ibid. de vase gestat. aquę benedictæ.

Vas gestatorium aquæ benedictæ, vsui officiorum Episcopalium accommodatum, ex argento, eoque certis partibus inaurato confectum, pię etiã alicuius cælaturæ speciem præbeat. Ex eodem item metallo, non inaurato tamen, eodemque piè opere cælatum, adhibeatur in Ecclesiis Cathèdralibus, collegiatis, & parochialibus item, cæterisque aliqua ratione insignibus: at ex ære, aut auricalcho conflatum, in Ecclesiis, census tenuitate laborantibus, permittitur.

Aspergilla duo.

Pannus lineus, seu Sabarium ad abstergendum caput baptizati vsui in baptismis solemnibus.

Pannus, seu Sabarium, quod ad baptizati caput abstergendum adhibe-

tur,

tur, è tela byssina, quod pretiosius, vsui ministerij Episcopalis est, constare debet; è tela verò linea, quod ab alijs adhibebitur. Erit verò circumquaque aptè, decorèque fimbriatum è tela vel byssina, vel lintea. Longitudine erit cubitorum trium; latitudine verò tanta, quanta est telæ, è qua constat latitudo. ibid. de panno abst. caput bap.

Ampulla Chrystallina balsami, cum cochleari argenteo.

Peluiculæ item ad vsum multiplicis ministerij Episcopalis, quatuor sexue.

Peluicula, vsui variorum Episcopalium ministeriorum ex argento conflata, profunda concauitate constet; tum amplitudine sit vnciarum duodecim, per diametrum ducta. ibid. de puluicula, &c.

Forfices ad vsum sacræ ordinationis, bini.

Forfex ex ferro, at certis locis inaurato, conflatus, vnciarum duodecim longitudine constet. ibid. de Forfice, &c.

Vasatria, vsui sacris oleis conficiendis; vnum scilicet, in quo sacri Chrismatis, alterum, in quo sacræ extremæ vnctionis; tertium, in quo Cathecumenorum oleum consecratur.

Vasa Basilicæ Cathedralis, in quibus sacra olea conficiuntur, ex argẽto, aut saltem è stanno Britannico, eoque puro puto, & pretiosiori constentur, forma ampullari sint: quæ ventre amplo, & turgido confecta, à summo, vsq; ad collũ, sensim orbiculari accliuitate sine ullo cælaturæ opere ascendentia, ore hianti, patuloque extent, ab extremo in angustum paulatim vsque ad pedẽ deducta, opere sphærali concludantur: cui pes à summa parte angustè, ab imò latius patens, firmissimè hæreat. ibid. de vasi sacr. oleor.

Geminis ansis constent: quæ cælaturæ speciem in ea parte exhibeant, in qua cum vasibus annectuntur.

Opimento integãtur semispherali, quod in fastigio paruulam Crucem affixa habeat; ità autem annexum, vt à fibula argentea, stanneave, qua annectitur, totum à tergo pendeat: vt nè eo elato Episcopi consecrantis manus in Crucibus, super oleis conficiendis impediatur.

A fronte aptè, ac firmiter in superiori propè ventris parte, paruulus tubus agglutinatus hæreat, vnde oleum defluat, isque eiusmodi sit, qui ab imo patulus, sensim angustè ascendens, pari cum vasis altitudine, & à summo paululum incuruus ore angustiori extet.

Vasa tria, præscripta forma conficiantur: vnum, in quo Sacri Chrismatis: alterum in quo Sacræ extremæ Vnctionis; tertium, in quo Cathecumenorum oleum consecretur. Singula vasa distincta sint inscriptione literis grandiusculis inauratis expressa.

Singula autem vasa olei, magnitudine sint, quæ cum Basilicæ Cathedralis ratione conueniat: sed eiusmodi tamen, quæ in consecrationis ministerio commodè, & gestari, & tractari possint.

Vascu-

ibid. de vasc. ministr.

Vascula præterea sacrorum oleorum ministratoria totidem.

Vascula ministratoria totidē sint, quot vasa sacrorum oleorum, inscriptionibus etiam distincta, eadem forma, è stanno, aut argento itidem, nec verò è vitro confecta; eaque longè angustiora; quæ olei pondo, minora duo tantum capiant; à tergo solum ansata.

Vasculum item vnum, *tripliciter inter se distinctum, vsui sacri olei Cathecumenorum scilicet, Chrismatis, & infirmorum, in variis ministeriis episcopalibus.*

Vela tria serica, *vnum ad vsum contegendi vas Chrismatis, alia duo ad integenda vasa, unum olei infirmorum, alterum cathecumenorum.*

ibid. de velis vasorum sacri olei.

Vela, quæ superiora tria vasa triplicis sacri olei contegant, cum illud die Cœnæ Domini conficitur, longitudine circiter cubitali sint, latitudine, quanta est veli; illudque vasis Chrismatis è serico albo, reliqua duo ex rubro.

Candelabrum vnum } *Vsui sacrę ordinationis Acoluthorum.*
Vrceoli etiam }

Liber exorcismorum, *vsui sacræ ordinationis exorcistarum.*

Hic liber exorcismorum, ut cæteri libri Ecclesiastici, opere librario decenter confectus, operimento tegatur, quod supra aliis voluminibus prascriptum est.

Liber Epistolaris, *vsui sacræ ordinationis Subdiaconorum.*

Liber Euangelistaris, *vsui sacræ ordinationis Diaconorum.*

6 Supellex, *quæ Missarum, & officiorum Episcopalium, &c.*

Instr. fabric. lib. 2. eodem capite.

Cum porrò sacras vestes, indumentave, & altaris, & Episcopi celebrantis, & ministrorum esse debeant coloris conuenientis officio, & Missæ diei, ex instituto sanctę matris Ecclesię, quæ coloribus quinque uti consueuit, albo scilicet, rubro, violaceo, viridi, atque nigro, fit, ut pro hac colorum varietate in diuinis officijs instituta, quintuplex sit sacrarum vestium, & indumentorum apparatus, suprà nominatim expositus.

Vestes igitur sacræ, indumenta, ornamentave, quæ ordine infrà numerantur, quinque singula esse debent, colore scilicet diuerso, vtpotè albo, rubro, violaceo, viridi, & nigro, exceptis quibusdam indumentis, nominatim infrà commostratis, quæ quaduplicia tantùm sunt, quoniam nigro colore non adhibentur.

Pallium Altaris.

Velamentum frontispicii Altaris.

Caligæ } *Hæc indumenta quadruplicia tantum erunt, quia nigro colore esse non debent.*
Sandalia }

Auriphrygium, seu fascia amictus.

Grammatæ, seu auriphrygium albæ.

Stola.

Tuni-

Tunica.
Dalmatica.
Chirothecę, quarum scilicet paria quatuor tantum erunt; quia nigro colore non adhibentur.
Planeta, seu Casula.
Cremiale.
Manipulus.
Pluuiale.
Pluuiale assistentis Sacerdotis.
Tunicellæ vsui assistentium Diaconali vestitu.
Auriphrygium amictus Diaconalis vnus, in Metropolitana duo singulorum colorum.
Auriphrygium item amictus Subdiaconalis, vnus: in Metropolitana duo singulorum colorum.
Grammatæ, seu auriphrygium albæ Diaconalis, vnum; in Metropolitana duo.
Grammatæ, seu auriphrygium albæ Subdiaconalis, vnum: in Metropolitana duo.
Dalmatica Diaconalis, vna: in Metropolitana duæ.
Tunicella Subdiaconalis, vna: in Metropolitana duæ.
Stola Diaconalis, vna: in Metropolitana duæ.
Manipulus Diaconalis, vnus: in Metropolitana duo.
Manipulus Subdiaconalis, vnus: in Metropolitana duo.
Pluuiale vsui sustinentis librum.
Pluuiale item vsui sustinentis baculum Episcopalem. Hoc verò indumentum quadruplex tantùm esse debet: quoniam in officijs pro mortuis non adhibetur baculus.
Pluuiale præterea, vsui sustinentis Candelam accensam.
Velum Calicis.
Sacculus Corporalis.
Signaculum Missalis.
Puluinar Missalis.
Signaculum Pontificalis.
Integumentum Pontificalis.
Vestitus Sedis Episcopalis.
Indumentum faldistorij.
Puluinaria faldistorii.
Integumentum Lectionarii.
Integumentum Epistolarij.
Integumentum Euangelistarij.
Integumennum ambonis, vel suggesti.

Inte-

Integumentum Lectorilis.

7 Supellex indumentorum,&c.

inst. sup. ecc. Bas. Cath. li. 2. cod. cap.

8 *Primò igitur Altaris indumenta linea, byssina ve, vsui Missis Episcopalibus sunt, quorum tota summa erit numero infrà mox notato.*

Mappæ maiores, tres.

Mappæ minores, sex.

9 Amictus octo.

Albæ totidem.

Corporalia sex, cum suis pallis.

Purificatoria duodecim.

Mantilia ad usum abstergendi manus, numero duodecim.

Mappæ abaci tres.

Sabaria ad vsum baptisinorum solemnium tria.

10 Amictus Diaconales octo: in Ecclesia Metropolitana, sexdecim.

Albę Diaconales totidem: in Metropolitana, ut supra, sexdecim.

Amictus Subdiaconales octo: in Metropolitana, sexdecim.

Albæ Subdiaconales octo: in Metropolitana etiam sexdecim.

inst. sup. eccl. lib. 2. de conuenientia in dument. & orn.

11 *Exposuimus apparatum omnem sacræ supellectilis, tum simplicem, tum duplicem, tùm triplicem, tùm denique quintuplicem, multiplicemve. Cuius vniuersi apparatus vestes, atque indumenta, quoniam quædam non colore solum, sed materia, è qua confecta sunt, conuenire inter se debent; ac rursùs alia, quamuis panno, materiave ab illis differant, tamen eodem colore, vt illa sint, oportet; tùm præterea quædam illorum indumentorum ornamenta sunt, quæ ratio postulat, ut ornatu, materia, colore, & opere, artificiove, ut plurimum inter se singula respondeant: benè est, ut exposito tam multiplici apparatu, commõstremus etiam, quæ sacra indumenta colore, & materia; ac quæ item colore solum cum illis conuenientia esse debeant; & quæ denique ornamenta, materia, colore, & opere, inter se, ut maximè fieri potest, congruere debeant. Atque apparatus quidem, qui eadem materia, eodemque colore simul constare debet, est sacrarum vestium, atq; indumentorum, quæ ordine infrà nominatim notantur.*

Sacræ vestes, & indumenta eiusdem materiæ, & coloris.

Pallium.

Planeta.

Stola Sacerdotalis.

Manipulus Sacerdotalis.

Pluuiale.

Auriphrygium, seu fascia amictus Sacerdotalis, Diaconalis, & Subdiaconalis.

Grammatæ, seu auriphrygium albę Sacerdotalis, & Diaconalis, & Subdiaconalis.

San-

Sandalia.
Caligæ, quas olim hiacinthino colore fuisse proditum est.
Gremiale.
Dalmaticæ Diaconales.
Tunicellæ Subdiaconales.
Stolæ Diaconales.
Manipulus Diaconalis.
Manipulus Subdiaconalis.
Auriphrygium, seu fascia amictus Diaconalis.
Auriphrygium item amictus Subdiaconalis.
Sacculus Corporalium.
Puluinar Missalis.
Integumentum Missalis.
Integumentum librorum, Euangelistarii, Epistolarii, Lectionarii.
Integumentum Lectorilium statariorum.
Integumentum Lectorilium gestatoriorum.
Integumentum ambonis, suggestiuè.
Integumentum saldistorii.
12 Dalmatica, Tunicella } & Episcopalis.
Chirothecæ Episcopales.
Velum Calicis.
Integumentum Sedis Episcopalis.
Velum frontispicii Altaris.
Vela, seu continentiæ Subdiaconales.
13 Cruces frontispicii pallii.
Cruces planetæ.
Cruces Stolæ Sacerdotalis, & Diaconalis.
Cruces manipuli Sacerdotalis, Diaconalis, & Subdiaconalis.
Cruces fasciæ amictus.
Auriphrygium pluuialis.
Grammula, & fasciæ Dalmaticæ Diaconalis.
Grammula, & fascia Tunicellæ Subdiaconalis.
Ornamentum puluinaris Missalis.
Ornamentum Sacculi Corporalium.
Ornamentum integumenti Codicum.

Laciniæ singulorum integumentorum, & puluinarium conuenire etiam debent cum coloribus ornatus, ità scilicet, ut aurum cum auro, aut argentum cum argento, & sericum cum colore ornatus, pannive conueniat.

De Missis sine cantu ab Episcopo celebrandis.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus, quibus diebus Missam priuatim celebret.*
2 *Et vbi.*
3 *Eo celebrante eius familiæ adsistentia.*
Episcopo Missam celebrante in eadem Ecclesia à nemine alio Sacerdote celebrentur. De Missa, & Vesp. Pontif. nu. 9.
4 *Quo in Altari Episcopus celebrauit, à Sacerdote alio eo die non celebrandum.*
5 *Quando verò is non celebrat, interſint, quidque etiam ea in re caueat.*
6 *Quæ ſupellex in eiſdem Miſſis adhibenda.*

1. de frequē. diuini ſacrificii oblatione. Heb. 2.

1 CVM Pontifices, vt inquit Apoſtolus, ex hominibus aſſumpti, pro hominibus conſtituantur in ijs, quę ſunt ad Deum, vt offerant dona, & Sacrificia pro peccatis: Episcopus Dominicis, & reliquis feſtis diebus, niſi iure impediatur, Miſſam celebret.

4 de Episcopis.

Miſſę ſacrificium frequentius celebrare ſtudeant, Dominicis verò, feſtiſque diebus, nè id prędare omittant, ex Concilii prouincialis primi decreto.

2 Hoc verò ipſum facere curent crebrius in Ecclesia, quàm in priuatis oratoriis.

Tùm prętereà Miſſę ſacrificium facere ſtudeant, quibus diebus Eccleſias, Altaria, aut Campanas conſecrabunt, aut cęmeteria, eaque reconciliabunt, & alia eiuſdem generis Episcopalia munera obibunt, illis prętereà diebus, quibus Eccleſiaſtica beneficia conferent, & generalia clericorum, qui initiandi ſunt, & confeſſariorum examina habebunt, cæteraſque denique grauiores conſultationes, & deliberationes inibunt.

3 de ijs, quæ pert. ad Miſſæ ſacrif.

3 Episcopo Miſſam celebranti, vel audienti, frequens familia adſit.

4 ibidem.

4 Quod ad Episcopalis ordinis obſeruantiam in Eccleſia inſtitutum eſt: id deinceps ſeruetur; ut quo in Altari Episcopus Miſſę ſacrificiū fecit, nè illo die in eodem alius quiuis ſacerdos faciat, niſi illius conceſſū.

5 Cū aūt ob cauſam ſacrificium non faciunt, religioſè interſint.

Nec

Nec verò, cum adfuturi sunt, Sacerdotem Capellanum, sacrificiē di causa indutum, ad Altare in mora esse velint, aut expectare patiā-tur; dùm ipsi aliis rebus incumbunt. Prius autem sacrum facere, aut impediti, ei interesse studeant, quàm alias occupationes, actionesve extern as suscipiant, gerantve.

6 Eadem supellex adhibenda, quę suprà titulo de supellectile Missarum, &c. Episcopalium præscripta est; ijs exceptis, quę Missis Pontificalibus celebrandis, & aliis ministeriis Episcopalibus agendis, cæremoniali Romano designata reperitur.

Quæ hic adsint, uideantur in titulo de vita, & hon. Episcopor.

De Missis Conuentualibus, tam in Cathedrali, quàm in Collegiatis, & aliis Ecclesijs celebrandis.

SVMMARIVM.

1 *Missa, Dominicis, & festis duplicibus à quo in Cathedrali, & collegiatis canenda.*
2 *Diebus alijs à quibus id præstetur.*
3 *Eam non celebrans, ut mulctetur.*
4 *Impeditus, quid faciat.*
5 *Diaconus, & Subdiaconus sacris vestibus induti festis diebus, & quando ferialibus Canonico Sacerdoti celebranti ministrent. Vbi et ferialibus diebus sic induti omnino inseruiant. 6.*
6 *Quando Canonicorum loco alij duo fussici possint.*
7 *Episcopi officium in deputandis qui inseruiant in munere Subdiaconali, & Diaconali. 10.*
8 *Canonici Diaconi, & Subdiaconi, quibus diebus sacram Eucharistiā sumant.*
9 *Idem quid amittant deficientes in ministrando pio officij sui munere.*
10 *Munere verò nemini assignato, à quo assignandum. 7.*
11 *In eleuatione corporis Domini cum Missa Conuentualis, vel parochialis celebratur, pulsanda campana. 12.*
12 *Dumque ea celebratur, ab alio Sacerdote Missæ sacrum non faciendū. De Missa, & Vesp. Pontificalibus, num. 9.*
13 *In Missa Conuentuali, quid canendum.*
14 *Symbolum totum à choro cantandum.*
15 *Quando plures Missæ cantandæ.*
16 *Pœna Capitulo illas omittenti.*
17 *Missa in aurora Natalis Domini, canenda.*

Absens

18 *Absens ab ea Missa quid perdat.*
Missa Conuentualis quando,vbi,& à quib.pro defuncto Episcopo can tan.De funere Episcopi 4.
19 *Pro Canonicis defunct & à Capitulo celebranda.*
Pro parocho defuncto qu ando,& à quibus.De Parochijs.54.
Pro Papa,quando,vbi,& à qu ibus.De ratione diu.off.49.
Quæ supellex in Missis Conuen & alibus celebrandis est adhiben.sequē ti titulo exponitur.

1. De Missa solemni, & §. diebus vero.

1 DIEBVS Dominicis,& festis duplicibus Canonicus hebdomadarius Missam maiorem cantet: nisi ijs diebus ii, qui in Ecclesia dignitates obtinent,id munus obibunt, vel Ecclesiæ instituto,vel Episcopi iussu.

2 Aliis diebus,nisi de more,vel instituto Ecclesiæ id munus sit Canonicorum, quod seruari iubemus,idem Mansionarij, aut alij Sacerdotes ad id designati.

3 Qui Sacerdos Missam solemnem in Ecclesia Cathedrali, vel Collegiata celebrare debet, & suo muneri defuerit; nisi legitimè impeditus, eius rei facultatem à Præsidente Chori, vel Sacrista impetrarit; in singulas vices soluat decem solidos, in vsum Ecclesiæ, vel Sacristiæ erogandos, arbitrio Episcopi, vel ei dandos, qui illius loco celebrarit.

2.tit.2. decr. 4.

Ecclesiastica dignitate,aut Canonicatu frēditus, si in Ecclesia, vbi eam, eumve obtinet, Missas Conuentuales,pro ratione ipsius,aut dignitatis,aut Canonicatus ad Episcopi ex Tridentini Concilij auctoritate,prescriptum,celebrare contempserit,vel neglexerit;non solum tridui distributionibus; vt superiori Synodo prouinciali sancitum est, mulctetur;verùm etiam ab ordinis sui munere suspendatur,ipsius Episcopi arbitratu.

3.De iis, quę ad diu. of. pt.

Quæ hoc de genere nos primo,& altero prouinciali Concilio statuimus,id prętereà decernimus,vt quicumque Canonicus hebdomada sua,alioue tempore,quo,vel suo nomine, vel hebdomadarii vice, vbi legitimè per alium potest obiri munus, aliquod officium præstare debeat,in tempore non conuenerit,aut officii sui munus, neque ipse,neque eius nomine,si legitimo impedimento distinetur, alius eius Ecclesię Canonicus prestiterit; vel Prefectum de impedimento certiorem in tempore non fecerit,aliqua distributionum portione mulctetur, Episcopi arbitratu.

Quo Decreto astringi etiam eos omnes volumus,qui etiam si Canonici non sint,aliquod in Ecclesia munus obire debent.

Qui

4 Qui impeditur, quo minùs Missam celebrare possit, Sacristam moneat in tempore; vt accepta eius excusatione, curare possit, vt ab alio Missa celebretur. 1. Ibidem.

5 Diaconus etiam, & Subdiaconus eisdem ministrent, sacris vestibus induti. 1. de Missa solemni.

Alijs verò inferioribus, ut ministrent Diaconus, & Subdiaconus sacris vestibus induti, in maioribus saltem Ecclesijs, ubi id fieri poterit, Episcopi curabunt.

Dominicis, & festis, & alijs item diebus, quibus officium duplex peragitur, Canonici duo, vnus, qui Diaconale, alter, qui Subdiaconale ministerium præstet, Canonico Sacerdoti Missam Conuentualem celebranti, ministrent. Sicubi verò alijs etiam diebus per Canonicos id præstari solet, id deinceps etiam seruetur perpetuò. 4. Quæ pert. ad sanctiss. Missę sacrificium & diu. off.

6 Vbi verò præ paucitate Canonicorum, illis Canonicis duobus in Missę Conuentualis sacrificio ministrantibus, numerus eorundem, qui in Choro adsint, congruus Episcopi iudicio non erit: liceat eidem Episcopo alios duos non Canonicos statuere: qui illis duplicis officij dieb. qui tamen ex precepto, consuetudineve non coluntur, loco Canonicorum, Diaconale, & Subdiaconale ministerium obeant.

Omninò autem diebus etiam ferialibus Diaconus, & Subdiaconus, Dalmaticis induti, Missę inseruiant in Cathedralibus, & Collegiatis ecclesijs quibusque, nisi vbi Episcopus censuerit, ministrorum numerum adeò exiguum esse, vt id fieri non possit.

7 Cuius item Episcopi sit decernere, qui munus huiusmodi præstare debeant; si modo illud iam attributum perpetuò ex institutione, vel consuetudine non sit.

8 Curet Episcopus, vt quemadmodum admonuit Sacra Tridentina Synodus, & Diaconi, & Subdiaconi, saltem Dominicis, & festis solemnibus diebus, cum altari ministrauerint, Sacram Eucharistiam sumant. 1. Ibid. sess. 13. c. 13.

9 Diaconi, vel Subdiaconi, qui ex iure, statuto, vel consuetudine certis diebus altari ministrare debent; si defuerint, eius horæ distributionem nè capiant: quorum vices subeant ij, quos Chori præfectus iusserit, quibus detur aliqua pars distributionis, quæ absentibus est adempta.

10 Vbi nemini nominatim id munus in ea Ecclesia impositum est, quibus Diaconis, vel Subdiaconis, Chori prefectus id negocii dederit, illud suscipiant; dùm singulis præbendis propria munera ab Episcopo assignabuntur: vel alij Diaconi, & Subdiaconi constituentur, qui eo fungantur officio.

11 12 Cum Corpus Iesu Christi Domini sustollendum, in Missa conuentuali, & in ea item Missa, quę in vnaquaque parochiali Eccl. à paro- 2. tit. dec. 6.

cho celebratur,tùm signum sono Campanæ detur,cuius soni significatione fideles,qui in Ecclesia Missæ sacrificio tunc non interfunt,admoniti,ad tanti,tamque magni mysterij,ac beneficij recordationem animũ excitantes,mente supplici,religiosas preces piè adhibeant.

13 In Missę Cõuentualis sacro,Introitus,Gradualia,Offertoria,& alia id generis canantur,quæ Ecclesiæ instituto,ad eam sacrificij Missæ actionem,quę fit,propriè accommodata sunt.

3.de iis, quæ pert. ad Missæ sacrif.

Si quando autem,quo tempore Sacerdos secreto agit, aliquid canendum videtur,nè quicquam canatur,quod etiam illi actioni aptè conueniens,Episcopo non ante probatum sit.

Itidemque quod ad probationem attinet, in aliis diuinis officijs seruetur.

14 Symbolũ verò fidei totũ à Choro,non alternatim organo canatur.

3.Ibidem.

15 Missæ conuentualis sacrum pro diei festi,ferięve ratione nè in Cathedralibus,Collegiatisque Ecclesijs omittantur,propterea{que} eodem die à capitulo etiam pro mortuis,vel ex Decretis nostris Prouincialibus, vel ex legatis defunctorum,vel alia de causa fieri debeat: sed tunc, vt Honorii III. Constitutione cautum est, & semel pro ferię, festiue diei ratione, Missæ Conuentualis sacrum fiat, & iterum eodem die pro mortuis.

4.vt supra.

Quibus diebus, ex Missalis Romani rubricarum præscripto, in Ecclesijs Cathedralibus,& Collegiatis, Missas Conuentuales celebrari oportet,eæ ambę canantur;tùm cantu item celebretur,si quæ præterea alia Missa eodem,vel alio die ex consuetudine,legatove pio, vel alio ire ibi cani debet.

16 Quod si Capitulum præstare omiserit, neglexeritve, non solum illius diei, in quo huic muneri defuerit, verùm alterius etiam diei distributionibus mulctetur: & alio die suppleantur omissa.

Ibidem.

17 Quod pii, religiosique instituti in Ecclesia fuit,quemadmodum ex sanctorum patrum monimẽtis ex antiquo Cæremoniali Codice accepimus,ut nocte Natalis Domini Missa,quæ in aurora celebratur,sicut illa in media nocte,& altera in die ipso Natali caneretur; eadem in omni Prouinciæ nostræ Cathedrali, & Collegiata Ecclesia, sub auroram etiam canatur, præsenti omni clero, qui diuinis officijs interesse solet, aut debet.

18 Quicumque defuerit, illa distributionis medietate mulctetur, legitimo impedimento cessante,quam proportionabiliter amitteret, si à Missę sacrificio solemni,quod media nocte fit,abesset. Idem quoque pręstetur in parochiali quacumque Ecclesia,ubi alię duæ eiusdem diei Missæ canuntur.

2.ti.2.dec.14.

19 Canonici mortui funus,eiusve,qui eiusdem Ecclesiæ,in eave dignitatem

tatem obtinebat, Capituli sumptibus à reliquis Canonicis fiat; tùm pro eius animę salute Missa Conuentualis celebretur; & vnusquisque item Canonicus, ministerve eiusdem Ecclesię, qui sacerdos sit, Missam itidē pro eo celebret.

Quæ hic fortè desiderabuntur, videantur in titulo de ministris Eccles. De diuin. off. & de Missa, & Vesp. Pontifical.

De supellectile, quæ Canonicis, cæterisque non solum Cathedralis, sed etiam Collegiatæ Ecclesiæ ministris in Missis Conuentualibus, diuinisque officijs, & aliis ministerijs vsui est.

SVMMARIVM.

1 *Supellex in Missis Conuentualibus adhibenda, vt partitur.*
2 *Apparatus Altaris maioris, qui, & qualis.*
3 *Supellex ad vsum sacrificij Missæ Conuentualis, & diuinorum officiorum, quæ, & qualis, forma videnda in titulo de supellectile Missarum Episcop. & c num. 2.*
4 *Supellex propria Missæ tantum, quæ, & qualis. Eius forma videnda ibidem.*
5 *Supellex Missæ Conuentualis, & diuinorum officiorum vsui communis, quæ, & qualis: formæ hic non appositæ, videantur in prædicto titulo.*
6 *Libri, seu uolumina ad usū diuinorū officiorum in Ecclesia Metropolit. & Collegiatis, pro Ritus Ambrosiani ratione, quæ, & qualia.*
Libri, seu volumina ad vsum diuinorum officiorum in alijs Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis Ritus Romani, quæ, & qualia.
Libri Sacri ad vilem, & sordidum vsum non auertendi.
7 *Supellex, quæ multis ministerijs sacris communis est, quæ, & qualis.*
8 *Multiplicis apparatus supellectilis ratio.*
9 *Quæ supellex duplicanda.*
10 *Quæ triplicanda.*
11 *Quæ quintuplicanda.*
12 *Supellex linea multiplicanda, etiam ob commutationis vsum.*
13 *Indumenta linea Altaris in Missis Conuentualibus quotuplicia.*
14 *Indumenta linea Sacerdotalia in Missis Cōuentualibus, quot item.*
15 *Indumenta linea vsui ministrorum in Missa Conuentuali inseruientium, quot.*

16 *Indumenta linea vsui varijs ministerijs quotuplicia.*

Quæ supellex, quæque indumenta eiusdem materiæ, & coloris. De supell. Miss &c. Episcop. num. 11.

Quæ supellex eiusdem quidem coloris, sed materiæ diuersæ. Ibid. 12.

Quæ indumentorum ornamenta, materia, colore, opere, artificioue inter se, vt maximè potest, conuenientia. Ibid. 13.

Vasa, vestes, indumenta, ornamenta ve supradicta, & alia, ad quem apparatum non adhibenda. De Missis sine cantu. 41.

Ea, neque in Missa, neque in diuinis officijs adhibenda, ante quàm sint benedicta. Ibid. 45.

Et à quo benedicenda. De Sacramentalibus. 75.

Supellex omnis qua munditia asseruanda. De Sacristia. 23.

Inst sup. ecc. lib. 2. et primo supell. quæ Canonicis, &c.

1 EXposita supellectile, quę Episcopali vsui propriè addicta est; sequitur, ut dicatur de supellectile, quę Canonicis, cęterisque Ecclesiæ Cathedralis, & Collegiatæ Ecclesiæ ministris in peragendis diuinis officiis necessaria est.

Hæc porrò ordine distincta, partim ad altaris maioris apparatum, partim ad Missę Conuentualis, & diuinorum officiorum vsum, partim ad cultum, & administrationem Sacrę Eucharistiæ, aliorumque Sacramentorum, partim ad alia Ecclesiastica ministeria, & alia item speciatim ad funeralia officia, alia denique ad Sacristiam pertinet.

Hic sanè distinctionis modus, in reliquarum etiam Ecclesiarum, prout earum uniuscuiusque ratio tulerit, supellectile commostranda, præfiniendaque seruabitur. Primò autem loco supellectilis apparatus simplex exponetur.

2 Apparatus altaris maioris est, qui sequitur, scilicet.

Crux.

Inst. for. sup. lib. 2. de Cruce.

Crucis porrò, quæ, vel super altari maiori, vel super tabernaculo sãctissimæ Eucharistiæ collocabitur, forma penè quadrangula erit: cuius tamẽ pars inferior paululum oblonga, in tubulum desinet: vt, cùm ad vsum processionum, aliarumque Ecclesiasticarum actionum opus erit, à sui possit fulcimento commodè eximi. Ea autem magnitudine Crux erit, quæ cum altarij amplitudine, aptè, decorèq; cõueniat. Ex aureis, aut, si minus per facultates possit, argẽteis laminis Crux altarij maioris erit in Basilica Cathedrali, Ecclesiisque Collegiatis: hæcque vsui solemniorum dierum, atq; officiorũ: altera aũt ex auricalcho inaurato condecenter cælata, elaboratave, alijs diebus adhibenda. Ex hac item materia, vel ex argento, illa etiam erit, quæ in alijs Ecclesiis, præsertim parochialibus, super altari maiori collocabitur.

Eul-

Libri de Computo Ecclesiastico, duo quoque.

Libri præterea, ijque probati de Musico cantu, modulatione diuinorum officiorum, in Cathedrali tres, pluresve: in Collegiata duo, pluresve.

Volumina diuinorum officiorum vsui addicta, ut potè Breuiaria, Lectionaria, & alia id generis, suprà enumerata, planè eiusmodi sint, quale Missale paulò ante demonstrauimus. Instr. for. supell. lib. 2. de libris, &c.

Libri sacri, veteris, & noui testamenti: volumina item Sanctorum patrum, nostræ fidei interpretum, tùm scripta etiam Ecclesiastica, quibus etres, & verba diuina consignata sunt, etsi temporis vetustate omninò cõsumpta, ad rerum tamen vilium, ac sordidarum vsum nè ullo pacto conuertantur, sed in ignem potius conijciantur. 2. tit. 2. decr. 21.

7 Vas vnum vsui aquæ Dominicis diebus benedicendæ in Cathedrali, & Collegiata.

Vas ad vsum aquæ benedicendæ paretur, quod non luteum, non testaceũ, fictileve sit, sed æreum stannoque intrinsecus illitum, binis ansis, & ore patenti, amploque constans; fundo item paulò, quàm os, angustiori, ità tamen, vt firmiter vas hærere possit. Instr. for. supell. liq. 2. de vasis instrumentis, quæ in Sacrist. &c.

Vasculum gestatorium aquæ benedictæ in Cathedrali, & Collegiatis, forma. De supell. Miss. Epis. num. 5.

Aspergillum item.

Peluis gradiuscula gestatoria, vna saltem, tàm in Cathedrali, quam Collegiata, ad vsum lauationis manuum.

Vrceolus ad eundem vsum grandiusculus vnus item.

Polubrum, vas scilicet lauandis manibus Sacerdotis, & vasculum item aquæ infundendæ aptum; cum is extrà Missæ sacrum aliqua sacra ministeria obit, condecenti, congruentique inter se opere sint, ac magnitudine: ex argento autem constentur, aut saltem è stanno pretiosiori, tùm piæ alicuius cælaturæ; aut in crustationis ornatu constent.

Mantile grandius ad manus abstergendas, in Cathedrali, & Collegiata.

Mantilia grandiora, quæ præter ea, quæ in Sacristia appendenda sunt, ad abstergendas manus, extrà Altaris vsum parari debent, filo non crasso nimis intexta, & ab omni parte condecenter exornata sint; tùm ab vtroque etiam capite filamentis adiunctis, longè pateant cubitis tribus; latè verò, quanta sanè est telæ latitudo. Ibidem.

Vasa, vsui excipiendi oblationes duo saltem in Cathedrali, ac Collegiata, quæ Curata sit, forma. de Parochijs, & c. 60.

Superpellicea ad vsum varium ministeriorum Sacerdotalium: in

in Cathedrali quatuor, sex ve: in Collegiata tria, quatuor.

Superpelliceæ, vsui clericalium ministeriorum, tria: plura ve in Cathedrali, totidemque in Collegiata. De vita, & hon. cler. nu. 22.

Inst. sup. ecc. lib. 2. De ratione multiplicis apparatus.

8 *Quoniam verò pro ratione officij diuini, quod modo solemnius, modo minus solemniter fit; prout diei vel celebritas, vel commemoratio, vel solẽnitas, quæ agitur, requirit, illud planè conuenit, ut sicut ei diei, aut solemnitati, officium omni ex parte consentit; ità ex Sanctæ Matris Ecclesiæ vsu apparatus respondeat sacrarum vestium, & materia, è qua confectæ sint, pretiosiori, & ornatu insigniori, & colore item, qui, ut supra in supellectile, vsui Episcopali propriè addicta, enucleatius præscripsimus, cõuenire debet cum officio, quod agitur.*

Quare iam commõstrato simplicis supellectilis apparatu, regulæ tradẽdæ sunt supellectilis, quę pro officij vsu, multiplicanda est.

At primò quidem de ea, quæ si materia, & ornatus spectatur, alia duplex, alia triplex, apparanda est.

Quæ porrò supellex duplex esse debet; illius ratio hæc est, ut una sit vsui quotidiano; altera vsui solemniorum dierum, eaque, & pretiosiori materia, & ornatu insigniori. Res igitur, quæ sub hanc duplicis supellectilis regulam cadunt, hæ sunt, vtpotè.

Crux.
Candelabra sex.
Emunctoria duo.
Tabella secretorum.
Mappa maior.
Mappæ minores.
Tela stragula Altaris.
Tapetum bradellæ Altaris.
Cingulum Sacerdotale.
Cingulum Diaconale.
Cingulum Subdiaconale.
Hamularum paria duo.
Peluicula vrceolorum.
Tabella gestatoria pacis offerendæ.
Thuribula duo.
Acerræ binæ.
Cochlearia bina.
Cereostrata bina.
Conopęum tabernaculi maioris.
Vmbella processionalis.
Vasculum gestatorium aquæ benedictæ.
Aspergillum.

Peluis

Peluis ad vsum lauationis manuum.
Vrceolus grandiusculus.

10 *Quæcumque autem res infrà demonstratæ sunt, hac regula comprehenduntur, ut triplices esse debeant, cum singulas singulis diebus pretiosiori, & materia, & ornatu respondere conueniens sit: ità scilicet, ut quæ minùs pretiosæ, minusve insignes existunt, vsui quotidiano sint: quæ verò aliquanto pretiosiores, in festorum dierum officio: quæ denique longè insigniores, & materia, & opere, & ornatu, in solemnitatibus, ut par est, maioribus adhibeantur.*

Atque hæc quidem sunt.

Pallium.
Velamentum ad ornatum frontispicij Altaris.
Amictus Sacerdotalis, cum fascia.
Alba Sacerdotalis, cum auriphrygio.
Manipulus Sacerdotalis.
Stola Sacerdotalis.
Planeta.
Amictus Diaconalis cum fascia, seu auriphrygio.
Alba Diaconalis, cum fascia, seu auriphrygiis.
Amictus Subdiaconalis, cum fascia, seu auriphrygio.
Alba Subdiaconalis, cum grammatis, seu auriphrygiis.
Dalmatica Diaconalis.
Tunicella Subdiaconalis.
Stola Diaconalis.
Manipulus Diaconalis.
Manipulus Subdiaconalis.
Velum Subdiaconale.
Velum Calicis.
Sacculus Corporalis.
Integumentum Lectionarii in Basilica Metropolitana.
Integumentum ambonis, vel suggesti.
Integumentum Missalis.
Puluinar Missalis.
Integumentum Lectorilium gestatoriorum, & statariorum.

11 *Atque hæ quidem res, sigillatim suprà enumeratæ, sub rationem triplicis supellectilis cadunt. Nunc sequitur regula, qua comprehenduntur indumenta, ornamentaue sacra, quorum suprà expositorum unusquisque apparatus, tùm qui pretiosior, tùm rursus, quis minus pretiosus, tum itẽ qui quotidianus est, quintuplex requiritur, pro instituta in diuinis officijs colorum varietate, ita scilicet, vt quotidiani vsus apparatus sit vnus, albo colore, alter, rubro, tertius, violaceo, quartus, viridi, & quintus, nigro.*

Hacque

Hæcque item regula sit de apparatu tùm solemnium dierum, vel officiorũ tùm solemnitatum etiam maiorum. Indumenta verò quintuplicis huius apparatus, sunt, scilicet,

Pallium.
Velamentum frontispicii altaris.
Auriphrygium amictus Sacerdotalis.
Auriphrygium Albę Sacerdotalis.
Manipulus Sacerdotalis.
Stola Sacerdotalis.
Planeta.
Pluuiale.
Auriphrygium amictus Diaconalis.
Auriphrygium item amictus Subdiaconalis.
Grammatę, seu auriphrygium Albæ Diaconalis.
Grammatę, seu auriphrygiũ item albę Subdiaconalis
Dalmatica Diaconalis.
Tunicella Subdiaconalis.
Stola Diaconalis.
Manipulus Diaconalis.
Manipulus Subdiaconalis.
Velum Subdiaconale ad vsum ferendi Calicis, patenęque sustinendę.
Velum Calicis.
Sacculus Corporalis.
Signaculum Missalis.
Integumentum Missalis.
Puluinar Missalis.
Integumentum Lectionarii.
Integumentum Epistolarij.
Integumentum Euangelistarij.
Integumentum Lectorilium statariorum.
Integumentum Lectorilium gestatariorum.
Integumentum ambonis, vel suggesti.

Pluuialia tot, quot Canonici, & dignitate præditi Mansionarij alijque il generis ministri. Sed hæc triplici tantum colore, scilicet albo, rubro, & violaceo.

Planetæ etiam totidem, quot Canonici, dignitate præditi, alijque, sunt, qui Sacerdotales dignitates obtinent: Sed triplicis tantum vt suprà, colore albo, nigro, & violaceo.

Dalmaticæ item, quot Canonici, alijve Diaconales præbendas obtinentes, triplici etiam colore, vt suprà.

Tuni-

Tunicellæ Subdiaconales, ibidem, vt suprà.

12 *Indumenta è lino, byssо, cannabiuè, confecta, quæ ministerijs ecclesiasticis addicta sunt, cùm munda in primis, nitida, candida, ab omniq; labe pura, atque integra non sine misterij etiam significatione ex patrum traditione esse debeant; ac proinde crebrò purgari, lauariq; opus sit; vt, dùm lauantur quæ sordida sunt, alia nitida non desint ad vsum sacrorum ministeriorum; multiplicia, ac plura, ob mundiciem retinendam sanè quidem illa esse oportet. Ponemus igitur mox infrà, singula eiusmodi indumenta, eorumq; enumeratorum totam summam.*

13 Mappæ maioris sex. tàm in Cathedrali quàm Collegiata.

Mappæ minores duodecim.

14 Amictus viginti.

Albæ viginti.

Corporalia, decem & octo in Cathedrali: in Collegiata duodecim.

Purificatoria trigintasex in Cathedrali; in Collegiata vigintiquattuor.

Mantilia ad vsum abstergendi manus in Missæ sacro in Cathedrali vigintiquattuor: in Collegiata duodecim.

Mantilia in Sacristia appẽdenda ad vsum lauationis manuum, in Cathedrali duodecim: in Collegiata octo.

Sudariola ad vsum purgandi nares, cum opus est in Missæ sacro, in Cathedrali triginta, in Collegiata duodecim.

Funiculi sudariolorum cum globulis, in Cathedrali decem, in Collegiata sex.

Mappæ quinque in Cathedrali vsui altaris, mensæve, vbi sacerdos sacris vestibus induitur, in Collegiata tres.

Sacculi lintei, vsui vniuscuiusque calicis, bini, tàm in Cathedrali, quàm Collegiata.

15 Amictus Diaconales, viginti.

Albæ Diaconales, totidem.

Amictus Subdiaconales, viginti item.

Albæ Subdiaconales, totidem.

16 Superpellicea in Cathedrali quattuor, sexuè, ad uaria sacerdotalia ministeria, in Collegiata, tria, quattuoruè.

Superpellicea usui Clericalium ministeriorum in Cathedrali tria, pluraue; in Collegiata totidem.

Sabaria ad usum abstergendi caput infantum baptizatorum, in Cathedrali sex, pluraue; in Collegiata curata quattuor, pluraue.

De Missa parochiali, & alijs infrà limites parochialis Eccl. celebrandis, deque Concione & Vesperis parochialibus.

SVMMARIVM.

1 Parochi, quot saltem diebus Missam celebrent cuiuslibet hebdomadæ.

In eleuatione parochialis Missæ, signum campanæ dandum. De Missis Conuentual. 12.

2 *Missa, hora populo magis commoda celebranda.*

3 *Pœna contendentis, vt contrà id fiat.*

4 *Missæ parochialis horæ, & signa.*

5 *Vbi plures Missæ in parochia celebrantur, vt distribuendæ. Tabella ob id conficienda; & à quo; & vbi proponenda. 9.*

6 *Missa in aurora celebrata, alia ante parochialem non celebranda: & à quo aliquando concedendum, vt celebrari possit.*

7 *Quando neque etiam in aurora celebrari permittatur.*

8 *Hora præscripta celebrationi Missarum, à quo, & quando mutari possit.*

Missam nemini celebrare liceat Dominicis, festisq; alijs diebus, nisi absoluta parochi Concione. De Missis sine cantu. 34.

Nisi parochus antè fieri permittat certa præscripta hora. Ibid. 35.

Eodem etiam concionante, à nemine celebrandum. De prædic. Verbi Dei. 13.

Punctator quibus in Ecclesijs deputandus causa celebrationis Missarum. De Missis sine cantu. 23.

Capellano, vt merces tradenda, detrahendaue. Ibid. 25.

Missarum liber in Sacristia seruandus. Ibid. 22. & à quo recognoscendus. Ibid. 24.

Clericum parochus quilibet habeat, & qualem; & à quo sustentandus. De parochijs. 50.

10 *Populus, vt conueniat ad Missam parochialem, Episcopi, & parochi cura. & de parochijs. 42.*

Formula monitionis conueniendi ad parochialem. Ibid. 43.

Quando in Missa parochiali à parocho Concionandum. De prædicat. Verbi Dei. 4.

Quæ in Missa parochiali denuncianda, & quæ in eadem non euulganda. De parochijs. 45. & de Missis sine cantu. 69.

Quando

Quando etiam oblatio facienda: & quo ordine. De parochijs. 59. 60. 61.

Missale, Pacisuè instrumentum, per quem tradatur osculandum. De Missis sine cantu. 70.

Missale Romanum in ea adhibendum. Ibid. 67.

Quibus diebus, & quibus in Ecclesijs parochialibus Missa, & horæ Canonicæ cantandæ. De Parochijs. 51.

Quibus item adiutoribus. Ibid. 52.

Quando vesperæ canendæ, & quãdo recitandæ. Ibid. 47. Et quibus adiutoribus. Quæ ad ordinis sacr. pert. 98.

Parochus festis diebus à sua ecclesia non absit, vt alibi celebret. De clericorum ad festorum dierum, &c. 1.

Vbi abfuturus, quid agat. Ibid. 5.

Supellex, quæ in ecclesia parochiali adesse debet pro Missis parochialibus cum cantu, & sine cantu, diuinisq; officijs celebrandis, vsibusq; alijs sequenti titulo explicatur.

1 CVRATIS verò, vt præterea ter in hebdomada, aut eò etiam sæpius. quò, vel loci consuetudo, vel necessitas crebriorẽ diuini sacrificij vsum postulabit, Missam celebrare nè ommittant, præcipimus. 1. de frequẽti di. sacr. obl. sess. 23. c. 14.

2 Neuè, si parochi sint; cuiusquam gratia, metuuè Missam anticipent aut differant: sed illam ea potissimum hora celebrent, quæ populo magis accommodata sit. Neue concionem, quam in ea habere debent, vllo modo omittant. 1. Quæ pert. ad celeb. Missę.

3 Quod, si fortè quispiam imperio quodam, aut contumelia, aut minis, aut vi contenderit, vt sacerdos quidquam contra, quàm hoc decreto sancitum est, faciat; si clericus sit, & beneficium obtineat, eo priuetur; si non habet beneficium, ne habere quidem ad quinquennium possit: si laicus, re ipsa iam tunc excommunicationis pœnam subeat: neque ad decennium feudi, aut emphyteusis nomine quidquam ab Ecclesia consequi possit.

4 Missæ parochialis sacrificium die festo, circiter duabus post solis ortum horis: alijs etiam diebus ea hora, quæ populo vniuerso, pro loci ratione, Episcopi iudicio magis accommodata erit, in omni ecclesia parochiali celebretur, datis semper ante statis campanæ signis, ijsq; horæ dimidiæ interuallo disiunctis, vt in tempore populus conuenire possit. 4. Quæ pert. ad sãct. Missę sac. & diu. off.

5 Si præter parochum, alius etiam sacerdos est, qui in ea Ecclesia Missæ sacrificium facere debet; is omni die in aurora celebret; vt qui iter facere, vel aliud quidquam, ruri præsertim agere necesse habent, 4. Ibidem.

intereſſe poſſint; neque propterea omittant.

Si verò plures ſunt ſacerdotes, qui ibi, aut in eiuſdem parochię finibus, Miſſam celebrent, tunc, vt decretum eſt Prouinciali primo Concilio, vnam in aurora, reliquas deinceps debito interuallo diſtributas, poſtremam verò, quò tardius poteſt, prout populo commodius erit, celebrent ad præſcriptum tabellæ à Rectore parochialis eccleſię, vel ab alio conficiendæ, cui Epiſcopus id munus dederit; niſi dies feſtus ſit, quo, excepta illa prima, quæ in aurora celebratur, nullam omninò celebrent ante peractum Miſſæ parochialis ſacrificium, etiam in Eccleſijs, capellis, oratorijsuè ſęcularibus, etiam Scholarum, & Confratriarum, etiam laicalium intrà fines vniuſcuiuſque parochię conſtitutis; niſi parochus, ob cauſam, certa præſcripta hora, ante facere conceſſerit.

7 Quod ſi die feſto etiam per illud Miſſę ſacrificium, quod in aurora fit, populus à parochiali Miſſa auocetur; tunc Epiſcopus illud, etiam feſto die, poſt Miſſam parochialem fieri, celebrariuè iubeat.

8 Epiſcopi verò facultas, & iudicium ſit, id omne, quod ad Miſſę celebrandę horam ſpectat, pro temporum, locorum, cauſarumq; ratione aliter ſtatuere, permittere, ac iubere.

9 Proinde tabella, in qua certa omnis illa celebrationum diſtributio, dies ſcilicet, hora, & altare, tùm ſacerdos, qui celebrare debet, apte deſcripta appareat, in Sacriſtia loco conſpicuo propoſita, atque affixa ſit.

1. Quæ pert. ad cel. Miſſæ.

10 Parochi populum frequenter hortentur, vt in ſua parochia feſtis diebus Miſſam audire nè omitant.

Quæ hic deſunt, videantur ſequenti Tit. de Miſſis ſine cantu, &c. & De Parochijs, &c.

De ſupellectile Eccleſiæ parochialis, quæ in Miſsis cum cantu, & diuinis officijs, & alijs ſacris miniſterijs adhibetur.

SVMMARIVM.

1 *Supellex parochialis Eccleſiæ, quo item ordine demonſtratur.*

2 *Apparatus altaris maioris, qui, & qualis: qualitas, ſeu forma videnda in Tit. De Supell. quæ Canonicis, &c. nu. 2.*

3 *Supellex indumentorum parochi ad vſum Miſſæ parochialis ſine cantu.*

cantu, quæ, & qualis: forma videnda in tit. de supell. Missarum Episcop. num. 2.

4 Supellex indumentorum, quæ communia sunt, vsui parochi, & reliquorum clericorum, non solum in solemni Missæ parochialis sacro cum cantu; sed etiam in alijs diuinis officijs ministrantium, quæ, & qualis forma videnda. Ibidem. num. 3.

5 Supellex reliqua propria Missæ tantum, quæ, & qualis: forma, De supellect. Miss. Episc. num. 5.

6 Supellex, quæ Missæ, & diuinorum officiorum communis est, & qualis. De supell. Miss. Ep. & de diuin. off.

7 Libri, seu volumina diuinorum officiorum in Ecclesia parochiali Ritus Romani.

8 Libri seu uolumina ad vsum diuinorum officiorum in Ecclesia parochiali Ritus Ambrosiani.

Libri sacri ad vilem, & sordidum vsum non auertendi. De supell. quæ Canonicis, &c. num. 6.

9 Supellex, quæ multis ministerijs sacris communis est.

10 Supellex rerum, quæ ad solemniorum dierum rationem, vsumque pretiosiores, cum adhibendæ sint, duplices esse debent.

11 Supellex sacrarum vestium, indumentorumve suprà nominatorum, quorum apparatus quintuplex esse debet.

12 Numerus indumentorum lineorum.

13 Indumenta linea altaris maioris.

14 Indumenta linea Sacerdotalia in Parochiali Missa sine cantu.

15 Indumenta linea in Missis, cum cantu.

16 Indumenta linea vsui uariorum ministeriorum.

Sacræ vestes, & indumenta, quæ eiusdem materiæ, & coloris. De supel. Missarum Episc. 11.

Vestes, atque indumenta eiusdem coloris, sed materiæ diuersæ. Ibidem 12.

Indumentorum ornamenta, materia, colore, opere, artificioue inter se, vt maximè potest, conuenientia. Ibid. 13.

Vasa, vestes, indumenta, ornamentaue supradicta, & alia ad quem apparatum non adhibenda.

De Missis sine cantu. 41.

Ea, neque in Missa, neque in diuinis officijs adhibenda, antequam sint benedicta. Ibid. 45.

Et à quo benedicenda. De Sacramentalibus. 75.

Supellex omnis qua munditia asseruanda.

De Sacristia. 23.

1 COLLEGIATAE Ecclesiæ supellectilem proximè exposuimus: Nunc sanè locus est eodem ordine dicendi, de supellectile Ecclesiæ parochialis. Atque primo quidem de apparatu Altaris maioris

2 Crux

Candelabra sex, cum operculis extinctoriis binis.

Emunctoria duo.

Tabella secretorum.

Mappæ minores binæ.

Mappa maior.

Pallium.

Velamentum, ad ornatum frontispicii altaris.

Tela Stragula Altaris.

Tapetum bradellæ Altaris.

Tabella orationis de Sancto, cuius nomine Altare, capellave maior nuncupetur.

Tabellæ item duæ de sancto, sanctisve, quorum insignes reliquiæ in eo altari reconditæ sint.

Ibidē de supell. indumētorum Parochi ad vsum Missæ parochi. sine cātu.

3 Amictus, cum auriphrygio, seu fascia.

Alba cum auriphrygio, seu grammatis.

Cingulum.

Manipulus.

Stola.

Planeta.

Ibidē de supell. indum. q̄ cō. sūt vsui Parochi, &c.

4 Amictus, cum apriphrygio, seu fascia.

Alba, cum auriphrygio, seu grammatis.

Cingulum.

Manipulus.

Stola.

Planeta.

Pluuiale.

Amictus Diaconalis, cum auriphrygio, seu fascia.

Amictus Subdiac. cum auriphrygio, seu fascia.

Alba Subdiaconalis cum auriphrygio.

Alba Subdiaconalis cum auriphrygio.

Cingulum Diaconale.

Cingulum Subdiaconale.

Dalmatica Diaconalis.

Tunicella Subdiaconalis.

Manip.

Manipulus Diaconalis,
Stola Diaconalis.
Manipulus Subdiaconalis.
Velũ Subdiaconale ad vsum ferendi Calicis patenęve sustinẽdæ.
Calix.
Patena.
Velum Calicis.
Corporale cum palla.
Sacculus Corporalis.
Purificatorium.
Hamularum, seu vrceolorum patia duo.
Peluicula vrceolorum.
Missalia duo.
Integumentum Missalis.
Signaculum Missalis.
Puluinar Missalis.
Lectionarium ad vsum Missæ solemnius in Ecclesijs parochialis Ritus Ambros.
Integumentum Lectionarij.
Epistolarium.
Integumentum Epistolarij.
Euangelistarium.
Integumentum Euangelistarii.
Integumentum suggesti.
Cereostrata quattuor.
Opercula eorum restinctoria totidem.
Tabella gestatoria pacis offerendę.
Sudariolũ ad nares expurgandas, cum opus est in Missæ sacrò.
Funiculus, cum globulo, vnde sudariolum pendeat.
Crepidarum mundarum par vnum, si quando opus est, Sacerdotem celebraturum, calceos luto inquinatos deponere.
Tintinnabulum gestatorium, ubi appensum non est.
6 Thurribulum, Acerra, Cochlear } ad Thurificationis vsum.
Canthari bini in Ecclesijs Ritus Ambrosiani.
Candelabrum Cerei Paschalis, vnum.
Crepitacula lignea bina, ad vsum pulsandi in tenebris hebdomadę Sanctę.
Candelabrum triangulare, ad vsum sustinendi candelas in tenebris hebdomadę sanctę, in Ecclesijs Ritus Romani.

Inst. sup. ecc. par. lib. 2. de supell. reliq. prop. Missæ tantum.

Ibid. de supell. quę Missæ, diuinorũ off. &c.

Tapetia, aut Stragula, ad ornatum sedilis, in quo Sacerdos Missę Sacrum solemniter faciens, & ministri aliquando assident.

Aulęa, pannive plures, ad vsum ornandę capellę, altarisve maioris, aut Ecclesiæ, in solemnioribus festis diebus, si modo Ecclesię facultates possint.

Lectorile statarium Chori, unum.

Lectorilia gestatoria, duo.

Integumenta Lectorilis statarij.

Integumenta Lectorilium gestatoriorum.

Ibidem de libris, seu volumin. diu. offi. in Eccl. par. Rit. Romani.

7 Breuiaria, duo: quorum alterum ampla forma.

Calendarium perpetuum vnum.

Diurna, aut psalteria cum hymnis.

Hymnarium musico cantu exscriptum, unũ forma ampla.

Homiliarium, vnum Matutinale.

Antiphonarium de Dominicis, unum.

Antiphonarium de sanctis, vnum.

Graduale de Dominicis, unum.

Graduale de Sanctis, unum.

Martyrologium, vnum.

Liber, de officio mortuorum, unus.

Rituale, unum.

Professionale, unum.

Pontificale, unum.

Ceremoniale, unum.

Sacerdotale, unum.

Rationale diuinorum officiorum, unum.

Liber de computo Ecclesiastico, unus.

Ibidem de libris, seu volumin. ad vsum diu. offic. in ecc. par. Ritus Ambr.

8 Breuiaria duo: quorum alterum forma ampla sit, alterum parua.

Calendarium anniuersariũ, uel perpetuũ unum.

Psalteria cũ hymnis, duo, unum forma grãdiori.

Liber hymnorum, musica modulatione notatorum, unus.

Antiphonarium de Dominicis, unum.

Antiphonarium de Sanctis, unum.

Antiphonarium feriale, unum.

Homiliarium, unum.

Pontificale, unum.

Cęremonialia duo, unum Ambrosianum, alterum Romanum.

Sacra-

Sacramentalia, seu Ritualia, duo.
Processionalia, seu libri Litaniarum, & processionum duo.
Libri ad vsum funerum, & officij mortuorum duo.
Liber cantus, varietate tonorum distincti, ad vsum lectionũ, psalmorum, & id generis aliorum, vnus.
Liber vnus de cantu Hymni, Gloria in excelsis, Symboli, & Sanctus.
Liber vnus de Cæremonijs Missæ.
Liber vnus de computo Ecclesiastico.

9 Vas vnum, vsui aquę benedicendæ diebus Dominicis. Ibid. de supell. q̃ multis ministris com. est.
Vasculum item vnum gestatorium aquæ benedictæ.
Aspergilla bina: è quibus unum ornatius.
Peluis grandiuscula gestatoria, una, ad vsum lauationis manuũ.
Vrceolus, ob eundem vsum, grandiusculus, unus item.
Mantile grandius, ad manus abstergendas.
Vasa vsui excipiendi oblationes, duo.
Superpellicea, usui uario Sacerdotalium ministeriorum.
Superpellicea usui ministerijs clericalibus.

10 *Commonstrato simplicis supellectilis apparatu; est prætereà alius, ex* Inst. sup. ecc. *ijs rebus constans, quæ duplicentur necesse est, cum singulas, quæ vsui quo-* Ibidem. *tidiano sunt, easdem & materia, & ornatu insigniores adhiberi solemniũ dierum celebritas pro officij solemnitate postulet.*

Sunt igitur hæ, quæ duplici numero apparari debent.

Crux.
Candelabra quattuor, cum suis operculis duobus restinctorijs.
Tabella secretorum.
Mappę minores.
Mappa maior.
Amictus Sacerdotalis, cum fascia, seu auriphrygio.
Alba Sacerdotalis, cum auriphrygio, seu grammatis.
Stola Sacerdotalis.
Planeta Sacerdotalis.
Manipulus Sacerdotalis.
Cingulum Sacerdotale.
Amictus Diaconalis, cum fascia, seu auriphriygio.
Alba Diaconalis, cum auriphrygio, seu grammatis.
Stola Diaconalis.
Cingulum Diaconale.
Dalmatica Diaconalis.
Amictus Subdiaconalis cum fascia, seu auriphrygio.
Alba Subdiaconalis, cum auriphrygio, seu grammatis.

Tuni-

Tunicella Subdiaconalis.
Cingulum Subdiaconale.
Hamularum paria duo.
Peluicula urceolorum, seu hamularum.
Calix.
Patena.
Tabella gestatoria pacis offerendæ.
Thuribulum.
Acerra.
Cochlear.

14 *Pro instituta in diuinis officijs colorum varietate, apparatus singulorum indumentorum, tàm ad vsum quotidianum, quàm ad solemnioris officij celebritatem suprà expositorum, quæ infrà nominatim ponuntur, quintuplex esse debet; nempè vnus colore albo, alter rubro, tertius violaceo, quartus viridi, quintus nigro.*

Quæ sanè indumenta, hæc sunt.

Pallium.
Velamentum frontispicii altaris.
Auriphrygium amictus Sacerdotalis.
Auriphrygium Albę Sacerdotalis.
Manipulus Sacerdotalis.
Stola Sacerdotalis.
Planeta.
Pluuiale.
Auriphrygium amictus Diaconalis.
Auriphrygium amictus, Subdiaconalis.
Auriphrygium Albę Diaconalis.
Auriphrygium Albę Subdiaconalis.
Dalmatica Diaconalis.
Tunicella Subdiaconalis.
Stola Diaconalis.
Manipulus Subdiaconalis.
Velum Subdiaconale, ad usum ferendi Calicis, sustinendęque patenę.
Velum Calicis.
Sacculus Corporalis.
Signaculum Missalis.
Integumentum Missalis.
Puluinar Missalis.
Integumentum Lectionarii in Ecclesijs Ritus Ambrosiani.

Inte-

Integumentum Epistolarij.
Integumentum Euangelistarij.
Integumentum ambonis, vel suggesti.
Integumentum Lectorilis.

In Parochialibus Ecclesiis, vbi frequentius Missę Conuentualis sacrũ fit, rationi conueniens est, apparatum albi, & rubri coloris non modo pro officiorum ratione, celebritateque duplicem, sed etiam triplicem esse, vt tertia eorum indumentorum supellex sit minùs pretiosa, vsui missę Conuẽtualis per hebdomadam aliquando celebrandę.

15 *Lintea item indumenta quę ob causas supra in Basilica Cathedrali expositas, plura etiam in parochiali Ecclesia esse oportet, hęc sunt, quę omnia supputata, infrà numero notantur.*

16 Mappę maiores quatuor.
Mappæ minores duodecim.
17 Amictus duodecim.
Albæ duodecim.
Corporalia octo cum pallis.
Purificatoria decem & octo.
Mantilia ad vsum abstergendi manus in Missæ sacro, octo.
Mantilia in Sacristia, ad vsum lauationis manuum, quinque.
Sudariola ad nares expurgandas, cùm opus est, in Missę sacro, sex.
Funiculi sudariolorum, cum globulis, tres.
Mappæ Altaris in Sacristia, tres.
Sacculi singulorum Calicum binis.
18 Amictus Sacerdotales, duodecim.
Albæ Sacerdotales, totidem.
Amictus Diaconales, duodecim.
Albæ Diaconales, totidem.
Amictus Subdiaconales, duodecim.
Albæ Subdiaconales, totidem.
19 Mappæ longiores scamnorum quattuor, plurave.
Mappæ breuiores subter sanctissimam communionem, dum ministratur, sustinendæ, tres.
20 Superpellicea Sacerdotalia, duo.
Superpellicea Clericalia, duo item, triave.
Sabbatia, quatuor.

De Missis sine cantu in quibuscunque Ecclesijs, & à quocumque Sacerdote celebrandis.

SVMMARIVM.

1 Abusus in celebratione Missæ tollendi.
2 Missamqui celebrare, celebrantemve exhibere tenentur, ab Episcopo cognoscendi.
3 Missæ celebratio, quibus in locis, & qualiter, ac quando prohibetur.
4 Facultas in oratorijs celebrandi, ad sex menses concedenda.
5 Longiori tempore, vt concedenda.
6 In priuatis Oratorijs, & Ecclesiis alijs nuper extructis, qua moderatione impartienda.
7 In Missarum facultate concedenda, quid cauendum.
8 Quid etiam exprimendum.
9 Quando facultas renouanda.
10 Missæ celebrandæ muneri quilibet Sacerdos satisfaciat.
11 Quando aliquo die prætermittere possit.
12 Missæ ubi plures celebrari debent, à quo curandum, vt illæ certo ordine celebrentur. 15. & 21.
13 Missam an per alium celebrare possit Capellanus.
14 Missam qui ad certum Altare celebrare debet, ad aliud non celebret.
15 Missæ celebrandæ in Altaribus inter se disiunctis.
Clericus certus sustentandus, & à quo, qui Capellis, & altaribus inseruiat: isque clericus, quas præterea functiones obeat.
16 Clericus is, vbi constitutus non erit, Missa à nullo Sacerdote celebranda.
16 Missa pro mortuis in singulos menses à quo beneficiato celebranda.
17 Missas, legatorum iure celebrandas, Episcopi celebrari curent.
18 Missarum reductio a quo, & quàm ob causam facienda.
19 De Capellarum oneribus, Missarumque numero, quid statuere possit Episcopus.
Hora populo commoda Missæ celebrandæ. 57.
20 Quo autem tempore non celebrandæ.
21 Iis celebrandis ordo seruandus.
Missæ parochialis, hora, & signa. De Missa parochiali 4.
Missa altera in Ecclesia parochiali, an dicenda in aurora. Ibidem. 5.
Missæ aliæ in parochia celebrandæ, vt distribuendæ. 12. 21.

Missa-

Missarum Tabella à quo conficienda, & vbi proponenda. Ibid. 9.
22 Missarum liber: & vbi retinendus.
23 Punctator constituendus.
24 Missarum notatio à quo recognoscenda.
25 Merces non danda Capellano sine facultate.
Quodque illi detrahendum ob seruitium ommissum, vt expendendum, eo sequestrato. 26.
26 Depositarij eligendi, qui mercenarijs Capellanis mercedem soluant: contrà quos Capellanos, & alios suo muneri deficientes, vt agatur.
27 Missarū causa eleemosyna non flagitanda, sed in capsulam deponenda.
Capsæ eleemosynariæ Missarum, qui, & à quo præficiendus, & quod illius officium. Ibid.
28 Monitio Parochi in erogatione eleemosynæ pro Missis celebrandis.
29 Missam quando Sacerdotes etiam non obligati, celebrare tenentur.
30 Missarum celebratio prohibita Sacerdotibus alienæ Diœcesis absque litteris dimissorijs, & quibus. Etiam in Regularium Ecclesijs. numero seq. in fi.
31 Litteræ ipse à quo, & quomodo comprobandæ, in eaque tùm Parochi, tùm Vicarij foranei officium.
32 Missæ celebratione, qui etiam Sacerdotes interdicantur.
33 Missas plures eodem die celebrandi facultas concessa tollitur.
34 Missa in oratorijs, capellis, & Ecclesijs intra limites Parochialis non celebranda festis diebus ante Concionem Parochialem.
35 Nisi parochus ante fieri permittat certa præscripta hora.
36 Missæ celebratio in Monialium Ecclesijs quando vetita.
37 Suspensionis celebranti in Monialium Ecclesijs præscriptæ moderatio.
Missæ celebratione suspensi Sacerdotes, quibus diebus Communionem sumant. De vita, & hon. cleric. 26.
38 Missa de Beata Virgine, quando celebranda.
39 Collectæ in Missa quot dici possint.
40 Ornamenta, & instrumenta altarium qualia in celebratione Missæ, & quot.
41 Vasa, Pallia altarium, & alia Sacra indumenta, ornamenta ve quibus non commodentur, & ad quem apparatum non adhibenda.
Purificatoria, & Corporalia, qualia. Vide tit. seq.
Vinum album in celebratione Missæ adhibendum, supra, nu. 40.
42 Calices ad sacrificium Missæ, quales. 43. Vrceoli quales item.
44 Hostiæ à quo non conficiendæ.
Supellex alia omnis in celebratione Missę, quæ, qualis, quotuplex, adhibenda, parandaque. Vide tit. seq. 45. Ea non adhibenda, antequam sis

sit benedicta; & à quo benedicenda. De Sacramentalib. 75.
A quibus illa paranda. De Eccl. fabrica. 73.

46 Missæ nouæ in celebratione abusus tollendi.

47 Missam nouam celebraturus, imperitique alij Sacerdotes, à quo instituendi. 49.

48 Ante illius approbationem, ab illis, non celebrandum.

50 Magister cæremoniarum in unaquaque Plebe constituendus, & quod illius officium.

51 Missę cæremonias an teneant Sacerdotes periculum ab Episcopo faciendum.

52 In celebratione Missę quę à Sacerdotibus seruanda; quęque vitanda. 56. 57. 60.

53 Missa non memoriter dicenda.

54 Non operto capite. Confessio, & oratio ante illam.

55 Ea à Sacerdotibus perlegenda, antequam ad altare accedant.

56 Iisdemque sacris vestibus indutis cum nemine colloquendum.

57 Non alicuius gratia retardanda. Eaque nondum absoluta non discedendum. 77.

58 Pœna contendentis, ut contra Sacerdos agat, quàm suprà decretum est.

59 Missa peracta gratię agendę.
Ministri Ecclesię quę parent ad ministerium Missę. 61.

60 Iidemque à quibus abstineant, ante peractum sacrum.
In Missę ministerio, & ad cereos ferendos laici non adhibendi. De proces. 32.

62 Missam celebranti Sacerdoti assistat Clericus, quoque habitu indutus.

63 Clericus is probandus, & à quo facultatemque scripto obtineat quotannis renouandam, & de diu. off. 69.

64 In Missæ sacrificio ministrans, nil recitet.

65 Illius officium cum præsentibus Missę sacro: & in pulsando tintinabulo. 71.

66 Missæ initio, Psalmus, Iudica me Deus, & in fine, quod Euangelium recitandum.

67 Missale nouum Romanum in Missa adhibendum.
Dum Missa celebratur, qui longè sint ab altari, & à quo id cauendum. suprà 65.

68 Cum oblatio fit, Crux non autem patena adhibenda.

69 Profanum nihil in Missa euulgandum.

70 Missale, pacisue instrumentum per quem præbeatur exosculandum.

71 In eleuatione Corporis Domini, tintinabulum à Clerico pulsandum.

Mis-

72 *Missam vt audiant filijfamilias famuliq; festis diebus parochi cura.*
73 *Viduæ non excusantur* } *ab illius auditione quocunque tempore. &*
Nec puellæ nubiles } *De fest. dier. cultu. nu.* 18.
74 *Populus à parocho hortandus, vt in parochia festis diebus Missam, Concionemq; audiat.*
75 *Missæ audiendæ rationem docens Parochus, quid populum admoneat.*
76 *Fideles in Missæ auditione quomodo se habeant: quando stent: & quando genua flectant. 77. in fi.*
77 *Ne discedant ante Euangelij recitationem.*
78 *Criminosi notorij, Missæ sacro non interfint: ob idque quid à sacerdotibus agendum.*
Missæ de mortuis, pro defuncto Episcopo à parochis & sacerdotibus singulis nouem mensibus celebrandæ. De funere Episcopi, nu. 9. Et quando pro defuncto Papa. De diu. off. nu. 49.
A quibus item, & quando pro mortuis Canonicis, & Parochis. De funerib. nu 53. & de Parochijs. nu. 54.

1 PRÆCEPIT Sacra Tridentina Synodus, vt, quæcumque in Missæ celebrationem irrepserũt, à tanti sacrificij dignitate aliena, ea Episcopi tollere sedulò studeant. Quamobrem nos eiusdem Concilij decretum exequentes, vt sanctissimum Missæ sacrificium, in qua illa Deo patri placens hostia, Iesus Christus in odorem suauitatis offertur, singulari religione, ac pietate, & à sacerdotibus celebretur, & à populo colatur; hæc statuimus. 1. Quæ pert. ad cele. Mis. sess. 22. Decr. de obs. & eui tan. in celeb. Miss.

2 Episcopus nosse studeat omnes, qui in quauis ecclesia Missam celebrare, vel sacerdotem, qui celebret, exhibere debeant; cogatque suo officio satisfacere.

3 Nullus sacerdos, quemadmodum à Tridentina Synodo statutum est, in priuatis ædibus, & omninò extrà Ecclesiam, & oratoria, quæ diuino tantum cultui dicata, & à locorum Episcopis designata, ac ¬visitata sint, Missam celebret. Cętera, quæ sequantur, ¬vide Tit. De Ecclesijs simplicibus, & oratorijs. nu. 12. 13. 14. 15. 1. Ibid. sess. ead. & decr.

Nemo clericus, vel laicus in suis sæcularibus ecclesijs, capellis, vel oratorijs, quàmuis ab ordinario probatis, etiam si iuris patronatus sint, quẽquam Sæcularem, vel Regularẽ Sacerdotem celebrare patiatur, qui scriptam celebrandi facultatem, singulis sex mensibus renouandam ab Episcopo non impetrarit.

4 5 Quæ Missas celebrandi facultas sexto quoque mense ex superioris Concilij decreto renouanda est; ea vel longiori temporis spatio arbitratu 2. Tit. 2. dec. 2.

bitratu Episcopi concedi, vel semel concessa, prorogari possit.

1. Ibid. Quod si quis onus accipiat ad tempus, vel perpetuò ibidem celebrandi, vel eisdem locis inseruiendi; hunc non generatim, sed nominatim eorum locorum causa eiusmodi facultatem impetrare volumus. Qui contrà præscriptam rationem vel celebrarit, vel, vt celebretur, permiserit, grauiter puniatur.

4. Quæ pert. ad sãct. Missę sacr. & diu. of fic. sess. 22. de obl. in celeb. Miss. 6 Episcopus omnibus Missam in oratorio priuato celebrandi facultatibus hactenus concessis, certos limites, modum que præfiniat; ita vt præter causas, quas magnas, & vrgentes is iudicauerit, in ipsis priuatis oratorijs Missam celebrari ex facultatibus illis deinceps non liceat; nisi hoc fuerit à sede Apostolica indultum. Quàm moderationem diligenter adhibeat item, si quando in posterum eiusmodi facultatem concedendam censuerit.

4 Ibid. Nè in oratorio, ecclesiaue, quę uel nuper exstructa est, vel in posterum exstruetur, Missę celebrandę facultas detur, permittaturue, nisi saluo iure, ac planè sine præiudicio Ecclesię Parochialis; nisi ob causam Episcopo quandoque aliter videatur.

7 Episcopus in facultate quauis Missarum celebrandarum concedenda, prorogandaue, videat, nè ab vllo sacerdote plus muneris, quàm ab eo præstari possit suscipi concedat, aut permittat: tùm maximè perpendat, si Parochus est, qui sibi eam facultatem dari petit, an per hebdomadam possit, & suscipiendo nouo celebrandarum Missarum muneri, & ei, quod in Ecclesia Parochiali, ex Tridentini, aut primi nostri prouincialis Concilii præscripto, aliaue quacumque obligationis causa iam debet, satisfacere, & alia præterea officia obire, quibus diebus, aut ad festorum celebritatem, aut ad funus, exequiasue euocatum eò illum conuenire, Missasque celebrare contigerit. Quod si per ipsum hęc omnia, singulaque præstari non posse viderit, nè potestatem ei faciat noui muneris, eo nomine suscipiendi; nisi ob inopiam in Ecclesia Parochiali, diebus ferialibus, rarius aliquanto parochialis muneris nomine, quam Concilio Prouinciali primo iussum est, ideoque in alia, vel in eadem Ecclesia Parochiali, alio nomine per hebdomadam, ijs ipsis, scilicet ferialibus diebus, celebrandi facultatem permitti, necessarium Episcopus duxerit: cuius religiosę conscientię id relinquimus.

8 In litteris concessę, prorogatęue facultatis suscipiendi, vel retinendi muneris, Missam singulis, vel certis, statisq; diebus, aut ex certa obligatione celebrandi, exprimantur, & altaris, capellęue, & Ecclesię vbi illud situm est, nomen, & locus, & eleemosynę emolumentum quod inde capitur: statim item dies, & numerus Missarum, quas ibi celebrare statis illis diebus debebit ex onere à testatoribus, alijsue aut ab Episcopo impositio pro facultate, quam is à iure communi, vel Tridentino Con-

Vide infrà. nu. 20.

io Concilio habet. Tùm etiam exponatur, si quo alio præterea nomine ipse adstrictus sit Missam alio loco celebrandi: idque etiam à parochialis curæ munere, legati, alteriusvè obligationis causa: qua in Ecclesia item, & altari, quibus item certis, vel statis diebus illud præstare debeat, & quantum inde emolumenti, eleemosynęvè consequatur. Tùm postremò certum ei facultati concellæ, vel propagatę tempus præfiniatur.

9 Nec verò in illo celebrationis munere ei perseuerare liceat, exploto temporis spatio, Episcopi litteris præscripto, nisi facultas iterum confirmata, renouataque sit, aut prorogata ad aliud certum tempus litteris item, & ad præscriptum etiam Conciliorum nostrorum prouincialiũ.

10 Quilibet Sacerdos, quod suscepit, muneri Missę sacrificij faciendi, satisfaciat omninò.

11 Nec vero cuiquàm, qui quotidiano eo munere astrictus, quouis modo est, nè semel quidem in hebdomada, vt alibi Missam celebret, id prætermittere vllo prætextu liceat; nisi aliquando eius, cui id curę Episcopus dederit, aut si nemini dederit, rectoris, præfectiuè Ecclesiæ consensu, Sacerdotem alium ante in locum suum substituerit, qui id præstet, quod in ea Ecclesia ipse debet.

12 Sin autem certis hebdomadę diebus, Sacerdotes cõplures in eadem Ecclesia ob aliquam cuiusuis generis causam, rationemvè, Missæ sacrificium facere debent; id, ut statis, certisq; iis ipsis diebus illi omninò præstent, curet planè rector Ecclesiæ, aut, si præsertim Ecclesia collegiata, vel alias frequens est, alius, quem ei curę Episcopus præfecerit. Quod si alij item Sacerdotes sunt, qui in illa Ecclesia, incertis tamẽ diebus, munus impositum habent Missæ celebrandæ: tum idem Rector, præfectusve, capellanis sacerdotibus uocatis, reque cum eis tractata, certos vnicuique dies præscribat, quibus in ea Ecclesia Missam celebrent: vt singulis, si fieri potest, hebdomadæ diebus, Missarum celebrationes, rectè, atque ordine distributæ, peragantur.

13 Qui capellas obtinent, ipsi per se, nõ alij eorum nomine, Missę sacrificiũ, diuinaq; officia, quæ illarũ rectores præstare debẽt, in illis celebrent; si modo vel aliud Ecclesiasticũ beneficiũ, q residentię personale munus requirat, nõ habeant; eoque impediti, debita iis capellis officia gerere nõ queant; vel earundẽ institutionẽ, dotationeve, aut legato, aut donatione, aut facultate ab Episcopo impetrata, in illis obeũdis Capellani officiis aliena opera, ministeriove vti possint, vel alia quauis ratione, causave impediti sint.

Singula verò, ob quæ capellanus aliquis se à debito capellani officij munere immunem putet, asseratve, quo minùs per seipsum præstet, ab Episcopo cognoscantur, ac probentur item.

14 Quicumque Sacerdos in Altari certo Missam celebrare debet, si in alio celebrarit; nè, quod debet, præstitisse censeatur; nisi Episcopi, alteriusuè, cui ille id curæ commiserit, iussu, concessu, permissuè aliquando fecerit.

15 Si eodem tempore, & in eadem Ecclesia Missæ plures aliquando, etiam pro mortuis, celebrandæ sunt, in Altaribus ità inter se diiunctis celebrentur, vt Sacerdos alter ab altero non perturbetur, nequeſi fieri potest, audiatur: sin autem hac de causa tempus non patietur, eo die Missas omnes, quæ debent celebrari, in alium potius diem aliquæ differantur, vt huic decreto pareatur, quod ad religiosum cultum illius sanctissimi Sacrificij spectat.

4. Quæ pert. ad sacr. ord.

Quibus etiam in Capellis, Altaribusuè quocumque vel tituli, vel deuotionis, & legati nomine Missæ Sacrificium fit, in ijs item singulis certum aliquem Clericum, qui Sacerdoti Missam celebranti inseruiat, sustentari iubemus. Quamobrem, vbi non confratrię, scholæuè, non Monasteria, Ecclesiasticæuè fabricæ, aut locorum piorum Curatores, neque alij sunt, qui hoc Clericalis sustentationis munus ibi præstare vltrò velint, aut, qui iure debeant; pro earūdem Capellarum, Altariumuè ratione prętetur, si ex tituli nomine in ijs Missa celebratur, eorum sumptibus, qui titulum gerunt; si ex legato, cuius certa summa sit, mercede ex eo detracta; si ex deuotione, alicuè nomine, illorum impensis id prętetur, quorum nomine illud Missę Sacrificium fit, siuè locorum piorum homines illi sint, siue Sodalitates, siue Vniuersitates, siue priuatus aliquis. Si verò Capellę, Altaris, aut legati, census vsque adeò exiguus, ac tenuis est, quo Clerici sustentandi onus sustineri non possit, ea ratio ab Episcopo ineatur, vt contributione vndiq; ex ijs Capellis, Altaribusuè, quę in eadem Ecclesia, vel, si ità necesse sit, etiam quę in Parochię finibus sunt, pro ratione reddituum, uel muneris facta, huic Clerici sustentationi satisfiat: Qui Clericus omnibus illarum Capellarum, & Altarium Sacerdotibus in Missę Sacrificio ministret.

Quibus autem Clericis, ità, vt suprà, prouisum erit, pro ratione Minorum Ordinum, quos susceperint, ecclesiasticas functiones ijs in Ecclesijs, vbi sustentationem capiunt, ipsi præstent.

16 Quibus verò in Ecclesijs tempore ab Episcopo præstimendo non erit constitutus Clericus, Clericali habitu indutus, qui Sacerdoti Missam celebranti ministret, quique Ecclesiasticas Minorum Ordinum functiones, illarum Ecclesiarum vsui, & cultui necessarias, pro ratione Ordinis à se susceptı; obeat: in ijs à nullo Sacerdote celebretur: nisi rei facultatem ex vrgenti causa concedendam Episcopus iudicarit.

2. Tit. 2. decr. 5.

Qui Ecclesiasticum beneficium obtinet, cui id oneris iniunctum est,

vt

vt Rector, vel toto anno, vel certis diebus Missam celebret; is singulis mensibus saltem semel Missam, quæ de defunctis dicitur, pro illis mortuis celebret, qui, vel illud dotarint, vel aliquid ei legarint, vel donarint; idque nisi sæpius pro mortuis celebrare debet, vel ex institutione, vel ex alia oneris sibi iniuncti ratione.

17 Vt quę pia legata ad remedium animæ à fidelibus relicta sunt eo nomine, vt Missæ pro se, de defunctis celebrentur, executionem, prout pia eorum voluntas deposcit, rectè habeant, id Episcopus quàm diligentissimè curet. 6. Quæ ad Miss. pert.

18 Quibus autem in Ecclesijs ob multa, variaq; defunctorum legata Missas vsque adeò multas celebrari oportet, vt pro ratione singulorum dierum, quos testamento, aliauè vltima voluntate testatores prescripserint, muneri, quod eorum pijs voluntatibus debetur, satisfieri non possit; aut eleemosyna eo nomine adeò tenuis est, vt non facilè inueniatur, qui velit huic se muneri subijcere, idem Episcopus in Synodo Diœcesana re accuratè cognita, & perspecta, statuat quicquid magis ad Dei honorem, & cultum, atque Ecclesiarum vtilitatem viderit expedire; ita tamen, vt in singulis Missis, quas iure reductionis celebrari continget, eorum defunctorum commemoratio fiat, qui pro suarum animarum salute, legata ad pios vsus reliquerunt: debitę autem commemorationi satisfiet per intentionem applicationis Missarum, per preces in secundo, Memento, & per Collectas faciēdas in illis Missis, in quibus Collectæ fieri possunt. Cęterum intelligendum est, fructuosiores esse, magisque prodesse preces, & orationes ab Ecclesia pro defunctis institutas cùm applicatione Sacrificij, quàm applicationem solam, licet recompensari possit per maiorem deuotionem, vel eius, qui dicit Missam, vel eius qui facit dici, uel per intercessionem sancti, cuius suffragium in Missa imploratur. Sess. 22. c. 6. de refor. sess. 25. c. 4. d ref.

19 Episcopus de Capellarum oneribus, deq; Missarum numero fundationis iure, alioue nomine illis adiuncto, ne Concilij Tridentini, quod piarum uoluntatum relictis legatis solum prospexit, auctoritate quidquàm statuat: sed eo de genere, quod iure cautum est, id planè seruet, atque decernat. Sess. 25. c. 4.

20 Missę necante auroram, nec post meridiem; nisi ex causa iure permissa celebrentur. 1. Vt supra.

21 In Ecclesijs, ubi plures Missę celebrari solent, is ordo seruetur, ut pro populi cōmoditate, prima diluculo, reliquis deinceps debito interuallo distributis, postrema autem, quò tardius liceat, celebretur. Quòd si eodem tempore, pluribus locis Missa celebranda sit, rationem ineāt Episcopi, nè sacerdotes inter se, alius ab alio perturbentur.

22 Quò citiùs, atque exploratius Episcopus sciat, eorum, qui sacri fa-

cien di causa aliquid piè, vel legarunt, vel dederunt, voluntati per illos quorum interest, verè satisfactum esse; ac rursus si quid ea in re neglectum, aut omissum, pretermissumue est, id opportunè vt fiat, prospicere, cauereq; possit; hæc decernimus, ac statuimus.

In vnaquaque ecclesia liber deinceps singulis annis, vel alio certo tempore renouandus, perpetuò sit; in quo, & anno, & mense, & die primum notato, vnusquisque siue parochus, siue capellanus, siue alius sacerdos, qui quouis obligationis nomine in ea ecclesia Missæ sacrificium fecerit, in singulos dies, vbi id perfecerit, manu sua subscribat, & nominatim breuiter exponat, se illud præstitisse, aut parochialis ecclesiæ; aut capellæ, legatiuè pij, aut anniuersarij, aut funeralis officij nomine. Cui præterea libro singulis diebus subscribatis, quem in qualibet Ecclesia Episcopus statuerit: qui item, si ipse est, qui Missæ sacrificium eo quouis nomine fecerit, ipse item manu sua subscribat, quoties aliquo eo nomine Missam celebrarit.

Is liber tuto Sacristię loco asseruetur.

23 Quibus verò locis, ecclesijsue Missę plures, quam tres quotidie celebrantur; Episcopus, præter has cautiones, punctatorem etiam secretum, vbi opus esse viderit, constituere item poterit: idque secreto etiam, si ità expedire videbitur, qui iuratus in singulos dies noter, si qui erunt, qui debito Missę celebrandę muneri defuerint.

24 In vrbe verò aliqui Ecclesiastici viri, ab eodem Episcopo probati, in diœcesi item, Vicarij foranei, alijue ab Episcopo etiam constituti, libros Missarum celebrationibus notandis præscriptos, sæpè etiam de improuiso recognoscant: inspicientq; præterea notationes, per punctatorem occultè factas: ac singulis mensibus, aut terniò quoque mense, cum vnoquoque capellano præstiti muneris sui rationes ineunt; tùm etiam illis testimonium scriptum initæ rationis dabunt.

25 Nec verò cuiquàm capellano non titulari, qui munus celebrandi certis, statisq; diebus aut ad certum tempus, aut in perpetuum susceperit, quicquam mercedis, eleemosynęue ex legatis pijs, aliaue quauis ratione, à quibus suis soluatur; neque id exigat absque Episcopi, eiusue, cui id curę ille dederit, mandato, eoque scripto: quod ne detur, nisi pro ratione præstiti muneris, cuius testimonium scriptum ab eo, quo suprà, re ipsa exhibuerit.

Anno autem expleto, vel breuiori temporis spacio, quicquid ob prętermissum celebrandarum Missarum munus, capellano tribui non debet, id omne fabricę ecclesię præfectis, aut corporis Domini confratribus, in ea ecclesia constitutis, vbi ille Missarum muneri defuerit, aut alijs depositarijs soluatur, ab Episcopo constituus: vt quot Missas celebrari ab eo prętermissum est, totidem eo nomine ab alio sacerdote celeb ren-

celebrentur: aut ad ipsum in ornamentorum, quę eisdem altaribus, capellisuè vsui sint, apparatum erogetur, prout Episcopus expedire existimauerit.

26 Vt autē & hoc diligentius præstetur, & sacerdotibus consulatur, qui ob Missæ celebrandæ munus susceptum, ac præstitum, eleemosynas sibi debitas, magno cum negocio, sæpèq; cum detrimento ab ijs, qui tribuere debent, consequuntur: Episcopus, vbi expedire viderit, certos aliquos, probatosque homines depositarios diligat; quorum munus sit, illas exigere, custodire, tum statis temporibus pro ratione suprà præscripta, capellanis sine mora soluere.

Et quoniam qui capellas, altaria, aliauè beneficia ecclesiastica in titulum obtinent, quibus Missarum munus aliquod incumbit, non ab heredibus eorum, qui legata pia reliquerunt, vel ab alijs eiusmodi; sed ipsi per se fructus capellarum, altariumuè suorum exigere solent; cum ijs sequestri ratione, omnique alio modo Episcopus agat: vt, si muneri suo illi in celebrandis Missis defuerint; fructuum restitutio locum habeat, eaque ad præscriptam, vt suprà rationem, piè, vtiliterq; erogetur. Quam sequestri, & mulctæ rationem omnes adhibere debent, vt opus fuerit, cum capellanis quoque illis, qui etiam legati nomine, vel alia eiusmodi causa Missas celebrandas ad certum tempus, vel in perpetuum suscipiunt.

27 Qua in Ecclesia, pro freqentiori, qui ob festi diei, indulgentiæuè celebritatem, aut ob perpetuum populi, ac præcipuum deuotionis studium fit, ad eam concursu, eleemosyna, & crebrior, & vberior, Missæ celebrandę nomine datur; in ea nè cuiquàm sacerdoti eiusmodi eleemosynam, ob Missæ celebrationem, vllo modo, aut prætextu flagitare, ac nè sponte quidem oblatam accipere liceat. Verùm vnusquisque sacerdos illam in capsula, certo ecclesiæ loco, aut pro Sacristiæ foribus eo nomine collocata, deponendam curet. Cui capsulæ statis illis frequentioris concursus diebus, Rector ecclesiæ, aliusuè, cuius interest, aut is, cui Episcopus hoc munus dederit, certum aliquem clericum, spectata probitate præficiat, cuius sit illis diebus apud capsulam assidere; tùm sigillatim, ordineque notare, quæ Missarum, aliarumque precum nomine eleemosyna detur, accipiaturuè, vt pro illius notationis ratione Rector, aut Sacrista, aut ille, quem Episcopus constituerit, sacerdotibus illius ecclesiæ, alijsuè ad diuina officia concelebranda, eo celebritatis nomine euocatis, statim præscribat; quid pro eleemosyna oblata vnusquisque eorum qui obtulerint, voluntati satisfiat,

Sess. 22. De obs. & euit. in celeb. Mis.

Peractis autem diuinis officijs, quæ eleemosyna eo nomine in capsulam coniecta est; illam idem vel ecclesiæ rector, vel alius, vt mox

suprà sacerdotibus ità distribuat, vt eorum vnicuique partem, pro ratione ministerij, officijuè præstiti, ex Episcopi prescripto, congruam tradat. Quicquid autem supererit, è capsula depromptum, apud virum probum, quem Episcopus delegerit, deponatur; vt, aut in aliam, quæ in eadem ecclesia fiet celebrationem Missarum piè conferatur, liceat tamen in alias res erogari, necessario comparandas ad Missæ sacrificij cultum decentiùs in ea ipsa ecclesia peragenda: si ob ecclesiæ inopiam ità Episcopus concesserit. Cuius etiam iussu, in Tabellam Sacristiæ referantur, si quæ commemorationes eo nomine, pro ijs qui piè contulerunt eleemosynam, deinceps faciendæ erunt ab ijs, qui in ea ecclesia Missæ sacrificium facient.

28 Qui verò parochi propè eas ecclesias habitant, ij, iubente Episcopo, populum, suæ curæ commissum, diebus præsertim, qui proximè precedunt illos certos dies frequentioris eleemosynæ, moneant, vt hac constituta eleemosynas eiusmodi recipiendi ratione, quas eleemosynas Missarum celebrationi dare quisque velit, eas non sacerdotibus, aut clericis tradat, vel alijs, sed in capsulam deferat, eo nomine constitutam.

1. De frequē. diu. sacr. obl. Sess. 23. c. 14.

29 Tridentini etiam Concilij auctoritatem sequuti, præcipimus sacerdotibus reliquis, cuiuscunque gradus, conditionis, & dignitatis illi sint, vt Dominicis, & reliquis festis diebus, Missam celebrare nè omittant.

1. Quæ pert. ad cel. Miss. Dist. 73. c extraneo, & cle. per tuæ. Sess. 2. c. 16. de refor.

30 Clericis alienę diœcesis rei diuinę faciendę facultatem nè permittat Episcopus; nisi ostendant litteras testimoniales, seu dimissorias Ordinarij sui, duobus tantum mensibus ante, si in Prouincia, si extrà Prouinciam in Italia, quattuor; sex verò si extrà Italiam datas; vel si eæ antiquiores sint, afferant etiam scriptum testimonium de vita, & moribus ab ijs Ordinarijs, in quorum diœcesi post illud tempus aliquamdiu permanserint.

Sess. 2. & obl. in cel. Miss. 2. Tit. 2. dec. Sess. 23. c. 16. Sess. 22. & ob seruandis & cuit. in celeb. Missæ.

31 Quod patrum decretis, & Tridentino Concilio sancitum est, vt nè alienę diœcesis Clerici absque cōmendatitijs litteris ab vllo Episcopo recipiantur, quò facilius illud executionem habeat; parochus quispiam, vbi primùm cognouerit in parochia sua ecclesiasticum hominem alienæ diœcesis, vel domicilium constituisse, vel apud aliquem diuertisse, vel in caupona hospitio exceptum esse, vt aliquot dies commoretur; quàm citissimè poterit, octo ad summum dierum spatio, eius nomen, & patriam, si in vrbe est, Episcopo, eiusuè Vicario, sin autem in diœcesi, foraneo Vicario illius regionis denunciet. Eorum autem cuiusque curę sit, illum ad se accersere, mandareq; literas commendatitias sibi ab eodem ostendi: quas tamen Vicarius foraneus non comprobabit, nisi consulto Episcopo. In ijs autem com-

probandis

probandis ea ſeruentur, quę ſuperiori item Prouinciali Synodo hoc de genere conſtituta ſunt.

Quod primo prouinciali Concilio interdictum eſt, ne peregrino ſacerdoti ſine dimiſſorijs, teſtimonialiabusuè litteris Miſſæ ſacrum facere liceat, id ei vetitum ſit in Regularium etiam cuiuſuis ordinis eccleſijs. 3. De ijs quę pert. ad Miſſæ ſacr.

32 Sacerdotes, qui publicè, & notoriè criminoſi fuerint, à Miſſę celebratione arceantur; niſi emendata vita, ſceleris maculā eluerint. 1. Ibidem. Seſſio. 22. de obſ. & euit. &c.

33 Facultates, cuicumque ab Epiſcopis ad hanc diem conceſſæ, plures Miſſas eodem die celebrandi, poſthàc irritę, ac nullę ſint. Grauia pericula, offenſiones, atque adeò ſępè iniurias ſanctiſſimo Miſſæ ſacrificio fieri compertum eſt, quòd quidam ſacerdotes non ſemel tantum, ſed pluries in die illud offerant. Quod nè in poſterum fiat, prętерquàm ſalutari illo die Dominicæ Natiuitatis, quo vnusquiſque ſacerdos non ſine magna myſteriorum ſignificatione ter celebrare debet, decreti huius auctoritate vetitum ſit, ne ob vllam neceſſariam cauſam; neque etiam ob parochialis, alteriusuè eccleſię egeſtatem; neque ob ſacerdotum penuriam, nec verò ob locorum diſtantiam Epiſcopus cuiquam ſacerdoti pluries in die diuinum illud Miſſę ſacrificiū offerendi facultatem det, aut permittat; cùm beatus admodum ſit ille ſacerdos, qui ſemel tantum in die illud dignè obtulerit. Si quæ verò eius generis facultas anteà vel certo loco vel ſacerdoti data eſt, eam planè ſtatim reſciſſam, irritamque ac nullam omninò eſſe iam nunc decernimus. 1. Ibidem. 5. quę ad di. off. pert.

34 Nemini ſine facultate, ab Ordinario ſcriptis impetrata, in oratorijs ſodalitatum ſęcularium, quas confraternitates vocant, alijsuè eccleſijs, capellis, aut oratorijs ſæcularibus, quæ parochialis eccleſię finibus continentur, Miſſam celebrare liceat Dominicis, & reliquis feſtis diebus; niſi abſoluta concione, quæ inter Miſſam in parochiali eccleſia habebitur. 1. Ibid.

35 Quod prouinciali primo Concilio à nobis decretum eſt, vt in Eccleſijs quę intrà parochialis eccleſiæ fines ſunt, Dominicis, & feſtis diebus Miſſę factum nè fiat, niſi abſoluta parochi concione, quæ manè inter ſacrificium Miſſæ habetur, id ſeruari iubemus; niſi parochus ante fieri permittat, certa prędcripta hora. 3. De ijs, quę pert. ad Miſſæ ſacrif.

36 Nè in Monialium Eccleſijs, ac nè in ijs quidem, quę Epiſcopi curæ ſubiectę non ſunt, ſęculari cuiquàm ſacerdoti, etiam ſi vbique celebrandi facultas generatim, niſi à ſede Apoſtolica ei data eſſet, Miſſæ ſacrum facere liceat, prætерquàm cui nominatim id ab Epiſcopo conceſſum eſt. Qui contrà admiſerit à Miſſę celebratione ſuſpenſus ſit eiuſdem arbitratu. 2. Tit. 2. dec 3.

3. Ibid. 37 Sacerdotem in Monialium Ecclesijs sinè Episcopi concessu, Missæ sacrum in posterum facientem, propositam altero nostro prouinciali Concilio suspensionis censuram, non ipso facto subire, vt constitutum est; sed ab Episcopo illi infligendam decernimus.

1. Ibidem. 38 Die Sabbati semper Missa de beata Virgine celebretur; nisi dies solemnitas vel ecclesię institutum interdum obstiterit: quo casu eius omninò commemoratio fiat; nisi, & id ecclesiæ instituto impediatur.

39 Nè plures tribus, vel ad summum quinque orationes, seu, vt vocant, Collectæ dici possint; nisi vbi ecclesiæ institutum aliud postulet.

40 Ornamenta, & instrumenta altarium pro celebratione Missæ, pura, ac munda sint, præsertim corporalia, ac purificatoria: quamobrem etiam vino albo (vbi possit,) tantummodo ad Missæ sacrificium sacerdotes vtantur.

Quot autem esse debebunt, infrà docebitur.

1. De Ecclesijs, & earum cultu. 41 Nemo vasa, vestes, vel alia ornamenta, sacris addicta, aut omninò quidquàm ex sacra supellectile profanis hominibus, aut ad profanum vsum commodare audeat: qui ità commodarit, grauiter arbitrio Ordinarij puniatur.

2. Tit. 2. dec. 19. Quę pallia, aliaque sacra indumenta Altarium vsui ornatui addicta sunt; ea ad sedis Episcopi, alteriusuè hominis ecclesiastici, vel laici quauis dignitate præditi apparatum, aut ad funeris, exequiarumuè pompam, aut aliarum rerum, quę profanę sint, vsum, siue ornamentum nè adhibeantur.

4. De funer. & exeq. Nè cœnotaphijs, aut quas vocant, tumbis, pallia altarium adhibeantur.

5. De Ecclesijs, earum supell. & fruct. Puluinaria Missalium vsui addicta, ne Episcopi quidem, ne dum alterius cuiusquam genibus, cubitisuè, vllo loco, nec verò in ecclesia supponantur: neque prætereà ad vllum profanum vsum adhibeantur.

Ac ne ad suggesti quidem ornatum pallia altarium vsui sint; Curandum igitur erit, quàm citissimè per facultates ecclesiæ fieri poterit, vt pro solemnium temporum, festorumque dierum ratione, ornamenta suggestis ipsis propriè apposita, comparentur.

1. Quæ pert ad cele. Mis. c. vt Calix, de cons. dist. 1. 42 Calices, ex metalli genere, iure permisso, adhibeantur, eoque pretiosiori, quantum per facultates licuerit.

4. Quæ pert. ad sãct. Missę sacr. 43 Vrceoli, qui ad sacrificij vsum adhibentur, quo distinctius, atque certius aqua à vino dignosci possit, nè è stanno, argento, alioue metalli genere sint; sed planè è vitro, eoque perlucido aut è christallo confecti: itidem operculum oris habeant.

2. Tit. 2. decr. 20. 44 Hostias pro sacra Eucharistia conficienda non laicus homo, nec verò fœmina faciat.

45 Quæ vestes, & ornamenta cuiusuis generis, ad vsum sacrum compa-

comparata, ecclesiæ instituto benedici debent, ea in Missæ sacrificio, cæterisque diuinis officijs nè prius adhibeantur quàm solemnibus precibus ab Episcopo, vel ab alio, qui auctoritatem habent, benedicta sint.

46 Tollant Episcopi sumptuosa conuiuia, ludos, choræas, & omne inanium oblectamentorum genus, cęterosque omnes abusus, qui populi temeritate, aut sacerdotum auaritia in nouę, vt vocant, Missæ celebrationem irrepserunt; & in eos, qui in hoc genere aliquid peccarint, Episcopus grauiter animaduertat. 1. Quæ pert. ad cele. Mis. Sess 22 de ob ser. & cuit. in cel. Miss.

47 Magister cæremoniarum Cathedralis Ecclesiæ eos, quibus prima Missa celebranda sit, & qui præterea sacerdotes minùs peritè celebrãt, Missæ ritibus, ac cæremonijs instituat. qui si huic muneri obeundo vnus par esse non poterit, alijs idoneis sacerdotibus Episcopus eas officij partes deleget. 1. Ibid.

48 Neque cuiquam primam Missam celebrare liceat, qui ab ijs institutus non sit.

49 Primam Missam Sacerdos celebraturus, à cęremoniarum magistro, vt iussum est, primo prouinciali Concilio, institutus Sacrarum cęremoniarum disciplina, Missę sacrificium antè nè faciat, quàm illum Episcopus, aut is, cui ipse id curę dederit, illis ritè obeundis cæremonijs satis instructum nouerit, ac probarit. 3. De ijs, quę pert. ad Missæ sacrif.

50 In vnaquaque Plebe Episcopus duos, vnumuè saltem sacerdotẽ, ecclesiasticorum rituum vsu peritum, constituere curet, qui alios sacerdotes, & & clericos cæremoniarum, quę in Missa, & in diuinis officijs ritè obeundis requiruntur, disciplina instruant diligenter. Qua in re libellus de Missæ cęremonijs adhibeatur, qui nostra cura conscriptus, in lucem prodibit. 2. Tit. 2. dec. 12.

51 Vt exploratum sit, an Sacerdotes statarum cęremoniarum vsum, peritiamque teneant; ipse Episcopus, cùm aliquando Missę sacrificio, quod illi faciunt, alios peritos sacerdotes prędentes adesse iubeat; tùm aliquando singulos euocet, eorumque in Missæ sacrificio ritè faciendo exercitationem, ac peritiam per examen, experiundouè cognoscat. 4. Quæ pert. ad sãct. Missę sacrif sess. 22. de obser.

52 Prędipimus autem, vt Sacerdotes in Missæ celebratione cęremonias, à Romana ecclesia institutas, ad vnguem seruent: neq; alias adhibeant. 1. Quæ pert. ad cel. Missæ. Sess. 22. de obs. in celeb. Miss.

Vt ab omni indecoro, & absurdo capitis, oris, & reliqui corporis motu abstineant.

Vt, cum eleuatione peracta, sacra hostia mouenda, vel sumenda erit, ità moueant, nè iterum sustolli videatur.

Vt prędter institutum Ecclesię Romanę ijs, quę secreto, vel quę palã cuntur, quidquàm addi, vel detrahi non liceat.

Vt, quę palam pronuncianda sunt, distinctè, & clara voce dicant.

Vt

Vt Secreta, quæ vocantur, secretò etiam pronuncient.

Vt neque tardius, neque celerius, quam par sit, verba proferant.

Vt propter erroris casum, qui in omni Missæ parte grauis, in Canone grauior, in ipsa verò consecratione grauissimus est; Missam legant; non memoriter dicant, aut canant.

54 Vt operto capite cele brare non audeant.

Vt, quò puriores ad diuinam rem faciendam accedant, saltem singulis hebdomadis peccata sua confiteantur; nisi eos ob mortalis peccati culpam frequentius id facere oportuerit.

Vt, antequàm celebrent, se colligant; & orantes mentem in tanti ministerij cogitatione defigant. Quod, vt commodius fieri possit, curent Episcopi, vt in singulis Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium Ecclesiarum Sacristijs singulæ Cellulæ ad hunc Sacerdotum orandi, & meditandi vsum, instituantur.

55 Vt, antequàm ad Altare accedant, Missam perlegant, & singulas partes ità præparatas, & notatas habeant, vt celebrantes, neque errent, neque hæreant.

Vt Sacris vestibus induti, cum nemine colloquãtur; neque loquentibus dent aures, mentemque, & oculos ab omnibus amoueant, quibus distrahi possint: neque è Sacristia exeant; nisi cùm ad Altare eundu erit: quod tùm grauiter, & modestè fiat.

Vt pileum, biretum, aut subbiretum, chirochecas, sudariolum, aut quodcumque denique huius generis in Altare nè ponant.

57 Vt ibi nè in mora sint Sacrificio cuiusuis expectandi gratia.

Neuè ob eandem causam, Missa inchoata, subsistent, aut eius initium repetant.

Sess. 22. De obs. in celeb. Miss. Neuè si Parochi sint, cuiusquam gratia, metuuè Missam anticipent, aut differant: sed illam ea potissimum hora celebrent, quæ populo magis accommodata sit.

Neuè Concionem, quam in ea habere debent, nullo modo omittant.

58 Quod si fortè quispiam imperio quodam, aut contumelia, aut minis, aut vi contenderit, vt Sacerdos quidquam contrà, quàm hoc decreto Sancitum est, faciat, si clericus sit, & beneficium obtineat, eo priuetur: si non habet beneficium, ne habere quidem ad quinquennium possit; si laicus, re ipsa iam tunc excommunnicationis pœnam subeat; neque ad decennium feudi, aut emphyteosis nomine quidquam ab Ecclesia consequi possit.

59 Vt peracta Missa, pro summi beneficij munere, Deo gratias agant.

60 Nè Sacerdotes, cum in fine Missæ fuerint, vel eorum ministri, re-

cedant

cedant ab altari: Neuè vasa, aut linteolos sacros colligant.

Ne cuiquam rei tollendæ, vel mouendæ causa manus admoueant.

Ne candelas restinguant: nisi absoluto Euangelio, quod post benedictionem dicitur.

61 Ministri candelas accendant, Missale, & Vrceolos, & alia, quę ad Missę ministerium requiruntur, prius suis locis in Altari collocent, quàm eò Sacerdotes accedant: quem nisi his omnibus præparatis, confessionem ordiri omninò prohibemus.

Sacerdote rem diuinam faciente, ministri per Ecclesiam ne vagentur; neuè dent operam collocutionibus, aut candelis venditandis; sed composito corpore, nullo gestu, modestè, vt debent, Sacerdoti adsistentes inseruiant.

62 Celebranti Sacerdoti vnus saltem minister adsistat, isq; Clericus, vbi possit, & talari veste, & superpelliceo indutus. 1. Vt suprà.

Clericus Sacerdoti Missam celebranti ministrans, semper indutus sit superpelliceo puro, & mundo, eoque non lacero, neque vlla alia ratione indecenti: si contrafecerit; tùm ipse, tùm Sacrista, tùm Ecclesiæ præfectus, tùm Sacerdos etiam, qui sibi ministrare permiserit, plectatur, arbitratu Episcopi. 4. Quæ pert. ad sanct. Mis. sacrif.

63 Clericus nè Sacerdoti in Altari antè ministret, quàm in illius ministerij functione ritè instructus sit; & ab eo probatus qui in vrbe, aut etiam in singulis vrbis regionibus, & in vnaquaque Plebe cæremoniarum muneri ex secundi prouincialis Cõcilij decreto, præfectus est. 4. Quæ pert. ad sacr. ord.

64 Clericus qui in Missæ sacrificio ministrat, dum eam functionem obit, ne preces horarias, neuè aliud quicquàm de libro alioue officio recitet; sed toto intimę pietatis studio ad ministerium attentus sit, quod tunc piè, religiosèq; exequi debet. Sextũ, Quæ ad Miss. pert.

65 Nè verò quis, vel vir, vel mulier gradibus Altaris hæreat, aut propè Altare sit, dùm Sacrum fit. Ideò Sacerdos celebraturus hærentes inde se longius abduci iubeat; quo celebrante, hoc ministrans Clericus præstet. 3. De ijs quæ pert. ad Miss. sacrif.

Cùm Sacerdos ad Altare accesserit, Missæ sacrificium facturus; Clericus, qui tunc illi ministraturus est, vbi alius non sit, qui tunc hoc officium præstare possit, circumspiciat modestè astantes, & si quempiam animaduerterit marem, vel fœminam incomposito corporis habitu, aut aliàs contrà præscriptas regulas, prouincialibus nostris consilijs, cum iniuria, vel irreuerentia sanctissimi illius sacrificij interesse, moneat grauiter, vt opus erit: neque Sacerdos ante Missæ initium faciat, quàm omnes qui adsunt, quemadmodum etiam Tridentino Concilio Curæ Episcopi commissum est, decenter composito corporis habitu declarauerint, mente etiam, ac deuoto cordis affectu, non solum corpo- 4. Quæ pert. ad sanct. Mis. sacrif. Sess. 22. de ob ser. & enit. in sac. Missæ.

re.

re adesse. Missa verò iam inchoata, si quid eiusmodi fiat; hoc idem officium admonendi itidem ille minister Clericus præstet modestè, & grauiter. Si quis verò ab ijs de eiusmodi monitus non resipuerit, quàm primum eorundem cura deferatur ad Episcopum, vt iure cum eo efficacius agatur.

4. Ibidem. 66 Missæ initium Psalmus, Iudica me Deus, & in fine, Euangelium Sancti Ioannis Euangelistæ, In principio erat, &c. dici ne vmquàm omittatur; nisi, cùm aliter in Missarum rubricis notatum est. In cæteris item nè quid addatur, nec verò detrahatur, ac ne quicquam mutetur; sed ad vnguem id omne dicatur, quod in Missali nuper Pij V. Pont. Max. iussu edito præscriptum est.

67 Si quem Parochum, aliumuè Sacerdotem Missali Romano, quod item Pij V. Pont. Max. iussu editum est, Episcopus ad Missę sacrificium deinceps non vti compererit, à Missę celebrandæ munere illum, arbitratu suo suspendat: tùm pro culpę, contumacięuè ratione, alijs pœnis reà pœnis afficiat.

5. Vt suprà. 68 Nè Patena, cùm oblatio fit, sed crux, aut sacra aliqua imago offerentibus fidelibus ad osculandum præbeatur.

4. De verbi Dei præd. 69 Nec Parochi, Sacerdotesuè alij intrà Missarum solemnia quicquàm quod profanum sit, quodque ad rerum huiusmodi enunciationem attinet, de altari populo pronuncient, aut euulgent.

4. Quæ pert. ad sanc. Missæ sacrif. 70 Caueatur, cùm in Missę Sacrificio, quod etiam sine cãu fit Missalis, aut Euangelistarius liber, aut pacis instrumentum cuiquam, vel Principi, vel Magistratui, vel alij ad osculandum præbeatur, nè id manus per laicum hominem, sed per clericum præstetur.

71 Quod prouinciali secundo Concilio iussum est, in Missa Conuentuali, & Parochiali cùm Corpus Domini eleuatur, signum sono Campanę dari: in alijs Missis id ità præstetur, vt tunc paruulum tintinnabulum, aut à latere Altaris appensum, aut è Sacristia allatum, à Clerico ministro, certis distinctis ictibus, pulsetur.

1. Quæ pert. ad celeb. Miss. 72 Moneant Parochi frequenter patresfamiliàs, vt filios, & famulos, quos in bestijs pascendis occupant, saltem diebus festis Missę iubeant interesse.

1. Ibidem. 73 Viduę ob maritorum mortem, ad summum nè mense amplius sint sinè Missę auditione. Qua in re nulla valeat excusatio cuiusuis consuetudinis, quam irritam decernimus. Eas item Episcopi etiam censuris ecclesiasticis, id facere cogant.

Sess. 24. ca. 4. sess. 22. de obs. in celeb. Miss & sess 24 c. 4. 74 Parochi populum frequenter hortentur, vt in sua Parochia festis diebus Missam audire nè omittant.

Moneantque cum diligenter, debere vnumquemque vt à Sacra Tridentina Synodo traditum est, in Parochiam suam, vbi id fieri commode

modè potest, conuenire ad audiendum verbum Dei.

73 Cùm audiendæ Missæ rationem populum Parochus docet, quo ex propitiatorio illo sacrificio vberiorem ille fructum capere possit, hoc eum sæpè admoneat, vt campanę signo dato, quo fideles ad Missæ Sacrum vocentur, sese quisque colligés, si sibi alicuius mortiferi peccati conscius est, summo ex eo dolore affectus, vitęque emendandæ certo, stabiliq; proposito suscepto, supplex à Deo veniam petat. 3. Vt suprà.

76 Fideles, cùm Missæ interfunt, eodem vestitu sint, quo in publicũ prodire solent: & ità se componant, vt corporis habitu animi religionem præ se ferunt. 1. Ibidem. Sess. 22. de obseru.

Ne in foribus Ecclesiæ, vel extrà subsistant, nisi necessitatis causa.

Aperto capite sint.

Et quo tempore à Sacerdote Confessio dicitur, & grauiora Missæ mysteria peraguntur, sint flexis genibus.

Ne ità propè ad altare accedant, vt indecorum sit, & Sacerdos perturbetur.

77 Nè prius discedant, quàm Sacerdos Euangelium, quod post benedictionem dicitur, absoluerit.

Missę ità fideles intersint, vt in omni eius parte genibus flexis sint; nisi cùm Euangelium pronunciatur, quo tempore stent omnes, ac ne mulieribus etiam tunc sedere liceat. 3. Ibidem.

78 Episcopus efficiat, vt qui publicè, notorièq; criminosi sunt, sacris nè intersint, ut Tridentino decreto sancitum est: idque vel monendo agat, vel iubeat, à Sacerdotibus Missę sacrum, illis præsentibus, non inchoari, quò ad ipsorum admonitu, se inde abduxerint, uel alia quauis ratione seuerius agat, vt illius decreti executioni sit omninò locus. Tùm præterea, nisi uitę emendatione suscepta, isti Confessi in Sacro Pascha Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum susceperint, contrà eosdem agatur, prout Canonum iure in illos agi sancitum est, qui in Pascha non communicant. Ibid. Sess. 22. De obs. ĩ cel. Miss.

Quæ hoc in titulo desiderabuntur, videantur in titulo de Missa Parochiali, & de Parochijs.

De Supellectile Altaris minoris in Cathedrali, Collegiata, & Parochiali Ecclesia, tàm dotati, quàm indotati; Deq; supellectile ad vsum celebrationis Missarum in eisdem tàm dotatis, quàm indotatis Altaribus. Et de Supellectile Ecclesiæ simplicis.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Supellex Altaris minoris dotati in Basilica Cathedrali, Collegiata, Parochiali, Ecclesiaque simplici, & Oratorio, quæ & qualis.*
2 *Res, quarum apparatus pro diei ratione duplex, & pro colorum varietate idem quintuplex esse debet.*
3 *Lintea indumenta quot.*
4 *Supellex Altaris minoris indotati, ob necessariam tamẽ causam permissi in Cathedrali, Collegiata, & Parochiali, simplicique Ecclesia, & Oratorio, quæ, & quotuplex.*
5 *Supellex vsui communium Altarium minorum in Cathedrali, Collegiata & Parochiali Ecclesia, tàm dotatorum, quàm indotatorum: qua, & quotuplex.*
Vestes, & indumenta eiusdem materiæ, & coloris. De Supell. Missar. Episc. nu. 11.
Indumentorum ornamenta, materia, colore, opere, artificioue inter se, vt maximè potest conuenientia. Ibid. nu. 13.
Vasa, vestes, indumenta, ornamentaue supradicta omnia, ad quem apparatum non adhibenda. De Missis sine cantu. 41.
Ea non adhibenda, ante quàm sint benedicta. Ibid. 45.
Et à quo benedicenda. De Sacramentalib. 75.
Supellex omnis qua munditia asseruanda. De Sacristia. 23.

Iust. super Eccl. Basil. Cat. Colleg. Paroch. & Eccl. simpl. lib. 2.

1 SEQVITVR Supellex Altaris minoris in Cathedrali Basilica, Collegiata, Parochiali, & Ecclesia simplici positi, proprios annuos reditus, aut censum, aliudue emolumentum ex legato, aut aliunde habentis, vt ibi Missæ Sacrum fiat. Quæ porrò supellex vniuscuiusque scilicet Altaris minoris apparabitur hæc, vt infrà.

Crux vna.
Candelabra duo, cum suis operculis extinctorijs.
Emunctorium, Vnum.
Altare portatile, cum scilicet Altare ipsum consecratum non est.
Tabella Secretorum.
Mappæ minores duæ.
Mappa maior.
Pallium;
Velamentum frontispicij Altaris.
Tela Stragula Altaris.

Tabella

Tabella orationis de sancto cuius nomine Altare vocatur.

Tabella orationum de sancto, sanctisuè: quorum insignes reliquiæ in eo Altari reconduntur.

Amictus, cum fascia, seu auriphrygio;

Alba cum suis grammatis, seu auriphrygijs.

Cingulum.

Manipulus.

Stola.

Planeta.

Calix.

Patena.

Velum Calicis.

Sacculus Calicis.

Theca Calicis.

Corporale, cum palla.

Sacculus Corporalis.

Capsulæ binæ vsui corporalium.

Purificatorium.

Capsulæ binæ vsui purificatoriorum.

Vrceolorum, paria duo.

Peluicula vrceolorum, vna.

Missale vnum.

Integumentum Missalis.

Signaculum Missalis.

Puluinar Missalis.

Mantile ad manus abstergendas in Missæ Sacro.

Sudariolum ad nares expurgandas.

Funiculus cum globulo.

Crepidarum mundarum par.

Cereostrata bina.

Opercula earum restinctoria, totidem.

Tintinabulum gestatorium, si quando, vt suprà, Altari appensum non est.

Armarium proprium, aut loculus proprius armarij propry in Sacristia: in quo Calix, Patena, corporalia, & purificatoria, & cætera id generis, tùm prætereà, in quo sacræ vestes, ornamentaue ad huius Altaris vsum reponantur.

Qualis, cuiusuè formæ, sit omnis supradicta supellex, videatur tit. de Supellectile, quæ Canonicis, &c.

2 In hac Altaris minoris supellectile, ratio habenda est rerum tantum, quæ pro vsu quotidiano, festorumq; dierum celebritate duplices

esse

esse debēt, & pro colorum distinctione, singulæ præterea quintuplices.

Pallium.
Auriphrygium, seu fascia amictus.
Auriphrygium Albæ.
Manipulus.
Stola.
Planeta.
Velum Calicis.
Sacculus Corporalis.
Integumentum Missalis.
Puluinar Missalis.

Harum sacrarum vestium, & indumentorum apparatus vterque vnus scilicet, vsus quotidiani, & alter pretiosior solemniorum officiorum, quintuplex esse debet; ità vt vniuscuiusque apparatus indumenta singula sint numero quinque, nempè vnum colore albo, alterum rubro, tertium violaceo, quartum viridi, quintum nigro.

3 Lintea præterea indumenta, quæ ob causas suprà in Altari maioris Cathedralis, Collegiatæ, & Parochialis, ac simplicis Ecclesiæ expositas, plura etiam in minori esse oportet, hæc sunt nomina, singulaque supputata.

Mappæ maiores tres.
Mappæ minores sex.
Amictus duodecim.
Albæ totidem.
Corporalia quinque.
Purificatoria decem & octo.
Mantilia minora, ad manus abstergendas in Missæ sacro, sex.
Sudariola ad nares expurgandas, sex.
Funiculi Sudariolorum, cum globulis, tres.

4 Si quod verò Altare minus Episcopus, ob necessarium usum, ornatumue, aut construendum, aut quod constructum est, permittendum censuerit; nec ulla tamen ratio sit, qua ad illud instruendum, atque ornandum omnis illa supellex mox suprà in Altari minori demonstrata, parari possit; aut breui temporis spatio id omne genus præstari nequeat; ut tamen interea, dùm reliqua supellex apparabitur, oportuno tempore illud apparatum, ornatumue esse possit; supellex saltem exigua infrà notata, comparanda erit.

Crux vna.
Candelabra duo.
Pallea saltem quinque ex diuersis coloribus, pro instituto Ecclesiæ.
Altare portatile, si Altare ipsum consecratum non sit.

Mappæ

Mappæ breuiores, tres.
Mappæ longiores, duæ.
Tabella orationis de sancto, cuius nomine Altare nuncupatur.
Tabella item orationis de sancto cuius reliquiæ insignes in eo Altari recondantur.

5 In Basilica Cathedrali sæpè contingit, & Canonicos, & alios Sacerdotes, solo deuotionis studio, non ex aliquo, vel pij legati; vel dotis Altaris, tituliuè onere, in Altario maiori, aut minori Missæ sacrum facere: quò fit, vt nisi alia sacrarum vestium supellex in Sacristia sit, necesse habeant vti sacro vestitu, qui propriè Missæ Conuentualis cultui addictus est: indeque eueniat, vt illius vestitus pars, & Planeta præsertim, frequenti vsu conteratur, attrituque lacereturque, & corrumpatur: sicque cum reliquis Missæ Conuentualis indumentis, cum Dalmatica scilicet, & Tunicella, quæ attritæ non sunt, minus decorè conueniant. Rursus Altare indotatum, in eadem Basilica, vt suprà aliquando permissum, vt plerumque fit, supellectilem non habet necessariam ad Missæ sacrum faciendum: sæpèque etiam hoc accidit, vt quod Altare dotatum est, tota illa præscripta supellectile ob census tenuitatem, aliamuè causam instrui non potest: aut saltem ad eam comparandam longius temporis spacium requirit. Ideò, vt huius, & illius Altaris ornatui, atque apparatui ad Missæ Sacrum necessario subueniatur; vtque vestitus Missæ Conuentualis vsui addictus, integer totus, & inter se congruens conseruetur; simulque eorum Sacerdotum vsui prouideatur, est sanè conueniens, in eadem Basilica Cathedrali, præter proprium vniuscuiusque Altaris apparatum, aliam etiam Sacrarum vestium supellectilem comparari, quæ vsui communi sit, & illorum Canonicorum, Sacerdotumuè, & Altaris indotati, & dotati etiam aliqua, tamen apparatus parte egentis.

Hæc porrò supellex tanta sit saltem, quanta vnicuique Altario minori suprà præscribitur.

In Ecclesia Collegiata apparatus prætereà communis esse debet vsui Missæ Sacri, sine cantu faciendi in Altari tàm maiori, quàm minori: prout & hic ipse apparatus, & quantus esse debeat, suprà demostratur, & præscribitur in Basilica Cathedrali, ob causas eo loci expositas.

Apparatum prætereà communem in Ecclesia Parochiali esse conueniens est, vsui Missæ Sacri, etiam ab alijs Sacerdotibus sine Cantu faciendi: prout suprà dictum est.

De Residentia Episcoporum, Canonicorum, Parochorum, & aliorum Ecclesiæ Ministrorum ac beneficiatorum quorumcumque.

SVMMARIVM.

1 *Absentium Episcoporum fructus, Ecclesiæ fabricæ, vel pauperibus, & quando hospitalibus applicandi.* 3.
Eorum exigendorum cura ad quos pertineat. 4.
2 *Episcopi residentiæ adstricti.*
Residere impediti, quos suæ absentiæ causam doceant.
5 *Absentia Episcoporum, à quibus, & cui significanda.*
Curati inferiores residere quoque personaliter tenentur. De Parochijs. nume. 7.
Etiam si Canonici sint. Ibid. nu. 3.
Coadiutores. Ibid. 24.
Substituti. Ibid. nu. 9.
Non residentes, qua pœna puniendi. Ibid. 7.
Et à quo Episcopo denunciandi. infrà 20. 23.
Non residentium fructus, Episcopi cura, quibus attribuendi: & quomodo satisfiat Ecclesiæ, si absentia durante, beneficia cessa fuerint. 7.
6 *Absentiæ eorundem licentia à quo petenda, & qua ratione concedenda.* 19.
8 *Episcoporum negligentia in prædictis coercetur.*
9 *Edictum contrà curatos non residentes infrà quod tempus ab Episcopo proponendum. Et quod tempus ad residendum præscriptum.*
10 *Contumacia eorundem, vt plectenda: & quibus absentium fructus adiudicandi.*
11 *Edictum aliud contrà Curatos non residentes Studij causa infrà mensem proponendum: & cuius tenoris.*
12 *Licentiæ eisdem iàm concessæ, studiorum causa, quæ validæ, quæque non.*
13 *Concedendæ in posterum scripto, & quibus conditionibus dandæ, & ad quod tempus.* 14.
Absentes studiorum causa quid amittunt. De distribut. 34.
Nè à residentia distrahatur Parochus, quæ munera non suscipiat. De Parochijs, &c. nu. 11. 12. *& seqq.*
15 *Ab eodem residentiæ munere non excusati beneficia litigiosa habentes.*

Neque

16 *Neque ordine non initiati, quem beneficia requirunt.*
17 *Nec qui tertiam partem fructuum in distributiones contulerunt.*
Nec Parochi, ob inualetudinem, cœlinè grauitatem. De Parochijs. 17.
Nec ob leues inimicitias. Ibid. 19.
Nec ob aliud beneficium personalis residentiæ. Ibid. 6.
18 *Et qui alij.*
19 *Absentiæ concedendæ facultas, qua ratione ab Episcopo moderanda. & supra 15. & 16.*
Pœnarum, Curatis, & alijs non residentibus præscriptarum innouatio. Quæ ad ord. Sacr. pert. nu. 96. 97.
Fructus Parochialium incompatibilium quibus assignandi. De benef. plural. nu. 2.
20 *Beneficiati alij residentiæ adstricti, vt puniantur muneri suo deficientes; & illis subtrahendi fructus, quibus applicandi.*
21 *Et à quibus Episcopo denunciandi. 22. 23.*
Canonici, & alij beneficiati in Cathedralibus, & Collegiatis non residentes, per quos ad Episcopum deferendi. 21.
Absentes Canonici quid perdant. Residentes verò quid lucrentur. De distribut. per totum.
Quando alios substituere possint. De Ministris Eccl. 21.
Absentia trium mensium, vt plectenda. De Punctat. 44.
24 *Absens ex facultate, rediens, quid faciat.*

1 DEcreuit Sacra Tridentina Synodus, vt ij, qui non legitimè à suis Ecclesijs abessent, pro rata temporis absentiæ, Ecclesiarum, quibus præessent, fructus suos non facerent: sed vt in fabricam Ecclesiæ, aut in pauperes loci erogarent: quod si non exequerentur; statuit, vt eorum superiores ecclesiastici, omissas ab illis huiusmodi officij partes ipsi susciperent. 1. De Resid. sess. 23. ca. 1. de refor. sess. 6. c. 1. de refor.

2 Si qui igitur prouinciæ nostræ Episcopi post confirmationem Concilij Tridentini in Ecclesijs suis, ex eiusdem Concilij præscripto, non resederunt; neque Metropolitanum, aut eo absente, antiquiorem Prouinciæ Episcopum intrà mẽsem docuerint causam suæ absentiæ, Sanctissimi Domini nostri, vel Metropolitani, vel antiquioris Episcopi scripto comprobatam esse; aut se fructibus illos, ijs, quibus eiusdem Sacri Concilij decreto propterea debebant, persoluisse; nos illam ipsam fructuum partem iam nunc Hospitali vniuscuiusque ciuitatis, cuius illi sint Episcopi, quod maioribus præmatur sumptibus, Sess. 23. c. 1. de refor.

in vsum pauperum loci erogandum, assignamus. Et si id Hospitale intrà duos menses eos fructus, auctoritate superioris Ecclesiastici non exegerit; alteri Hospitali eiusdem Ciuitatis, quod in eorundem fructuum petitione iudicio prænenerit. Quod si, aut nullum in ea sit Hospitale, aut quæ sint Hospitalia, sex mensibus eos fructus non exegerint, fabricæ Ecclesiæ attribuimus.

Si qui verò posthac abfuerint; fructus, quos suos non fecerint, iàm nunc eisdem locis, qua supradictum est, ratione, adscribimus; nisi ipsi Episcopi intrà tres menses à die absentię ijs, quibus ex Concilij decreto debent, persoluerint.

4 Itaq; mandamus Hospitaliũ, & fabricarũ ministratoribus, ac procuratoribus, cũ denunciatione etiã periculi eorũ conscientię, vt totam summã sine vlla vel pactione, vel remissione primo quoq; tpe exigant.

5 Statuimus etiam, vt ex Capitulo singularum Cathedralium Ecclesiarum tres primi præsentes, singulis sex mensibus, Metropolitanum, vel, eo absente, eundem antiquiorem Prouinciæ Episcopum certiorem faciant, an eorum Episcopi in suis Ecclesijs resideant. Et qui, & quamdiu ab eis abfuerint; sin minùs, ijdem distributionum vnius mensis fructus suos non faciant.

1. Vt suprà. Sess. 6. c. 2. 6 In Reliquis etiam inferioribus curatis beneficijs, si qui post confirmationem Concilij abfuerunt sine licentia, ab Ordinario scripto permissa, quam ad mensem eidem Ordinario exhiberi volumus; vel non probarint, se eos fructus, quos pro rata temporis absentiæ suos non fecerunt, ijs, quibus ex eiusdem Tridentini Concilij debebantur, soluisse; eos omnes iam nunc reficiendis, & ornandis eorum Ecclesijs attributos esse decernimus.

7 Quam attributionem Episcopi quorum conscientię hoc onus imponimus, ad sex menses, implorato etiam, si opus sit, Principum, & Magistratuum auxilio, omninò exequendam curabunt.

Quod si contigerit eos, qui propter absentiam à suis beneficijs, fructus suos non fecerint, ipsis beneficijs posteà cessisse; curent Episcopi, vt vel ex fructibus pensionum, si quæ illis, qui cesserint, fuerint reseruatæ; vel ex eorum bonis, cuiuscumque illa generis sint, satisfiat Ecclesijs.

8 Qui si in his negligentes fuerint, sciant se prima quoque Prouinciali Synodo prætermissi huius officij rationem reddituros esse.

Si quid intercesserit, quamobrem id minus exequi possint, ad Metropolitanum referant; vt ad rem conficiendam ipse quoq; suam operam cõferat; & in ea auctoritatem Sanctiss. D. N. interponendã curet.

5. De Resid. Nè Episcopus, propterea quod sibi liberum, integrumq; est facultatem permittere, qua liceat aliquem ab Ecclesia commissa, beneficiove personalis residentię abesse, ea potestate, facultateve deinceps ob cu-

iusuis

iusuis generis causam vtatur: sed in illa concedenda modum, & rationes adhibeat concilij Tridentini sanctione præscriptas.

1. De Resid. Sess. 6. cap. 1. Sess. 23. c. 1. Const. Pij 4. ædita 7. cal. Dec. 1564.

9 Quoniam verò multorum, beneficia curata obtinentium, ea est contumacia, vt neque decretis Tridentini Concilij, neque constitutione Sanctissimi D. N. Pij IIII. neq; Episcoporum edictis moniti, adduci possint, vt beneficiorum suorum residentiæ præsentes satisfaciãt; statuimus, vt Episcopi, ad mẽsem edicto proposito iubeant oẽs qui in eorum ciuitatibus, diœcesibusve beneficium eiusmodi in titulum, vel commendam obtinent, si in prouincia illi sunt, ad duos menses, si extrà ad tres, ad eadem beneficia accedere, in iisque residere: ea proposita in edicto pœna, vt, qui non paruerint, etiam si præter curatum illud beneficium, dignitates, personatus, aut canonicatus in Ecclesiis etiam cathedralibus obtineant, præter pœnas, quæ eodem concilio, & Pij Quarti constitutione contra non residentes propositæ sunt, ordinum suorum munere, officioue suspensi, & eo beneficio iure ipso priuati censeantur.

10 Transacto tempore in edicto præstituto, Episcopi eos, qui non resideant, propositam priuationis pœnam subiisse declarent.

Interim verò eos fructus, quos suos absentes non facient, ijdem Episcopi suo arbitratu, aut Ecclesiarum fabricis, aut pauperibus loci adiudicent.

1. Ibidem.

11. 12 Intrà mensem publicè edicant Episcopi, vt quibuscũque studij causa non residendi in beneficiis curatis licentia permissa est, eam suo quisque Episcopo intrà spacium trium mensium exhibeat: qui si illam à die confirmationis sacri Concilij Trid. ad diem regulæ, a S. D. N. Pio IIII. latæ compererit; nisi, quemadmodum ab ipsa præscribitur, ordinarij consensus accesserit, nullam, & irritam declaret: propterea q; eũ, qui huiusmodi facultatem impetrarit, ex decreto Concilij Tridentini residere cogat in ipso beneficio.

13 In iis autem facultatibus absentiæ studiorum causa, quæ deinceps concedentur, hæc necessario ponenda sunt.

Vt verè in publico, celebriq; Gymnasio, Theologiæ, vel sacris Canonibus studeant.

Vt minores sint triginta annis, aut fuerint; cùm in publico gymnasio ijsdem studiis operam dare cœperunt, quæ nunc cupiunt absoluere.

Vt illud beneficium, antequàm sacrum Tridentinum Concilium à S. D. N. Pio iiij. confirmaretur, obtinuerint.

Vt intrà annum, ad ordinem saltem Subdiaconatus promoueãtur.

Vt singulis sex mensibus Episcopo scriptum sui Doctoris exhibeãt, quo is ipsos in eo studii genere proficere testetur. Quod etiam Episcopus secretò ab aliis cognoscere studeat.

Quod si omnes suprascriptæ conditiones in licentia expressæ non

fuerint ; aut is, qui impetrat, qualitates omnes, quæ in scripta licentia requiruntur, non habeat ; aut quæ ipsi seruanda proponuntur, deinceps non præstiterit ; facultates irritæ, ac nullæ sint : &, qui impetrauit, sciat se fructus suos non fecisse, neque facere ; ac pœnis, quæ non residentibus propositæ sunt, teneri.

Concedatur autem ad quinquennium tantum, ab eo die numerandum, quo eum in publico Gymnasio Theologię, aut sacris Canonibus constet operam dare cępisse.

3. Deijs, quę partim ad ordin. sacr. &c.

14 Ne à diœcesi Clerico cuipiam, neque ab Ecclesiæ suæ residentia alij, Ecclesiasticum beneficium obtinenti, quod quacumque ratione personalis residentiæ munus iure, vel consuetudine requirat, studij causa abesse liceat, nisi eius rei facultate litteris ab Episcopo permissa.

Quibus sanè litteris hæc Episcopus nominatim adiungat ; ac præscribat ijs, qui ad locum alienæ diœcesis studij causa proficiscentur.

Vt & regulas nostro prouinciali primo, & secundo Concilio de habitus ratione, frequentię ; Sacramentorum vsu, Clericis præscriptas, & reliqua nostris item Prouincialibus, ac suis diœcesanis Synodis decreta, ad honestam Clericalis vitæ disciplinam pertinentia, & alia, si quæ præterea tibi eo in genere illi præscribenda videbuntur, seruet diligenter.

Vt de ijs præscriptis rebus, ab eo præstitis scriptum testimonium ab Episcopo loci, quò studij causa profectus est : de litterarum autem progressione ab Doctoribus, quos audit, ad tempus, primo nostro Prouinciali Concilio præscriptum, sibi exhibeat.

Vt dimissorias eiusmodi litteras decem post diebus, quàm ad Gymnasij locum venit, eiusdem loci Episcopo exhibeat : de qua exhibitione ad mensis spacium sibi testatum faciat.

In ijs sic prędscriptis rebus, si is nulla legitima causa impeditus, defuerit, nè dimissoriæ litterę ei suffragentur ; sed irritę planè sint, ac nullę.

Quicquid prętereà Prouinciali prima Synodo de Parochis, studij causa litteras dimissorias expetentibus, constitutum est, id etiam omne inuiolatè seruetur.

5. De Resid.

15 Personalis residentię munus, vt re vera per eos prędstetur, qui illius generis beneficia Ecclesiastica obtinent, omnem rationem, Canonum iure, Tridentinisq ; sanctionibus prędscriptam Episcopus ineat.

A quo munere non excusetur, neque qui beneficium, Ecclesiamue habet, de cuius titulo adhuc lis, & controuersia pendet ;

16 Nec verò item, qui nondùm sacerdotio, aut eo ordine, quem beneficium illud requirit, initiatus est : Nec prętereà, qui iusta aliqua causa, impedimentoue distinetur, quo minùs eo initietur.

Nec

17 Nec verò à residentię munere liberi sint, qui tertiam partem fructuum, qui sibi ex dignitatibus obueniebant, quas in Ecclesijs Cathedralibus obeunt, in distributiones contulerint. Imò verò ij cętera etiã, quæ Tridentino decreto in Sessione 24. promulgato, ipsis prescripta sunt, prestare ab Episcopo cogantur. 5. Ibid.

18 Ne ille quidem excusetur, cuius Ecclesia, aut beneficium eiusmodi est, vnde omnis, aut certè magna pars fructuum, aliquo modo reseruata, ad alium perrenit.

19 Nè Episcopus, propterea quod sibi liberũ, integrumq; est, facultatem permittere, qua liceat, aliquem ab Ecclesia commissa, beneficioue personalis residentię abesse, ea potestate, facultateue princeps ob cuiusuis generis causam vtatur: sed in illa concedenda modum, & rationes adhibeat, Concilij Tridentini prescriptas.

20 Prętereà, qui Ecclesiastica quæcumque beneficia obtinent, in quibus etsi curata non sunt, tamen residere iure, vel consuetudine debent; si muneri suo defuerint, in eos Episcopi, & illis pœnis, quę à sacro Tridentino Cõcilio statutę sunt, & alijs arbitrio suo seuerè agant: fructusq; quibus ex eodem Concilio mulctandi erunt, pijs locis attribuant. 1. Ibid. Sess. 6. c. 2. Sess. 22. c. 12.

21 Vt autem Episcopi pœnas de contumacibus in hoc genere possint sumere, statuimus; vt in singulis Collegiatis, & Cathedralibus Ecclesijs, singulis tribus mensibus, tres primi ex Capitulo, pręsentes, Canonicorum, & eorum, qui prępositi Ecclesijs, & aliorum qui in eis huiusmodi beneficia possidentes, non resideant, nomina ad Episcopum deferant. 1. Ibid.

22 Parochi verò Episcopum admoneant, si qui intrà fines suę Parochię, eiusmodi habentes beneficia, quę personalem item residentiam requirant, non resideant.

23 Vicarij etiam foranei eandem diligentiam adhibeant, si qui curati, in regione, sibi ab Episcopo commissa, non residerent.

Qui huic officio deerit, sicuti Episcopo videbitur, plectatur.

24 Qui impetrata ab Ecclesia discedendi facultate, aliquamdiu abfuerit, mensis saltem spatio, postquàm redierit, Episcopum de suo ad Ecclesiam reditu, certiorem faciat: quod si neglexerit, perinde censeatur, ac si non legitimè abfuerit. 2. Tit. 2. decr 36.

Quæ hic desiderantur, videantur in Tit. de Parochijs, &c. De Ministris Eccl. & de Punctatoribus, & Distrib.

De Punctatoribus Cathedralium, & Collegiatorum, ac aliarum omnium Ecclesiarum.

SVMMARIVM.

1 Punctatoris creandi mos quibus in Ecclesijs retinendus.
2 Punctatores quatuor, vbi, à quibus, & ad quid, creandi.
Eisdem delectis, præscripta triplex tabella ante iusiurandum prælegenda. 8.
3 Tabella ipsa triplex de diuinis officijs, processionibus, capitulis, & modestia in eis seruanda, & de pœnis erratorum causa subeundis.
4 Ea quando Capitulo legenda: quoque Ecclesiæ loco affigenda.
5 Illi addere Episcopo liceat.
6 Iusiurandum à quibus Punctatoribus præstandum, & quando.
7 Et qua formula.
8 Punctator non iuratus, id munus gerens, mulctandus.
9 Quo tempore perseueret in eo officio.
10 Punctator capitularis quos notet.
11 Aliquem iniuria notans, qua pœna mulctandus.
12 Libros punctationum custodiat, & eos, quibus, & quando exhibeat.
13 Sacris horis interfit, & impeditus, alterum facultate substituat.
14 Punctator Episcopalis quam ob causam creandus.
Et qualis. 16.
15 Iuramento præstito, quos & ipse notet.
17 Ad suscipiendum id officium, qui cogi possint.
Canonicum, vel alium in Capitulo, vel Ecclesia iniuriantem Episcopo deferat. Quæ ad Capitula pertinu. 9.
18 Punctatoris Capitularis, & Episcopalis officium quale, ex decreto Concilij Quarti.
19 Punctatio ab illis facienda qualis. Collatio eorum librorum. 33.
20 Errata primæ Tabellæ, vt notentur.
Et quorum erratorum Episcopus admonendus.
21 Errata secundæ, & tertiæ Tabellæ qualiter item notentur.
22 Erratum eiusdem triplicis Tabellæ notare omittens, vt mulctandus.
23 Mulcta cui adiudicanda.
24 Punctatores, diuinis officijs expeditis, errata præfecto chori, Canonicis præsentibus, & vbi exponant: quando omitti possit. 28.
25 Errati se expurgare volens, coram quibus id faciat.
26 Se expurgans, cum Punctatoribus non contendat.
27 Præfecti Chori in ipsa contentione dirimenda officium.
28 Erratorum expositio, Canonicis præsentibus, quando omittenda.
29 Punctator inferiorum ministrorum qui, & à quo constituendus.
30 Illius officium quale.

31 *Is etiam iuret; trimestri officium gerat; & cætera Punctatoribus, & Thesaurarijs Capitularibus præscripta seruet.* 42.

32 *Punctator alius creandus, qui errantes in cultu officiorum, vel festi diei, vel funeris, vel anniuersariorum, vel processionum, &c. notet. Is quando iuret.* 6. *& quomodo.* 7.
Errata committens in processionibus, vt notandus. De proces. nu. 16.

33 *Punctatores Capitulares, & Episcopales, quando inter se libros punctationum conferant: & supputationem firment.*

34 *Discrepantia aliqua in eisdem libris existente, vt dirimenda.* 33.

35 *Supputatio quando, & quomodo fienda eius, quod vnusquisq; habere debet ex Capitulari censu.*

36 *Supputationi prædictæ qui subscribant.*

37 *Detractio pro ratione absentiæ, & erratorum, ut facienda.*

38 *Eiusdem detractionis calculis qui item subscribant.*

39 *Supputationis signatæ tabulæ Capitulo, uel Thesaurario tradendæ.*

40 *Capitulum uerò, Thesaurariusue, quomodo, & quando distributiones partiatur.*

41 *Supputationis, & solutionis ratio suprà præscripta seruanda in quotis distributionum censu, qui ad mansionarios, &c. pertinent.*

43 *Et qui ad hanc ministrorum supputationem adhibendi.*

44 *Supputatio quotannis fiat totius temporis, quo Canonici, Ministriq; absentes fuerint.*

45 *Absentes à choro tribus mensibus reperti, & distributionibus, & præbendæ fructibus mulctandi; & quid si ulterius abfuerint.*

1 PVnctatoris creandi morem in omnibus Ecclesijs Cathedralibus, vel Collegiatis retineri iubemus. 1. De off. Punctat.

2 Punctatores quattuor ex decretis Conciliorum Prouincialium creandi sunt: duo scilicet, qui Canonicorum absentiam, & errata in diuinis officijs notent; quorum alter à Capitulo, alter ab Episcopo deligatur; Tertius, qui singulorum Mansionariorum, Capellarum, Sacristarum, custodiam, aliorumq; ministrorum absentiam, erratáque obseruet, & signet. Quartus, qui peccantes in præscriptas ab Episcopo leges de præstandis, ac cauendis in festi diei, funeris, anniuersariorum, processionum, &c. celebratione similiter notet: de quibus omnibus infrà, nu. 9. 14. 29. & 32. Vberius explicabitur.

3 Cùm & Tridentinis sanctionibus, & nostris etiam Prouincialibus Decretis, multa salutariter de diuinis officijs, functionibusque Ecclesiasticis, atque alijs eiusdem generis constituta sint, vt ad eorum præscri- 4. de Distrib.

ptum

ptũ omnes, singuliq; Prouinciæ nostræ Canonici, Capitula, & dignitate præditi, reliquique omnes Ecclesiarum ministri, chori officijs quocumque iure, nomine, titulo, modoue astricti, sese conforment; diuinaque officia, processiones, funeralia, & alia, quæ ecclesiastici muneris, ecclesiasticarumque functionum sunt, rectè obeant; ad eaque non solùm constitutis horis, ac præscripto modo conueniant; verùm etiam in ijs ipsis piè, deuotèque versentur, & persistant; suis quoque functionibus, muneribusque satisfaciant; tùm præterea ex eorundem decretorum præscripto Canonici Capitula habeant; ad ea conueniantiũ; in illis denique vt par est, rectè versentur; ac rursus ab omnibus, & singulis erratis, quæ notata caueri, sancitũ est, prorsùs abstineant: triplicem Tabellam ordine explicatam, ex decretisque Prouincialibus breuiter descriptam, & quæcumque in earum vnaquaque vel vniuersè, vel sigillatim, aliauè ratione præscripta sunt, propositis suo loco pœnis, accuratè seruari, in executionisq; vsum introduci sancimus.

4 Tùm præterea eandem, cùm de scripto statis quibusdam diebus frequenti Capitulo, & reliquis, quorum interest, legi, pronunciarique mandamus: tùm in omni Sacristia, etiam Parochialium Ecclesiarum, certo conspicuo loco, decorè affixam, in omnium conspectu proponi, perpetuoque retineri sancimus.

5 Singulis verò ijs tribus Tabellis pro Ecclesiæ, diœcesisque suæ rationibus, ab vnoquoque Prouinciæ nostræ Episcopo, ex præceptionibus suis, probatisue Ecclesiæ statutis, alias præterea erratorum notas, Punctationesue, prout opportunum ipse censuerit, addi perpetuò liceat.

1. De off. Punctatoris. 6 Is in mensem, vel in aliud certum tempus, pro cuiusque Ecclesiæ consuetudine à Capitulo constitutus iuret, se in officio suo obeundo fidem, ac diligentiam præstiturum.

4. De distrib. Quod de Punctatorum iureiurando in Concilio Prouinciali primo sancitum est, id & ab ijsdem, & ab vnoquoque item Punctatore, qui vel festi diei, vel funeris, vel anniuersariorum, vel processionum, vel aliorum denique diuinorum Officiorum causa, etiam in Collegiatis, alijsue Ecclesijs constitutus est, præstetur, non modo cùm Punctatoris officium suscipiunt; verum etiam in publico diœcesanæ Synodi conuentu qui habebitur, dùm ipsi id officiũ gerunt; quò religiosius vnusquisq; eorum excitetur ad debitum in munere suo obeundo officium, cum fidelitate coniunctum, adhibendum. Iurisiurandi formula hęc sit.

7 Ego N. Punctatoris officium, quod suscepi, per hæc sancta Dei Euangelia iuratus, sanctè promitto, ac spondeo, me fideliter, & sincerè, quantũ in me est, executurũ: sic me Deus adiuuet, & hęc sancta Dei Euangelia: vel si iuret super sacras reliquias. Et hęc sanctorum pignora.

Puncta-

8 Punctatoribus singulis, vbi primùm delecti illi sunt, præscripta illa triplex Tabella, duobus de Capitulo præsentibus, ante legatur, quàm iusiurandum præstent.

Si quis autem Punctator non iuratus, id munus inierit, aut gesserit, mulctetur pro modo culpæ, Episcopi arbitratu.

9 Vniuscuiusque Punctatoris Officium, ac munus deinceps trimestre sit: quod tempus ab Episcopo, & ab Capitulo, suo cuique Punctatori, prorogari liceat.

10 Studiosè exploret, & in libro punctationum notet omnes, quicumque ij fuerint, qui sacras horas, & diuina officia non obierint: quique contrà, quàm his, alijsuè Constitutionibus præscriptum est, in choro quidquàm fecerint. Qua in re is nullius non odio, non amore, non spe, non metu moueatur. 1. de off. Punctat.

11 Si aliquem iniuria notarit, de suo ei satisfaciat; si verò notandum prætermiserit; de suo item tantundem det; quod in Ecclesiæ vsum conuertatur; & integras vnius hebdomadæ distributiones amittat.

12 Libros Punctationum diligenter custodiat, & Episcopo, & Capitulo singulis mensibus exhibeat: & quoties id Episcopus, vel Capitulum postularit.

13 Quo tempore is in Officio Punctatoris permanserit, Sacris horis, & officijs omnibus interfit; nisi absit de eius licentia, qui choro præsidet: quo tempore alium, ab eodem chori præfecto probandum, substituat, qui suo muneri satisfaciat. Si secùs fecerit, pro singulis vicibus vnius diei distributionem amittat.

14 Vt autem hoc officium melius exerceatur, neminique aliquid iniustè, aut remitti, aut adimi possit; præter delectum à Capitulo, alter Punctator ab Episcopo creetur.

15 Is suprascripto iureiurando apud Episcopum præstito, altero in libro omnes, qui suo muneri defuerint, notet.

16 Episcopus deligat ad id Punctatoris Officium, quem voluerit, idoneum Clericum.

17 Eidem Episcopo facultas sit, de ea Cathedrali, vel Collegiata Ecclesia, in qua Punctator creandus sit, omnes, quoscumque libuerit, propositis pœnis suspensionis à diuinis, & alijs suo arbitratu, cogendi, vt id munus suscipiant, & obeant.

18 Punctatorum, quos Episcopus, Capitulumque ex præscripto primi Prouincialis Concilij constituerit, cura, & officium sit, tùm Capituli vniuersi, tùm vniuscuiusque dignitate præditi, Canonicique absentiam, & errata notare. 4. De distrib.

Vnusquisque eorum, quod ad notandi rationem attinet, in ijs omnibus, & singulis, quæ Conciliorum Prouincialium, & primi præsertim

sertim decretis, eo de genere prescripta sunt, sui muneris, cutæque partes prestet.

Accuratè in primis, rectèque notet, non eos solum singulos, qui statis Canonicis horis à choro abfuerint; verùm etiam vnumquemque, contrà decretorum Prouincialium, & Tabellarum præscriptum in choro, in processionibus, in funeralibus, diuinisque alijs officijs errantem, peccantemue.

19 Absentiæ nota, punctatioue, qua punctatores vtantur, vna, eademque sit, & aliqua ratione ab ijs notis distincta, quę erratis notandis vsui erunt.

20 Errata singula, in prima Tabella descripta, vna, eademque punctationis ratione notentur: nisi erratum aliquod eiusmodi sit, ob quod, præter distributionum mulctam, alia etiam pœna, arbitratu Episcopi proposita est. Tunc enim huiusmodi erratum sigillatim, accuratèque per Punctatores notetur; ac de eo hebdomadę, aut mensis ad summũ spacio Episcopus certior fiat, qui errat, pœnam exequatur.

21 Quicumque errata in secunda Tabella adscripta commiserit, eius errata, prout sunt, enucleatè, explicatèque notentur; vt pro culpæ ratione, à chori præfecto, ex facultate sibi data, aut ab Episcopo mulctetur, puniaturue.

Idem notandis tertię Tabellæ erratis, ad Capitulum pertinentibus, per eosdem seruetur.

22 Si quod erratum triplici Tabella notatum ab vllo quouis, aut etiã ab vniuerso Capitulo committi Punctator vllus animaduerterit, idemque sciens libro suo notare prætermiserit; pro prætermissæ, omissæue cuiuslibet notę, aut punctationis ratione, de suo tantundem det, quod ad Ecclesię vsum conuertatur.

23 Quæ distributiones ab Episcopo, Sacristię, aut alij loco pio adiudicentur; tùm aliam etiam grauiorem pœnam, pro culpę ratione, eiusdem Episcopi arbitratu, pendat.

24 Vnusquisque præterea Punctator singulis diebus, cùm diuina officia peracta sunt, quos pro absentię, aut erratorum ratione, in choro notarit, eos præfecto Chori, præsentibus alijs de Capitulo, qui eo loco tunc adfuerint, in Sacristia, alioue loco, vbi Superpellicea, Canonicalesue Cappas & induunt, & exuunt, cùm primùm eò Clerus, Collegiatim à choro redierit, nominet, errataq; singula exponat.

25 Si quis verò erit, qui aliquam absentię sue, alteriusue facti causam afferat, quamobrem se contrà prescriptas regulas quicquam non egisse, admisisseue: nec propterea absentiæ, vlliusue errati pœnam commisisse putet: id tunc Chori præfecto coram Punctatoribus planè significet.

Nec

26 Nec verò si Punctator contradicat, is cum illo non modo non contendat, neque verbum vllum commutet; sed ne respondeat quidem: imò verò statim inde secedat.

27 Præfectus autem, cæteris, præter Punctatorem, semotis, de re tota deliberet: atque, si ità planè rem se habere manifestè compererit, vt nullam, vel absentię, vel errati culpam ille commiserit, illius punctationem in choro notatam, deleri iubeat. Si verò ità sanè non constiterit; in librum punctationum omninò referri mandet. Quod si quę, vel difficultas, vel ambiguitas erit; Vicarius Episcopi consulatur, qui totam rem statim sine forma iudicij, liberè arbitratu suo statuat, vt primo Concilio sancitum est.

28 Sin autem hęc, notatos, erratasque in Sacristia, aut alibi Canonicis, Capituloue nominandi, seu exponendi ratio, aliquid, vel incommodi, vel turbę, vel dissensionis, vel rixę, offensionisue afferat, aut punctatores ipsos ab officij sui libertate deterreat; Episcopo integrum sit, illam omittere, rescindere, atque abrogare, vt magis expedire censuerit.

29.30 Punctator prętereà, qui, vel idem, vel alius sit, ab Episcopo constituatur; cuius officium erit, singulos Mansionarios, Capellanos, Sacristas, custodesue, alioſq; Ecclesię ministros, Chori officijs adstrictos, qui statis horis ab illis abfuerint, quiuè contrà Tabellarum prędscripta, aliauè, vt suprà, errata commiserint, diligenter obseruare; eosdemque in Choro quàm primùm notare. Idem statis diebus notet, pro absentię, & erratorum, quę in Tabellis explicata sunt, ratione, Clericos, Ecclesiasticosque homines, Tridentini, aut Prouincialis decreti auctoritate, Cathedrali, vel Collegiatę Ecclesię adscriptos, vt ij, quamuis residentię distributionum, quibus mulctari possint, participes non sint; tamen à chori prędfecto, salutari aliqua pœnitentia afficiantur, ac corrigantur; tùm etiam pro culpę, negligentię, erratiuè grauitate, Episcopi iudicio plectantur.

31 Hic item Punctator iuret; officium tribus mensibus gerat; absentes, & errantes obseruet, notet; notatosque in Sacristia nominet; & statam in libro punctationem seruet; & in suo munere cętera omnia, quę alijs punctatoribus prędscripta sunt, præstet.

32 Vt erratis, quę in diuinorum Officiorũ cultu committi solent, in Collegiatis nõ solũ, sed in alijs etiam quibusuis Ecclesijs, & alibi occurratur, vbi, vel festi diei, vel funeris, vel anniuersariorum, vel processionum, vel aliarum rerum causa plures Clerici conueniunt, Episcopus certas Tabella descriptas, eorum omnium leges, quę à Clero in illorũ officiorum, & processionum functionibus, aut caueri, aut prędstari debent, diligenter prędscribat. Quę leges, vt seruentur, eam ineat rationem;

3. De ijs quæ ad diuin. off. pert.

nem; vt quibus in Ecclesijs, vel officijs Prefectus est, & Punctator item; hic si in eorum cultu erratur, errata notet; ille errantes mulctet: vbi verò non est, cùm illa officia, processionesuè ibi obiri contigerit, aliquis ex Clero, qui ad ea obeunda conuenerit, certus & punctator sit, qui in eo officiorum cultu errantes notet; & alius præfectus, cui hæc erratorum ratio, errantiumque mulcta sit commissa.

33 Singulis hebdomadis ambo punctatores libros inter se conferant; & si qua in re discreparint, Episcopus, vel eius Vicarius illico omnem eorum controuersiam sine vlla forma iudicij, sublato quocumque etiam appellationis impedimento, dirimant.

Singulis hebdomadis, vt est primo Concilio Prouinciali decretum, punctationum suarum libros conferant inter se punctatores illi, quorum alter ab Episcopo, alter à Capitulo, ex eodem Prouinciali primo Concilio delectus est: ex qua collatione, tùm quicquid pro suæ quemque personalis in choro residentiæ munere præstitisse; tùm rursus pro absentiæ, erratorumuè ratione, quoties officio suo defuisse, diligenti punctationum supputatione facta, constiterit: id firmum, ratumuè vsque adeò sit, vt eo collato in singulas hebdomadas calculo, tribus primis vniuscuiusque mensis diebus, Canonicalis ministerij, aut operæ, quam quis in choro præsens, mense proximo superiori rectè, & ritè obierit, certa, firmaque supputatio à prefecto chori, & à punctatoribus constituatur: qui præterea eo nomine constitutæ illi supputationi subscribant.

34 Eam verò cautionem punctatores adhibeant, vt cùm in libris conferendis aliquid compertum esset, quod vllo quouis modo discreparet; antequàm illa punctationum, distributionumuè supputata ratio constituatur, quę stata, firma, & subscriptione munita sit, Episcopum, aut eius Vicarium consulant, qui ex Concilij Prouincialis primo decreto, sinè vlla forma iudicij, omnem controuersiam dirimat.

35 Ad certæ illius collatę, & constitutæ supputationis rationem; mense Octobri, alioue, singulis annis, omne, quod ex communi Capituli censu habere quis debet, rectè pro vniuscuiusque Ecclesiæ more supputetur.

36 Cui supputationi, calculoue, præfectus Capituli, & alter Chori, item Punctatores, Caneparius Capituli, &, si ità Capitulo videbitur, duo item alij, à Capitulo delecti, præsentes adsint.

37 In eo omni calculo cautio omninò sit, vt vnicuique verè detrahatur, quod detrahi par est, pro ratione dierum, & horarum Canonicarum, quibus à Choro, diuinisq; officijs abfuerit: nisi illum ijs causis abfuisse contigerit, ob quas Tridentina Sanctione, Constitutionibusque Prouincialibus quis, licet absens, in presentibus tamen censetur.

Tùm

Tùm detrahatur item pro ratione erratorum, ſi quę ille cõmiſerit.

38 Huic ſupputationi ità initę, ac detractæ, præfectus Capituli, & item Chori, & illi duo à Capitulo delecti, ac punctatores item ſubſcribant.

39 Tabulæ verò, ſyngraphæ, aut ſcripta huius ſic initæ, & ſubſcriptione obſignatæ ſupputationis, Theſaurario, Caneparioue Capituli tradantur, vt quod vnicuique debetur, ſtatis temporibus, pro illius conſtituti calculi ratione perſoluat. Aut eidem conſentienti, quantumquiſque pro illius ſupputationis ratione habere, capereue debet, tantundem cedat è Communi reſidentiæ cenſu.

40 Nè Capitulum, &c. Quod hic deeſt, vſque ad ſequentem §. Hęc omnis ratio, remiſſum fuit ad ſeq. tit. de Diſtribut. nu. 22. tamquàm opportuniori loco.

41 Hæc omnis ratio in ſupputatione, & ſolutione diſtributionum Capitularium ſuprà præſcripta, pœneq; ibidem propoſitę, locum etiá habitant, in quouis diſtributionum cenſu, qui ad Manſionarios, Sacriſtas, cuſtodes, alioſue chori miniſtros, & inferiores Canonicis, quocumque nomine nuncupatos, pertineat.

42 Itidem, vt ſuprà, de eorum ipſorum Punctatoribus, Theſaurarijs, Caneparijsue ſi quos à Capitulari cenſu, Theſaurario, Caneparioue, & punctatoribus diſtinctos habuerint, decretum ſit.

43 At loco eorum duorum, qui de Capitulo ad ſupputationem adhibendi ſunt, alij itidem duo ex ipſis inferioribus Chori miniſtris, diſtributionum cenſum à Capitulari, Canonicaliue ſeparatum habentibus, adhibeantur: ijque ab ijſdem, ad quos cenſus pertinet, eligantur.

44 Ex punctationum libris, annis ſingulis expletis, iubeat Epiſcopus ab eo, cui ipſe id curæ dederit, diligenter rationem inſpici dierum, quibus vnuſquiſque vel dignitate prędituſ, vel Canonicus, vel Sacriſta, vel cuſtos, aliusue Eccleſiæ miniſter, Chori officijs adſtrictus, ad illa nõ conuenerit.

45 Qua perſpecta, & ſupputata etiam ratione, ſi quem diutius tribus menſibus à Choro abfuiſſe compererit; quamuis in vrbe, oppidoue, in quo Eccleſia eſt, manſerit; illum tamquàm abſentem, præter diſtributionis amiſſionem, fructibus etiam præbendæ, & alijs item pœnis, pro contumaciæ grauitate, ex Concilij Tridentini ſanctione, contrà eos, qui amplius trimeſtri ſpatio abfuerint, edita, mulctet.

Quæ huic Titulo deſunt, videantur in inſequenti Tit. de Diſtributionibus.

De

De distributionibus dandis, vel subtrahendis: & subtractis: quibus applican.

SVMMARIVM.

1 Tertia fructuum, dignitatibus, &c. Obuenientium pars, in distributiones diuidenda.
Distributiones quotidianæ si nullæ, aut tenues, ex dicta tertia parte augendæ. De Ministris Eccl. nu. 13.
2 Vbi id nondum actum est, ab Episcopo præstandum.
3 A qua tertia parte conferenda, qui liberi non sint.
4 Tertiæ eiusdem partis fructuum in distributiones conuertendæ æstimatio, qua taxa facienda.
5 Qui illius participes sunt.
6 Qui non.
7 Distributiones quotidianæ vbi nullæ, aut tenues, aliquibus horis Canonicis, & Officijs extraordinarijs attributæ sunt, quid faciat Episcopus.
8 Distributionum tenuitate dignoscenda quæ ratio habenda.
9 Distributionum percipiendarum ad ius admitti petentes Canonicum iuramentum præstent.
10 Iuramenti formula.
11 Examinentur etiam in cantus scientia: quæ quanta esse debeat in vnoquoque præsertim in Choristis. 18.
12 Examen, vbi, & coram quibus; & qua ratione fiat: quidque in eo attendendum. 17.
13 Examine peracto, qualiter approbatio fiat.
14 Mansionariorum, & aliorum ministrorum probatio, à quibus, & quo modo fiat.
15 Dignitatem etiam primariam obtinentis periculum, à quo, & quibus adhibitis & qualiter faciendum.
16 Probatio aliter facta, nulla.
19 Idoneo aliquo non inuento, timore, causaue alia, octo dierum spatium dandum ad iterandum examen.
20 Iniustè repulsus, aut protractus, Episcopum adeat, à quo quid agendum.
21 Distributiones quotidianæ à quo, & quomodo diuidendæ.
22 Eæ non soluendæ ante statum solutionis communis tempus.

Solu-

23 Solutionis stata die adueniente non soluendæ, Syngrapha, & solutionis mandato, non acceptis.

24 Plus, vel tempestiuè soluens quid amittat.

25 Capituli Choriq; Punctatores. Canonici alij duo } Præfectus. } eidem solutioni, vel distributioni dandæ absenti, vel erranti consentientes, vt puniantur.

26 Plus etiam, tempestiuè ve solutionem accipiens, restituat, & triplo mulctetur.

27 Restituat etiam donata, remissaue contrà præscriptum Conciliorum.

28 Capitulum donationi, remissioniue ipsi consentiens, vt puniendum.

Solutioni distributionum Capitularium ratio suprà prescripta pœnaq; ibi propositæ, locum habeant in censu distributionum, qui mansionarios, &c. De distributionibus à nu. 22. ad 29.

Distributiones quotidianæ non dandæ absentibus, etiam ex licentia. De Ministris Eccl. nu. 10.

Pactio, remissio, collusioue Canonicorum, aliorumue contrà facta nulla. suprà 28. Ibid nu. 11.

Distributiones ab absentibus acceptæ, restituendæ. Ibid. & 27.

Quibus dandæ distributiones quotidianæ. Ibid.

29 Qui absentes legitimè impediti distributionibus gaudeant.

Et qui non. Et de Ministris Eccl. nu. 12.

Quæ distributiones dandæ, ijs, qui præsentes adsunt processionibus. De Procession. nu. 27.

30 Absens à Choro, ob celebrationem Missæ, quando distributiones perdit.

31 Ordinem non suscipiens, quem debet, easdem amittit.

32 Pœnitentiarius, quando eas percipit, & quando priuatur.

33 Peregrinationis causa absentes, eas non percipiunt, & quando præbendæ fructibus etiam mulctantur.

34 Studiorum causa absentes, eis non gaudent, nec tertia præbendæ parte in eis conuersa.

Parochus Canonicatum, beneficiumue aliud obtinens, personalis residentiæ, festis diebus in Parochiali residens, eas non percipit. De Parochijs. nu. 19.

Distributiones quotidianæ, Canonicis, & Ministris, loco pœnæ, in sequentibus casibus subtrahendæ. De Resid. nu. 5.

Canonici Cathedrales, non admonentes Metropolitanum absentiæ Episcopi, qui distributionem vnius mensis amittant. Ibid.

Admoniti, à Chori Præside, vt suo muneri satisfaciant, si non resipuerint, punctandi. De Ministris Eccl. nu. 14.

Dignitates, & Canonicatus obtinentes, si cum alijs non cecinerint, qua distributionum parte mulctentur. Ibid. nu. 17.

Canonicus hebdomadarius, suo muneri deficiens, trium dierum distributionibus careat. Ibid. nu. 18.

Præcipuè si Missas Conuentuales non celebrarit. De Missis Conuent. nume. 3.

Idem, si in tempore etiam non conuenerit, vel alium non substituerit, aliqua distributionum parte mulctetur. Ibidem.

Canonici, Presbyt. Diacon. & Subdiaconi suo officio per se non satisfacientes, vt distributionibus careant. De Ministr. Eccles. nume. 21.

Canonici, citrà necessitatem Capitula habentes, diuinorum officiorum tempore, quibus distributionibus mulctentur. Ibid. nu. 27.

Qui non fecerit, quod ei in Tabella, à Chori Magistro confecta præscriptum fuerit, distributiones amittat horæ, in quam peccarit. Ibidem, nu. 31.

Punctator notandum prætermittens, integras vnius hebdomadæ distributiones amittat, ex primo & quarto verò, qualiter puniatur. De Punctatoribus, nu. 11. & 22.

Is omnibus horis non assistens, vel alium non substituens, pro singulis vicibus vnius diei distributione careat. Ibid. nu. 13.

Qui in Ecclesia, vel circum eam, aut in Sacristia existens, ordine Chorum ingredi neglexerit, qualiter puniatur. De diuin. offic. nu. 75. ver. Qui verò.

Audens inchoare officium, prius quàm ordine in Chorum Canonici conuenerint distributionem horæ illius amittat. Ibidem. ver. Ausus.

Ad Matutinum, & alias horas tardè veniens, quando distributionibus priuetur. Ibid.

Ad Missam item non veniens ante finem vltimi Kyrieleyson, vt plectatur. Ibidem.

Differens aduentum suum in extremum præfiniti temporis punctum, quando pro absente habendus. ibid.

Pileo in Choro item utentes, quando pro absentibus habendi. Ibidem 76.

Dignitates, & Canonici, in Chori leges peccantes, & non resipiscentes distributione illius horæ quando careant. ibid.

Ordinem in recedendo à Choro præscriptum non seruantes, distributiones illius horæ non capiunt. ibid. nu. 77.

Diaconi

Diaconi, & Subdiaconi Altari non ministrantes, ut tenentur, eius horę distributione careant. De Missis Conuent. nu. 9.

In supplicationibus generalibus, qui non uenerit, ante inuocationem sanctissimæ Trinitatis, pro absente habendus. De Processione. nume. 2.

Extrà Canonicales ædes pernoctans, unius diei distributione feriendus. De Canonical. ædib. nu. 7.

Absens à Missa, quæ nocte Natalis Domini in aurora celebratur, qua distributione mulctetur. De Missis Conuent. nu. 17.

Capitulum Missas canere omittens, quibus diebus sunt plures cantandę distribution. priuetur. ibid. nu. 15. & 16.

Non utenti uestibus, & insignibus suis, quæ distributio adimatur. De diu. offic. nu. 28.

Absens ab officio B. Virginis, mulctandus ut absens ab officio de Domino. ibid. nu. 25.

Thesaurarius, quod non debet, aut plus, uel ante tempus soluens distributiones, ut plectatur. supra nu. 24.

Distributiones easdem tempestiuè recipiens, qua pœna afficiendus. supra nu. 26.

Capitulum, remissioni, collusioniuè consentiens, distributionibus plectatur Episcopi arbitrio. supra nu. 28.

Ecclesiasticus quiuis non confici curans instrumentum super solutione sibi facta, dimidia parte fructuum unius anni mulctandus. Quæ pert. ad bonor. nu. 15.

Recusans acceptare officium à Capitulo commissum, quid amittat. De ijs quæ ad Capitula pert. nu. 18.

Mansionarij suo muneri deficientes, qua distributione priuentur. De Ministris Eccl. nu. 47.

Idem contumaces, negligentesuè, ut cæstigentur. ibid. nu. 51.

Distributiones Canonicis, & alijs Ministris detractæ, quando alijs inseruientibus attribuendæ. Supra nume. 6. 28. & de Ministr. Eccles. nume. 19. De Missis Conuent. 9. & de Proceß. nu. 27.

Quando, Ecclesiæ, Sacristiæ, fabricæ, Hospitalibus, alijsuè locis pijs applicandæ. supra nume. 1. 6. 21. 24. 26. 28. De Ministris Eccles. nume. 11. & 18. De Missis Conuent. nume. 3. De Punctatoribus 22. 23.

4. de distrib. Sess. 21. c. 3. Sess. 22. c. 3.

1 Vibus in Ecclesijs tertia pars fructuum, reditusue dignitatibus, personatibus, officijsque obuenientium, nondum ex Tridentino decreto in distributiones diuisa est; id Episcopus, vbi expedire censuerit, præstet. Diuisioue verò facta, quicumque ex Episcopi præscripto, functiones, ministeriumque debitum quolibet statuto die non expleuerit, distributionem illius diei amittat, quę Tridentini Cõcilij iussu, fabricę Ecclesię, aut piorum locorum vsui, Episcopi arbitratu, attribuatur.

4. de distrib. Sess. 21. c. 3.

2 De distributionibus item quotidianis ex tertia illa parte fructuũ, decreto Tridentino præscripta, vel constituendis, vel augendis, vbi nondum illud actum est, quàm primùm Episcopus præstet.

5. Quę ad distrib. pert.

3 Episcopus, quæ decreta de tertia fructuum parte in Concilio, & primo, & quarto, olim confecimus, ità præstet; vt, nec qui sacris ordinibus initiati non sunt, nec qui distributiones non capiunt, ab illa præscripta tertia parte conferenda liberi, immunesue sint.

4 Tertiæ porrò partis, quę in distributiones conuertenda est, fructũ æstimatio sit, non veteri taxa, etiam in Codices Capitulares relata, sed tanti sit, quanti census, redditusue præbendarum reuera valet, deductis primò pensionibus, alijsque oneribus legitimè impositis, pro ratione temporis, quo durauerint.

5 Cuius tertiæ partis percipiendæ ius habeant omnes Canonici tũm qui præbendam obtinent; tùm qui sine illa sunt, dum ij statis diebus suum in Ecclesia munus præsentes obierint.

4. de distrib.

6 Parochus verò, qui Canonicatum, dignitatemue, ac simul Ecclesiam Parochialem legitimè obtinens, residentię Parochialis munus obit, vt litteris Pij V. Pont. Max. sancitum est, illius, vel dignitatis, vel Canonicalis præbendę fructus, redditusue capiat: ac tertię

Sess. 22. c. 3.

eius partis nè particeps sit, quę, eiusdem Tridentinę sanctionis auctoritate, in distributiones conuersa, sibi absenti obuenire non potest, nec debet: sed alijs præsentibus, chorique officia obeuntibus accrescat; aut Episcopi arbitratu, fabricæ Ecclesiæ pijsue locis attribuatur, ad eiusdem Concilij Tridentini præscriptum.

4. Ibidem.

7 Quibus etiam in Ecclesijs, vel Cathedralibus, vel Collegiatis, quamuis reliquis diuinis officijs congruus quotidianarum distributionum census assignatus sit, aliquibus tamen Canonicis horis, aut

Sess. 24. c. 15. de ref.

cęteris officijs, etiam extraordinarijs, quauis auctoritate institutis, nullę quotidianę distributiones adscriptę, attributæue sint, aut si attributę sint, exiguę illę quidem, atque vsque adeò tenues, vt verisimiliter negligantur, in ijs Episcopus vel de communi residentię, distribu-

stributionumque quotidianarum censu, si amplius sit, certam portionem, arbitrio suo congruam, Capituli, ac reliquorum, qui eiusdem census participes sunt, consensu detrahat, eamque ipsam statam vnicuique ex illis Canonicis horis, officijsuè attribuat, adscribatuè perpetuò; vel omninò ipse auctoritate, & facultate sibi eodem Tridentino Concilio data, quemadmodum etiam à sancta Sede Apostolica declaratum est. Decretum itidem illud Tridentinum exequatur; vt scilicet è fructibus, redditibusuè cuiusuis generis, qui, dignitatibus, Canonicatibus, personatibus, alijsuè obueniunt, congruam partem, quę tamen tertiam non excedat, arbitrio suo statuat; quam in quotidianas distributiones conuersam, singulis his diuinis officijs, horisuè Canonicis, quibus nulla, vel tenuis tributa est, certam distribuendam perpetuò assignet; vt stata ea, congruaque portione constituta, vel adiuncta, illę deinceps verisimiliter non negligantur.

8 In distributionum autem tenuitate dignoscenda, ratio semper habeatur, tùm Canonicorum, tùm aliorum omnium, quibus illas percipiendi, si residentes munus suum obeant, ius competit: siuè illi modo pręsentes residentię munus verę pręstent; siue absentes, ob legitimam etiam causam, impedimentumuè, residere, ea cessante, deberent, aut possent.

9 Vt diuinis Officijs obeundis, quò ad eius fieri potest, apti, & idonei Ministri adscribantur; cùm aliqui deinceps in Cathedralibus, aut Collegiatis Ecclesijs se in Canonicorum residentium Collegium coaptari, & ad ius distributiones percipiendi admitti petunt, hęc seruentur. 4. Ibid. cum seq.

Primò, vt ab ea re omnis ambitio absit, qui cooptandus erit, hoc iureiurando obstringatur.

10 Ego N. Per hęc sancta Dei Euangelia iuro, me neque precibus, neque precio, neque alia ratione egisse, aut aliàs curasse, quò minus hoc experimentum integrè, fideliterque fieret: sic me Deus adiuuet, & hęc sancta Dei Euangelia.

11 Deinde periculum, experimentumuè fiat; an qui se cooptari petit ad omnia ea rectè in cantus modulatione pręstanda idoneus sit, quę aliquo modo, aut tempore ad eius munus, partesuè pertinere possunt: hocque pro ratione, & diuersitate presbyteralis, diaconalis, & inferioris etiam functionis.

12 Id verò fiet in cõuentu Capitulari, duobus ex Capitulo adhibitis, qui primò iurati, se nihil fraudis in ea re sibi commissa, facturos esse, hoc præstent: vt ei, de cuius cooptatione agitur, certos locos, scriptauè, quæ cantu enuncient, primùm assignent; tùm propius assistendo vi-

deant, nùm is modulatione, aliouè modo erret.

13 De eodem autem approbando posteà agetur, reliquis occultis suffragijs permittetur: quibus statim deliberetur, ac decernatur.

14 Cùm de Mansionarij, aut alterius Ecclesiæ ministri, qui Canonico inferior est, cooptatione agetur; is etiam, præscripta Canonicis cooptandis ratione, à Capitulo Canonicorum probetur. Cui probationi quattuor, pluresuè, eiusdem Ordinis ministri, à præfecto Capituli periores delecti, interesse possint; quorum de eo cooptando sententiam Capituli præfectus rogabit: tum illis remotis, de approbatione, aut reiectione Capitulum decernet, suffragijs occultè latis.

15 De eo autem, qui in Ecclesia Cathedrali post Episcopum, aut etiam in Collegiatis primam dignitatem obtinet, experimentum, periculumuè fiat ab Episcopo solum, eiusuè Vicario, adhibito in consilium præfecto Chori, & Canonico vno ex Capitulo illius Ecclesiæ, in qua is, de quo agitur, dignitatem habet, & alijs prætereà peritis viris, quos aliundè adhiberi Episcopus maluerit. Quibus verò in Ecclesijs antiqui, probatique instituti est, de eo etiam à Capitulo examen, experimentumuè fieri; id huius decreti auctoritate non abrogetur; sed Capitulo præscripta suprà in Canonicis probandis ratio, in ipso etiam probando seruetur.

16 Si cooptatio, probatioué vlla fiet, illis, suprà præscriptis rationibus non seruatis, irrita sit, ac planè nulla.

17 In ipso probationis examine, in primis Ecclesiæ magis, minusué in signis ratio aliqua habeatur.

Non solum de ea facultate periculum fiat, quæ ab arte, & ab exercitatione proficiscatur: sed de ea quoque quæ est à natura: videndumq; nũ cuiquàm natura alicui impedimento sit, quo minus obire munera sua si non perfectè, at saltem aliquo modo possit.

Porrò moderatio adhibeatur, vt in ijs quidem modulationum generibus, qui cooptari vult, se ex tempore peritum præbeat, atque exercitatum, quæ in eius officio frequentiora sunt: quæ verò rarius incidunt, præstare quidem aptus sit, sed congruo spacio temporis dato ad eius generis rationem præuidendam.

18 Præterea, quibus vniuersæ Chori psalmodiæ onus sustinendum est, in ijs mediocrem peritiam, artisque cognitionem sufficere, existimari non conuenit: cum ijs verò, quibus id non incumbit, mitius agi debet: in Chori Magistro perfecta ars, & peritia omninò requiretur: eademque distinctio, & ratio habenda est de voce, & eiusmodi naturæ adiumentis.

19 Si timore, aut aliqua alia perturbatione factum esse præfectus suspicatus erit, vt quis minùs idoneus visus sit, is nè reijciatur, sed

octo

octo dierum spacio, certa alia dies constituatur, qua rursùs periculum fiat: ne iterum id timoris, aut aliud nomen eiusmodi prætendi possit.

20 In ijs verò, qui iniuria se repulsam tulisse putabunt, aut amplius octo diebus protracti erunt, seruetur decretum nostrum, in Concilio Prouinciali secundo promulgatum.

21 Thesaurarius Capituli, siuè alius quocumque is nomine dicatur, qui quotidianas distributiones partitur, curet ipsas vnicuique distribuendas pro rata parte laboris, & officij, ex iuris & harum constitutionum præscripto, & ex ordine librorum punctatoris. 1. De officio Thesaurarij.

Is distributiones eorum, qui absentia, vel errati causa notati fuerint, nè persoluat; si id fecerit, tantundem de suo det, quod in Ecclesiæ vsum conferatur, & ob eam causam etiam vnius mensis distributiones amittat.

22 Ne Capitulum, aut Thesaurarius, Canepariusuè Capituli, aliusuè quicumque, qui distributiones partitur, cuiquàm de Capitulo, alijuè Chori Ministro, etiam qui præsens diuina officia obierit, nè eo quidem nomine, quod distributiones iam suas residentiæ munere cumfeciſſe constet, ante stata solutionis tempora persoluat, vel eo nomine cessionem alicuius exactionis ante faciat. 4. de distrib.

23 Cùm verò solutionis stata dies venerit, nè cuiquàm item soluat cedatuè, nisi Tabellã illam, Syngraphamuè acceperit, cui à præfecto Capituli, & à præfecto item Chori, & à Punctatore etiam Episcopali, & ab altero item Capitulari, & ab alijs præterea duobus subscriptum sit, si quos supputationi Capitulum constituerit; ac præterea, nisi mandatum solutionis, cessionisuè à præfecto Capituli acceperit, ab aliouè, ad quem de more spectat.

24 Si verò plus soluerit, vel cesserit, quàm supputationis ratio tulerit, aut antè soluerit, cesseritue, quàm certæ illius supputationis Syngrapham subscriptione vt supra, obsignatam acceperit: vnius mensis distributionibus, & alijs, arbitratu Episcopi mulctis, Sacristiæ, aut sodalitati Corporis Domini in ea Ecclesia constitutæ, alijuè pio loco attribuendis, plectatur.

25 Quibus pœnis, mulctisuè præfectus etiam Capituli, & Chori item, & Punctatores, atque ad supputationem ità delecti illi duo Capitulares, qui eiusmodi solutioni, cessioniuè vllo modo assenserint, afficiantur.

Quam mulctam, pœnamque ijdem subeant, si alio quouis modo in eo assenserint, vt cuiquam soluatur, cedaturuè distributio aliqua illorum dierum, aut horarum Canonicarum, officiorumuè, quibus, vel præsens ille in Choro non adfuerit, vel erratum huiusmodi in-

diuinis officijs contraxerit, vt Prouincialibus Decretis, aut præscripto Tabellæ, aut alio quocumque iure censeri in absentibus debeat.

26 Qui verò, vel ante solutionis, cessionisuè, & Syngraphæ tempus, vel plus quàm sibi debeatur, vllo quouis modo, pactouè acceperit; is ab Episcopo & restituere cogatur, & triplo mulctetur, quod locis pijs, eiusdem Episcopi arbitratu, attribuatur.

27 Si verò vlla cuiusuis generis causa, causæuè specie, aut prætextu cuiquàm distributiones aut ab vniuerso Capitulo, aut ab eorum singulis contra Prouincialia nostra decreta, & præscripta dari, donari, remitti, aut quauis collusione concedi contigerit; nè illas quisquàm capiat; si perceperit, retinuerituè, nè suas faciat; sed restituere cogatur.

28 Capitulo autem, quod tacitè, vel expresè ei rei consenserit, pœna sit, vt distributiones aliquot, Episcopi arbitrio, aut Sacristiæ, aut confratriæ Sanctissimi Corporis Domini in ea Ecclesia constitutæ, aut alijs pijs locis attribuendas, soluat.

5. Quę ad distrib. pert. 29 Neque distributiones item illi, quicumque sint, percipiant, qui infirmitate, necessitate, aut manifesta Ecclesię vtilitate occupati, impeditiuè nō adsunt in Choro, si anteà nullo legitimo impedimento distenti, personale Canonicatus sui munus obire non consueuerant; hoc enim addendum censuimus decreto, quo in Concilio prouinciali primo hoc ipso de genere cautum est.

4. de distrib. 30 Quicumque dum alicuius statæ horæ officium in Choro peragitur, Missam celebrando, tunc à Choro absuerit; illius horæ distributionis tamquàm absens, particeps nè sit, vt è sancta sede Apostolica declaratum est. Id verò nisi præ absentia Sacerdotum, qui in Ecclesia tunc Missæ Sacrificium faciant, necessitas aliquando inciderit, vt præfectus Canonicum aliquem Sacerdotem è Choro exire à statæque horę officio abesse, Missæ celebrandę causa, iubeat; aut nisi à Sede Apostolica aliter concessum fuerit.

Ibidem. 31 Aliqua dignitate prędituſ, & Canonicus, aliusuè quicumque, qui etiam ob causam, vt puta, ob litem eiusdem beneficij sui Ecclesiastici, sibi illatam, contestatamuè, ordinem Sacrum, illi Ecclesiasticæ suę dignitati, Canonicatui, beneficiouè annexum suscipere distulerit; nè distributionum quotidianarum, antequàm illum suscipiat, particeps sit, cùm debiti sui muneris, cuius causa illæ debentur, partes obire, prędtareuè non possit.

5. Quę ad distrib. pert. Trid. Conc. Sess. 24. c. 8. 32 Pœnitentiarius, tamquàm in Choro præsens, distributionum particeps sit, quo tempore in audiendis confessionibus versatur, non eorum solum, qui in casibus Episcopo reseruatis, peccarent, sed aliorum etiam quorumcumque.

Ne verò illas, quaſi preſens, capiat, cùm manè aliquando ante ſtatam diuinorum officiorum horam, quò opportunius pœnitentibus ſatisfaciat, eorum confeſſiones audit; & quo deinceps tempore illa celebrantur, ipſe intereà Miſſę Sacrificium facit, aut priuatim horarium Canonicale officium preſtat; etiam ſi id in fraudem non faciat.

33 Qui peregrinationis cauſa abſunt, ne iure quidem, facultateuè ſtatutorum Eccleſię, cui perſonalis reſidentię operam, miniſteriumque debent, diſtributionum participes ſint. Imò etiam ſi trium menſium ſpacio diutius abſunt, non propterea excuſantur, quo minùs fructuum præbendę amiſſione mulctentur, alijsuè pœnis eiuſdem Concilij, de diuturniore abſentia ſancitis.

34 Qui ſtudiorum cauſa quacumque facultate abſunt, nè diſtributiones quotidianas eo ipſo abſentię tempore; nec verò illam prębendę ſuę partem tertiam, in eius generis diſtributiones, Tridentini decreti auctoritate, iam conuerſam capiant.

Itidem de quotidianis diſtributionibus, eaque tertia parte cautum ſit, etiam ſi à Sede Apoſtolica facultas abſentię, ob ſtudia data ſit.

De ijs, quæ ad Capitula Cathedralium & Collegiatarum Eccleſiarum pertinent.

SVMMARIVM.

Capitula, diuinorum officiorum tempore, à Canonicis non habenda. De miniſtris Eccl. nu. . . .

1 *Capitulum in ſingulas hebdomadas habendum. & quid in eo tractandum.*
2 *Eius initium ab oratione de Spiritu ſancto faciendum.*
3 *Ei quando Epiſcopus interſit; & quod in eodem illius officium.*
4 *Capitulo exempto, quando illud conuocare Epiſcopo liceat.*
5 *Canonici conueniant: & quando diſcedant.*
6 *Quomodo in eo ſedeant: & loquantur.*
7 *Iocoſa, & ſcurrilia verba omittenda.*
8 *Rixæ, vt tollendæ.*
9 *Contumelia ibi aliquem afficiens Epiſcopo deferen. à quo, vt plectendus.*
10 *Quę inter canonicos ſedendi, & incedendi ratio.*
11 *Capitulares deliberationes qua ratione fiant.*
12 *Capitulares ordinationes à Cancellario capitulari in librum notandę.*

Liber is

13 Liberis vbi aſseruandus.
14 Cancellarius Capitularis, vbi constitutus non est, constituendus: & quis, qua mercede, & ad quod tempus.
15 Notarij opera, quibus in actionibus Capitulum utatur.
16 Instrumenta ab eodem confecta, in Archiuium referenda.
17 Iuramento non obstante, de non reuelandis negotijs Capitularibus, quæ nihilo minus Episcopo significanda.
18 Officium a Capitulo commissum, non recusandum.
19 Recusantis, quæ pœna.
20 Recusandi causam habens, Episcopum adeat.
21 Officia, a Capitulo commißa, quanto tempore exerceantur.
22 Capituli bona nulli ex Canonicis locanda.
23 Neque etiam propinquis, sine facultate.
24 Excepta decimarum exactione, ex licentia Episcopi.
25 Capitularibusque ædibus.
Bona alia Ecclesiastica quibus item non locanda. Quæ pert. ad bonorum, &c. num. 8.
26 Fructus Canonicatuũ, & præbendarum vacantiũ à quibus recipiendi.
27 Constitutio Pij V. de eisdem fructibus seruanda.
28 Fructuum Ecclesiasticorum controuersiis, vt occurritur.
29 Prębendam Sancti alicuius nomine appellandam.
30 Capitula Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum Decreta prouincialia Episcopo curante seruent: Voluminaque conciliorum prouincialium custodiant.
31 Contra facientia ab Episcopis plectenda.
32 Episcoporum eorundem in hoc negligentiæ ratio reddenda.
Capitulum ius habens conferendi prębendam Theologalem, cui, & qualiter illam conferat. De Edicto proponendo pro exam. eorum quibus par confer. num. 5.
Beneficij titulus exhibendus a Canonicis Cathed. & Collegiatæ Ecclesiæ. Quæ ad benef. coll. pert. num. 31.
33 Capitulum sede vacãte Vicarium deputat, ac Oeconomum, & quales.
Oeconomus alter ab Episcopo constituendus, Quę pert. ad bonorum, &c. num. 22.
34 Eundem Vicarium electum quando mutare liceat.
35 Electus qui censendus.
36 Oeconomus, & officiales alij electi non mutandi.
37 Vicarij substituti à quo deputandi.
38 Vicarius, & officiales, amouendi, rationem reddant suæ administrationis.
Capituli officium Episcopo non residente. De Residentia, num. 5.

Eo laborante quale. De diuin. off. 46. *Quale item eo mortuo. De fun. Epiſc.*1.
*Pro ſummo Pontifice laborante, quale item officium. De diu. off.*48.
Quale eodem defuncto. Ibidem 49.
Quale pro Canonicis mortuis. De funeribus. 52.
Capituli eiuſdem ſumptibus funus faciendum. Ibidem.
*Capituli officium in aſſignãdo ſingulis dignitatibus, & Canonicatibus proprio munere. De Miniſter. Eccleſ.*6.
*In eligendo Epiſcopo aſſiſtentem. De Miſſa & Veſp. Pontif.*5.
In conficiendo bonorum Eccleſiæ ſuæ Inuentario. Quæ pert. ad bonorum, &c. 1.
*In præficiendo Bibliothecæ Canonicum. De Bibliotheca.*7.
*In recognoſcendis bonorum locationibus, Quæ pert. ad bono. &c.*10.

1 IN ſingulas hebdomadas Canonici cuiuſuis Eccleſię Capitulum habeant: in quo, cùm quæratur, an ſuperioris Concilij decreta de diuinorum officiorum ratione ſeruentur; an ſi qui item errores in ſacrarum Cæremoniarum ritu commiſſi ſint; tùm legatur pars aliqua earum rerum, quæ de uita, & honeſtate clericorum noſtris conſtitutionibus præſcriptæ ſunt, uel illarum, quæ Catechiſmo Romano, aut aliis item libris expreſſę ad Chriſtianæ pietatis doctrinã, vitæque Eccleſiaſticę diſciplinam, & ratiouem, pertinent; tùm etiam in aliis ſpiritualis vitę exercitationibus ipſi verſentur: idque omne, prout Epiſcopo, Capitulive præfecto viſum erit. Quo in Capitulo, nè quidquam aliud, quod ad rerum temporalium curam, ac procurationem pertinet, priùs agatur, geraturve, quàm ea tractationis ratio habeatur, quę tota in rebus ſpiritualibus poſita ſit. 2. tit. 2. dic. 13

2 In omni Clericali conuentu, quem vel publicè, uel priuatim Epiſcopus, aut alij quiuis Eccleſiaſtici homines habuerint, a ſtata illa oratione quæ de ſpiritu ſancto dicitur, aut ab alia, ad congregationis vſum accommodata, ille, aut is, qui conuentui prędeſt, initium faciat: neque cõuentus dimittatur, niſi perorata ab eodem altera eiuſdem generis oratione. 3. de iis, quę ad cap. pert.

3 Quò facilius Epiſcopus in Eccleſia ſibi commiſſa, & diuinum cultum augere, & Canonicorum concordiam, mutuamque charitatem conſeruare, & Canonicalem diſciplinam tueri poſſit; ſingulis menſibus, aut ſaltem ſæpè in anno, Canonicali Capitulo intereſſe ſtudeat, vel eo loco, ubi haberi ſolet, uel alio, quo illud is ad ſe conuocare maluerit: conuocet autem cuiuſuis rei cauſa, ob quam expedire iudicarit. Quo in

Capitulo

Capitulo aliquando uideat, an quæ de diuinorum officiorum cultu præscripta sunt, rectè, ritè, ordine, atque cum dignitate gerantur.

An item, si quę in Capitulariũ rerum, tum spiritualium, tùm temporalium tractatione irrepserint, quibus pastorali sua cura consulendum sit.

An inter Canonicos controuersiæ sint, an dissidia.

An præscriptæ Capitulo leges inuiolatè seruentur.

Tum denique moneat, agatuè, quæ, & pro muneris sui officio, & pro rerum agendarum ratione expedire censuerit.

4 Quòd si Capitulum exemptum sit, possit Episcopus ex Decreto Concilij Tridentini, illud conuocare arbitrio suo, eo solo casu, quando ipse vult aliquid Canonicis proponere in re, quæ ad suum, suorumve commodum non spectat, & tunc in loco illo dumtaxat, in quo antèa solitum fuit Capitulum conuenire. Sess. 25. ca. 6. de ref.

5 Canonici ad Capitulum statis diebus accedant, & aliis item diebus extrà ordinem eò vocati conueniant omnes; neque cuiquàm, illo per præfectum non dimisso, ante discedere liceat, nisi ex causa Præfecto probata, missioneque ab eodem impetrata. Qui contrafecerit arbitrio Præfecti mulctetur.

6 Si quis Canonicus in Capitulo non suo loco, & ordine sedere, sententiamve dicere, aut dicentem aliũ interpellare ausus fuerit: hęc ei mulcta sit, quam Præfectus ei irrogarit: & præterea ne ius eidem sit in illo, neque in duobũs deinceps sequentibus Capitulis sententiæ dicendæ.

7 Neque uerò cuiquam locus sit, iocosè, & scurriliter in Capitulo loquendi.

8 Si rixæ, & contumelię inter aliquos Canonicos, vel Ecclesiæ ministros, altercationesve obortę sint; eos præfectus, adhibitis, si opus fuerit, aliis duobus, tribusve de Capitulo, statim reconciliare studeat.

9 Quos tamen, & alios item omnes, qui aliquem eiusmodi Ecclesiæ Canonicum, aliumve ministrum, quouis modo contumeliosis uerbis in Capitulo, aut in Ecclesia affecerint; idem, & Punctator Episcopalis, aut eorum alter, ad Episcopum referat, qui pro culpæ ratione illos, qui deliquerint, plectat arbitratu suo. Sin autem Præfectus, punctatoruè huic referendi officio defuerit; eiusdem etiam arbitrio puniatur.

10 Canonicis, quibus in Ecclesiis alia non est, eaque probata consuetudo, hæc sit sedendi, publiceque, & collegialiter incedendi præscripta ratio. Primum locum post eos, qui in illis aliqua præditi dignitate sunt, teneant Canonici, qui Presbyterales; secũdum, qui Diaconales, tertium, qui Subdiaconales præbendas, Canonicatusuè obtinent.

Qui ordo seruetur, etiam si presbyter Canonicus aliquis præbendam,

dam, Canonicatumuè presbyteralem post obtinuit, quam Diaconus quispiam, aut Subdiaconus Canonicus. Itidem iuris sit Diacono, ratione Subdiaconi. In Canonicis autem, presbyterales præbendas obtinentibus, is loco prior sit, qui tempore etiam prior, Canonicatus, præbendeuè possessionem adeptus est. Hæcque ordinis ratio à Diaconis teneatur; eademque præterea à Subdiaconis.

11 Cùm de rebus patrimonij Capitularis, de locationibus, de cõtractibus, de officiis auferendis, ac de aliis item præfecti iudicio grauioribus, in Capitulo deliberandum est, earum rerum deliberatio, ac tractatio tùm suffragiis occultis permittatur, tùm illę res, quò maturius cõsultentur, in uno Capitulo propositæ, in alio deliberentur. 4. Quæ pert. ad cap. Cath. & Colleg. Eccles.

Si uerò res eiusmodi est, quæ diutius differri non patiatur; triduo saltem ante Capitulum indicatur; singulisque Canonicis res, & causa significetur, de qua, in eo Capitulo consultatio, ac deliberatio futura est. Quod si præterea res sit eiusmodi, quæ instet, atque vrgeat, neque longius vllo modo protrahi debeat, ita, ut nè triduo quidem consultatio expectanda sit, tunc Capituli Præfecto liberum, & integrum sit, breuioris temporis spatio, Capitulum conuocare, modo, ut suprà, unicuique de Capitulo, qui non absit, nunciari rem iubeat, de qua deliberandum, & consultandum sit.

12 Vbi ex instituto Ecclesię Cathedralis, uel Collegiatę est, qui Cancellarij Capitularis officium, munusque gerat, is officio suo, cùm in cęteris uerè satisfaciat, tùm in eo etiam, ut eiusmodi Capituli acta, & quas uocant, Capitulares ordinationes actionesuè in librum certum, notatis singulis diebus, sine mora referat.

13 Qui liber in archiuio Capitulari diligenter asseruetur.

14 Vbi uerò non est, a Capitulo deligatur unus de Capitulo, qui certa, si opus est, ex Capituli uniuersi Censu constituta mercede, id Cancellarij munus per biennium gerat: quo tempore confecto, alter in eius locum eligatur, & itidem deinceps.

15 Notarii autem officio, atque opera Capitulum in iis potius actionibus utatur, quæ ad causas, lites, Instrumentauè publica conficienda, aut ad alia eiusdem generis pertinent.

16 Qui notarius, eiusmodi Instrumentorum exemplum, publica auctoritate roboratum, curante in primis Canonico Cancellario, in archiuium, ante annum confectum, referat.

17 Quo iureiurando Canonici, etiam ex statutis, & constitutionibus Ecclesię probatis inter se obstricti, alienauè ratione spondent, se nihil quicquam, quod in Capitulari, Canonicaliuè conuentu agitur, patefacturos, aut diuulgaturos esse, decernimus, atque declaramus, eo non obstrictum, aut impeditum quemquam esse, quo minùs ad Episcopum

deferat,

deferat,si quæ,uel Capituli,uel Canonicorum, aliorumuè, qui de Capitulo sunt,errata sint;quæuè emendationem, correctionemuè desiderent:atque adeò quæcumque eo de genere sibi patefieri, denuntiariuè ille iusserit;tùm etiam,si quę alia ab eodem sciri,cognosciuè expedieri, tùm ea maximè,quæ superioribus Conciliis ad Episcopum deferenda esse,decretum est.

3.Vt sup. 18 Ne cui officium, quod sibi Capitulum commiserit, recusare liceat, nisi legitima de causa,quę latis occultè suffragijs Capit. probetur.

19 Qui aliter recusarit,quantum pecunię caperet per sex menses Ecclesię assiduè inseruiendo,tantundem amittat.

20 Qui uerò sibi iniuriã a Capit. fieri putat, ad Episcopum cõfugiat, qui rem oẽm cognoscat, & definiat. Vbi autẽ hoc in genere Episcopus plus iuris habet, nè propterea hoc Decreto quicquam ei detractum sit.

21 Quęcumque aut Thesaurarij, aut custodis, & aliorum id generis officia,muneraue a Capitulis uel Cathedralis, uel Collegiatæ Ecclesię,aut ab aliis,siuè Canonicis, siue inferioribus eiusdem Ecclesiæ ministris committuntur,nè plus biennio ab illis,quibus illorum cura, procuratioue commissa est,geratur:nisi de Episcopi consensu, Capitulũ,quãdoque aliter iudicarit. Hoc autem Decreto nè quicquàm propterea illius Ecclesiæ priuilegio,aut probatæ,institutæque consuetudini derogatum sit;qua à Cap. ea munera longiori tẽpore alteri committere liceat.

4.Vt sup. 22 Nè liceat Canonicis,aliisuè de Capitulo bona, redditus,& prouentus,aut exactiones,emolumentauè,etiã incerta,ad Capitulum quouismodo spectantia,per se, vel per interpositam personam, nè ad modicum quidem tempus, conducere : alioqui contractus omnes irriti sint, ac nulli:& tàm locatores, quàm conductores Canonici,Episcopi arbitratu puniantur.

23 Idem sancimus de eorum propinquis, & consanguineis secũdo, uel arctiori gradu iunctis,nisi,quod ad has attinet, cognita Ecclesiæ utilitate,Episcopus id scripto concesserit.

24 Exactionem tamen decimarum Capituli,etiam ab iis de Capitulo suum ad usum conduci liceat,facultate ab Episcopo data,cùm grauis causa urgebit.

25 Ac ædes etiam capitulares habitandi causa.

26 De fructibus Canonicatuum,& præbendarum uacantiũ, a Canonicis,aut à Capitulo recipiendis,Constitutio a Pio V.Pont.Max,edita,ab iis quorum interest,seruetur omninò.

3.Ibid. 27 Vtque in usum,consuetudinemque introducatur, ac planè seruetur,id Episcopus pœnis,mulctisque agat. Neque quo minus id præstetur,ullum obstet priuilegium,ullum statutum, neque ulla planè consuetudo,ut ea ipsa constitutione cautum est.

Vt liti-

28 Vtilitibus, & controuersijs, quæ vbique in hac prouincia permultæ, & variæ de fructibus beneficiorum inter hæredes Sacerdotis, Clericiuè mortui, & illos existere solent, qui in ea beneficia succedũt, planè occurratur; cùm in ea, illa Iulij III. Pont. Max. Constitutio, eo ipso de genere edita, in vsum, moremque inducta numquàm sit, ius commune in toto hoc genere omninò seruari decernimus, sublata quacumque etiam consuetudine, stilouè etiam quauis Episcopali, Archiepiscopaliuè auctoritate confirmato. 5. De Ecclesijs, earum supell. & fruct.

29 Cùm præbendæ Canonicales distinctæ nõ sint, nisi obtinentium nomine, ijque vbi optionum vsus est, modo has, modo illas optent; frpèque fit, vt earum bona, prædiaque confundantur; ac iura propterea aliquando intereant. Quamobrem Episcopus curet; vt quod in nonnullis etiam huius Prouinciæ Cathedralibus Ecclesijs consuetudinis est, non possidentis; sed sancti alicuius nomine, quod earum vnicuique de Consilio Capituli Ecclesiæ, de cuius præbendis agitur; semel imposuerit, singulæ distinctè appellentur. 4. Vt suprà.

Hac autem in re hoc caueatur, vt nè, qui eas obtinuerint, titulo sancti, quo illæ nominantur, ipsi appellentur: quippè cùm ea titulorum ratio, ex instituto, vsuque amplissimis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus presbyteris solùm conueniat.

30 Quorum Capitulorum Episcopi Concilijs Prouincialibus Mediolanensibus interesse, & Constitutiones, Decretaque illis Concilijs edita, seruare solum, aut debent; ea Capitula, siue Cathedralium, siue Collegiatarum Ecclesiarum in Prouincia nostra sint, etiam si quæ ab Episcopi, Metropolitanique iure, se quocumque modo exempta, sedique Apostolicæ immediatè subiecta esse prætendunt; cùm illa, sicut eorundem Episcopi, vt à sancta Sede Apostolica declaratum est; Conciliorum Prouincialium Constitutionibus, & sanctionibus, & decretis astricta, illas planè vniuersas, ac singulas amplectantur, suscipiant, seruent, atq; obediendo exequantur; tùm vniuersè eadem Capitula, tùm sigillatim singuli, quicumque de Capitulo sunt. Idque vt præstetur, efficiat Episcopus omni ratione, omnique iuris remedio. 4. Vt suprà.

31 Quod si quæ Capitula, aut si qui de Capitulo contrà fecerint, ab eorum Episcopis, pro modo culpæ, contumaciæuè plectantur.

32 Si quis verò Episcopus id efficere neglexerit, vt ab suis Capitulis, atque ab ijs, qui de Capitulo sunt, singulis, Prouincialium Conciliorum Constitutiones, decretaue in executionis vsum verè, & integrè inducantur; norit se in proximo Concilio Prouinciali negligentiæ huius rationem redditurum esse.

33 Capitulum, Sede Episcopali vacante, Vicarium constituat, cõfirmetuè, qui omninò iuris Canonici Doctor sit: quod si huiusmodi vir, 6. Quæ ad Cap. pert. Sess. 24. c. 16.

ver, in Collegio, Capituloue non extat, alium de Capitulo, qui quam maximè potest, idoneus sit, deligere poterit.

Sess. & c. eod. 34 Eidem Vicarium, semel electum, mutare ob causam licebit, modo alium octo dierum spacio constituat: alioquin illius eligendi facultas ad Metropolitanum, aut ad eius antiquiorem Suffraganeum, Sede Metropolitana vacante, pertinebit.

35 Electione verò in controuersiam, aut in dubium adducta, is electus censeatur, qui à Capituli maiori parte delectus fuerit.

36 Ne verò Oeconomus, cæteriue officiales semel electi à Capitulo, mutentur; nisi ea electio etiam viuente Episcopo ad Capitulum pertineat.

37 Vicario autem, alijsue officialibus absentibus, substitutorum electio ad Vicarium, non ad Capitulum spectet.

Sess. 24. c. 16. de ref. 38 Cùm Vicarius, aliusue ex officialibus à suo munere amouendus erit, fas sit Capitulo Vicarium ipsum, officialesue ad reddendam rationem administrati muneris compellere; eosque pro modo culpæ, etiam non expectato nouo Prælato, punire, quij nihilominùs eandem administrationis rationem, quam Sede Vacante reddiderint, exigere possit, atque in eos, quamuis per Capitulum absoluti essent, animaduertere, vt iuris erit.

Quæ hic desiderantur, videantur in Tit. De Ministris Eccl. De diu. offic. Quæ pert. ad benef. collationem, &c. & de Vita, & hon. Clericorum.

De Archiuio Capitulari.

SVMMARIVM.

1 *Capitula Cathedralium Ecclesiarum Archiuium habeant, quod cùm & Episcopo commune sit.*
Collegiatarum etiam Ecclesiarum Capitula, alterum Archiuium habeant. Ibidem. & quæ pert. ad bono. &c. 2.
2 *Archiuium vnumquodque duobus clauibus occludendum.*
Quæ differentes inter se sint. 6.
3 *A quibus illæ seruandæ, & nu. 9. in fine.*
Eæ successoribus tradendæ. 8.
4 *Eidem Archiuio Canonici duo præficiendi: ijq; qualiter constituendi. 6.*
Quando vnus tantum, vel plures deputandi. 9.
7 *Archiuij Præfecti, scripta omnia asseruent: & quo testimonio.*
Scripta omnia Archiuij successorib. consignanda, & qualiter, nu. 8.

Quæ

10 *Quæ Instrumenta, & scripta in illud deferenda: & à quibus; infrà quod tempus; & quorum sumptibus. & Quæ ad capitula pert.* 16.
Inuentaria bonorum mobilium, & immobilium, iurium, reddituum, ecclesiarum omnium in illud deferen. Quæ pert. ad bonor. &c. nu. 2.
11 *Liber instrumentorum, & scriptorum in eo existentium.*
12 *Scriptum aliquod vt describendum.*
Liber actorum Capitularium in eo asseruandus. De ijs, quæ ad Capitula, &c. pert. 12.

1 OVibus in Ecclesijs, vel Cathedralibus, vel Collegiatis Archiuium eiusmodi non sit, ab Episcopo instituatur. 1. Quæ pert. ad bonorum &c. §. At verò.

2 Archiuia singula duobus clauibus occludãtur.

3 In Ecclesijs Cathedralibus, earum vnam Episcopus, alteram Capitulum custodiat. In Collegiatis, alteram Præfectus, alterã Capitulũ seruet.

4. 5 Canonici duo à Capitulo constituantur, qui Capitularis Archiuij curę præsint: hique singuli claues singulas habeant, inter se differẽtes, ità vt vni sine altero Archiuium ingredi non liceat. 3. De ijs quę ad cap. pert.

6 In illis autem constituendis ea ratio ineatur, vt in illa cura gerenda duo semper versentur: quorum vnus, qui biennio gesserit, creato in eius locum altero, ab illius curę munere abeat; alter autem, qui vno solum anno; sicque perpetuò deinceps seruetur.

7 Archiuij Præfecti scripta omnia, in Archiuio recondita, periculo suo asseruanda, accipiant, idque publici instrumenti testimonio si quid verò fortuiti casus acciderit, id obseruetur quod iure cautum est.

8 Quam quisque eorum clauem Archiuij habet, eam, & scripta fidei suę commissa, munere suę curę biennalis confecto, successori eadem ratione tradat: idque Canonico aliquo præsenti à Capitulo delecto.

9 Nihil tamen derogatum sit hoc decreto consuetudini illi, si vsquàm est, vt vnus tantum, vel plures Canonici Capitularis Archiuij curam gerant; neque item decreto primi Prouincialis nostri Concilij vt in ijs Archiuijs, quę communia sunt Episcopo, & Capitulo, altera clauis penes Episcopum custodiatur.

10 Instrumenta, & reliqua scripta, ad singulas Cathedralis, aut Collegiatę Ecclesię præbendas pertinentia, quæ apud vnumquemque, qui vel dignitatem, vel Canonicatum in ea obtinet, aut in posterùm obtinebit, extabunt; is ea, aut illorum exempla, Notarij testimonio roborata, in Capituli Archiuium, mensis spacio deferat. Sin autem aliqua,

quo tempore is dignitatem, aut Canonicatum obtinet, confecta alij habeant, is horis, eorumuè, qui ad id se obstrinxerunt, aut aliàs iure tenentur, sumptibus illa in Archiuium referat.

Quęcumque autem instrumenta, aut scripta, ad prębendam aliquã spectantia, in posterum conficientur; Canonicus, vel dignitatẽ, personatumuè obtinens, ad cuius prębendam illa quacumque ratione attineant, ea, illorumuè exempla, publico Notarij testimonio munita, mẽse postquàm confectę erunt, in idem Archiuium deferat.

Quę autem instrumenta scriptauè singulorum, qui pręcesserunt, Canonicorum, dignitatemuè obtinentium, tempore conscripta, ad eorum prębendas spectantia, Episcopus, pro Ecclesię vtilitate, ex scribenda cẽ fuerit, Capituli sumptibus descripta eodem deferantur.

Quod si Capitulum ad illos, qui ijs successerunt, qui instrumenta illa, aut scripta confici curarunt, aliqua ratione id pertinere asserat, iudicet Episcopus, cuius sumptibus id pręstari debeat. Qui huic decreto, à Capituli Pręfecto admonitus, non paruerit, arbitrio Episcopi mulctetur, & mulctatus etiam compellatur id ipsum pręstare.

11 In eo itidem Capituli Archiuio liber vnus sit, in quem instrumenta, & scripta cuiusuis generis, quibus singulorum Canonicatuum, prębendarumuè bona, iurauè notata sunt, referantur.

12 Scripti alicuius exemplar ex Archiuio promi, describiuè nè liceat, nisi Capituli consensu. Si verò alicuius scripti exemplum aliquando exscribi oportet; id in Archiuio, si potest, aliàs in loco Capituli, aliquo ex Pręfectis Archiuij pręsente, describi liceat; neque vllo alio prętereà modo.

Cætera, quæ ad hunc Tit. pertinere aliquo modo poterunt, videantur in Tit. superiori, & de Cancellario, &c.

De Bibliotheca Ecclesiastica.

SVMMARIVM.

1 *Bibliothecæ Ecclesiasticæ vtilitas.*
2 *Ea vbi, & quo modo constituenda.*
3 *Index alphabeticus librorum in ea existentium, cum illorum exactionis tempore. 6.*
4 *Is index vbi asseruandus.*
5 *Voluminum quæ habenda cura.*
7 *Eidem Bibliothecæ Canonicus præficiendus, & à quo; & ad quod tempus.*

Illam

8 *Illam Episcopus inuisat.*
9 *Illius augendæ quæ cura.*

1 SIcut in libris sacris, voluminibusq; Sanctorum, & alijs Ecclesiasticis cuiusuis generis Codicibus, copiosè, sumptuosèq; comparandis, diligens fuit, accurataq; maiorum industria: ità in ijs ipsis asseruandis, illorum, qui successerunt non negligens studium, nec verò cura minor esse debet: cùm ex ijs manuscriptis, rectèque exaratis voluminibus, in tanta librorum corruptela, his præsertim temporibus, per hæreticos introducta, plurimum adiumenti rebus ecclesiasticis publicis afferatur, & ad Catholicæ doctrinæ veritatem tuendam, & ad coarguendam illorum, vitiosè illa deprauantium, temeritatem. 4. De Bibliotheca.

2 Bibliothecæ igitur Ecclesiæ, vbi Ecclesiastica volumina, alijuè Codices sunt, certus locus, vbi nullus constitutus est, in Episcopalibus, aut in Canonicalibus, alijsuè Ecclesiæ ædibus, curante Episcopo, constituatur. Quo in loco Armaria aliquot exstruantur, eaque Sytubis distincta, in quibus Codices, & volumina, quæcumque ibi extant, non aceruatim, sed ordine disponantur.

3 Index præterea fiat, in quo, pro disciplinarum genere, aut pro alphabeti ratione, volumina singula notentur.

4 Isque index certo loco in perpetuum asseruetur, notatis etiam deinceps ordine alijs libris, quicumque in posterum eidem bibliothecæ, quouis modo accesserint.

5 Volumina, quæ pro vetustate, carie, situuè obsordescunt, librario opere poliantur.

Dissoluta, & malè compacta, conglutinentur.

Ab operculo nuda, asseribus, corioue, tegantur.

Vetustate, alioue modo consumpta, reconcinnentur, & ad perpetuitatem opere recenti, nouisq; librarijs integumentis instaurentur.

6 Si præterea quo anno vnumquodque volumen, manu exaratum sit, animaduerti potest, id etiam breuiter eo indice notetur; tùm præterea quo charactere scriptum, vt ex ijs antiquitas colligi possit, quæ aliquando vsui, & vtilitati Ecclesiasticæ publicæ esset, ad emendatam voluminum impressionem.

7 Episcopus de consilio Capituli, Canonicum aliquem, vsu peritum, litterarum studiosum, & instruendæ, augendæq; Bibliothecę cupidum constituat; qui illius curę diligenter pręsit. Illius verò officium duret eiusdem Episcopi arbitratu. Si qua tamen in Ecclesia probatę consue-

tudinis est, à Capitulo Bibliothecarium deligi, ab eodem deligi non vetatur.

8. 9 Cura verò Episcopi omninò sit Bibliothecam aliquando inuisere: sique per eum, & per Canonicos ratio aliqua iniri potest, qua in Bibliotheca librorum Ecclesiasticorum copia augeatur; id sollicitè curetur, vt eiusmodi librorum apparatu, publicæ Episcopali, Canonicali, Clericalique commoditati, atque vsui consultum sit.

De Canonicalibus, Parochialibus, & Clericalibus ædibus.

SVMMARIVM.

Aedes Ecclesiasticæ à mulieribus non habitandæ. De vita & hon. cler. nu. 101.
Quibus non locandæ; etiam si patrimoniales sint. Ibid. 102. & 103.
Quando, & vbi locari possint. Ibid. 103.
In eisdem locatis spectacula non agenda. Ibid. 104.
Neque in eis, earumque hortis obscenæ imagines tolerandæ. Ibi. 105.
Prope easdem non habitent mulieres infames. De Religiosa in sacr. loc. conu. nu. 12.

1 *Aedes Canonicales à Canonicis habitandæ.*
2 *Ab eisdem etiam reparandæ.*
3 *Quæ à Canonicis non habitantur, alijs tãtum Canonicis locari licent.*
4 *Ex licentia tamen Episcopi.*
5 *Earundem Canonicalium ædium atrium claue vna claudendum: & à quo illa seruanda.*
6 *Eius ianua quota hora claudenda, aperiendaue.*
7 *Extrà Canonicales ædes pernoctans, vt mulctandus.*
Aedes Parochiales à Parochis, curatisue inhabitandæ.
Vbi desint, ædificandæ, & quorum sumptu.
Interim conducendæ, & quorum impensa.
8 *Aedes Clericales, qua hora Clerici nocte non exeant.*

1. De Cleric. ædib.

1 CAnonici Cathedraliũ, & Collegiatarũ, Ecclesiarum habitent in Canonicalibus ædibus, in quibus commodè Episcopi iudicio, cõmorari possunt: qui inspectis ædibus, si quid reparandum, instituendumue sit ad habitationis commoditatem, pro modo fructuum præbendæ; ab eo, qui Canonicatũ obtinet, reparari, ac restitui iubeat.

2

3 Quo facto, curet, vt in illis ædibus habitent.

Quibus

4 Quibus si abesse, etiam iusta de causa contigerit, nemini præterea, nisi Canonicus sit, in eis habitandi facultas concedatur, sinè iussu Episcopi. Ex quarto ēt quę pert. ad capit. §. Idem ī fi. Ibi Ædes.

5 Quarum ædium atrium, vbi claudi potest, vna claue concludatur; quæ à Decano, vel alio, Episcopi, & Capituli arbitratu, asseruetur.

6 Quota autem hora atrij ianua aperiri, claudiuè debeat; quidque ad honestè ibi viuendum, pro loci ratione, requiratur, iudicium sit Episcopi.

7 Clerici, nè de nocte post primam horam, nisi ex iusta causa, & cum lumine, domo exeant. 1. De Cleric, ędib.

8 Qui in ædibus Canonicalibus habitat, si foris pernoctauerit, non probata causa ab Episcopo, aut ab eo, cui is id curæ dederit, vnius diei distributione mulctetur, præter pœnam, qua pro culpæ ratione ab ipso Episcopo afficietur, cui decreto nè in ijs locus sit, qui ab vrbe, oppidoue, vbi Canonicale domicilium est, absunt. 3. De ijs, quę partim ad ordi. sacr.

De Ecclesijs, Sacrisuè alijs locis, & eorum cultu.

De Ecclesiarum fabrica, tàm ex decretis Prouincialibus, quàm Instructionibus fabricæ: & alijs, quæ fabricam ipsam consequuntur.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesiæ, Capellæ, Altaria ædificanda ad præscriptum Instr. fab.*
2 *Ecclesia noua qua facultate, & ratione ędificanda.*
3 *Situs eiusdem; & à quo deligendus.*
4 *Aedes Episcopales, Canonicales, & Parochiales eidem vicinæ sint.*
5 *Custodum verò, & Sacristæ, vbi, & qua ratione exstruendę.*
6 *Area Ecclesię vbi. & quo modo fabricanda.*
7 *Amplitudo eiusdem quanta.*
8 *Ecclesia forma.*
9 *Crucis instar forma existat.*
10 *Parietes exteriores quales.*
11 *Frontispicium cuius ornatus.*
12 *Atrium.*
13 *Porticusuè, aut* } *qua in Ecclesia, qua eius parte, & cuius formæ con-*
14 *Vestibulum.* } *struenda.*
15 *Tectum, &*
16 *Pauimentum quale.*

17 Ostiorum quæ forma.
18 Valuæ eorundem quales.
19 Eadem ostia, quo Ecclesiæ loco non exstruenda.
20 Fenestræ cuiusmodi.
21 Vtque muniendæ.
22 Quæ non tolerandæ.
23 Scala, & gradus, quando ad Ecclesiæ ingressum ædificandi. & quot, ac quales.
24 Capella maior vbi, & quomodo fabricanda.
Sub ipsius Capellæ arcu Crucifixus collocandus. 29.
25 In eadem Capella Sacrarium exstruendum, & qua ratione.
26 Altaris maioris situs.
27 Forma.
28 Graduum eiusdem numerus, & forma.
30 Chorus vbi, & qualiter ædificandus.
Tabernaculi sanctissimæ Eucharistiæ in Altari maiori collocatio, eiusq; forma. De custodia sanctæ Euch. nu. 4.
31 Capellarum, & Altarium ædificandorum locus nemini dandus absq; licentia.
32 Capellæ minores, vel hemicycli cum Altaribus in Ecclesia Crucis instar extructa à capite brachiorum qualiter ædificandæ.
33 Quo spacio.
34 Capellæ, hemicycliuè, cum Altaribus à lateribus Capellæ maioris, quando ædificari possint.
35 Situs earum. 36.
36 Spacium. 39. 41.
39 Capellæ, hemicycliuè quando ibi exstrui non possint.
38 Capellæ, cum Altaribus, à lateribus Ecclesiæ, ut ædificandæ.
Et cuius structuræ. 50.
39 Earum inter se quæ conuenientia.
Quod item spacium. 41.
Pauimentum, quale. 48.
Gradus quales, & quot. 49.
Altarium earundem situs. 51.
Forma item: cum bradella. 52.
40 Capellæ cum Altaribus vbi ædificari non possint, ædificatæuè destruantur.
42 Capellæ, vbi angustia loci, prædicto modo fieri non possint, vt fabricentur.
43 Altaria sola cum hemicyclis, quando ædificanda.
44 Quando item sine hemicyclis, columnis tantum erectis, construenda.

Quando

45 Quando illa, præscripta latitudine minora, permitti poterunt.
46 Eo in casu, vbi cancelli collocandi.
47 Capellæ, quando, & quomodo intrà Ecclesiam ædificandæ.
53 Capellæ, & Altaria } maiora, & minora in quibus inter se conueniant.
54 Altarium structura qualis.
Altaria iam ædificata breuiora, & angustiora, ut re cõcinnenda. 70.
55 Tegumentum quale.
56 Fenestella vrceolorum qualis.
57 Clauus ferreus appendendi bireti.
58 Tintinabulum.
59 Cancelli clathrati quales, & ubi figendi.
60 Coronix lignea, & cuius formæ.
61 Telare, quale.
62 Gradus ligneus à posteriori parte Altaris, & qualis.
63 Mensa Altaris maioris, & minoris consecrandi.
64 Mensa Altaris consecrati, vt tegenda.
65 Mensa Altaris non sacrati, vt cooperienda.
66 Vtque in ea lapis sacer collocandus.
67 Fenestella reliquiarum.
68 Lapis sacer, Altareuè portatile, cum capsa, qualis.
69 Lapis ipse alio transferendus, ut amoueatur.
Cautiones quædam de omni ecclesiastica ædificatione. De Monasterio Monialium.
71 Altare unumquodque, indumenta, & ornamenta propria habeat; & quæ; cuiusq; formæ. 72.
Quibus instructum sit, foribus patentibus. De ornatu sacrorum locorum. nume. 3.
73 Supellex omnis ad Altaris cultum, & Missæ vsum à quo paranda.
74 Quando eidem vsui capellaniæ, & altaris redditus applicandi.
75 Quando subtrahendum seruitium.
76 Altarium omnium vrbis, & diœcesis, tituli, emolumenta, iura, & onera, in librum describenda.
77 Translata item altaria omnia, ac transferenda cum titulis, viribus, & oneribus notanda. & nu. 40.
78 Ac quicquid deinceps acceßerit.
79 Onerum etiam commutationes diminutionesuè describendæ.
80 Dies quoque notandi, quibus legentium commemoratio facienda est.
81 Onera Altarium omnium in Tabella referenda.
82 Altaria deinceps exstruenda, cum titulis, emolument. & oneribus annotanda.

Nè tamen propè sepulchra exstruantur. De Sepulchris, nu. 8.
Altaria, ut munda semper sint, Rectoris cura. De ornatu sacrorum locorum. 7.

3. De ijs, quæ pert. ad orna. & cult. Eccl.

QVæcumque ad Ecclesiarum, Capellarum, Altarium ædificationem, & ornatum ad sacrorum indumentorum, vestiumuè apparatum, acommem sacrorum vasorum supellectilem, & ad alia eius generis pertinent; ea ædificentur, construantur, & fiant ad præscriptam formã, quæ instructionibus nostris, eo nomine ad communem Prouinciæ vsum conficiendis, exprimetur. Id verò omne seruetur, quantum per facultates præstari licet; nisi aliquando Episcopus aliqua de causa aliter censuerit.

4. De Eccles. fabr.

2 Noua Ecclesia nè ędificetur inconsulto Episcopo, & scripta facultate ab eo non impetrata: qui præter alia, quæ in nouis eiusmodi ædificationibus requiruntur, videat in primis diligenter, an situs decens, honestusque sit; an capax populi; an item disiunctus ab ædibus, vt possit circondari: curetque omninò ità illam ædificari, nè ab antiquo more, probataque traditione discedatur; vt Sacerdos in Altari maiori Missam celebrans, orientem spectet.

Inst. fab lib. 1. cap. 1. De situ Eccl.

3 Ecclesia *cùm ædificanda est, primum Episcopi iudicio, & de Architecti, quem is adhibuerit, probarituè, consilio locus huic ædificationi accommodatior eligi debet.*

Qua in re ualde spectetur, ut ubicumque illa exstruatur, loco editiori aliquanto fiat.

Si uerò, ubi exstruenda est, loci positura plana omninò tota sit, deligatur saltem in ea situs, qui ità extet, ut exstructa Ecclesia, tribus, aut ad summum quinque gradibus ad eam ascendatur.

Sin autem ne hoc quidem loci natura patiatur, cum partem nullam sic extantem, paulò que eminentiorem habeat, id subsidij comparetur structura basium Ecclesiæ: quæ in altum ductæ, naturalem illam loci planitiem, ità superent, ut ad Ecclesiæ pauimentum illis tribus quinque gradibus ascendatur.

In situ prætereà deligendo, ea etiam cautio adhibenda est; ut, &, quò maiori in ueneratione Ecclesia habeatur, &, quò ad eius fieri potest, ab omni strepitu, unde diuinorum officiorum interturbatio existit, longius absit, illius positura loco sit, qui ab omni luto, cœno, spurcitia, ab omnigi sordium genere, à stabulis, caulis, cauponis, officinis ferarijs, emporijs, atque ab omni foro uenalitio procul distet: ac nè è regione quidem istiusmodi locorum propè sit.

Cautio

Cautio item sit, vt situs eiusmodi quæratur, ubi Ecclesia exædificari queat insulæ instar, nempè ab aliarū ædium parietibus interuallo aliquot passuum, vt infrà loco de Platea demōstratur, disiuncta, ac separata, quemadmodum antiqui instituti est, ratioq; certè postulat. Id verò, cùm vbiq; tùm in pagis, locisuè, ubi ædificia crebra non sunt, commodius agi poterit.

Ibid. De vicinitate & coniunct. ædium Eccle. cū situ Ecclesiæ.

4 At illud tamen ab Ecclesiastica ædificationis ratione alienum non est, vt ab aliquo latere domicilia ministrorum Ecclesiæ, præsertim verò Episcopalia, Canonicalia, & Parochialia sint, non illa quidem habitationis ædificio, parietibus Ecclesiæ inhærentia; sed muris, per illud areę, diſtantiæuè spacium ductis, coniuncta, sacrarumque ædium situi vicina, vt Concilij Carthaginensis Canone cautum est.

5 Ministrorum autem, qui custodes, sacristęuè dicuntur, habitatio, vt res ecclesiasticæ, eorum fidei commissæ, ab omni sacrilegij, furti, incendijnè periculo tutiores sint, Ecclesiæ, aut Sacristiæ, adiuncta, locouè eiusdem Sacristię superiori, vt in nonnullis Ecclesijs est, exstrui potest. Qua in exstructione hæc videnda sunt. Primo, vt huius habitationis structura, ne Ecclesię prospectus impediatur, aut offendatur; neuè Ecclesię fenestris, luminibusuè obstruatur, aut impedimentum afferatur.

Deinde vt nè eiusdem habitationis prospectus vllus, aut fenestra fiat, vnde in Ecclesiam introspectetur.

Præterea ianuanè sit, qua iter, aditusuè per Ecclesiam patefiat, ad quotidianum, priuatumque rerum domesticarum importandarum, exportandarumnè vsum; sed qua tantum ad diuina officia, & munera sua obeunda ab illis, in Ecclesiam conueniatur.

Ibid. de Area Eccl.

6 Ponenda præterea cura est, vt ne loco humido, vliginosouè Area Ecclesię deligatur; nec verò propè colles, aut decliuia loca, quo aut torrēs, aut alia aquæ uis forte defluens, detrimentum ædificio afferre possit.

Si quando tamen in cliuo ædificari necesse est; ibi hominum opera planities fiat, quæ respondeat magnitudini futuræ Ecclesiæ, à cuius tergo, latereuè spacium itidem planum cubitorum duodecim, & amplius, pro ædificij ratione interſit ad excisam, præruptamuè rupem; hæcque etiam firmo pariete muniatur, effossis præterea hinc inde canalibus, per quos aqua, interdum confluens, alio deriuetur.

Ibid. De Amplitud. situs Eccl.

7 Situs præterea Ecclesię amplitudo ità patens esse debet, vt non solum multitudinem populi, locum incolentis, vbi Ecclesiæ, vel Parochialis, vel Collegiatæ, vel Cathedralis ædificatio futura est: sed frequentiam etiam hominum, interdum ad solemnitates confluentium, capere queat. Quam re ratio illa negligenda non est, vt vnicuique homini tantum spacij esse possit, quanta est ab omni parte mensura vnius cubiti, & vnciarum octo: idque præter spacium, quod columnę, pilæuè, ac parietes capiunt.

Atque

Ibid.de Eccl. for.cap.2.

8 Atque hæc quidem *breuiter de Ecclesiæ situ; sequitur illius exædificandæ forma: quæ, cùm multiplex esse possit, ad eam sanè deligendam, pro situs ratione, proq; ædificationis amplitudine, Architecti periti consilium Episcopus adhibere debebit.*

At verò illa huius ædificij ratio, iam inde ab Apostolicis ferè vsque temporibus ducta, potior est, quæ Crucis formam exhibet, vt planè ex Sacris Basilicis Romanis maioribus, ad eum modum exstructis, perspicitur. Illa porrò ædificij rotundi species, olim idolorum templis in vsu fuit; sed minus vsitata in populo Christiano.

Ecclesia igitur omnis, ac illa præsertim, quæ insignem structuræ speciem requirit, ità exædificanda potius erit, vt Crucis instar sit: quæ cùm multiplex, tùm oblonga esse potest; hæc in frequentiori vsu, reliquæ minus vsitatæ sunt.

Ea igitur, quæ Crucis oblongæ similitudinem præ se fert, ædificatio, vbi potest, in omni Ecclesia, vel Cathedrali, vel Collegiata, vel Parochiali, quæ exstruenda est, seruetur. Vbi verò situs, de consilio Architecti aliam potius, quàm longam ædificij formam postulat, ad illius præscriptum modum, Episcopi iudicio comprobatum, eius modi structura Ecclesiæ fieri poterit.

Ibid. de modo Eccl. ædif. instar crucis.

9 Hæcq; ipsa Ecclesia, *siue vnam tantum, siue tres, siue quinque ut dicunt, naues habitura est, Crucis instar, cum alia multiplici ratione, & modo, tùm hoc vno constare potest, exstructis scilicet extrà Capella maioris ingressum duabus ab vtroque latere Capellis; quæ ad brachiorum, similitudinem productæ, à toto Ecclesiæ ædificio, pro amplitudine extent; ac foris aliquantulum, pro Architecturæ ratione, promineant.*

Instr. fabr. de parietib. exter. & frontispicio cap. 3.

10 Reliqua autem, *quæ ad structuræ genus, ad parietes benè materiatos, eorumque firmitudinem, incrustationem, tectoriumue opus, aliaque id generis attinent, pro Ecclesiæ exædificandæ modo, proque regionis, loci ue conditione, iudicio Episcopi, ac de Architecti consilio diligentius statuentur. Illa tamen ratio, in parietibus extrinsecùs habeatur, vt qui à latere, & à tergo sunt, in iis nulla imago exprimatur: qui à fronte, eo decentiorem, augustioremque aspectum præ se ferent, quo sacris imaginibus, picturisue, sacram historiam exprimentibus, ornatiores erunt. In frontispicij igitur pio ornatu pro structuræ Ecclesiasticæ ratione, proque ædificij magnitudine Architectus videat, vt cùm nihil profani appareat; tùm rursus splendidè pro facultatibus exprimatur, quod loci sanctitati conueniat.*

11 Illud verò, *præter cætera adhibeatur, vt in vniuscuiusque Ecclesiæ, præsertim Parochialis, frontispicio à superiori scilicet parte ostij maioris, extrinsecus pingatur, aut sculpatur decorè, religiosèque imago beatissimæ Mariæ Virginis, Iesum Filium in complexu habentis: à cuius latere*

dextero

dextero exprimatur effigies sancti, sanctæuè, cuius nomine illa Ecclesia nuncupatur; à sinistro alia item Sancti, vel Sanctæ, cui præ cæteris Parochiæ illius populus venerationem tribuit: aut saltem, si totum id triplicis imaginis opus fieri non potest, sancti, sanctæuè solius tantùm figura fiat, cuius nomine ipsa Ecclesia appellatur. Quod si vel Annunciationis, vel Assumptionis, vel Natiuitatis Sanctæ Mariæ titulum, diemuè festum ea Ecclesia habet; beatissimæ Virginis effigies exprimatur, quæ mysterij rationi conueniat. Vt verò à pluuia, & temporis iniuria perpetuò defendatur: id structuræ opere, solerter prospicere, Architecti erit.

Cætera porrò, quæ aut sculpturæ, aut picturæ opere, alijsque grauibus, ac modestis ornamentis, frontispicij Ecclesiæ maiestatem Augustam, religiosamque reddunt, Episcopus, Architecto etiam, si opus est, adhibito, viderit, prout ecclesiasticæ ædificationis, quæ struetur, ratio poscet.

In vniuscuiusque item Ecclesiæ, præsertim Parochialis frontispicio, à superiori scilicet parte ostij maioris, Sacræ imagines exprimantur ad præscriptum instructionum, quas de fabrica Ecclesiastica edidimus. 4. De Eccles. fabr.

12 Atrium præterea in fronte Sacræ ædis, pro areæ ratione, proq; ædificij ecclesiastici structura fiet, de Architecti consilio intus ab omni parte porticibus cinctum, alioque decenti architecturæ opere ornatum. Instr. fab. lib. 1. De Atrio Porticu, & Vest.

13 Si verò præ situs angustia, aut præ tenui censu id exædificari non potest; porticus saltem à fronte itidem exstruenda curetur. Ibidem.

Quæ porticus, columnis marmoreis, aut pilis lapideis, lateritijsue erecta, longitudine omninò Ecclesiæ latitudinem adæquet.

Lata autem, atque alta ità esse debet, vt longitudinis suæ rationi rectè, conuenienterque respondeat.

Hac forma in vnaquaque Ecclesia Parochiali porticum extare conueniens erit.

14 Si per inopiam nè id quidem præstari potest; hoc saltem prorsus curetur, vt antè ianuam maiorem, vestibulum eiusmodi exstruatur, quod duabus tantum columnis, vel pilis, aliquantulum ab ea distantibus, exædificatum forma quadrata sit; tantumque spacij habeat, vt paulò latius, quàm Ecclesiæ ianua pateat. Ibidem.

Qua in Parochiali Ecclesia porticus non est, neque item præ inopia exstrui potest; hoc in ea omninò curetur, vt antè ianuam maiorem vestibulum exstruatur, quod duabus tantum columnis aut pilis aliquantulum ab ea distantibus exædificatum, Parocho in baptismi administratione, vsui esse possit. 4. De Eccles. fab.

Quò in vestibulo nemo tamen consistat ad Missam audiendam, qui in Ecclesia esse possit.

15 Et quoniam tecti magna est habenda ratio, propterea quod omne ædificium Inst. fab. lib. 1. De Tecto c. 5

ædificium tueatur; siquidem eo sublato, aut malè confecto, putrescit materies, labascunt parietes, omnisque sensim dissoluitur structura; certè in Ecclesia tegenda, quæ sacris imaginibus, omnique pio ornatu, & religioso apparatu, ad perpetuitatem exstruitur, diligens, ac singularis industria requiritur Architecti. Qui quamcumque tecti, vel displuuiati, vel testudinati, vel laqueati formam, pro ædificij ratione delegerit, videat in primis, vt & materia lignea fabrilis, nempe tigna, cantery, templa, assores, & alia id generis, ex quibus illud constat, & contignatio omnis benè firma sit.

Tegendi autem tecti ratio, cùm & pro regionum vsu, & pro ædificiorum modo diuersa sit, ipse viderit, quæ Ecclesiæ exstructioni sit accommodatior. In Ecclesiarum autem, quæ insigni structura exædificantur, & amplo censu sunt, tectis operiendis, tegulas, si minus æreas, vt olim, at saltem plumbeas, adhiberi conueniet.

Laqueata tecta in Ecclesijs construi, cum basilicarum quarundam Romanarum vsus docet; tùm mysterij significatio suadet: fornicata tamen fieri non alienum erit, pro locorum consuetudine, quo tutiora ab incendio ædificia sint, qualia sanè fornicato opere tecta, in Basilicis vrbis, & prouinciæ Mediolanensis insignibus, atque antiquis cernuntur.

Cautio verò in eo adhibenda erit, vt tecti proiectura eiusmodi fiat qua stillicidia ab imis parietibus arceantur, proculuè sint; idque apte, ac decenter, prout certo structuræ opere potest fieri, Architecti cura erit.

Ne item suggrundijs ob stillationem diuturnam detrimentum parietes aliquando capiant; eorum fundamenta, vbi primum è terra exstare incipiunt, pauimentis lethostratis benè consolidatis, suggrunda latius aliquando productis, sternantur: tùm verò terra congesta inde procul, perpetuò amota sit.

Nè prætereà ijdem possint per pluuiam stillicidijs penetrari: si fortasse aliquando tegulæ, imbricesuè corrupti fuerint, in illorum summitate, quæ tecti trabibus subiacebit structura, loricauè testacea, cum coronis prominentibus adhibeatur, quæ tecti etiam proiecturam adiuuabit.

Inst. fab. lib. 1. c. 1. De Pauimento.

16 Atque hactenus quidem de tecto; nunc sequitur pauimentũ, quod in Ecclesia non spicatum, non è laterculis coctilibus, non alio lateritio opere, nisi vitriato sit; sed in insigni saltem Ecclesia, capellisque maioribus, & alijs præclaræ structuræ, marmore, alioue solido lapide, stratum sit, opere item tessellato, aut scutulato, politè confecto, aut musiuo itẽ. In alijs verò Ecclesijs, & Capellis, ubi hoc non potest, silicibus expolitis, vel opere testaceo confectum. In pauimento, quale illud sit, neque Pictura, neque Sculptura Crux exprimatur; nec verò prætereà alia sacra imago, historiauè, ac nè alia item, quæ sacri mysterij typum gerat.

Inst. fab. lib. 1. c. 7. de ostijs.

17 De ostijs, & antepagmentis sacrarum ædium multa à sapientibus Archi-

Architectis præscripta sunt, quæ pro Ecclesiæ ædificandæ ratione, proque structuræ modo seruari accuratius debent. Illud verò caueatur, vt à superiori parte, nè illa arcuata sint, cùm à portis vrbium dissimilia esse debeant; sed quadrangula, qualia in Basilicis antiquioribus conspiciuntur. Nec verò humili structura depressiora sint, sed duplo altiora, vt architecturæ ratio fert, quàm latitudo patet.

Superiori parti coronix decenti opere adiungi potest, è qua rotundum, instar hemicycli, & scaphæ emineat; vbi sacræ imagines vt suprà præscriptum est, sculpantur, aut pingantur, vt in antiquis, ijsque insignoribus Basilicis Mediolanensibus, perspicitur.

A fronte Ecclesiæ ostia exstruantur: imparia verò sint, ac planè totidem, quot naues, è quibus Ecclesia constat. Media autem nauis, si è pluribus nauibus Ecclesia constet, tria ostia, vbi præamplitudine potest, à fronte habeat; si verò ex vna tantum, hæc omninò ostia tria à fronte habeat; nam pluribus ostijs, cùm ob alia multa, tùm ob virorum, mulierumque distinctionem, ad Ecclesias ingressum patifieri debere, indicant Basilicæ Romanæ.

Ostium medium à cæteris, & laxamento, & ornatu prçcipuè distingui debet, præsertim in Basilica Cathedrali; vbi illud sculptura leonum exornari decet, exemplo templi Salomonis, qui in basibus illos sculpi iussit, ut præsulum indicaret vigilantiam: idipsumque in complurium huius Mediolanensis Prouinciæ Basilicarum Cathedralium ianuis, ità exstructis, præclarè cernitur.

18 Ostiorum Ecclesiç valuç eiusmodi esse debent, quæ non tàm ornatum, quàm firmitudinem ostentent. Porrò è cypresso, aut cedro fieri conueniens esset; si minus, è nuce, vbi potest, fiant, opere fabrili ornatæ, quod non picturæ tenuitatem imitetur; sed sculptura piè expressum aliquantisper emineat: laminis autem æneis illas, quç insignoris Ecclesiç sunt, vestiri; opereque sacrarum imaginum cælato ornari conuenientius erit, cum Basilicarum Romanarum valuas non modo æneas, sed argenteas, argentouè illitas, aliquando exstitisse memoriç proditum sit.

Hæ ostiales valuç, & pessulis, & seris, & clauibus grandiusculis à parte anteriori firmiter munitæ sint: ab exteriori autem parte nullo modo. Vbi vero id aliquando fieri necesse sit, in vnius tantum ianuç, quæ à latere maioris ianuç est, valuis ostiolum paruulum exstrui liceat, ijsdem instrumentis extrinsecùs munitum, firmiterque compactum.

19 A tergo autem, nec verò pretereà à lateribus vllum Ecclesiæ ostium exstruatur: nisi quo ingressum fieri necesse est, vel ad Sacristiam, vel ad campanile, vel ad cæmeterium, vel ad ministrorum Ecclesiç domicilia.

Neque

Neque item propè Altare vllum, vel è regione eius lateralí, aliúnè eiusmodi loco, qui illud recta spectet: indeque sacris Altaris Ministerijs, aut impedimenti, aut irreuerentiæ, perturbationisuè periculum aliquando existere possit.

Inst. fabr. lib. 1. c. 8. De fenestris.

20 Hæc de Ostijs satis sint, cùm alia multa Architecti periti iudicio relinquantur: superest de fenestris, quę pro ratione Architecturę proque modo, & magnitudine ędificij in Ecclesijs, & in Capellis struentur. Neque est, cur de earum longitudine, ac latitudine quicquam, aut de forma hoc loco multa tradantur, cùm potius ab architectonica arte, huius generis prœceptio sumenda sit.

Ea autem in Sacrarum ædium fenestris forma, vel plurimum seruata est, vt à parte superiori paululum rotundæ, à lateribus aliquantò intrinsecus latiores appareant, quàm extrinsecùs; prout etiam mysterij ratio, à patribus demonstrata, suadet.

In media Ecclesiæ naui, vbi per tecti eminentioris altitudinem potest, tùm in nauibus etiam inferioribus, laterales fenestrę fient, ęque impares ab utroque latere: atque in vniuscuiusque intercolumni medio ità ordine exstructę, ut recta sibi respondeant, neque à Zophoro, epistylioué tecti valdè distent.

Vndè verò lumen præcipuè Ecclesia, & Capella maior excipiat; fenestra orbicularis, ampla, pre modo Ecclesiæ, instar oculi, à fronte suprà ostium maius exędificetur, atq; extrinsecùs ornetur pro structurę modo.

In alijs nauibus à frontispicio item fiant forma oblonga, Architecti iudicio.

Verùm lumen etiam excipi potest ad Capellæ, & Ecclesię vsum, e tholo, ex vmbilico scilicet fastigiatę fornicis, lanternis vndiquè factis.

In Capella maiori, ac prętereà in singulis minoribus, pro earum magnitudine, ac modo, ab vtroque latere, eæ item fiant, vt vtrinque lux prębeatur.

Si verò à lateribus lumen excipi nullo modo potest, neque satis est, quod ab orbiculari, alijsuè frontispicij fenestris imbibitur, quoduè alium de excipitur; è pariete, qui à tergo capellę est, recipiatur.

Cautio autem adhibeatur, vt nullam Altaris cuiusuis partem, nè minimam quidem, fenestrę posterioris parietis occupent: tùm maximè, nè Altare, quod eidem parieti propè sit recta spectent, aut vllo sanè modo supra Altare sint.

Cęterum si aliundè lumen commodè, & decenter sumi non potest; tunc fenestra, quę necessariò suprà Altare exstruenda est, ab ima parte paulò accliuius foras prominens, opere testaceo, aut tabula solida marmorea, ereauè strata, eiusmodi sit, vt aqua foras omninò defluat: intrò verò nè gutta quidem penetret.

Cautio

Cautio item sit, vt, si montoso, alioue loco, vbi ventorum vis maxima esse soleat, Ecclesiam exædificari contigerit, ità fenestræ vndique à Septentrione præsertim, Architecturæ rationibus fiant, vt à nulla parte Ecclesiæ detrimentum neque periculum sacris Ministeriis, neque incommodum fidelibus orantibus existat.

Fenestræ, omninò altè, atque ità exstruantur, ut inde, qui foris stat, introspicere non possit. Vbi autem necessariò, fenestra minus alta, quàm præscribitur, aliquando exstruatur necesse esset, quod facile vsu veniet in veteribus Ecclesiis resarciendis, ea muniatur vitreis valuis, quæ nullo modo aperiri possint, nè introspectetur.

21 Fenestræ autem omnes, *quales quales sint, clathris ferreis, vbi potest, muniantur; adiuncto etiam opere vitreo, & pellucido, neque vlla ex parte picto, nisi imagine tantum sancti, cuius nomine Ecclesia, capella-uè nuncupatur, vt lumen illustrius, ad illius Capellæ, Ecclesiæuè vsum excipiatur. Sint item extrinsecus filis æreis, instar retis undiq; septæ.*

Quæ operis vitrei, sæpimentiuè exstructio ornatior esse potest, pro ædificij modo. In Ecclesiis autem, quibus ob inopiam vitreo opere confici non possunt, sint opere saltem telæ instructæ.

At è quocumque genere, opereuè sint, eiusmodi tamen esse debent, vt aperiri, aut amoueri aliquando possint ad omnis vaporis, in Ecclesiæ, Capellæuè ambitu conclusi, exhalationes.

Fenestræ in Ecclesiis, præsertim Parochialibus clathratæ existant, nisi prætè exstructæ ità sunt, vt sine clathris etiam ab omni violento, aut furtiuo, alioue per eas ingressu tutæ admodum sint; vitro etiam vel tela saltem muniantur. 4. De Eccles. fabrica.

22 Nulla in Ecclesia fenestra permittatur, è qua foris stans, Missam quis possit spectare. Ibidem.

23 Iam verò est, *vt de Ecclesiæ scala, & gradibus aliqua instructio fiat, cùm ad illam, editiori loco exædificatam, ascendi necesse sit.* Inst. fab. lib. 1. c. 9. De Eccles. scala & gradib.

Si igitur loci situs, vbi Ecclesia exstruenda est, ità è planitie eminet, vt scala, quæ pluribus gradibus constet, opus sit; tunc illa, pro Ecclesiæ modo latè patens, è marmore, aut è solido saltem lapide, struatur, gradibus totidem, quot ad ascendendi vsum, commoditatemque necessarij sunt. Qua in re videndum est, vt illi, & numero impares existant, & quinto, tertioue quoque gradu planum fiat, quod pro ascensus ratione cubitis circiter tribus congruenter pateat.

Si verò præ ascensus altitudine ordines graduum plures statui oporteat, hæc etiam ratio habenda est, vt illi quoque numero impares extent.

Gradus autem singuli altitudines sint vnciarum octo, latitudine circiter cubitali, aut paulò ampliori, pro structuræ genere.

24 Nunc verò, *quoniam quæ exposita sunt, omnia ferè ad exteriorem*

Ecclesiæ

Ecclesiæ fabricam pertinent, sequitur, vt de interiori dicatur. Ac primo quidem loco de Capella, & Altari maiori.

Situs igitur huius Capellę in capite Ecclesię, loco eminentiori è cuius regione ianua primaria sit, deligi debet: eius pars posterior in orientem versus recta spectet, etiam si à tergo illius, domicilia populi sint.

Nec verò ad solstitiale, sed ad æquinoctialem orientē omninò vergat.

Si verò positio eiusmodi esse nullo modo potest, Episcopi iudicio, facultateque ab eo impetrata, ad aliam partem illius exædificatio verti poterit: tuncque id saltem curetur, vt nè ad Septentrionem, sed ad Meridiem versus, si fieri potest, planè spectet.

Porrò ad occidentem versus illa exstruenda erit, vbi pro ritu Ecclesiæ à Sacerdote, versa ad populum facie, Missę sacramentum in Altari maiori fieri solet.

Capella hæc fornicata sit; musiuo præterea opere, aut alia illustri picturę, structuręue specie, pro Ecclesię, quę ędificatur, ratione, ac dignitate, decorè ornata.

Eius pauimentum exstruatur, Ecclesię solo altius pro situ loci, proque ratione item Ecclesię; quę si Parochialis est, altius vncijs octo ad minimum, aut cubito vno ad summum; si Collegiata, vel Cathedralis, aut certe Parochialis insignis, hęc altitudo nè minor sit cubito, nec verò maior cubito itidem, & uncijs præterea sexdecim. Vbi uerò in Capella maiori locus subest, quę Confessio dicitur, ad illius loci altitudinem, huius pauimenti, Altaris exstruendi, ratio aptè, & decenter referatur.

Gradus ad Capellę maioris ascensum è marmore, lapideue solido, aut è lateritio opere, ubi nulla copia lapidis marmorisue est, confecti sint; ijque numero impares, unus scilicet, tres, aut quinque pluresue pro altitudinis ratione.

Quorum singulorum graduum altitudo nè maior sit uncijs octo; latitudo autem, nè minor sexdecim; nec uerò maior cubito.

Si pauimenti Capellę altitudo paulò minor sit cubito; ad ascensum tres gradus ędificentur, pari altitudine.

Si uerò ea altitudo cubitum aliquanto excedit, gradus quinque; sin autem illa ob confessionis locum longè maior est, totidem fiant, at impares numero, quot ad ascendendi usum necessarij sunt: ijque singuli æqualem itidem altitudinem habeant, pro ratione unciarum, quibus altum est eiusdem Capellæ pauimentum: sed numquam tamen maiorem illis octo uncijs.

4. De Eccles. fabr.

25 In vnaquaque Ecclesia, in qua Missa celebratur, sacrarium vnum sit, in Capella maiori, aut propè Sacristiam, aut in ipsa Sacristia, si Ecclesia frequens est, opportuno loco exstructum.

In Parochiali verò, præter illud quod fontis baptismalis vsui est, alterum

alterum etiam loco eiusmodi; nisi sibi pro reddituum tenuitate, proq; exiguitate populi, illud vnum satis esse Episcopus censuerit.

26 Altare maius, *Capellæ suæ loco ità constitui potest, vt ab ipsius Altaris gradu infimo vsque ad cancellos, quibus illa sæpta, sæpiendaue est, spacium intersit cubitorum octo, atque vbi potest, Ecclesiæque amplitudo pro decori ratione postulat, etiam plurium; vt id spacij commodo, vsuique sit Clero frequenti, ad Missæ solemnis sacrum, diuinorumque officiorum celebritatem aliquando conuenienti. Idque propterea, vbi opus sit, si à tergo Capellę extrinsecus situs est, vbi illius spacium produci possit, vsque adeò producatur; vt tantum spacij Capellę detur, quantum suprà præmonstratum est; si hoc non potest, atque præ loci exiguitate, angustiaque illius Altaris Capella non tantum spacij in Ecclesijs Parochialibus Collegiatisue habet; tunc ille inter Altaris imum gradum, & cancellos situs interiectus, spacio esse debet, cubitorum ad minimum quattuor; vt saltem in Missæ solemnis sacro pro cæremoniarum, quæ obeundæ sunt, ratione, spacij locus congruus detur, & Sacerdoti celebranti, & Diacono, & Subdiacono, alijsque Clericis in eo ministrantibus.* Inst. fab. lib. 1. c. 11. De Altari maiori.

Cui angustæ, breuique Capellæ, vt ab anteriori parte illud, saltem cubitorum quattuor, spacium, interuallumue detur; ea, si opus sit, inire potest ratio, vt illius planum, gradusque eiusmodi sint, reconcinnenturue, qui è Capella ipsa exstantes, forisque aliquantulum decorè prominentes, octanguli, aut sexanguli formam præbeant.

Sin autem extrà illius fines intercolumnia sunt, sique id Ecclesiæ amplitudo postulat, illud ipsum spacium parari, capiuè poterit, eiusdem Capellæ pariete, vsque ad prima illa intercolumnia producto.

Vbi denique præ angusti situs, locique finibus exiguum, aut nullum ferè spacium esse potest; id saltem omninò præstandum est, vt Altare pariete, qui ab illius tergo est, propius admoueatur; & à clathris, si illud quattuor cubitorum spacium habere nequit, distet saltem pro situs ratione, quàmmaximè potest; ità tamen, vt ab ipso etiam pariete procul sit, cubito vno, & dimidio.

27 Sit autem *Altare maius à scabelli solo altitudine cubitorum duorum & vnciarum octo, & ad summum decem; longitudine cubitorum quinque ac plurium, pro Ecclesiæ, Capellæuè magnitudinis ratione; latitudine verò cubitorum duorum, & vnciarum duodecim, ac plurium itē, prolongitudinis, & situs modo.*

28 Prætereà si à lateribus, *& à fronte spacij satis datur, gradus tres adhibeantur, vnus scilicet, quem per se bradella facit, tamen alij duo, ipsa bradella inferiores: qui duo, è marmore, solidouè lapide fieri debent; aut si id non potest, è lateritio opere: latèque pareāt vncijs ad minimum* Ibid. De gradib. Alt. mai.

sexdecim; viginti verò, si potest, ac plus item, vbi decorè, pro spacij ratione fieri possit.

Gradus verò tertius, qui ex ipsa bradella existit, è sectilibus tabulis esse debet. Bradella autem à fronte Altaris cubitos duos, & à lateribus etiam producta, vncias sexdecim latè pateat; ità vt à tribus partibus illud complectatur.

Altitudo item singulorum graduum, sit vncijs octo.

Vbi verò, pro Ecclesiæ, Altarisque Maioris amplitudine, gradus plures esse, possunt, ibi quinque extrui poterunt latitudine, & altitudine mox præscripta.

Inst. Ibid. De situ imag. crucifixi.

29 Sub ipso autem Capellæ maioris fornicato arcu, in omni Ecclesia, presertim Parochiali, Crucis, & Christi Domini, in ea affixi imago, ligno, alioue genere, piè, decorèque expressa, proponatur, aptèque collocetur. Quo loco, si minus rectè pro humili arcus, fornicisue depressione, collocari potest; parieti, qui tunc suprà ipsum arcum est, extrinsecùs inhærens affigatur, sub tecto laqueato: aut certè super ianua clathrati cancelli Capellæ omninò ponatur.

4. De Eccles. fabr.

Crucis, & Christi Domini, in ea affixi, imago ligno, alioue genere, piè, decorèque expressa, sub ipso Capellę maioris fornicato arcu, in omni Ecclesia, pręsertim Parochiali proponatur, aptèque collocetur. Vbi autem præ depressiori, humilioriq; fornicis structura eo loco poni decorè non potest, alia ratione in ipso Capellę maioris ingressu, omninò statuatur.

Inst. fab. lib. 1. c. 12. De cho.

30 Chori præterea locus, à populi statione, vt vetus structura, & disciplinæ ratio ostendit, secluſus, cancellisque septus, cùm ad Altare maius esse debeat, siue ab anteriori parte, vt antiqui instituti est, illud circundet; siuè à posteriori sit, quia, vel Ecclesiæ situs, vel Altaris positio, vel regionis consuetudo sic postulat, vsque adeò latè, longèque vbi pro situs spacio potest, patere, etiam in hemicycli, vel in alterius formæ, pro ratione Capellæ, Ecclesiæuè modum, Architecti iudicio debet; vt, & amplitudine, & ornatu item decenti, Ecclesiæ dignitati, Cleriq; multitudini aptè respondeat.

4. De Capel. & Alt.

31 Capellarum, & Altarium locus, nè in vllâ quauis Ecclesia, quouis nomine cuiquàm, absque Episcopi auctoritate detur.

Inst. fab. lib. 1. c. 13. De Capel. & Altar. minorib.

32 Hæc breuiter de Altari, & Capella maiori, deque adiunctis dicta sint. restat separatim alia instructio de Capellis, & Altaribus minoribus, præter ea, quæ suo loco demonstrata, maioribus, & minoribus Capellis, Altaribusuè communiter conueniunt.

Primùm igitur cum Altaria plura exædificari oportet, & Ecclesia, instar crucis extructa, absside constans, duo quasi brachia habet; tunc à capite vnius, & alterius brachij locus aptè conueniens erit, vbi Altaria

duo

duo ædificentur; vnum à dextro, alterum à sinistro; si modo spacium sit pro modo latitudinis, infrà præfinitæ.

33 Is locus, si Capella cum Altari ibi exstruenda est, latè patere debet cubitos ad minimum nouem, & vncias octo. Si verò ad hemicycli formam parietis concauitas facienda est, cui Altare inhæreat, eius loci latitudinem esse oportet cubitorum saltem sex, & vnciarum sexdecim.

34 Quæcumque etiam Ecclesia, siue tribus nauibus, siuè vna tantum constat, extrà suæ Capellæ maioris situm, ab vtriusque lateris capite locum habet, sicut suprà mox præfiniuimus, ità patentem, vbi in vno, & altero item latere, pro modo, formaque præscripta, Capella, & Altare decorè, aptèque exædificari possit, aut ad hemicycli saltem speciem parietis concauitas fieri queat, cui Altare innixum hæreat; cùm in eiusmodi Ecclesia, præter illas duas, quæ à brachijs sunt, aliæ etiam Capellæ, cum Altaribus exstruendæ sunt, in vtriusque illius lateris capite exædificari poterunt; nisi illis, quæ in capitibus brachiorum sunt, vicinæ nimium sint, contrà, ac infrà præscriptum est.

35 Quarum Capellarum vnaquaque siuè in dextero, siuè in sinistro latere, ità exstruatur, vt, vbi plures naues sunt, in medio nauis sit, in cuiuscapite est.

36 Vbi verò ex una solum naui Ecclesia constat, in medio parietis spacio struatur, quod inter Capellam maiorem, & angulum Ecclesiæ interiectum est; ita tamen, vt hæc à maiori Capella saltem distet cubitis duobus: si modo ædificij ratio pro oneris, quod sustinet, grauitate, structuraq; forma spacium maius non postulet.

Si verò ad hemicycli formam in parietis concauitate Altare collocandum est; id etiam in medio illo, vel nauis, uel spacij, vt suprà, interiecti fieri debet, sic tamen, vt Altari maiori non valde propè exstruatur, quo minus Sacerdos in uno celebrans, ab alio, qui Sacrum in altero facit, impediri, perturbariuè queat.

Id igitur omne, quod de Capellis, Altaribusque in uno, & altero item latere, à capite Ecclesiæ exstruendis, mox præscriptum est, in Ecclesijs locum habere potest, ubi Capella maior exstructa, & Altare ibi situm, ità existit, ut intus sit spacio cubitorum saltem quattuor.

37 Quibus verò in Ecclesijs præ situs angustia Altare maius Capellam non habet; aut si habet, usque adeò illa exigua est, vt Altare in ea exstructum, foras in Ecclesiam uersus promineat; indeque Altaria, quæ à lateribus sunt, facile prospiciantur: tunc ab ijs partibus, lateribusuè, quæ ab illarum capite sunt, etiam si spacium pro ædificationis ratione suprà præscriptum, aptè, amplèque interiectum esset, Altaria tamen fieri non debebunt; tum quia minus decenter exstarent; tùm quia dum in uno Altari Sacerdos sacrum faceret, ob propinquitatem, alterum sa-

cerdotem, in alio celebrantem, impediret, aut interturbaret.

38 Vbi item Altaribus compluribus opus est, illorum ædificationi locus tertius propterea aptus erit, nempè Ecclesiæ latus utrumque, vnum scilicet, quod ad meridiem; alterum, quod ad Septentriones vergit.

Quo in vtroque latere, Capellæ cum Altaribus exstrui poterunt, quæ ab Ecclesiæ corpore exstent, forisque promineant: sed in illis exstruendis eæ infrà præscriptæ rationes seruari debebunt.

Vt Capellæ, æquè inter se distantes, exædificentur; tamque lato spatio inter vnam, & alteram interiecto, vt ab vniuscuiusque Capellæ vtroque latere fenestræ exstrui possint; vnde lumen aptè, apertèq; excipiatur.

Si verò ità inter se distantes exstrui non possunt, coniunctæ tamen ità fiant, vt, semicirculi, aut semioctanguli forma prominenti spatium in exstrema parte inter se præbeant, vnde lux à lateribus recipiatur.

Vt in Ecclesia, quæ nauibus pluribus constat, è conspectu intercolumnij omninò rectè sint; nè ipsis columnis, pilisuè earum prospectus impediatur.

In Ecclesia autem, quæ vnam tantum nauim habeat, medium planè respiciant, quod inter vnum & alterum arcum, lignumue est, quo tectum opere fornicato, aut laqueato suffulcitur, sustineturue; aut si Capellæ latitudo superet latitudinem eiusmodi spacij, neque illud fieri queat; summitate arcus Capellæ, ad perpendiculum tignum sustineatur.

39 Capellæ minores omnes, vna, eademque latitudine, longitudine, & altitudine constent; ac demùm omni ex parte, quò adeius fieri potest, sibiinuicem conueniant. Quæ verò tamen sunt in capite brachiorum Ecclesiæ, Crucis formam exhibentis, eæ pro ratione situs, vt cæteris aliquantò ampliores, sic forma illustriori etiam esse poterunt; modo inter se illæ, vna alteri, omni alia ex parte respondeant.

40 Nè subter suggestum, vnde, vel Organo sonatur, vel Euangelium, Epistolaue pronunciatur, aut concio habetur, vndeue canitur, vllo modo Capellæ minores, Altariaue exædificentur.

Nè inter pilam structilem, columnamue, aut arcum, tignumue, quo tectum suffulcitur, in ingressu Ecclesiæ primo loco situm, & parietem, qui ab anteriore Ecclesiæ parte est, Capella vlla exstruatur; nisi illa tantùm quæ in Ecclesijs, vbi animarum cura geritur, Baptisterij collocandi causa, nomineue sine Altari exædificanda est.

Altaria, Capellaue à pariete, qui in frontispicio Ecclesiæ è regione Altaris maioris est, nullo modo exædificentur: neque item alio in loco, in quo Sacerdos celebrans terga vertat Capellæ maiori.

4. De Cap. & Altar.

Altaria omnia amoueantur, quæ subter suggestum, aut organum exstructa sunt; aut columnæ, pilæve hærentia; aut aduersa Altari maiori; aut Ecclesiæ ianuis nimis propinqua; aut aliàs quauis ratione incommoda, aut periculosa, Episcopi iudicio sunt.

Obla-

Oblationes autem, & onera, emolumentaue, & iura Altarium, quæ amouebuntur, ad alia Altaria eiusdem Episcopi sententia transferantur.

Nec verò deinceps, in eiusmodi locis, vlla quauis causa, Altaria constitui Episcopus permittat: neque alio modo liceat.

41 Capellæ minoris *latitudo patens esse poterit cubitis nouem, aut vndecim, & amplius, prout est Ecclesiæ situs amplitudo, nec verò minor cubitis septem.* Instr. fabr. vt suprà.

Longitudo autem ab ingressu, vsque ad parietem, cui Altare adhæret, ducta, minor cubitis septē esse non debere videtur; vt & ministranti Clerico spacij satis sit, & nè quicquàm de Ecclesiæ parte, aut naui, cancellis occupetur: neq; maior item, vt nè populus, qui in Missæ sacro præsens adest, Capellarum lateribus impediatur, quo minùs ab omni ferè Ecclesiæ parte Sacerdotem celebrantem conspiciat. Si verò tantum spacij Capellis minoribus dari non potest, ferri poterit etiam longitudo minor, quinque videlicet cubitorum, & vnciarum octo. Quæ ratio cùm locum planè non habeat in illis Capellis, quæ in capite Ecclesiæ à latere Capellæ maioris sunt, ideò illæ longitudine aliquantò maiores permitti poterunt, quàm aliæ.

42 Si præ situs *angustia quibusdam in Ecclesijs Capellæ, quæ præfinito modo formaque foris omninò emineant, exstrui non queunt, exstrui poterunt saltem, vt maximè pro eiusdem situs ratione, foris exstare, prominereue possint.*

43 Sin autem *loci situs is est, vt ædificari non queant, quæ foris, vt præscriptum est, emineant, atque extent; ab Ecclesiæ vno, & altero item latere necessaria tantū Altaria fieri poterunt, exstructis, parietis cōcauitate, hemicyclis, scaphisue, pro situs, loci; ratione, foras decorè prominētibus.*

44 Si verò *ne ad hemicycli quidem formam exstrui vllo modo possunt; tunc Altaria, parieti hærentia, ob causam necessariam tantum fieri poterunt; aut erectis columnis duabus, aut alijs fulcimentis decentibus, intus ab Ecclesiæ pariete paululum exstantibus, vno à dextro, altero à sinistro latere. Quæ ambæ columnæ inter se à superiori parte opere fornicato, vel eiusmodi, coniuncta sint, aut hemicyclis, pictura saltem ad ornatus speciem decorè expressis.*

45 Quæcumque denique *Altaria, ob causas suprà expositas, ijs in locis exstruentur, exstructaue sunt; vbi præ situs angustia, Capellæ magnitudine præfinita ædificari non possunt; ità vt cancellos, clathraue à recto pariete exstare, forisque prominere necesse sit; ea singula in arctum sic redigi poterunt, vt cubitum vnum & vncias sexdecim non excedant; nec verò super ijs gradus vllus adhibeatur, vt, & illa, & cancelli, quàm minimè possunt, foris promineant.*

46 Eorundem *tamen Altarium cancelli à scabello, seu bradella, cubiti*

vnius, & vnciarum saltem octo spacio interiecto figantur; vt id spacij Clerico in Missæ sacro ministranti, omninò detur.

47 Denique si Ecclesię amplitudo, latè patens, id fert, angustior fieri poterit, extructis ab vtroque latere Capellis longitudine, & altitudine, ac forma suprà præscripta: cùm præ amplitudine, valde patenti, locus earum instructioni suprà præfinitæ intus eiusmodi esse possit, vt Ecclesiæ altitudinis spacium, inter illas interiectum, congruenter etiam pateat.

48 Capellarum minorum pauimentum altius, quàm Ecclesiæ solum, octo vncijs strui debet, amplius verò aliquando, vt infrà permitti poterit.

Vniuscuiusque Capellæ minoris limen, vbi per facultates fieri potest, è marmore, lapideue solido esse debet; ac sexdecim, & ad summum viginti vncias latè pateat; tùm eiusmodi sit, vt & ingressus gradum faciat, & ipsum capellæ solum æquet: isque vnus tantum gradus ad capellæ ascensum exstruatur.

49 At prętер illum liminis gradum, duos alios inferiores, pro loci, situsue ratione, & Capellæ amplitudine, vbi maior pluribus gradibus exstructa sit, fieri permissum erit: ijque si minùs è marmore, at saltem è solido lapide, aut demùm è lateribus fiant. Eorum latitudo eadem sit, quæ suprà demõstrata est, de liminis gradu: de altitudine idem seruetur, quod dictum est de gradibus Capellæ maioris.

50 Vnaquaque Capella, sicut de maiori dictum est, fornicato opere exstruatur.

Instr. Ibid. 51 Altaria in fronte media vniuscuiusque Capellæ constituantur, non à lateribus.

52 Ea singula minora à scabelli, quàm bradellam vocant solo superficieuè in altitudinem erecta sint cubitis duobus, & vncijs octo.

Longè pateant cubitis quattuor, & dimidio: nec verò minus quattuor saltem cubitis.

Lata sint cubitis duobus.

4. De Capellis & Alt. Altitudine sit à scabello ligneo, seu bradella Altaris, cubitis duobus, & vncijs octo: longitudine verò ad minimum cubitis quattuor, latitudine item cubitis duobus.

Instr. Ibid. Scabellum, seu bradella Altaris, tabulis, asceribusue ligneis conficitur, latitudineque sit cubitorum duorum: altitudine vnciarum octo.

Longius prætereà, quàm Altare, ità pateat, vt vnumquodque eius latus excedat vncijs sexdecim; neque verò plus cubito; rursusque ab utroque latere illud cingat; si modo præangustia Capellæ hæc latitudo lateralis non impediat Clericum ministrantem: tunc enim non excedat; sed tantum adæquet Altare.

Scabel-

Scabellum verò ligneum habeat, quod à fronte Altaris cubitos saltem duos productum latè pateat. 4. Ibid.

53 De minoribus Capellis, & *Altaribus, breui hac instructione explicata, sequuntur communia Capellarum, Altariumuè maiorum & minorum, quæ in exstructione seruanda sunt.* Inst. fabr. lib. c. 14. Cõmunia Capellarũ Altariũuè maiorum, & minorum.

54 Altaria non ex opere ligneo, *sed ex lapidibus, lateribusuè exstrui debebunt; atque ità vndique obstrui, vt feneſtella, foramenuè, nulla ex parte in ipsis relinquatur, vbi quicquàm asseruari recondiuè possit. Nec verò ideò prohibentur Altaria, quæ quattuor, pluribusuè lapideis columellis, aut pilastratis angularibus sustulcitantur, qualia in Prouinciæ Mediolanensis vsu cernuntur: quin etiam Altaria, quamuis muro obstructa, eiusmodi pilastratis ab angulis sustulciri congruum est, ne pars illa, Chrismate inuncta, si latericia sit, facilè decrustata collabatur. Neque præterea sub ijs quicquàm omninò reponatur.*

Altare vnumquodque exstruatur, aut si iam exstructum est, ad rationes infrà prescriptas, ex forma instructionibus constituta, ornetur, & accommodetur, ac reconcinnetur. 4. De Capellis, & Alt.

Lapideum sit, vel saltem lateritium cum tabula lapidea, si consecrandum est.

Neque in eo feneſtella, foramenuè vlla ex parte sit; vbi quicquàm asseruari, aut recondi possit; nisi fortè reliquiæ sanctorum sint.

Si verò columellis sustultum erit; nè quicquàm itẽ subtus ponatur.

55 Altaria singula, *quæ non tota cum Sacerdote item celebrante opere fornicato, sed tecto laqueato, teguntur, aut fornice ità altè exstructa, vt ea fornix commodè, sepiusque purgari non queat, integumento etiã, quod capocielo dicunt, operiantur.* Instr. fabr. Ibid.

Idque, vel ex marmore, solidouè lapide, aut etiam latericio opere, erectis columnis quattuor, si Altare maius est, si minus, lateraleuè, duabus, aut alijs decentibus fulcimentis, intus ab Ecclesiæ pariete paululum distantibus, vno à dextro, altero à sinistro latere, quæ operimentum sustineãt, opere fornicato, aliauè ratione confectum, vel ex tabulis sectilibus, aut è tela cerulea decenter picta fieri poterit. Quod è ligno, aut tela integumentum, cathenis ferreis è tecto, vel è pariete pendentibus, aut alia forma structura sustineatur.

Hoc autem operimentum cuiusmodi sit, vndique ità latè patere debet, vt Altare ipsum, & Sacerdos ibi Missæ sacrum faciens, omninò contegatur; quò diligentius, & ille, & Altare à puluere, omnique labenti sorde defendatur.

Sit verò hoc integumentum vsque adeò Altari proximum, vt ab eo aliquantisper pro decori ratione elatum, commodè tamen, & facilè purgari queat.

4. De Cap. & Alt. Tegmen omninò habeat, vel fornicatum, vel saltem ex asseribus, aut è tela cærulea, decenter picta, vel è serico, aut panno pretiosiori confectum; vbi scilicet fornix non est, quę totum Altare, ac prętereà Sacerdotem celebrantem tegat; aut si fornix est, ab Altari tamen ità distet, vt ea sępè purgari facilè, & commodè queat.

Instr. fab. De fenest. vrceolorum. 56 Fenestella in pariete, *qui à tergo Altaris est, à latere, vbi Epistola legitur, ornatè, politèq; fiat; eaq; ex marmore, solidouè lapide, ubi potest.*

A solo altè exstruatur cubitis duobus.

Eius verò latitudo sit vncijs sexdecim, altitudo viginti quattuor, sitq; distincta marmoreo, lapideouè opere transuerso.

Pars inferior vsui sit ad proijciendam aquam ablutionis manuum Sacerdotis, sacrum facientis. Ideòq; in medio foramen exiguum habeat, vnde illa defluat in cisternulam suffossam. Superior verò pars vsui erit, ad peluim cum vrceolis, dum Missæ sacrum fit, reponendam.

Quoniam verò Altare maius aliquando longè distat à pariete posteriori, cui sæpè adhæret Chorus; idque propterea si loco constituto, fenestella ea collocari nequeat; tunc in pariete à latere Epistolæ, vel eius loco propè Altare construi; vel etiam remotius vas aliquod è solido lapide, decoro ornatu poni poterit, in quod ea aqua infundatur: ità tamen, vt neque impedimentum, neque deformitatem afferat.

4. De Cap. & Altar. Fenestella sit in pariete à parte Epistolę constructa, & lapide transuersali distincta; ità vt pars superior vsui sit ad peluim cum vrceolis, dum Missę Sacrificium fit, reponendam: inferior ad aquam ablutionis manuum sacerdotis celebrantis proijciendam.

Inst. fab. Ibid. De clauo ser. ap. bir. 57 Clauus ferreus, *quo birretum Sacerdotis celebrantis appendatur aliquo ornamento, præsertim ex auricalcho, affigatur ab eodem latere Epistolæ, propè eam fenestellam, aut etiam alio cognosci eiusmodi loco, non altius à pauimento cubitis duobus.*

Ibid. De Tintinabulo. 58 Tintinabulum paruum *vnicuique Altari à parte, vnde Euangelium legitur, parieti laterali affixum hæreat, appenso funiculo tàm longo, quo Clericus minister, cùm Corpus Domini eleuatur, vti possit, ad illud certis distinctis ictibus pulsandum. Vbi verò Altare sine Capella est, ita ab Altari distet, & à pariete, quantum potest, emineat; vt funiculo ducto Altare non impediatur, neque Sacerdos interturbetur.*

Quod verò attinet ad maius Altare; commodius minister Clericus, tintinabulo gestatorio, è Sacristia allato; quàm appenso vtetur. nihilque propterea est, cur eo loci illud appendatur: præsertim in amplioribus Ecclesijs.

4. De Cap. & Alt. Inst. fab. Ibid. De Clathratis Cap. & Alt. Cancellis. *Adsit Tintinnabulum appensum; vel certè, cum ibi faciendum est Missæ sacrificium, è Sacristia deferatur.*

59 Ab anteriori *vniusciusque Capellæ, etiam maioris, parte, vnde in-*

gressus

greſſus ſit, clathra ferrea, cubitis tribus alta, in ſummo gradu Capellæ figantur: nec verò tamen aliquando altiora prohibentur; vbi præſertim hoc ſepto tutiora, & munitiora eſſe oportet. Eaque omnia, vbi per facultates poteſt, paruulis pilis, aut vaſculis, ad aliquam ſpeciem decorè confectis, in parte, tùm ima, tùm media, tùm ſumma exornari debebunt.

Si verò Capella, vt aliquanto maior ſit, octanguli, ſexanguliuè formam exhibet; clathra itidem in eius ſummo gradu figantur, quæ ei formæ reſpondeant.

Ab ima verò parte, per altitudinem circiter cubiti, opere aliquo artificioſo ferreo, illa inter ſe densè inſtructa ſint, vt canibus ingreſſus nullus ſit.

In clathorum medio ianua, clathrali etiam opere, decenter conſtituatur, quæ valuis vtrinque, & peſſulo, ac ſera claudatur.

Vbi verò vis, & copia ferri, quo ad Capellarum inſtruendarum vſum clathra conflentur, haberi minùs poteſt, ſi ibi lapides ſolidi marmoraue apparari queant, è marmore, alioue ſolido lapide, columellæ opere, quod vocant, baluſtrio, addita coronice, fieri poterunt, aliquanto clathris ferreis humiliores, quibus Capellarum pars anterior ſæpta ornetur, atque inſtruatur.

Quibus autem in Eccleſijs, Capellis, Altaribusue, præ tenuitate facultatum, nec clathra ferrea, neque marmoreas, lapideasue eiuſmodi columellas, ad ſæpiendi, ornandique vſum comparari poſſe Epiſcopus iudicaret; in ijs id opere ligneo polito, ac tornatili præſtari, eiuſdem conceſſu poterit. Cancelli autem lignei depreſſiores itidem, ac humiliores, quàm clathra ferrea aliquanto eſſe debebunt, in quorum ſumma parte ad ornatum coronix apponatur.

Vbi Capellæ Altarium minorum amplæ ſunt, quæ aliquam populi multitudinem, dum Miſſæ ſacrum fit, capiant, quamuis clathra in ingreſſu habeant, in earum tamen parte interiori, quæ propè Altare eſt, cancelli item lignei, ſaltem figi debebunt; quibus illud ità ſæpiatur, vt & præſentis populi frequentia, paululum à Sacerdote, ſacrum faciente, ſecluſa, diſtare compellatur; & locus ſit Clerico miniſtranti.

Sepiatur omninò Altare vnumquodque ſepto ferreo, vel lapideo, aut quibus locis ob inopiam, Epiſcopus id permittendum cenſuerit, ligneo: quod ſeptum ab Altari, congruo ſpacio diſtet, ad inſtructionum preſcriptum. Nec verò illud ſeptum laicus ingrediatur. 4. De Cap. & Alt.

6o Vnicuique ſcabello, etiam maioris Altaris, coronix lignea tribus digitis, nec verò amplius, alta adiungatur: qua à tribus item partibus illud cingatur; ità vt à parte anteriori pallij, & à lateribus, mantilium tobalearumue extremitas, eiuſdem coronicis opere, vſque occultetur, etiam vbi Altaris ſcabellum à fronte tantum extat. Inſt. fab. Ibid. De Coronice lign. Alt.

Ad

Inst.fab.Ibid. De Instr. telari Alt.

61 Ad Altare etiam instrumentum adhibeatur, quod telarum dicunt, in quo pallium expansum paruulisque uncis affixum, ipsi Altari accommodetur; idque è querneis, nuceisuè asseribus sit, tùm perpolitè confectum, tùm etiam uncijs quattuor latum, atque eiusmodi, quo Altaris mensa ab anteriori parte, rursusque ab utroque latere circundetur.

Cuius telaris capita, summitatesuè parieti affigantur, innectanturuè, cui Altare inhæreat.

Fulcimenta item, quibus telare ipsum sustentatur, ex ijs nuceis, seu quernis asseribus duo sint, unum à dextro, alterum à sinistro Altaris cornu anteriori; & alterutrum uncijs quattuor latitudine esse debet.

Vbi verò Altare à pariete remotius est, telare totum Altare undique cingat; adsintque duo alia fulcimenta in cornibus posterioribus Altaris, quibus ab ea parte sustineatur.

A parte etiam superiori, quæ Altaris mensam æquat, idem telare in ipsa superficie aliquot exiguas fossulas, tenuiter concauas habeat; iisque singulis fossulis; singuli tenues claui uncinuli quibus pallij cordulæ minutiuè annuli annectantur; & ità inserantur, atque infigantur, vt ipsius Altaris solum non superent. E quibus fossulis unà omninò fieri debet, quæ in telari ad medium Altare sit: reliquæ autem hincinde binæ, ternæuè, vel plures, pro amplitudine Altaris æquali interuallo esse possunt.

Inst.fab.Ibid. De gradu ligneo à parte post Altaris.

62 Gradus in Altaris minoris superficie à parte posteriori unus tantum, isq; ligneus adhiberi poterit; ea longitudine sit, quæ Altare æquet, latitudine unciarum octo; altitudine etiam totidem.

In Altari maiori nè fiant; nisi cùm cubitis tantum duobus minusnè à pariete posteriori illud distat: tuncque eiusmodi gradus unus, pluresuè decenter adhiberi poterunt; ita tamen, vt circuitus Altaris sub ea structura non impediatur.

Inst fab.Ibid. De Mēsa Altaris maioris

63 Altaris Maioris, in quacumque vel Cathedrali, vel Collegiata, vel Parochiali Ecclesia, tum etiam minoris, quod consecrandum sit, mensa marmorea, aut è solido lapide curari debet, & vbi potest, ità longè, latèque sicut Altare pateat.

Vbi apparari non potest, quæ sit tantæ latitudinis, non tamen latè minùs patere debet cubito vno, & dimidio; longitudine verò ipsum Altare omninò adæquet; nisi, vbi pro loci, regionisuè situ, nè eiusmodi quidem adhiberi possit, cui à fronte agglutinetur; à tergo, qua parte deest, supplerì poterit cæmentario, lateritioque opere.

Inst.fab.Ibid. De Mēsa Altaris, & tela cerata.

64 Altaris consecrati mensa, etiam si eius pars è lateribus facta sit, tota tegatur cerata tela: quæ, telari præscripto inclusa, clauis configatur. Vide etiam Tit. de ornatu, &c. sacrorum locorum.

65 Vniuscuiusq; Altaris, non consecrati, solum, pauimentumuè, mensa, ex tabulis sectilibus politè confecta, atque ad illud contegendum undi-

que

que ampla, consternatur.

66 Huic mensæ Altare portatile aptè inseratur, atque vt inter vtrumque mensæ cornu, in medio collocatum, ab ipsius fronte non longius distet spacio vnciarum octo.

Cuius portatilis Altaris longitudo non ab vno ad alterum cornu; sed à fronte in posteriorem partem spectet. Si verò illud insertum sit, vt è mensæ superficie vix paululum aliquid extet, quo Sacerdotis celebrantis tactu dignosci possit.

Petra Sacrata ita mensæ Altaris inseratur, vt nullum offensionis Calicis periculum adeatur: tactu tamen digiti possit dignosci. 4. De Capel. & Alt.

67 In Altaris fronte, tergouè, sub ipsa mensa, fenestella, quattuordecim, vel sexdecim vncijs ampla, aut in stipite, mensauè illius prorationè consecrationis, qua, libro Pontificali præscripta, Episcopus vti maluerit, fossa instar sepulchri, eodem, quo fenestella, sed multò minor spacio extruenda est; ubi, cùm illud consecratur, sacræ reliquiæ reconduntur. Inst.fab.Ibid. De fenestella reliq. sacr.

Ea verò fenestella ab ostio occludi debebit tabella marmorea, lapideauè, in qua sculpta sit Crucis imago: tùm nomina, quæ constant, sacrarum reliquiarum, in Altari reconditarum, insculpentur.

Vbi verò non fenestella, sed fossa adhibebitur, inscriptio hæc aut ab aliquo Altaris latere, aut in mensa fiat, litteris incisis.

Fossa verò, quæ in mensa est, tabella item marmorea ità firmiter, & accuratè occludatur, ut nihil omninò superemineat.

68 Lapis autem Altaris portatilis à parte superiori sectluram, in planum ductam, quam Smussum dicunt, undique habeat. Quæ sectura latè pateat medio transuerso digito. Inst.fab.Ibid. De Capel.Altar.portat.

Lapis longè vncias uiginti, latè sexdecim pateat, præter capsæ dimensionem, cui insertus est.

Quæ quidem petra longitudine ne minor sit vnciarum uiginti: latitudine sexdecim. 4. De Cap.& Altar.

Capsa eius è nucea omninò tabula sit, crassitudine unciarum circiter duarum, aut plurium pro lapidis crassitudine. Inst.fab.Ibid

Tabulæ verò illi, in omni latere intus à summa parte pro lapidis longitudine, & crassitudine concauatæ, ipse lapis inseratur; ità ut illa concauatæ tabulæ linea prominente, eiusdem lapidis sectura operiatur. In qua capsa sacrarum reliquiarum reconditarum, quarum nomen constat, inscriptio planè fiat.

69 Cùm verò Altare consecratum transferri contigerit, quod ut nè iterum consecrari opus sit, ea transferendi ratio adhiberi poterit, vt primo illud totum asseribus, tabulisque ligneis rectè, aptèq; concluſum, è loco ità amoueatur accuratè, ut stipes à solo Ecclesiæ conuulsus, nè minimum quidem ab Altaris mensa disiungatur; sed totus affixus ei inhæreat, nè consecratio

secratio violetur.

70 Altaria autem, *quæ angustiora, aut breuiora sunt, quàm forma præscripta postulat, latiora, longioraue fieri poterunt, vel lapideis, vel lateritijs, vel ligneis additamentis decenter, aptèque confectis, ab eorum lateribus, fronteuè, prout vsus tulerit, appositis.*

Sin autem humiliora sunt præfinito modo, altiora fieri poterunt, mensa politè, atque adeò altè confecta, ut præfinitæ Altaris altitudini respondeant: in eaque mensa lapis consecratus includatur præscriptæ forma.

4. De Cap. & Alt. 71 Habeat vnumquodque Altare propria indumenta, ac ornamenta, & supellectilem omnem, decretis Prouincialibus, aut nostris etiam instructionibus prescriptam, tùm ad eius cultum, & vsum, tùm ad Missæ sacrificium in eo religiosè, decorèque peragendum.

6. Quæ ad Miss. perr. Curet Episcopus, vt in vnnquoque Altari, in quo Missa celebranda est, crux adsit.

72 Quæ autem, cuiusque formæ supellex vnicuique Altari tàm dotato, quàm indotato paranda sit, tàm in Cathedralibus, & Collegiatis, quàm Parochialibus, & alijs Ecclesijs, etiam simplicibus, videatur Tit. de supellectile Altaris minoris, &c.

4. Vt suprà. 73 Nec verò quisquam, etiam Canonicus, aut alius maiori gradu, dignitateuè in Ecclesia vlla præditus, excusetur, quo minus Altare suũ, Capellamuè, quam obtinet, instruat, ornetque, ac propriam illis indumentorum, & reliquam omnem supellectilem comparet ad idem præscriptum: etiam si in eadem Ecclesia sit Altare, in qua ipse Canonicatum, aut dignitatem obtinet: aut etiam eidem Canonicatui, vel dignitati, eiusue præbendæ, vnionis iure, vel alio quouis annexa sit Capella, vel Altare illud.

74 Ad Capellas, & Altaria construenda, vel ornanda, vel reconcinnanda, vel alijs rebus, tùm supellectili etiam opportuna, instruenda, ex præscripto instructionum nostrarum si redditus debiti ministerij, & aliarum rerum necessariarum impensam superabunt; Episcopus totum illud, quod supererit, aut partem arbitratu suo transferat: nisi aut alij sint, qui iure debeant hæc omnia præstare; aut alia Episcopi iudicio opportunior ratio videatur, vnde id fiat, quam ipse iniri iubeat: atque vt id efficiatur, quod præscriptum est, omni iuris ratione eos, qui debent, compellat.

75 Si verò alia ratione id præstari, aut absolui, ac perfici posse Episcopus non viderit; subtrahat interea per aliquod tempus aliqua ex parte; vel etiam si opus erit, totum seruitium: redditum verò, vel pecuniam seruitio attributam impensæ applicet, quæ necessaria est ad illud seruitium, religiosè, decorèque explendum.

76 Episcopali cura diligenter cauendũ est, vt, cum Altarium, onerũ, iuriumq;

iuriumque ad ea pertinentium, tùm etiam titulorum, qui interdum plures ⁊ni solum Altari attribuuntur, memoriæ consultum sit perpetuò. Ea enim quemadmodum sæpè euenisse compertum est,& breui, & facilè periret, non solum quia ob varias causas illa aliquando amouentur, transferunturuè; verùm quoniam ob accessiones, diminutionesque ijs aliquando factas, onera etiam eisdem adiuncta, nonnumquàm commutantur, ⁊t crebrò item de ijs ipsis oneribus ab Episcopo interdum ob alias causas, etiam ex decreto Tridentino statuitur, decerniturue. Quamobrem Episcopus librum, eumque certum, ac perpetuum confici; illumque in Archiuio Episcopali,diligenter asseruari mandet. Quo in libro, anni spacio, Altarium omnium, quæ in singulis ⁊rbis, & diœcesis Ecclesijs, iurisdictioni suæ,aut ⁊isitationi, etiam si quouis modo illæ aliàs exemptæ sint, subiectis, collocata sunt tituli, & emolumenta item, iura, onera, si quæ habent, sigillatim ordine, rectèque describantur.

77 Altaria præterea omnia, & singula notentur, non solum quæ,vel ex hominum memoria, ⁊el ex alijs monimentis,scriptisue ad illa ipsa, iàm aliàs translata esse, cognosci aliquo modo potest; verùm etiam, quæ in posterum,quauis de causa eodem transferuntur, de scriptis pariter illorum titulis,iuribus, atque oneribus.

78 Tùm etiam accuratè suo loco notetur, si quid deinceps emolumenti,aut oneris ex legato,alioue nomine accesserit.

79 Rursus onerum commutationes, diminutionesue, si quæ fient, nominatim describantur; ac denique quæcumque ex ijs ipsis, ob Missarum numerum, obque eleemosynarum tenuitatem, etiam ex decreto Tridentino ab Episcopis,alijsve decerni,statuique contigerit.

80 Tùm præterea certi illi dies,quibus ex Tridentino decreto, ob illam causam commemoratio pro mortuis facienda est, qui eo nomine pia legata reliquerunt.

81 Onera verò hoc libro notata,singula,in tabellam referantur,quę ex decreto Prouinciali de Ecclesiarum oneribus,in ⁊niuscuiusque Ecclesiæ illa habentis, Sacristia affigi debet.

82 Hoc ipso libro Altaria etiam singula,quæ ex concessa ab Episcopo facultate in posterum exstruentur, cum suis titulis, iuribus, emolumentis, atque oneribus accuratè describantur; facultate etiam illa in eum ipsum librum relata. Ideoque qui ità exstruxerit; & Rector Ecclesiæ Cancellario Episcopali, mensis spacio, ædificationem iam absolutam, denunciet.

De Lampadibus, Lampadariouè.

SVMMARIVM.

1 Lampades cuius metalli.
2 Earum, quæ forma.
3 Lampadarij formæ tres; prima qualis.
4 Secunda qualis.
5 Tertia qualis.
6 Lampadarium pluribus, & imparibus constet lampadibus.
7 Lampadarij eiusdem, lampadisuè qui locus.
8 Lampades frequenter abstergendæ.

Instr.fabr. De lampad. lampadarieuè. 1 DE lampadibus verò, & lampadario pensili, quo quo illæ appensæ in conspectu sanctissimi sacramenti, & sacrarum reliquiarum, uel imaginum, sustinentur, instructionis locus hic erit.

Primo lampades, pro Ecclesiarum ratione, & dignitate, ex argento, aut auricalcho, prout ei Ecclesiasticæ consuetudinis, esse possunt: sicut etiam ex auro etiam confectas, in Basilicis maioribus adhibitas esse animaduertimus, adiuncto, & collocato intus Vasculo illo uitreo ad lychni vsum.

At in locis Alpinis, frigore rigentibus, ubi in hyeme ob gelu uasa uitrea sæpè confringuntur; uascula ærea, intus in lampadibus collocata adhiberi licebit.

4. De Eccles. fabrica. Lampas è vitro constet; nisi è ferro, aut stanno constare aliquando necesse sit, vt in locis Alpinis accidit, alijsque vbi ob frigoris rigorem vitrum frangitur: vtraque autem auricalche opere omninò decorè tegatur.

Inst.fab.Ibid. De forma cãpa. 2 Lampadum forma, cùm multiplex esse possit, prout temporum cursus tulit, nulla quidem improbatur, modo cum Ecclesiæ consuetudine conueniat: at illæ tamen forma oblonga, olim usu frequentatæ ualde probantur; quæ scilicet à summa, imàque parte amplè patent, in medio que angustè conflatæ, quasi nodo quodam concluduntur, à summo labro tribus cathenulis eiusdem metalli appenduntur.

3 Lampadarium autem instrumentum, quo lampades pensiles certo numero sustinentur, in orbem ductum, & altè paululum exstructum instar turris, multis delphinis ad lampadum sustentationem constans, esse potest; cuius generis lampadaria antiqua fuisse constat, quæ phara cantharaque nominantur. Idque lampadarij genus in Ecclesijs insignioribus adhiberi decens erit; præsertim ex auricalcho ornatè confectum.

Alterum

4 Alterum lampadarium, è paruula trabe, benè firma, esse potest, totum artificiosè inauratum, & coronicibus decenter ornatum; delphinos etiam, ut ueteris olim usus fuit, ligneos in summa parte ad ornati speciem habere poterit. Id autem tanta longitudine sit, quantam lampadum numerus requirit, quæ ad luminis usum adhibentur.

5 Tercia lampadarij species adhibetur, quæ trianguli formam exhibet. Hæcque in usu esse potest, ubi tres Lampades pensiles adhibentur.

Lampadario in longitudinem ducto, tres, uel quinque lampades in minoribus Ecclesijs affigantur, in maioribus septem, uel tredecim.

Hæque ordine rectè collocatæ, dimidio ferè cubito inter se distent.

6 Lampadario in orbem ducto, & instar turris, columnæuè erecto, plures lampades, pro illius fabricæ ratione, affigi possunt. Inst fab. Ibid De numero lampadum.

At in omni lampadario cautio sit, ut lampades impares sint.

7 Omne verò lampadarium, ex una etiam lampade constans, non à latere, sed è regione, conspectuuè Altaris, aut sacrarum reliquiarum, aut sacræ imaginis, ut suprà, appensum, & ad præscriptum distans, recta constituatur, ductorio funiculo adiuncto. Ibid. De loco lampadarij.

Tàm longè autem appensum, ab Altaris scabello distet; ut si fortè aliquando stillans est, non inquietetur olei stilla Sacerdos, aut Clericus, dum initio Missæ vterque in imo scabelli gradu est; rursusque à pauimento Ecclesiæ in altum non minus septem cubitis ducatur, amplius uerò pro ratione Ecclesiæ.

E lampadibus, cùm una solum, quæ colluceat, accendenda est; illa in medio collocata, tantum accendatur.

Lampas, quocumque in Altari collocata sit, non à latere, sed è regione posita colluceat. 4. De Eccles. fabrica.

8 Frequenter autem abstergantur lampades, vt nitidę, ac perlucidę, & ab omni sorde mundę appareant. 4. Ibid.

De Sacrario.

SVMMARIVM.

1 Sacrarium quibus in Ecclesijs exstruendum.
2 Et ubi accommodandum. & De Ecclesiarum fabrica. nu. 25.
3 Sacrarij formæ duæ: prima qualis.
4 Eiusdem secunda forma qualis.

Sacra-

Inst. fab. lib. 1. c. 19. De Sacrario.

1 SAcrarium igitur præter illud, *quod cum Baptisterio iunctum est, alterum etiam, quod aliis usibus in Ecclesia esse debet, in omni Cathedrali Præposituali, Archipresbyterali, Parochiali, & alia quauis Ecclesia, in qua Missa aliquando celebratur, exstruatur ad vnius, vel alterius formæ, quæ sequitur, præscriptæ modum.*

2 Idque in Capella maiori, *si commodè potest, neque ullum impedimentum præbet, vel alio Ecclesiæ loco, qui Sacristiæ propior sit, eiusque usui accommodatior, à populi autem conspectu remotior; vel in ipsa potius Sacristia, si hæc ampla sit, ac præsertim si Ecclesia frequentior, eiusque Clerus multus.*

Inst. fab. Ibid. Sacrarij prima forma.

3 Sacrarij prima forma hæc sit, *ut vas scilicet è marmore, lapideue solido fiat, instarque fontis Baptismalis concauetur: longè patens sit cubitum vnum; latè vncias sexdecim: forma rotunda, vel ouata, uel quadrata, alianè, quæ minus situm impediat.*

In medio fundo concauo foramen habeat forma quadrata; quod largè ab omni parte pateat vncias circiter quinque, suffulciatur columella quadrata, alianè pro ratione vasis, suppositа parvula basi: ità vt ab Ecclesiæ pauimento, vsque ad summum eius labrum, altè exstructum sit cubitis duobus.

Habeat sub foramine paruulum tubulum, aquæductumue, in media columella effossum, scalptumue: qui quadrata etiam forma amplè itidem pateat vncias quinque vt per eam aquæ, cineres, aliaque id generis, quæ effundentur, aut proijcientur, deorsum effluant.

Infrà hunc tubulum, aquæductumue cisterna suffodiatur, in quam quæcumque effusa, proiectaue erunt, recipiantur.

Id sacrarium integumento operiatur: quod ex tabulis nuceis sit, atque eiusmodi, ut à parte superiori sensim leni accliuitate, quasi pyramidis instar, emineat: claudatur atem firmissimè pessulo, sera, & clauc.

Inst. Ibid. Sac. for. secun.

4 Altera præterea *sacrarij forma hæc erit. Fenestella in pariete, vncijs viginti, uel cubito, prout illius crassitudo est, concaua exstruatur, quæ cubito etiam uno, ac paulò amplius latè pateat: alta uerò sit cubito item vno, & dimidio.*

Ab Ecclesiæ pauimento in altitudinem exstruatur cubitis circiter duobus.

Cuius fenestellæ solum è solido lapide, eoque concauo sit, in quo foramen insit, vt suprà.

Forma amplè quadrata: tùm aquæductus, & subtus item suffossa cisterna nulla; valuulis suis, sera, & clauc occludatur.

De

De Sacristia Cathedralis, Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ.

SVMMARIVM.

1 Sacristia quibus in Ecclesijs, & qua magnitudine; quaque distantia ab Altari maiori exstruenda. 3.
2 Sacristiæ duæ, vbi ædificandæ.
4 Situs eiusdem vbi deligendus.
5 Fenestras quot, & quales habeat.
6 Pauimentum qualis structuræ.
7 Ostium vbi fabricandum, & quibus valuis.
8 Valuæ aliæ, vbi & qualiter componendæ.
In Sacristia vnaquaque adsint, quæ sequuntur.
9 Imago, & Altare instructum; & ad quem vsum.
10 Oratorium, & cuiusmodi: Tabellaque orationum.
11 Vas lauandis manibus, & quale.
12 Mantile, seu Manutergium, & quale: quotque alia. nu. 25.
13 Armarium, seu Vestiarium } in quo vestes, ornamenta, libri, &c. asseruantur: & cuiusmodi.
14 Longuria ad exponendas sacras vestes: & qualia.
15 Armarium pro libris ecclesiasticis
16 Armarium pro scripturis.
17 Armarium pro certis libris Parochialibus & scriptis alijs ad animarũ curã pertinent. } custodiendis & quo modo confecta.
18 Armaria singula, singulis clauibus munienda.
19 Armarium solum, quando eorũ trium loco conficiendum: & qualiter.
20 Vestiarium insignius quibus in Sacristijs collocandũ, & cuius formæ.
21 Armarium Capsæue } pro Canonicalibus indumentis reponendis.
22 Supellex Ecclesiastica ad domesticum profanumue, & ad quem alium vsum non adhibenda: ea non commodanda; vt non exponenda: à quibus non contrectanda; & de Missis sine cantu nu. 41.
23 Supellectilis mũditiæ vt cõsulatur, regulæ instructionũ instar edẽdæ.
24 Idque Metropolitani cura.
25 Sacristia { Cathedralis, Collegiatæ, Parochialis } quam supellectilem, & qualẽ, quotuplicemq; quas tabellas, & cuius formæ: quos libros, quæq; instrumẽta, & cuius formæ habeat, vltrà ea, q̃ diuersis titulis; præcipuè, Tit. de supel. Missarum, & c. Episcopalium. Tit. de Supellectile, quæ Canonicis &c. Tit. de Supellectile Ecclesiæ Paroch.

26 *In Sacristia silentium seruandum.*
27 *Illam laici non ingrediantur.*
Sacristæ officium quale. De Ministris Eccl. 35.

1 DE ædificijs prætereà adiunctis, Sacristiæ ædificatio vna, ac præcipua etiam est: de quâ instructionem hoc loco breuiter conteximus.

Inst. fab. Eccli. 1. c. 27. De Sacristia.

Porrò Sacristia, quæ ab antiquis camera aliquando, & secretarium item dicitur, locus scilicet, vbi sacra supellex recondebatur, in omni tuiusuis generis Ecclesia exstruatur: quæ pro Cathedralis Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ magnitudine, & pro numero ministrorum, proque copia sacræ supellectilis, ampla sit, atque eiusmodi, vt paulò longius pateat.

2 Nec verò inprobatur vsus duarum Sacristiarum in insignioribus, & frequentioribus Ecclesijs: quarum vna Capitulo, & Chori supellectili; altera Sacerdotibus Capellanis, & reliquis Ecclesiæ ministris, ac reliquæ supellectili, vsui sit.

3 Ab Capella, Altariuè maiori tantum interesit, vt Sacerdos, Missæ Sacrum solemniter facturus, cum illis, qui ei ministraturi sunt, inde processionaliter ad Altare, ordine progredi possit, vt antiqui moris est, cum mysterij significatione.

In cæteris Parochialibus, & alijs inferioribus Ecclesijs, commodi causa, permitti poterit Episcopi iudicio, vt Sacristia à Capella, Altariuè maiori minus absit; tùm verò curandum erit, vt à domicilio Parochi non valde distet.

Inst. Ibid. De situ Sacristiæ & feneſt.

4 Omnis autem Sacristia ad Orientem, & ad Meridiem versùs, quò ad eius fieri potest, omninò spectet.

Ità verò construatur, vt illius substructione, luminibus eiusdem Capellæ maioris non obstruatur.

Ibid.

5 Fenestras duas, pluresuè habeat, easque vbi potest, è regione sibi respondentes, ac præsertim à dextro, & à sinistro latere; ut, cùm habeat, vnde aer exeat, eius locus non humidus sit, neque vliginosus; sed, si quæ vligo est, inde, aliquando patefactis fenestris, foras se det.

Quæ fenestræ duplicibus clathris ferreis, vel simplicibus saltem densioribus, & firmioribus sæpiantur, & muniantur; tùm etiam opere uitreo, & reti, vt in præscripto fenestrarum Ecclesiæ demonstratum est.

Contecta verò sit opere fornicato, aut saltem laqueato.

Ibid. De Pauimento Sacristiæ.

6 Pauimentum habeat non tabulis constructum; sed eiusmodi, quod subtus paruulis fornicibus constans, totum ample fornicatum ab humo altius aliquanto, vbi potest, præ humiditate, exstruatur; nè indumenta sacra ob loci,

ob loci, situsuè vliginem putrescant, aut corrumpantur. Cui rei, quò cautius prouideatur; extrinsecus etiam terra congesta, parieti adhærens, acstillicidia item, quæ humiditatem gignunt, inde procul amoueantur; tùm solum prætereà exterius statuminetur, ruderibusq; & calce solidetur.

7 Ostium Sacristiæ huiusmodi sit, cuius aditus non in Capellam maiorem, nisi in Ecclesijs minùs insignibus secùs permittendum Episcopus duxerit; sed, in locum publicum, nempè ingremium Ecclesiæ recta pateat. Benè autem sæptum sit firmissimis valuis, pessulo solido, sera, & claue itidem firma. Ibid. De ostio Sacristiæ.

8 Ostij valuis, è regione aliæ valuæ tenuiores, extrinsecùs, aut intrinsecùs respondeant: quæ à parte inferiori tabulis sectilibus, à superiori tela cõfectæ, laicis aditum, & aspectum in Sacristiam præcludant: cæq; pondere graui appenso, per se pessulo, artificiosè confecto, claudantur.

Quibus in valuis tenuioribus à parte superiori paruulam feneſtellam eamque clathratam, exstrui non vetatur: quæ, perpetuò intrinsecùs clausa, non aperiantur; nisi, cùm aliquid è Sacristia petentibus, inde responsum datur.

9 In omni Sacristia, loco magis conspicuo sit sacra icona; tùm etiam, si amplitudo Sacristiæ patiatur, Altare, vel mensa, armariumuè, quod formam Altaris præbeat, instructum Cruce, candelabris, mappaque constratum; apud quod Sacerdotes celebraturi sacris vestibus induantur. Ibid. De loco sacrę imag. & Altaris in Sacrist.

10 Sit prætereà Oratorium ab aliqua Sacristiæ parte, siuè foris prominens, siue intus, decenti loco: idque instar paruuli cubiculi, quo Sacerdos, Missæ sacrum facturus, se recipiat; ibiq; sese colligens, paulisper meditetur, & oret. Proinde tùm Altare paruum sit, in quo proposita Crucifixi effigie, aut alia pia imagine, sanctè precetur; tum scabellum, ubi orando genua flectat. Ibid. De Oratorio, aut Altari in Sacristia.

Si verò Sacristia ita exigua, & angusta est, vt eiusmodi Oratorium habere nullo modo possit; ab aliquo eius latere, quod orationi commodius sit, scabellum saltem, seu bradella aptè loco, tela saltem, vel panno obducto, collocetur, vbi Sacerdos genua flectens, oret, affixa in pariete aliqua vt supra, imagine sacra.

Tùm præterea Oratorium separato, quantum possit, loco positum, atque disiunctum: vbi possit Sacerdos in solitudine se colligere, & orare, ante, & post Missæ celebrationem. 4. De Sacrist.

10 In Oratorio quocumque sit tabella, in qua orationes, ad Missæ sacrum præparatoriæ, descriptæ sint. Inst. Ibid. De tabella orationum.

Tabula etiam de orationibus, sacro unicuiq; indumento accõmodatis.

11 Vas prætereà aquarium, quod manibus abluendis vsui sit, è solido lapide fiat: cui papilla vna, aut, prout opus erit, plures infigantur. Ab inferiori parte, sinus aquarius concauus ad excipiendam aquam, quæ inde 4 De Sacrist. Inst. Ibid. De Vase Aquar.

effluit, è lapide item, marmore solido sit: foramenque habeat, vnde per fistulam aqua in paruulam cisternam subterraneam, vel alio deriuetur; vbi commodius sit, illam ab Sacristiæ pariete procul deducere.

Vbi verò redditus exiguus est, pro eo vase aquario, quod è solido marmore præscripsimus, si tuba adhiberi poterit appensa, cui papilla affixa instar gallinacei hæreat, vnde aqua ad ablutionis vsum sensim effluat, subiecto vt suprà, sinu aquario.

Sinus autem, & vas aquarium omninò, aut aliqua ex parte in parietis concauitate, quæ hemicycli exigui formam præbent, ornatè exstructum intus inhæreat; nè, si foris exstaret, Sacristiæ situm impediat.

12 Ad abstergendas manus linteum, vasi aquario proximum, ab opere, instrumentouè tornatili pendeat; idque candidum sit.

4. De Sacrist. Labellum item cum manutergio appenso ad manus abluendas, & abstergendas.

Inst. for. sup. lib. 2. De Mãtil. vsui abstterg. man. Mantilia, quæ abstergendis manibus vsui in Sacristia parantur, eo opere, quod Damascenum dicunt, confecta sint; tanta latitudine constent, quanta est propria telæ latitudo, longitudine verò cubitorum octo, aut plurium, pauciorumue pro loci altitudine, depressioneue. Hæc porrò mantilia tornatili ligno quod altem collocatum, beneficio ferri, quo trajicitur, circumuoluatur, extensa imponantur. Quorum mantilium capita extenus demissa sint, vt hominis stantis vsui esse possint; funiculis verò insertis hinc inde colligentur, vt per tornatile lignum circumduci queant.

Inst. fab. lib. 1. Ibid. De Armar. sacrorũ Indum. 13 Armarium prætereà amplum, in quo sacra indumenta asseruentur, ex tabulis nuceis conficiatur.

A pauimento Sacristiæ altè exstructum sit cubitis duobus, & vncijs quinque.

Capsulas ductiles habeat, easque distinctas, ac longè patentes, in quibus & pro colorum varietate indumenta sacra expansa, dispertitaque & ordine asseruentur.

Super eo prætereà armariola item, aut sub eo loculi ab illarum capsularum latere sint, separatim etiam exstructi: vbi sacri Calices, Patenæ, corporalia, purificatoria, vela, & alia id generis munda recte, atque accommodatè recondantur.

Ab altero latere loculi item: in quibus illa, quæ abluenda sunt, reponantur.

Claudatur hoc tum armarium, tum armariola valuulis politè, ac distinctè confectis, seris, & clauibus item distinctis.

Atque eiusmodi armaria totidem sint, quot multitudo sacræ supellectilis poscit.

4. De Sacrĩs. Primò Armarium, vel vestiarium vnum, plurave ad indumenta conseruanda; instructa, suis capsulis, aut loculis, aliove modo, opere

reue multipliciter, ordineque distincta, pro Ecclesiæ ratione, vel supellectilis copia.

Vestes autem sacræ, cæteraque ornamenta, volumina item Ecclesiæ vsui, ministerioque addicta, ac reliqua ecclesiastica supellex, & Parochiales item Codices in Sacristia certis armarijs, recte, atque ordine asseruentur. Neue verò sordibus, situ, squallore, puluereque obsordescant; sed, quò ad eius fieri potest, ab omni sorde, & inquinamento pura omnia, & singula sint ac integra: ac nullo prætereà modo lacera, sed sarcta, tecta, nec male compacta.

14 *Longuria etiam, politè confecta, funibus ductilibus, & trochlæis appensa in Sacristia sint: quibus sacra indumenta, prout vsu uenerit, exponantur, extendanturue.* Inst. Ibid. De longurijs ad vsum expon. sacras vestes.

15 *Alia prætereà armaria structura, quæ cæteris suprà præscriptis respondeat, fiant; unum scilicet, in quo libri ecclesiastici, ad psalmodiam, & alium Chori & Ecclesiæ usum pertinentes aptè conseruentur.*

16 *Alterum; in quo iura, instrumenta, & scripturæ omnes sint, ad ipsam Ecclesiam spectantes; idque ubi aptius, tutiusque Archiuium Ecclesia non habeat.*

17 *Tertium item si Ecclesia Parochialis sit, in quo certi libri Parochiales; scilicet matrimoniorum, & baptizatorum, confirmatorum, & alia eiusmodi seruentur; tùm etiam separato loco litteræ pontificiæ, edicta Episcopalia, litteræ Episcopi pastorales, quæ in dies promulgantur; tùm alia scripta, ad Ecclesiæ, uel animarum, Parochiali curæ commissarum, regimen spirituale spectantia.*

18 *Hæctria armaria singula singulis clauibus tutò claudantur.*

18 *Eorum autem loco, unum solum Armarium, locis tamen, pro librorum, scripturarumue ratione, intrinsecùs aptè distinctum, exstrui possit; ubi, uel codicum, scripturarumue paucitas, uel Ecclesiæ exiguitas, non duo, aut tria, ut suprà, requirit.*

20 *Vestiarium in Sacristijs insignioribus ex eodem genere esse potest: in quo preciosiora indumenta reconduntur. Longitudine sit pro Sacristiæ ratione: altitudine cubitorum circiter septem: profunditate duorum. Pars huius uestiarij inferior, duobus cubitis alta, capsulis ductilibus, loculisue constet: superior uerò à tergo angustius, à fronte aliquanto latius sensim patens, nullis loculis distincta sit: sed tota sine distinctione longè patens, habeat ab uno, & altero latere totidem pro uestiarij profunditate tenues asseres erectos, fibulisque ductilibus annexos, quibus singulis à superiori parte singula longuria, inferiori suffixo fulcimento sustentata, firmiter hæreant: unde sacra indumenta expansa pendeant.* Inst. Ibid. De vest. insignio ri.

21 *Si Cathedralis, uel Collegiata Ecclesia sit, habeat prætereà armaria pro asseruandis superpelliceis, cæterisque indumentis, quæ Canonici, &* Inst. Ibid. De Arm. indum. Canonicalium

alij Chori Ministri in Choro adhibere solent: uel eorum loco capsas decentes, circum Sacristiam sitas: quę usui etiam sint ad seruandum Capitulo, cum illud eo loci habetur.

1. De Ecclesijs & earum cultu.

22 Nemo ~vasa ~vestes, vel alia ornamenta, sacris addicta, aut omninò quidquam ex sacra supellectili profani hominibus, aut ad profanum ~vsum accommodare audeat: qui ità commodarit, grauiter arbitrio Ordinarij puniatur.

4. De Sacristia.

Caueant Ecclesiarum Rectores, alijve ministri, ne aulęa, peristromata, tapetia, aliaque supellectilis, & ornamentorum genera Ecclesię, aut Sacristię addicta ad domesticum usum ullo modo umquàm adhibeant: nec uerò alijs utenda dent. Vestes autem sacrę, aliaque indumenta, Missę, diuinorumque officiorum cultui dicata, in ~vulgus cuiquàm exposita ne sint; sed armario, vestiarioque inclusa, claue obseruentur; neque laicorum manibus contrectentur, vt antiquo Canone cautum est.

c. vestimenta de cons. d. 1.

5. De Ecclesijs, earũ sup. & fruct.

25 Vt in omni Ecclesia, Altari, Sacristia, omnique sacra supellectile inter munditiaque eluceat; id quod etiam Innocentius III. Pontif. in Concilio Lateranensi cauit, magna cura, & diligentia à Sacerdotibus, Clericis, alijsque Ecclesię Ministris adhibenda est. Quamobrem, quę de hoc genere toto, regulę, Cõcilij huius auctoritate, per nos enucleatè perscribentur, instar instructionum, eę ab omnibus, & singulis, quorum interest, ~vbi primum in vulgus edentur, accurato studio seruentur, atque inducantur in vsum. Quę sequuntur, videantur in Tit. De Missis sine cantu. 41.

6. Quę ad cultũ Eccl. pert.

24 Sacrarum rerum munditia diuinorum officiorum religioni debita, Ecclesiasticis sanctionibus cùm prępcepta sit, tùm decretis Prouincialibus generatim, ~vniuersèque renouata est, ut certis regulis editis speciatim diligentius pręscripta pro curę commissę officio, ab ijs, quorum interest, in omni Ecclesia seruetur, Metropolitani cura, auctoritateque eo de genere omni instructio diligenter ordine contexatur: atque ad vsum Prouincię edatur, quò magis rerum diuinarum cultus, supellectilisq; Ecclesiasticę nitor, vndique decorè, & religiosè colluceat.

25 *Sacristiæ* { *Cathedralis* / *Collegiatæ, &* / *Parochialis* } *Ecclesiæ supellex eadem, & formæ eiusdẽ est; differens tantũ eo in numero, quo suo quoq; loco infra sigillatim dicetur.*

Instr. sup. Eccles. lib. 2. de sup. Sacristiæ Cath. Coll. & Paroc.

Instrumenta ferrea ad vsum conficiendi hostias; in Cathedrali duo; in Collegiata vnum; in Parochiali nullum.
Vasculum vnum, pro asseruandis hostijs magnis.
Vasculum item vnum pro ostijs paruis.
Capsulæ corporalium, binæ.
Sacculi Calicis duo.

Sacris-

Sacculus Pixidis.

Thecæ calicum numero tot, quot sunt Calices.

Mantilia grandia, appendenda, vbi manus lauantur: in Cathedrali 12. in Collegiata octo: in Parochiali quinque.

Mappæ ad vsum Altaris Sacristiæ; in Cathedrali quinque, in Collegiata & Parochiali tres.

Tapetia, sternenda, vbi Sacerdos se induit; in Cathedrali duo saltem, in Collegiata, & Parochiali vnum, aut eorum loco clathra lignea.

Tapetum decens paretur, quo is Sacristiæ locus sternatur, vbi Sacerdos sacrum facturus, se induit. Vbi verò præ inopia non potest, loco tapeti, tabulatum, instar clathrati operis, sit, à pauimento altè exstructum vnijs sex; ità tamen exiguis foraminibus quadratis, trium scilicet vnciarum tantum, plenum sit, vt stantis Sacerdotis pedes non offendat. Inst. for. sup. lib 2. De Tapeto &c.

Crepidarum mundarum paria tria in Cathedrali, & Collegiata, in Parochiali vnum. si quando opus est, calceos luto inquinatos deponi.

Tabellæ tõmunes { Cathedralis, Collegiatæ, Parochialis } Ecclesiæ Sacristiæ hic subsequuntur.

Tabella de sacris reliquijs in Basilica Cathedrali, Ecclesijsq; Collegiatis, & Parochialibus reconditis. De sanctorum Reliquijs, nu. 3. Inst. sup. Eccles. lib. 2. De Tabellis Sacristiæ Cath. Coll. & Par. Eccl.

Tabella Indulgentiarum eisdem Ecclesijs perpetuo concessarum. De Indulgentijs. nu. 7.

Tabellæ binæ in Cathedrali, & Collegiata, & Parochiali, vna de orationibus præparatorijs, ad vsum Sacerdotum, qui celebraturi sunt.

Tabellæ binæ in Cathedrali, Collegiataque Ecclesia, in Parochiali vna, orationum, quas pronunciant Sacerdotes, dum sacras vestes induunt. Suprà, nu. 10.

Tabella distributionis horarum pro Missis celebrandis. De Ministris Eccles. 31. & de Missa Parochiali, nu. 9. De Missis sine cantu, nu. . . .

Tabella præterea, de Missis, commemorationibus, funeralibus, & alijs eiusmodi officijs: quæ in singulas hebdomadas, certis statis diebus, vel ab vniuerso Capitulo, vel à Parocho, vel ab vniuerso Clero Ecclesiæ; vel ab vnoquoque Sacerdote Capellano in singulis Altaribus, Capellisue ex fundatione, institutioneue, aut legati; eleemosynæue nomine, aut aliqua alia obligatione præstari debent. De Ministris Eccl. 40.

Tabellam quoque appensam ad Concilij primi Prouincialis præscriptum; in qua Tabella, & Missæ, & Anniuersaria singula, ordine notata sint; quæ vel ab vniuerso illius Ecclesiæ Clero, vel ab vnoquoque in singulos dies, hebdomadasue peragi, præstariue debent. 4. De Sacristi.

Ac reliquas item tabellas, ex instructionum præscripto, aliasue,

Episcopi iussu confectas.

Tabella, quæ diptica dicitur, de singulis Episcopis, qui in Ecclesia Cathedrali, ordine præcesserunt. Pro quibus Episcopis in Missæ sacris aliquando precandum est.

4. De Sacristia. Sit in Sacristia item tabella, in qua singuli Episcopi, qui Ecclesiæ illi præfuerunt, notata temporum ratione descripti sint; vt frequentius Sacerdotes commeminerint pro illis preces, & Sacrificia offerre. De Iurisdict. Episc. nn. 12.

Tabella processionum, una. De Punctatorib. 32. & de Process. 16.

Tabella vna de distinctione officij simplicis, & duplicis, pro Romani ritus vsu: aut solemnis, & non solemnis, pro Ambrosiani instituti ratione. De diu. offic. 21. 22.

Tabella de certis statis horis diuinorum officiorum, & pulsationis campanarum. Ibid. 12.

Tabella colorum: in qua scilicet colores demonstrantur, qui singulis diebus, & sanctæ matris Ecclesiæ, instituto adhibentur.

Tabella Clericorum, qui eisdem Ecclesijs adscripti sunt. De Min. Eccl. 6.

Tabella de ijs, quæcumq; ad Ecclesiæ cultum, decorem, ac nitorem pertinent. Supra 23.

Tabella, de cauendis in Choro. De diu. offic. 78.

Tabellæ denique aliæ, numero plures, quæcumque de ritu, disciplinaue ecclesiastica edentur.

Tabella instar Calendarij, selectorum decretorum, sanctionum, Constitutionumq; tàm Pontificalium, quàm Episcopalium, quæ certis anni diebus euulgari debent. Eeq; in Cathedrali, & Parochiali, in Collegiata verò, si ibi cura animarum geratur; alias secùs. De iurisd. Episc. 9.

Tabella regularum de oratione quadraginta horarum.

Tabellæ duę, pluresue de diuersis orationibus, pro varietate temporum, vsui fidelium, ad eam orationem conuenientium. De oratione Quarant. hor. 10.

Tabella de officijs Parochialibus: in Collegiata, si in ea animarum cura geratur; alias contrà. De Parochijs. 56.

Tabella Sacerdotum confessariorum in Collegiata si curata etiam sit. De confess. 31.

Tabellæ duæ excommunicationum; vna latino, altera vulgari sermone explicata; in Collegiata vbi etiam Curata sit. De Censuris. nu. 11.

Tabella excommunicatorum, & interdictorum. Ibid. nn. 7.

Tabella festorum dierum, qui ex præcepto, vel ex consuetudine, votoue coluntur; in Collegiata vbi animarum cura in ea exerceatur. De fest. dierum cultu. 36.

Tabellę proprię Cathedralis Ecclesię, sequuntur, videlicet

Tabella

Tabella de professione fidei. De profess. fid. 4.
Tabella de titulis, dignitatibus, Canonicatibus, prębendis, & reliquis beneficijs, officijsuè Ecclesię: hęc communis etiam est Collegiatę. De Minist. Eccl. 40.
Tabellę de Missis, officijsque diuinis, quę ab Episcopo ex decreto Prouincialis quarto, atque ex consuetudine Ecclesię solemniter peraguntur. De Missa, & vesp. Pont. j.
Tabella rursùs, perpetua de officijs, functionibusuè item perpetuis Archipresbyteri, Archidiaconi, & reliquorum singulorum, dignitates, Canonicatus, aut alia beneficia in Ecclesia Cathedrali obtinentium. De Ministris Eccl. 40.
Tabella vna, pluresuè perpetuę item de his officijs, vt potè.
De Officio Prefecti.
De Officio Magistri ceremoniarum.
De Officio Sacristę.
De Officio Mansionariorum.
De Officio Custodum.
Tabella hebdomadaria, eiusmodi officiorum. De Minist. Eccl. 31.
Tabellę proprię Collegiatę Ecclesię, subsequuntur.
Tabella de Titulis, dignitatibus, &c. vt suprà.
Tabella vna, pluresuè perpetuę de muneribus, functionibusuè Prepositi, aut Archipresbyteri, aut Decani, aut alterius, qui in Ecclesia Collegiata primarium locum tenet; & reliquorum etiam singulorum Canonicatus, dignitates, officiauè in eadem Ecclesia obtinentium.
Tabella item vna, pluresuè perpetuę item de his officijs vt potè,
De Officio Sacristę.
De Officio Custodum, aliorumuè id generis.
Tabella hebdomadaria eiusmodi officiorum. vt supra. De Ministris Eccl. 31.
Tabellę communes Cathedrali, & Collegiatis Ecclesijs, sequuntur.
Tabella de statutis Canonicalibus, Capitularibusuè.
Tabella triplex regularum de Punctationibus. De Punctatorib. 3.
Tabella de regulis Capitulorum, congregationumuè Canonicalium Sacerdotalium, & Clericalium.
Tabella de functionibus minorum & maiorum ordinum. vt suprà.
Tabella statorum dierum, quibus decreta, vel Canonicali, vel Clericali disciplina ex Constitutione Prouinciali legenda sunt. Quę ad capitula pert. nu. . . .
Tabellę proprię Parochialis Ecclesię, hic sequuntur.
Tabella de Capellis, titulis, Altaribusque eiusdem Ecclesię. De Eccl. fabrica. 76.

Tabella

Tabella officiorum Parochialium. De Parochijs. 56.
Tabella, regularum de Punctationibus.
Tabella de regulis congregationum Sacerdotalium, & Clericalium.
Tabella de Votis, pijsuè consuetudinibus loci, oppidiuè Parochialis. De *fest. dier. cultu. 30.*
Tabella commemorationis eorum qui eleemosynas obtulerunt pro Missis celebrandis. De Missis sine cantu. 27.
Tabella legatorum, & debitorum decimarum. Quæ pert. ad bonorum, &c. 33.

Inst. for. sup. De Tabellis, &c. lib. 2. *Tabellæ, quæ multiplices, uariæque suprà præscriptæ, in Sacristia affiguntur, non querneæ, non nuceæ, neque denique è ligno subobscuro sint, sed ex abiete, aliauè id genetis arbore albicante, ut nè litterarum paginæ, quæ illis agglutinabuntur, reddantur obscuriores, sed illustres potius ex albedine ligni, cui affiguntur. Ad quarum tabellarum ornatum coronices ab omni parte adhibeantur, eæque expolitæ, aut præclarè pictæ, aut etiam inauratæ, pro ratione paginarum, quæ ipsis tabellis affigentur.*

Libri etiam Communes { *Cathedralis, Collegiatæ, Cũ cura animarũ, Parochialisque* } *Ecclesiæ Sacristiæ, hic ordine notãtur.*

Inst. sup. Ecc. lib. 2. *Liber anniuersarius, isque unus de sacerdotibus celebrantibus in quo scilicet libro, sua manu notent, subscribantuè Sacerdotes, qui singulis diebus in ea Ecclesia Missæ Sacrum fecerint. De Missis sine cantu. 22.*
Liber rursus, idemque anniuersarius de Punctationibus Sacerdotum, qui non celebrarint, Ibidem. 23.
Liber item anniuersariorum, quæ quotannis celebrata sunt.
Liber, seu volumen vnum constitutionum variarum Pontificalium quæ in singulos annos editæ sunt, atque edentur in posterum. De Iurisdict. Episc. 5.
Liber item vnus, seu volumen decretorum, edictorum, & aliarum id generis sanctionum Episcopalium. Ibid. nu. 8.
Bibliorum sacrorum volumen vnum.
Concilij Tridentini volumen vnum.
Concilij Prouincialis vniuscuiusque Mediolanensis, volumen vnum.
Synodi uniuscuiusque diœcesanæ volumen vnum.
Liber, seu exemplum vnum decretorum visitationis Apostolicæ.
Liber etiam unus harum instructionum.
Liber historiæ probatæ de Reliquijs Sacris, in Ecclesia reconditis. De sanctorum Reliquijs. 35.
Liber Canonum pœnitentialium.
Liber de Baptizatis. Quæ pert. ad sacr. Bapt. 30.

Liber

Liber de confirmatis. Quæ pert. ad sacr. confir. 33.
Liber de matrimonio iunctis. Quæ ad sacr. Matr. pert. 50.
Liber de statu animarum. De diligen. adhib. in statu vniuscuiusque Parochiæ cognoscen. 3.
Liber de votis, & pijs consuetudinib. De fest. dier. cultu. 27.
Liber distributionis eleemosynarum factæ quotannis adhibito Parocho. De piorum locor. admin. 47.
Liber formularum de denunciationibus dierum festorum, & omnis cuiuscumque generis, ad Parochi munus pertinentis.
Liber seu uolumina litterarum, & institutionum pastoralium de solemnitatibus, de sacris temporibus, & alijs.
Liber, consecrationum Ecclesiarum, Altarium, Cæmiteriorum, & Campanarum benedictionum. De Eccl. consecr. 6.
In Cathedralis Ecclesiæ Sacristia tantum sint formæ, seu designationes baptisterij, Sacrarij, Reliquiarij, & aliarum omnium singularumq; rerum, operumue, quæ his duobus institutionum libris commostratæ sunt.
Baptisterij, Sacrarij, tabernaculi, lunulæ, vestium, aliarumque eiusmodi rerum forma, institutionum nostrarum libro demonstrata, in omni Ecclasiæ Cathedralis Sacristia ponatur; ad cuius similitudinem reliquæ, quæ in alijs Ecclesijs adhibentur rectè confici possint. 4. De Sacrist.
Liber item de peregrinis, Paschæ tempore in Ecclesia Cathedrali sacram Communionem sumentibus. De sanctæ Euch. in Eccl. admin. 4.

Libri cõmunes { Cathedralis & Collegiatæ, quę caput plebis sit } Ecclesiæ Sacristiæ hi sunt.

Liber vnus de distributione sacrorum oleorum.
Corpus vnum iuris Canonici.
Libri proprij Parochialis Ecclesiæ Sacristiæ tantum, hi quoque sunt.
Liber descriptionis bonorum, & iurium Ecclesiæ.
Liber de vita sancti Patroni Parochialis Ecclesiæ. De fest. dier. cultu. 34.
Supellex instrumentalis Cathedralis, Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ, est quæ sequitur.
Tripodes cum suis patellis, vasibusue focarijs, in Cathedrali tres; in Collegiata, duo; in Parochiali vnus.
Forcipes ferrei; in Cathedrali tres; in Collegiata duo, in Parochiali vnus.
Cochlearia ferrea; in Cathedrali; Collegiata, & Parochiali totidem, quot forcipes.
Vasa olearia maiora, ad vsum olei lampadum recondendi, in Cathedrali, tria; in Collegiata duo; in Parochiali unum.
Vasa minora, quæ gutti dicuntur, ad illum ipsum usum; in Cathedrali, Collegiata

legiata, & Parochiali totidem.

Infundibula, & vasa duo in Cathedrali, & Collegiata; in Parochiali verò vnum, ad olei, è vase maiusculo depromendi; rursusque in alterum minusculum infundendi vsum.

Inst. for. sup. *Forma eiusdem supellectilis instrumentalis est, prout infrà.*

lb. 2. De alt. sup. Instr. *Tripus ad thuris adolendi vsum, cum Missæ, & vesperæ solemniter fiunt, è Patella, aut vase focario constet: in quo ignis, prunauè accensa teneatur: è ferro autem, aut ex auricalcho fit. Cui tripodi adiungatur etiam cochleare cum manubrio adunco, & forcipe ad prunas excipiendas.*

Vasa, in quibus oleum ad vsum lampadum recondetur, è lapide sint, aut è querno saltem ligno; operculis item constent aptè compositis.

Guttus olearius, in quem scilicet è vasibus oleum infunditur, e stanno, aut saltem ex ferrea lamina tenui confectus, ore satis patulo sit; è quo oscillum excitetur rostri instar, per quod tenui fluxione oleum in lampades transeat.

Infundibulum eiusmodi sit, quo oleum ex vasibus lapideis quemcunè haustum, in guttum effundatur: cuius infundibuli manubrium extremum reflexum sit, vt appendi possit.

Scopulæ paruulæ ex cannulis palustribus, ad detersionis vsum in Cathedrali decem; in Collegiata sex; in Parochiali quattuor.

Scopæ maiores, in Cathedrali, & Collegiata quinque, in Parochiali duæ.

Scalæ gestatoriæ; quarum vna altior sit, in Cathedrali tres, in Collegiata, & Parochiali duæ.

Ligones, in Cathedrali tres, in Collegiata, & Parochiali duo.

Batilla totidem.

Hastilia, seu perticæ in Cathedrali, & Collegiata quinque, in Parochiali duo.

Longuria totidem, pluraue.

Spongiæ grandiusculæ, in Cathedrali quattuor, in Collegiata duæ, in Parochiali vna.

Rutra, in Cathedrali, & Collegiata duo; in Parochiali vnum.

Vbi autem prædicta instrumenta asseruentur, videatur Tit. de loco, vbi feretra, & cætera id generis asseruentur, post tit. de Cœmiterijs.

4. De Sacrist. 26 In Sacristia ipsa silentium seruetur accuratè; neque in eam pateat aditus laicis, nisi necessariò.

1. De off. Sacristæ. Laicos ibidem versari ne patiatur Sacrista.

De Vase aquæ Sanctæ.

SVB

SVMMARIVM.

1 Vas aquæ Sanctæ è qua materia conficiendum.
2 Vbi collocandum.
3 Aspergillum ei annectendum, & cuiusmodi.
4 Nullus ei adhæreat.
Aqua quando renouanda. De Sacramentalibus. 38.
Eiusdem aquæ aspersio à quo facienda, & quo tempore, in Parochianorum ędibus. Ibid. 39.

1 HActenus de sacrario, & alijs; nunc de aquæ Sanctæ labro vasculè: quod è marmore, lapideuè solido, non spongioso, ac sine vimis sit: columellæque scapo, decenter elaborato, suffulciatur. Inst. fab. lib. 1. c. 20. De Vasæ aquæ sanctæ.

2 Collocetur non foris, sed intus in Ecclesia; ità vt è conspectu ingredientium sit, à latere dextro, vbi potest.

Alterumque collocetur qua ingrediuntur viri; alterum, qua mulieres.

Parieti non inhærens, sed ab eo distans pro situs spacio: collumella, vt suprà, aut pila, baseque sustentetur: in qua nihil profanum appareat.

3 Aspergillum decens habeat, è labro cathenula appensum.

Quod, vel ex auricalcho, vel ex ebore, vel è ferro, politè tamen elaborato, vel ex alio genere, quod conueniat, conficiatur: à summa parte non è spongia constet, sed setis. E spongia autem esse potest; si in pilula ex argento, auricalcho, aut stanno vndique perforata illa includatur; prefixis extrinsecus setis.

Labrum, seu vas aquę benedictę intus in Ecclesia, non foris existat; atque ad ostium Ecclesię, à latere verò ingredientis, vbi potest, dextero. E marmore autem, lapideuè solido, non lateritio, neque spongioso constet: aspergillumque decens appensum habeat, non spongia, sed è setis confectum: aliaue forma, in earundem instructionum libro demonstrata. 4. De Ecclesię fabr.

4 Altaribus, fontibus baptismi, vel aquę benedictę nemo adhęrere audeat. 1. De Ecclesijs & earum cultu.

De Ambonibus.

SVMMARIVM.

1 Ambones quibus in Ecclesijs construendi, & ex qua materia, & vbi collocandi. 5.

Iique

2 Iique duo; & cui vsui.
3 Ambo vnus, vt sufficit.
4 Eiusdem inferior pars quibus deseruiat.

Inst. fab. Eccl. lib. 1. De ambonibus, & suggestum. c. 21.

1 HAbenda est quoque in Ecclesijs insignoribus, ac præsertim in Basilicis Cathedralibus ratio ambonum: quos, & magnos, & ornatè confectos, & tabulis marmoreis ornatos exstitisse, in Basilicis Romanis perspici licet, & alibi etiam æneis, calatis sacrarum imaginum opere expressis.

Ibid. De duobus Ambon.

2 Item duo pro Ecclesiarum magnitudine constitui possunt; vnus altius exstructus, de quo Euangelium; alter, de quo Epistola, lectioue sacræ scripturæ, in maioribus solemnitatibus pronuncietur. Hicque paulò depressior sit, quam ille, vnde Euangelium legitur.

Ibid. De uno Ambone.

3 Vnus etiam tantum Ambo, vt in multis Ecclesijs cernitur, esse potest; qui & Euangelij, & Epistolæ simul lectioni vsui sit: ità tamen vt in eo locus, vnde Euangelium recitatur, aliquanto eminentior sit; pars verò, vnde Epistola, aliquo gradu inferior sit.

4 Infima item pars sub ambone, vel alius locus inferior detur, vbi Cantoribus, Clericisuè spacium sit, vnde in solemnitatibus, certisque diebus de antiquo Ecclesiæ more stata Cantica, præsertim inter Epistolam, & Euangelium canant.

In Ambone, vbi potest, constituantur duo graduum ordines; vnus, quo fit ascensus ad Orientem versus; alter Occidentem spectans, quo fiat descensus.

Ibid. De situ Ambonum.

5 Si vnus tantum Ambo in Ecclesia constituendus sit; is à latere Euangelij statuatur. Si duo, vnus, vnde scilicet Epistola legitur, à latere Epistolæ; alter verò qui est Euangelij ab Euangelij latere constituatur; ità vt Diaconus, inde Euangelium legens, ad Meridionalem Ecclesiæ partem vertatur, ad quam viri conueniant.

Atque ij quidem è marmore lapideuè alio, confici debebunt; & ornari præterea aliquo piæ sculpturæ opere. Aut è lateritio lapide exædificari possint, exornari tamen eos decet laminis marmoreis, lapideisuè ornatè elaboratis, aut æneis, ijsque inauratis: quales hodie etiam visuntur.

De Suggestu.

SVMMARIVM.

1 Suggestus in Parochali exstruendus.
2 Qua materia, & forma.

Vbi

3 *Vbi constituendus.*
4 *Ad eius ornatum pallia Altaris non adhibenda.*
5 *Ornamenta illius paranda.*

1 IN vnaquaque Ecclesia Parochiali suggestus decenter, ad institutionum præscriptum exstruatur: vnde Parochus, alijuè concionatores sactã concionem, vel lectionem populo frequenti habere possint. 4. De Eccl. fab.

2 *In vnaquaque autem Ecclesia Parochiali, vbi Ambo constitui non possit; vnde, & Euangelium pronunciari, & sacra concio haberi possit, suggestus omninò, ex tabulis sectilibus, ijsque firmioribus, decenti opere, & forma ab eodem Euangelij latere exstruatur; vnde, & Euangelij lectio, & concio sacra haberi queat.* Inst. fabr. Eccles. lib. 1. c. 21. De sugg.

3 *Illud denique caueatur; vt cùm ambones, tùm suggestus in gremio Ecclesiæ, loco conspicuo; vnde, vel concionator, vel lector, ab omnibus, & conspici, & audiri possit, aptè collocati, ab Altari maiori, vt pro Ecclesiæ ratione fieri decorè potest, non longè admodum sint; quò Sacerdoti, vt decretum est, intrà Missarum solemnia concionanti, commodiori vsui esse queant.*

4 Ac nè ad suggesti quidem ornatum pallia Altarium vsui sint. 5. De Ecclesijs earũ sup. & fruct.

5 Curandum igitur erit, quàm citissimè per facultates Ecclesiæ fieri poterit, vt pro solemnium temporum, festorumque dierum ratione, ornamenta, suggestis ipsis propriè apposita comparentur.

De Capsulis Eleemosynarum.

SVMMARIVM.

1 *Capsulę eleemosynarum non collocandæ.* 4.
2 *Qua licentia permittendę: & vbi eo in casu accommodandę.* 4.
3 *Quot clauibus muniendę: & à quibus illæ asserendæ.*
Non ponendæ propè Altare indulgentiarum. De Indulgentijs. numc. 12.
Nec propè confessionale. De confessionali. nu 9.
Capsa eleemosynaria pro celebrandis Missis, vbi collocanda, & quis ei præficiendus. De Missis sine cantu, nu. 27.

4. De ornatu &c. sacr. locorum.

2 NE in Ecclesia, aut pro foribus eius, neue in Oratorijs, alioue sacro loco colligendæ eleemosynæ causa, nè ipsius quidem Ecclesiæ aut eius, fabricæ, Rectoris ue nomine, capsula, vasculum, mésa, aliudue eius generis, etiam extraordinarie, collocetur; aut iam collocatum, in posterum permittatur; nisi Episcopi concessu, litteris exarato: tuncque ei capsulæ, vel rei aliæ ad id paratæ, duæ claues apponantur, diuerso fabrili opere fabricatæ; quarum altera teneatur ab eo, quam Episcopus uominarit; altera ab ijs, quorum nomine eleemosyna colligetur. Si contrà fiet, pœna sit, arbitratu Episcopi, tùm eleemosyna collecta locis pijs addicatur illius item arbitrio.

4 Si quæ capsæ Episcopi concessu in Ecclesia constituentur, aut collocabuntur, in quas à fidelibus, vt plerisque in locis pietatis studio fit, vel frumentum, vel legumina, vel alia quæuis eleemosynæ nomine, conijciantur: eę nè intrà Capellę, Altarisue, quo fidelium, eiusmodi res offerentium, concursus fit, cancellos, aut clathra ferrea ita ponantur, vt ipsis fidelibus, eleemosynas collaturis, necesse sit cancellos ingredi.

De Tabulato ad vsum Ecclesiæ distinguendæ.

SVMMARIVM.

Vt viri separatim à mulieribus sint in Ecclesia, Tabulatum conficiendum. De religiosa in sacris locis conuersat. nu. 7.

1 *Tabulatum ipsum, quibus in Ecclesijs, qua earum parte, & qua forma constituendum.*

2 *A qua parte concio habenda, vt aptandum.*

3 *Audiendæ quoque Missæ causa, quomodo accommodandum.*

Inst. fab. Eccles. lib. 1. De tabulato ad vsum Ecclesiæ distinguendæ.

1 ET *quoniam, ex instituta antiqua, à beato Chrysostomo testificata consuetudine, & in plerisque huius Prouinciæ locis olim vsitata, in Ecclesia separatim à fœminis viri esse debent; forma, & modus distinctionis Ecclesiæ eiusmodi esse potest.*

In Ecclesia igitur, insigniori præsertim, à Capellæ maioris ingressu, vsque ad inuam maiorem, tabulatum, per medium Ecclesiæ gremium recta ductum, columellis ligneis solidis, quinque cubitorum spacio singulis inter se distantibus, in pauimentoque firmiter agglutinatis, affigitur; ac si tabulæ sectiles, ex quibus compactum est, aliquando amouendæ sunt, canalibus paruulis in vna-

quaque

quaque columella ab vno, & altera item latere excauatis, alioue modo confectis, totum altè committitur. Cuius tabulati altitudo cubitis circiter quinque exstruitur.

Ita verò in ianua maiori committatur, vt illam mediam diuidat; sicq; diuisa, ac distincta, partim viris, partim mulieribus ad Ecclesiam aditum, diuisim, distinctèque faciat.

Sint autem in tabulato ianuæ quædam certis locis perspicuis: quæ valuis, & pessulis clausæ, tunc solum aperiantur, cùm ab vna ad alteram partem transitum necessariò fieri opus est.

2 A qua parte autem concio habetur, quò facilius, commodiusque fideles concionatorem, conspiciant; tabulatum cum eo tempore demissius aliquantò extare debeat, à summa parte tabulis committatur, quæ fibulis ferreis annexæ, & hinc inde paruulis pessulis clausæ, cùm opus est, aperiri, & demitti possint, eiusdem fibulis appensæ.

3 Quibus etiam in Ecclesijs, aliquando necesse est, vt cum ab vna parte Missa celebratur, qui ab altera sunt, eidem Missæ sacro interstint; eadem ratio tabulati demittendi adhiberi poterit.

Fibulæ autem ad tabulati demittendi vsum, vt genibus flexis, fideles, à qua parte sunt, Sacerdotem, in altera celebrantem, prospiciant, à pauimento distent cubitis duobus; si ad concionis audiendæ vsum tantum sint, cubitis tribus.

De Sedilibus muliebribus, quas bradellas dicunt.

SVMMARIVM.

1 Sedilium, bradellarumue vsus prohibetur.
2 Communes quæ permittuntur.
3 Illeque quorum sumptu conficienda.
4 Earundem situs.
5 Forma, & numerus.
6 Bradellæ viris interdicuntur.
7 Sedilia qualia illis concedantur.
8 Vtque disponenda.

4. De ornatu &c. sacr. loc.

1 VT & Ecclesiarum nitori consulatur, & strepitibus, ac rixis, quæ ex sedium mulierum, quas bradellas vocant, in Ecclesijs collocatarum situ, existere sæpè solent, occurratur: vtque simul in ijs Ecclesijs, quæ præsertim angustæ admodum sunt, populi frequentiæ spacium maius detur: eæ sedes omnes, vbi constitutæ sunt, amoueantur: nec verò in posterum vllæ vmquàm collocentur.

2 Communes autem aliquas, easque humiles, simplici fabrili opere confectas, modo, & forma in nostrarum institutionum libro præscripta, collocari, constituique liceat, concessu Episcopi.

3 Eæque sedes cõmunes, aut confratriarum, quæ in Ecclesijs constitutæ sunt, sumptibus, aut pecunia à populo contributa, fieri poterunt; aut alia quauis ratione, quæ Episcopo potior videbitur.

Inst. fab. Ecc. lib. 1. De sedi lib. Mulieb. cap. 24.

4 *Quibus in Ecclesijs, Episcopus aliquem bradellarum vsum permittendum censuerit; earum forma sequens constituetur quæ in Ecclesia à parte mulierum collocatæ, cùm ad sedendum, tùm ad genua flectenda illis vsui erunt. Pars verò mulierum Septentrionalis sit; nisi quibus in Ecclesijs, pro ratione situs, aliauè causa, Episcopus aliter statuerit.*

5 *Asseres igitur, seu trabes paruulæ querneæ tres, crassitudine vnciarum quinque; longitudine cubitorum trium, & vnciarum sexdecim, altitudine vnciarum octo, in Ecclesiæ solo rectæ suppositæ, tribusque circiter cubitis singulæ inter se disiunctæ, tabulis sectilibus totidem, cuiusmodi generis sint, ijsque singulis latitudine vnciarum octo, æquali inter se spacio distantibus constratæ, vna scilicet in medio, reliquæ duæ in extremitatibus, bradellas humiles, easque tripartitas ità constituant; vt inde, cùm vsus venerit, nè impedimento sint, amoueri queant. Angustiores verò sint, vbi eas latiores loci situs non requirit. Atque hæc quidem forma bradellarum, quæ ab ea parte per Ecclesiæ longitudinem ductæ, singulæ cubito inter se distantes, totidem collocabuntur, quot pro Ecclesiæ amplitudine, Episcopus conceßerit.*

Sint autem procul omninò à Capella Altaris maioris, octo circiter cubitis, vel amplius pro Ecclesiæ ratione; à tabulato intermedio, spacio vnde latæ quattuor cubitis, pluribusuè pro magnitudine Ecclesiæ; ab altero latere, viæ etiam tantidem spacij. Nec verò propè vlla Altaria sint, sed paulò remotiora.

In medio autem bradellarum situ, via prætereà transuersalis sit, quæ tantundem pateat.

6 *A parte autem Ecclesiæ, quæ virorum est, nullæ bradellæ sint, quibus genua flectantur.*

7 *Si quæ verò sedilia conceduntur, ea, è tabulis item sectilibus confe-*

cta,

cta, forma oblonga sint; neque à tergo habeant longuria: quibus homines ab humeris nitantur: &, vel parietibus hærentia, vel intrà intercolumnij spacia recta potissimùm collocentur.

8 Et huiusmodi sint, quę geri, amoueriuè singula possint, prout vsu venerit: atque ità etiam, vt, Ecclesiæ impedimento non sint; atque ità, vt, qui sedent, à sanctissimo sacramento auersi non sint; neque rursùs Altaribus hæreant.

De Campanili.

SVMMARIVM.

1 Campanilis formæ duæ: prima qualis.
2 Altitudo.
3 Tabulata quot, & qualia.
4 Fenestræ quot, vbi, & quales.
5 Scalæ cuiusmodi.
6 Fastigij forma.
7 Ostium, vt muniendum.
8 Situs Campanilis.
Campanarum numerus, sequenti tit. edocetur, nu. 1. 2. 3. 4.
9 Horologium.
10 Campanilis, quæ secunda forma.
11 Campanilis loco, vbi pilę lateritiæ aptandæ.

1 ATque hæc quidem sunt, quæ ad interiorem Ecclesiæ fabricam, vsumuè pertinent: nunc aliqua sequuntur, quæ adiuncta Ecclesiæ sunt. Inst. fab. Ecc. lib. 1. De tur. cāp. & campanis. c. 25.

Ac primo loco de turri Campanarum, quam cāpanilem dicunt.

Vbi Campanarum causa turris exædificanda est; hæc mox infrà demonstrata seruari poterunt.

Sit turris campanarum, quadrata forma, aut alia, vt pro ratione Ecclesiæ, lociuè, Architecto videbitur.

1 In altum exstruatur, illius iudicio, pro amplitudine item Ecclesiæ.

3 Habeat tabulata, quot idem iudicarit: imum autem fornicatum, reliqua superiora ex assulis firmis confecta, & summum opere item fornicato. Ibid. de tabulatis.

4 Fenestras in singulis tabulatis habeat: quæ ab omni parte exstru- Ibid. De fenestris.

ctæ, longiusculæ sint; elegantioremque formam pro structuræ modo exhibeant.

Quæ autem in summo tabulato columellis, aut pilastratis distinctæ, ab omni latere potentiores sint: aut alia forma, de Architecti consilio, pro ædificij ratione.

Ibid. De scalis. 5 Scalas pro ædificationis item modo, vbi potest, cochlidas, aut alia forma; easque vel lapideas, vel ligneas: quibus ad campanarum locum ascensus commodus sit, neque periculosus.

Ibid. De fastigio. 6 Fastigium non triangulum, sed circulatum, & pyramidale: in cuius summo, vt mysterij ratio postulat, galli effigies, firmissimè affixa, Crucem erectam sustinere poterit.

Ibi. de ostio. 7 Ostium valuis firmis, pessulis & claue benè munitum; vt perpetuò clausum esse possit; nisi cùm opus est campanis pulsari.

Ibid. de loco campanilis. 8 Exstruatur autem hæc turris in capite atrij, porticusuè, quæ foribus Ecclesiæ proxima est: vbi verò atrium non est; à manu dextera ingredientis, atque ità ab omni alio pariete disiunctum, vt circuiri possit.

Ibid. De horologio. 9 In qua turri præterea horologium, pro ædificij forma, artificioso opere confectum, collocari conuenit: ità vt horæ cuiusque ratio, intus campanæ sono, foris stellæ effigie, quæ in orbem ducatur, perspicuo loco constituta, significetur.

Ibid. de altera forma campanilis. 10 Hæ, suprà demonstratæ regulæ, de turris forma, deque horologio locum habeant in Ecclesijs insignioribus.

Vbi verò loci situs, & facultatum tenuitas turrim campanilem tanti sumptus fieri non patiatur; in Ecclesiæ angulo, à dextera ingredientis, extrà tamen Ecclesiam prominens, non longè à ianua exstrui potest; forma, quæ de Architecti consilio probabitur; ità tamen, vt in ea ostium insit, intus ab Ecclesiæ parte, non foris exstructum; & valuis, fenaque vt suprà, munitum.

Ibid. de pilis lateritijs pro campanili. 11 Vbi autem ea est facultatum angustia, vt campanarum turris nulla quidem exstrui queat: interim, dùm facultas sit; pilæ lateritiæ in summo pariete hærentes, eæque arcuatæ fieri possunt; vnde campanæ appendantur. Qua in re videndum est; vt apto loco constituantur; atque ità vt funes earum tractorij, nè in Capella maiori, vllaue alia, aut in medio Ecclesiæ ostio, aut alio eiusmodi loco pendeant: idemque per tubum ligneum, in fornice insertum, ducti, tractiuè fornicatum opus, ne sensim diruant.

De Campanis.

SVM-

SVMMARIVM.

1 Campanæ Cathedralis Ecclesiæ campanilis septem, vel quinque.
2 Collegiatæ, tres, & quales.
3 Parochialis tres, vel duæ, & quales.
4 Simplicis Ecclesiæ, Oratoriuè } vna.
5 Nihil profani ijs insculpatur.
6 Non adhibendæ ante benedictionem. nu. 7.
In ijs benedicendis, exponenda benedictionis virtus. De Sacramentalibus. 9.
In Ecclesia, cœmiterio, vel Oratorio non conflandum. De profano vsu à sac. loc. toll. 15.
Pulsandis ijsdem tempus, & ratio præscribenda. De diu. off 12.
8 Campanæ sonitu præmonendus populus ad prosequendum sacram Eucharistiam.
Diuina officia significanda. De diu. off.
9 Earum vsus ad supplicij significationem non adhibendus.
Liber benedictionis campanarum conficiendus, & vbi asseruandus. De Eccl. confect. nu. 6.

1 2 3 HÆc turris, si Ecclesiæ Cathedralis est, septem, aut quinque ad minimum campanas; si Collegiatæ, tres; grandiorē scilicet, mediam, & minimam; si Parochialis, totidem, aut duas saltem habere debet; easque distinctio quodam soni concentu, inter se rectè consentientes, pro varia diuinorum officiorum, quæ fiunt, ratione, ac significatione. Inst. fabr. Eccles. lib. 1. c. 25. De numero camp.

Parochialis Ecclesia, si campanas tres, grandiorem scilicet, mediam & minimam habere non possit, saltem duas, vbi fieri potest, habeat, easq; distincto soni concentu inter se rectè consentientes, pro varia diuinorum officiorum, quæ fiunt, ratione, & significatione. 4. De Cāpanis.

4 Simplex Ecclesia, Oratoriumuè, vnam tantum campanulam habeat, vt Ioannis XXII. Pont. Constitutione sancitum est.

5 Campanis autem ipsis res nulla profana deinceps insculpatur, inscribaturuè; sed Crux, & sacra aliqua imago, vtpotè sancti Patroni Ecclesiæ; piauè inscriptio.

Illæ præterea nè rem vllam profanam insculptam, inscriptamuè vllo modo habeant; sed sancti Patroni Ecclesiæ, aliamuè sacram imaginem, piamque inscriptionem. Inst. vt suprà De Cāp. benedict. &c.

Ibid. 6 *Campanæ neque in turri, neque alio loco collocandæ sunt; nisi prius eæ solemni benedictionis, precumque ritu, ex Ecclesiæ instituto consecratæ: cuius consecrationis monimentum aliquo loco turris, vel Ecclesiæ, consignetur.*

4. Ibidem. 7 Neque rursùs eæ in turrim campanilem sustollantur, antequam ab Episcopo ritè precibus, ac benedictione consecratæ sint.

4. Quæ pert. ad sac. s. Euc. 8 Cùm sanctissima Eucharistia deferenda erit, tùm eum campanæ sono præmoneant.

1. De Ecclesijs & earum cultu. 9 Sacrę campanę vsum, qui ad fideles prę monendos, vt ad diuina conueniant officia, est introductus, indignum est, ad conuocandos homines ad spectacula suppliciorum adhiberi.

Quamobrem Principes, ac Magistratus etiam atque etiam hortamur, vt campanis, quę Ecclesiarum vsui sunt ad dictę, si cõsecratę sint, ad pœnarum significationem quemquàm vti nè patiantur.

De Sepulchris.

SVMMARIVM.

1 *Sepulchrum* { *Episcopale* / *Parochiale.* / *Canonicale* } *ædificandum.*

2 *Episcopale sepulchrum, vbi, & qua forma ædificandum.*

3 *Cathedralium Ecclesiarum* { *Canonicalia* / *Sacerdotalia* / *Clericaliaq;* } *sepulchra quot, & vbi exstruenda.*

4 *Collegiatarũ Ecclesiarũ.* { *Canonicalia* / *Sacerdotalia* / *Clericaliaq;* } *sepulchra, quot, & vbi fabricanda.*

5 *Parochialium Ecclesiarum* { *Parochialia* / *Clericaliaq;* } *sepulchra, quot, & vbi conficienda.*

6 *Sepulchra communia, quot, & vbi exædificanda.*

7 *Sepulchra laicorum propria, qua facultate in Ecclesia construenda.*

8 *Qua tamen Ecclesiæ parte minimè struenda. & de Baptisterio.* 13.

9 *Excelso loco posita amonenda; tàm ex decreto Conciliari, quàm Constitutione Pij V. De Constitut. nu.* 11.

10 *Humi omnia exædificanda.*

11 *Quaque forma.*

12 *Vt etiam illa disponenda.*

13 *Operimento quali contegenda.*

14 *Id operimentum, vt sustollendum.*

Quæ

15 *Quæ inmagines, quæque litteræ in eo.*
16 *Sepulchra, malè tecta, quo termino accommodanda.*

1 EPiſcopus in Cathedrali ſua Eccleſia, loco, & forma, quę inſtructionibus fabricę Eccleſiaſticę, ex decreto Prouinciali editis, pręſcripta eſt, ſepulchrum Epiſcopale primo quoque tempore faciendum curet ad communem vſum Epiſcoporum illius Eccleſię. Cuius quidem ſepulchri operimento inſculpta ſit, ità tamen, vt nè è ſolo æquato extet, mitra, & baculus paſtoralis, tantummodo cum his litteris, *Sepulchrum Epiſcoporum N.* 5. Quę ad diuin. offi. pert.

Hoc ipſum vnuſquiſque Parochus ad Parochorum; & Capitula ad dignitatum, & Canonicorum vſum itidem pręſtent.

2 *Sequitur de ſepulchris, & cæmiteriys inſtructio, quæ eiuſmodi eſt.* Inſt. fab. Eccl. De ſepult. & cæm. l. 1. c. 26

Ac primò quidem ſicut Epiſcopos, presbyteros, aliosque Eccleſiaſticos homines intus in Eccleſia ſepeliri Canones ſanxerunt: ità de eorum ſepulturis aliqua inſtructione cauendum eſt.

Epiſcopalis igitur ſepulturæ locus in Baſilica Cathedrali pro Chori foribus, ingreſſuuè eſſe poteſt: vbi ſi locus decens aliquando nō datur, alius deligatur, qui religioſo, venerabilique Epiſcopali nomini, ac dignitati conuenientior ſit: non in Choro tamen, neque in Capella maiori, ſed extrà illius fines, in alia Eccleſiæ parte decentiori, atque inſigniori.

Sit ea à cæteris, etiam Canonicalibus ſepulchris, loco, & inſigni prætereà aliquo Epiſcopali diſtincta.

3 *Sepulchra item ſint Canonicalia duo, à dextero latere ſepulturæ Epiſcopalis; eaque vt ſuprà, aliquo interiecto ſpacio ſeparata: in quibus, & Canonici, & Capitulari dignitate præditi ſepeliantur.*

Totidem prætereà à ſiniſtro latere, certo etiam interuallo diſtincta: in quibus cæteri Baſilicæ Cathedralis Sacerdotes, Clerici, aliique Eccleſiaſtici Miniſtri humentur.

4 *In Eccleſijs Collegiatis ſepulchra tria ſint, ante etiam Chorum: aut alio loco, etiam digniori; non in choro tamen, nec verò in Capella maiori, aliaue; vnum in medio ſitu; in quo Præpoſiti, vel Archipresbyteri, vel alio nomine Rectores earum ſolum humentur; alterum in quo Canonici; tertium in quo cæteri Sacerdotes, Clerici, Miniſtrique earum Eccleſiaſtici.*

5 *Prætereà in ſingulis Eccleſijs Parochialibus etiam duæ ſepulturæ ſint, loco, vt ſuprà, demonſtrato; vna propria Parochorum, Rectorumue earum, altera Clericorum Parochialium.*

6 *Vbi, vel in atrio, vel in porticu, vel in exedris, vel in cæmiterio lo-*

cus nullus dari potest sepulturis communibus: intus in Ecclesiæ ingressu saltem quattuor eo nomine struantur.

7 *Alia verò sepulchra, laicorum propria, in Ecclesia, sine Episcopi concessu, fieri non debere decretum est.*

4. De sepulc. Ne sepulturę locus quouis nomine cuiquam detur: neuè sepulchra fiant, constructuruè in vlla quauis Ecclesia, sine Episcopi concessu, scriptis exarato.

Inst. fab. Ibi. 8 *Quæ si fieri exstruiuè concessum erit, nè propè Altaria, vt Vasensi Concilio cautum est, struantur, fiantuè; nisi tàm longè distent, vt sepulchrale os ab eorum scabello bradellauè procul absit spacio saltem cubitorum trium.*

Nullo sanè, modo intrà Chori, & Capellæ maioris fines; neque vnquàm intrà Capellarum minorum cancellos exstruantur, quibus à populo sacerdos celebrans separatur.

4. Ibidem. *In Choro autem, vel Capella maiori, nullo modo.*

Nec verò in alijs Ecclesiæ locis propè Altaria, nisi tàm longè sepulchra distent, vt sepulchrale os à scabello, seu bradella Altaris procul absit, spacio saltem cubitorum trium. Quæ autem proprius exstructa iam sunt, omninò amoueri, obstruiuè decernimus.

1. De sepult. 9 Non est ferenda nostri temporis insolentia sepulchrorum, in quibus putida cadauera, tamquàm sacrorum corporum reliquię, excelso, & ornato loco in Ecclesijs collocantur; circumque arma vexilla, trophęa, & alia victorię signa, & monumenta suspenduntur: vt iàm non diuina templa, sed castra bellica esse videantur.

Ambitiosam igitur hanc in mortuorum corporibus decorandis arrogantiam detestantes, & Ecclesiarum decori consulentes, eiusmodi sepulchra excelso loco posita, & ea, quę parietibus inclusa, vel adiuncta etiam in vna parietū parte eminent, nisi marmorea, aut ærea sint; siue illis corpora contegantur, siue inania, & ibi tantum honoris causa sint constituta; & eorum omnis generis ornatum, & apparatum ad tres menses amoueri, ac tolli omninò iubemus.

Ossaque ac Cineres in Sacro loco altius in terra defodi, ità conditos, vt sepulchrum è solo non emineat.

10 Etsi cui locus sepulturę deinceps dabitur in Ecclesia, humi tantum detur; & sepulchrum, in quo condetur, opere fornicato cum reliquo Ecclesię pauimento ęquatum sit.

Hęc vt efficiantur, diligenter operam dabunt Episcopi, adhibito etiam, si opus erit, magistratuum auxilio.

4. Ibid. 11 Fornicato opere sepulchra fiant; quęque è solo Ecclesię nullo
Inst. fab. Ibi. modo extent, emineantuè: sed illud planè adęquent.

12 Ab vtroque Ecclesię latere, dextero scilicet, ac sinistro eo ordine dispo-

diſpoſita exſtruantur, vt è regione, ſibi ſingula reſpondeant.

13 Operiantur, nè vllo vmquàm tempore fœteant, duplici integumento; quod forma quadrata è lapide ſolido ſit; ità tamen, vt inferius integumentum è rudi; illud autem ſuperius è polito lapide ſtruatur; Eccleſiæ pauimento æquale, quod item ſepulchrali ori vndique apte cohæreat. ex Inſt. hoc ſolum additur (ibi quadrata;) vel alia decenti forma, pro loci ratione (ibique e polito;) addjtum, (ſolido lapide ſit,) ità tamen, vt inter vtrumque aliquid ſpacij relinquatur. 4. Ibid. Inſt. fab. Ibi. De duplici iteg. ſep.

14 *Anulus præterea in medio integumento ſuperiori affigatur, ad illius eleuandi vſum: ità tamen, vt nihil emineat: ſed tantundem integumenti excauetur, quantum anuli craſſitudo capiat. Rurſus alia etiam ratio prætermittenda non eſt, vt illud integumentum ſuſtollatur per clauos duos: qui aliqua craſſitudine ſint; quique ab eiuſdem integumenti ſuperiori parte in vtroque latere traiecti, nihil planè extent: ab inferiori autem, paulò oblongiores, quàm integumenti craſſitudo eſt, ſinguli ferrum tranſuerſale, firmiter hærens, habeant: quo, dum funè vnicuique clauo adhibita, integumentum eleuatur, ſuſtineri queat.* Inſt. fab. Ibi. de annulo ſe.

15 *In ſuperiori porrò integumento nè crux, ſacraque alia imago, effigiesue ſculpatur, aut alio modo exprimatur: vt nè pulueris, lutiuè ſordibus, & ſputo inquinetur, ac tranſeuntium pedibus conculcetur.*

Neque verò etiam ſculpturæ ornatus, litterarum inciſio, aut inſcriptio vlla, aliudue quicquàm fiat, quod emineat; neque rurſùs quicquam etiam teſſellato opere, etiam ſi non ſuperemineat, inſcribatur, ſculpaturue, quod Epiſcopo ante probatum non ſit.

In quo ſuperiori integumento, ne Crux, ſacraque, alia imago ſculpatur. 4. Ibid.

Nec rurſùs imago alia, vel litteræ, aut aliud omninò quicquam, quod extet, atque emineat: neque quod ab Epiſcopo prius probatum non ſit, vel ab eo, cui ille id munus dederit.

16 Quæ ſepulchra modo ſunt, marmore, vel petra ſolida, non tecta; niſi trium menſium ſpacio apte tegantur, humo oppleantur, adæquato ſolo: ac nemo prætereà in illis deinceps ſepeliatur.

De Cœmiterijs.

SVMMARIVM.

1 *Sepeliendi mos in Cœmiterijs reſtituendus.*
2 *Cœmiteria quibus Eccleſiæ partibus conſtitui poſſint: quæque potius loca ei vſui deligenda.* 4.
3 *Ab anteriori parte, quando non exſtruenda.*

Ampli-

5 Amplitudo quanta.
6 Forma.
7 Sæptum cuiusmodi.
8 Porticus, cum sepulturis, quibus in cœmiterijs ædificandi.
9 Crux in medio, & qualis.
10 Capella.
11 Vas aquæ sanctæ.
12 Ossarium.
13 Ostia, quot, & vbi construenda: vtque munienda.
14 Ostium maius qua imagine exornandum.
16 Quæ in eis, & propè ea non toleranda.

Quæ profana amouenda. De profano vsu à sacr. loc. toll. à nume. 8. ad 18.

Ea ne seruiant pro transitu. Ibid. nu. 19.

In eis rixantium quæ pœna. De Religiosa in sac. locis conuers. 10.

Cœmiteriorum consecrationes in librum referendæ: qui liber vbi asseruandus. De Eccles. consecr. 6.

Cœmiterio profanando qui modus adhibendus. De ratione adhibenda in Eccl. profanandis. 7.

Cœmiterium Ecclesiæ profanatæ quò transferendum. De Ecclesijs instaurandis. nu. 7.

1. De sepult. 1 MOnemus verò Episcopos, vt morem, multis locis intermissum, mortuos in cœmiterijs sepeliendi, restituendum curent; inde submotis, si qui ea vsurparint.

Inst. fab. Ecc. li. 1. c. 26. De cœmiterijs. 2 *Cum sepulchris coniuncta instructio esse debet de cœmiterijs: in quibus mortuos sepeliendi morem antiquum, tantoperè à patribus comprobatum, in vsum ex decreto Concilij Prouincialis, per Episcopos nostræ Prouinciæ, vbi potest, restitui cupimus.*

Cœmiteria igitur, vt animaduerti licet, alia in porticu, atrioue Ecclesiarum, à fronte scilicet; alia à tergo, alia à latere Septentrionali; alia à Meridionali; quædam ab omni illarum parte sunt: nec verò vetitum est, quin adhuc etiam ab eisdem singulis, omnibusque partibus constitui possint.

Porrò, quæ à fronte, in atrioue Ecclesiæ exstructa sunt, quamuis ad excitandam, vel charitatis erga mortuos fideles, vel conditionis humanæ memoriam in ipso prospectu hominum sint; tamen quoniam ob iter, ac tritam viam qua transitus, per, & ad Ecclesiam, hac atque illac fit, facilius patent, vel animalibus, vel seruitutibus, vel deambulationibus, congressibus,

gressibus, & alijs hominum actionibus eo sacro loco indignis, quamobrem etiam sæpè ob alia, quæ quotidie humanitus incidunt, violari contingit; ideò à fronte in atrijs, porticibusuè Ecclesiæ, cùm ab alio latere fieri possunt, non exstrui expedit.

4 A Septentrionali autem Ecclesiæ parte, illorum situs potior deligatur; aut ab eo latere, in quo maximè ædium clericalium transitus quotidianus, fenestrarum prospectus, stillicidiorum, etiam proiectura, aliæuè eiusmodi seruitutes vitari possunt.

5 Ampla autem cæmiteria esse debent, pro Ecclesiæ, cui adhærent, situsuè spacio, proque hominum item multitudine.

6 Forma esse possunt oblonga, aut quadrata, Architecti iudicio, ac pro situs modo.

7 A parietibus nuda esse non debent; sed vndique ijs sæpta. Qui parietes à terræ solo altè exædificentur, cubitis circiter septem.

Vbi verò tanta parietum altitudine præ loci inopia exstrui nõ possunt; ità saltem altè exædificentur, vt animalibus aditus præcludatur: hæcque altitudo non minor sit cubitis tribus.

Vbi verò præcisæ rupes erunt, quibus cæmiterij situs concluditur; eæ pro sepimento parietum esse poterunt.

Cæmiteria vt muro, vel alias tutè vndique sæpiantur, & eorum ingressus bestijs occludatur; curet, Episcopus diligenter. 4. De cæmit.

8 Parietes autem manufacti, extrinsecùs Albano opere incrustentur: in locis verò insignioribus decens erit, si intrinsecùs ab omni parte porticibus vestiantur: sacrisque picturis, historijsuè ornentur. In ijs porrò porticibus sepulturæ, equali spacio inter se distinctæ, recto ordine, ad præscriptæ formę rationem, fieri possunt. Inst. fab. Ibid. De cæmiter.

Vbi porticibus cæmiteria non circumuestiantur; parietes saltem exornari debent aliqua sacra pictura, certis eorum locis expressa.

9 In medio eorum situ, Crux ex auricalcho, aut marmore, alioue lapide confecta, collocetur: quæ in columna marmorea, lapideaue, seu in pila structili suffulta, alio decenti integumento operiatur, aut è ligno altè erecta, constituatur.

In eorum medio Crux firmiter erecta sit; quam aliquo etiam decenti integumento operiri, conueniens erit. 4. De cæmit.

10 Capella item paruula, eaque in Orientem versùs, vbi potest, exstruatur; in qua preces pro mortuis, aliquando fiant.

11 Habeat item vas aquę sanctę, forma suprà demonstrata, cum aspersorio, non tamen appenso, sed quod amoueri possit, ad aspergendi vsum.

12 Certus prætereà locus intus sit, pariete vndique sæptus, & tecto, ac fornice, vbi potest, opertus: isque in omnium conspectu sit: vbi mortuorum Inst. Ibid. De loco ossario

tuorum ossa, aliquando effossa, ordine struantur.

Ibid. & ostijs cœmiterij.

13 *Cœmiterij porrò tria ostia à fronte esse possunt; nisi situs ratio eiusmodi est, vt à latere etiam illa fieri necessariò postulet. Si verò cœmiterium Ecclesiæ ab aliqua parte continens est, ab ea parte ianuam item habeat, qua ad Ecclesiam aditus sit, cùm vel diuinorum officiorum pro mortuis, vel processionum causa vsu venerit.*

14 *Ab ostij autem maioris, à fronte exstructi, summa parte, quæ extrinsecùs est, sacrosanctæ Crucis imago exprimatur; in extremo Crucis affixa imagine capitis, aut cranij hominis mortui.*

15 *Quæ ostia, à quacumque parte sint, firmis valuis, pessulis, & clauæ munita, & clausa, ne pateant; nisi cum vsus venerit.*

16 *Nullæ vites, arbores, arbusta, stirpes cuiusuis generis, non modò frugiferæ; sed quæ etiam nullum omninò fructum, baccasuè gignunt, in ijs esse, aut censeri debent.*

Imò verò, ne fœnum quidem, herba virescens, quæ pabulo detur, sit. Absit strues lignorum, ac tignorum; tùm omnis aceruus cæmentorum, lapidumuè; omnis denique res, loci sanctitati, religioni, & decoro repugnans.

4. De ornatu &c. sacro locorum.

Ex cęmiterijs porrò vites, arbores frugiferę, & alię etiam infrugiferę cuiusuis generis, aut arbusta, stirpesuè omninò conuellantur, atque excidantur.

Neuè in posterum in his sacris locis quicquam conseratur, nec verò seratur.

Nè fœnum ex his succidatur, neuè herba item virescens, quę bestijs pabulo sit, vel detur. Neuè in earum fines res vlla abijciatur, cuius grauis, teteruè odor sit, aut aliud quicquam sacris ijs locis inhonestè fiat.

Stabula etiam armentorum, & cuiusuis generis animalium indè procul sint.

In ijsdem nè lignorum strues fiat; nè tigna congerantur; nè cęmętorum, lapidumuè aceruus sit; nec denique quicquàm loci illius decori, nitoriuè, ac religioni, sanctitatiuè repugnans.

De loco vbi feretra, & cætera id generis asseruentur.

SVMMARIVM.

1 *Feretris, & alijs eiusmodi instrumentis custodiendis, qui locus, & vbi constituendus.*

2 *Vtque muniendus.*

Locus

1 LOcus prætereà alius Sacristiæ, aut cœmiterio saltem propior, in omni Ecclesia Parochiali, & Collegiata aptè exstruatur: in quo feretra, candelabra ferrea grandiora, cœnotaphia, vasa olearia, perticæ, scalæ, scopæ, ligones, batilla, sustentacula crucum, instrumenta ad abstergendi vsum accommodata; cæteraque id generis reponantur: vt Ecclesia ipsa, & Sacristia, tùm ab omni re indecenti; tùm ab omni impedimento planè libera, vacuaque sit. Inst. fab. Eccl. lib. 1. De loco vbi ferer. &c. id generis asseruentur. cap. 28.

2 Isque locus, ostium habeat, valuis, pessulo, seraque benè septum.

De ornatu, decore, ac nitore sacrorum locorum.

SVMMARIVM.

1 Animalia, quæ in Ecclesijs non appendenda.
2 Mensæ Altarium consecratæ, vt tegendæ.
3 Altaria, foribus patentibus, quibus paramentis instructa sint.
4 Sepulchrum, in quo Corpus Christi feria v. in Cœna Domini recondi-tur, quo modo exornandum.
5 Sanctorum imagines quibus vestibus non induendæ.
6 Sacris locis munditia adhibenda.
Capsulæ eleemosynariæ in Ecclesiis non retinendæ sine facultate. De capsulis eleemosynarum, nu. 2.
Bradellæ muliebres auferendæ: quæque tantum permittendæ: & à quibus illæ conficiendæ. De sedilibus muliebribus. nu. 1.
7 Quarum rerum nitori à Rectore consulendum.
8 Parietes vrina, & alijs sordibus non inquinandi.
9 Quæ ab eisdem parietibus remouenda.
Quæ item à cœmiterijs tollenda. De cœmiterijs, nu. 16.
10 Ianuæ, Parietesq; interiores { Cathedralium, Collegiatarum, Parochialium } Ecclesiarum in quibus solemnitatibus ornandi frondibus, aulæis, imaginibus.
Ecclesia Metropolitana, sanctorum Patronorum vniuscuiusque ciuitatis Prouinciæ imaginibus exornanda. De Imaginibus, &c. nume. 23.

4. De ornatu decore, ac nitore sac. loc.

1 NE animalia, pisces grandiores, eorumue membra in Ecclesijs appendantur; nisi quæ voti, aut piæ significationis causa Episcopus permittenda censuerit.

2 Consecratæ Altarium mensæ totæ, licet aliqua ex parte lateritiæ sint, tela cerata ità contegantur, vt facilè à mensa, tela non possit amoueri.

3 Cùm Ecclesiæ fores patent, tunc Altaria singula, & mappis tribus mundis, vna oblonga, quæ ad imam eorum partem pertingat, duabusque reliquis breuibus vestita sint; ità vt gradus etiam ille ligneus, super Altari à tergo collocatus, ab indumento nudus non sit, sed mappa munda totus sternatur; & pallio item coloris, quò ad eius fieri potest, pro festi diei, feriæue ratione decenter eadem ornata; ac tela viridi, nè mappæ puluere, aliaue sorde inquinentur, constrata; & præterea cruce in medio collocata; & candelabris duobus, vno scilicet ab dextera, altero ab sinistra parte, posito, instructa, atque ornata semper sint. Idque quotidie in Ecclesijs, quæ frequentantur, in cæteris verò Ecclesijs, festis saltem diebus.

Tabella secretorum in vnoquoque Altari sit item, ea tamen ratione; vt peracta Missa, non erecta sit, sed depressa sub tela, mappaue recondatur.

4 Quibus in Ecclesijs, feria quinta hebdomadæ sanctæ, sepulchrum ornatur, aut constituitur, vbi Corpus Christi Domini asseruatur, cum illud gloriosum fore, Isaias prædixerit, sicut precioso ornatu decorari debet; ità in ijs cauendum est, ne profanus, & parum decens sit ornamentorum apparatus. Nè igitur cubilis stragulæ, cortinæ, conopæa, seu tentoria, ad vsum profanum adhibita, ad illum circumuestiendum, atque exornandum vsui sint: nisi Ecclesiæ oblata, eius iam propria facta, & sacro vsui dicata sint.

5 Idem sancitur de vestibus, & ornamentis, quibus sacræ sanctorum, sanctarumque imagines induuntur.

6 Nè Ecclesiæ, oratoriaue, situ, puluere, aut alio squallore obsordescant.

Vbi præterea inter Altare maius, & parietem, qui à posteriori eius parte est, locus non multi spacij datur, relinquiturue, quamuis exiguus, qui Chorum non capiat, is etiam locus, ab omni situ, squallore, ac sorde purus, mundusque conseruetur.

7 Altaria item, sacræ tabulæ, & imagines, ac parietes ipsi perpetuò eniteant: tùm fenestræ non subobscuræ, sed perlucidæ sint: pauimentum autem saltem octauo quoque die diligenter verratur. Hæc omnia

nia præſtari, cura ſit Rectoris cuiuſuis Eccleſiæ.

8 Adhibeatur item diligentia, & graui pœna, mulctaque agatur, vt & Eccleſiæ, & Oratorij, & cœmiterij parietes ab vrina, alijsue cuiuſuis generis ſordibus mundi conſeruentur.

9 Arbores, ſtirpes, aliaque eiuſmodi arbuſta, ab Eccleſijs, & Oratorijs quibuſuis remota ſint, vt nè radices dilatatæ parietibus officiant; aut rami diffuſi tecta operiant; vnde detrimentum ipſis tectis exiſtat. Si verò rami eiuſmodi tectis iam officiunt, amputentur omninò.

Vites præterea, hederę, alięque id generis herbę, quę ſuccreſcentes exterioribus Eccleſiarum, aut Oratoriorum parietibus adhęrent, prorsùs conuellantur.

A rubis pręterea, & ſpinis, & alijs id generis, quę adnaſci ſolent extrinſecùs, ijdem parietes mundi; & à cœmentorum item, lapidumque congeſtu remoti, cuſtodiantur.

Quæ ad dies feſtos & ſacra tępora pert

10 Sicut in anniuerſarijs ſolemnitatum ſanctioribus celebritatibus feſtiuius canimus laudes, ſolemniuſque Eccleſiaſtica celebrantes officia, modulamur organis, precioſioriquę veſtium apparatu induimur; ità diligentes nos domus Dei decorem, & locum habitationis glorię eius, curare debemus, vt quo ſpiritalis lętitię noſtrę manifeſtiora ſigna demus, diuinorum beneficiorum, quę ijs potiſſimum ſolemnitatibus recolimus, memoria excitati, templa etiam ornatoria, quàm alijs diebus, appareant, tùm ad auguſtiorem cultum, tùm ad fidelium conſolationem. Itaque die Natali Domini, & reliquis quattuor deinceps feſtis diebus, in Epiphania, Paſcha Reſurrectionis, in Aſcenſione, tribus Pentecoſtes diebus, in ſolemnitate Corporis Domini, feſtoque die ſancti Patroni, Eccleſiarum Cathedralium, Collegiatarum, Parochialium pręſertim inſignium, curet pręfectus vniuſcuiuſque Eccleſiæ pro locorum ratione, proque facultatibus, vt ianuę, quemadmodum veteris inſtituti eſt, vſuque Romano comprobati, & à beato Hieronymo laudati, frondibus etiam ornentur, prout tempora tulerint: tùm parietes interiores, atque intercolumnia, periſtromatis, aulæis, tapetibus, ſuarumque imaginum tabulis exornata ſint. Quo in apparatu, ornatuque ſacræ imagines etiam in ipſis foribus adhibeantur. Inſignia verò, & alia profana abſint.

De profano vſu à ſacris locis tollendo.

SVMMARIVM.

Obſcœnis figuris, ethnicorumque hominum imaginibus Eccleſię non ornandæ.

Laico-

1 *Laicorum ædes Ecclesiam non attingant.*
2 *Fenestræ, quibus in Ecclesiam prospectus sit, obstruendæ.*
3 *Ædificia laicalia contigua parietibus Ecclesiasticis quo iure ædificata ab Episcopo cognoscendum.*
4 *Ea non iure ædificata, diruenda.*
5 *Legitimè verò ædificata, si vsui sordido addicta, vt reducenda.*
6 *Id in posterum non permittendum.*
7 *In atrio Ecclesiæ non ædificandum.*
8 *Schedulæ profanæ* } *sacris locis non affigendæ, & quanta distantia.*
9 *Res venales.* } *& Tit. seq. nu. 1. Ver. Clericus.*
10 *Officinæ.*
11 *Paleis tecta non operienda.*
12 *Cœnacula, Cubiculaue.* } *suprà Ecclesiam non toleranda.*
13 *Fruges, Supellex que profana.* } *in eis non asseruanda.*
14 *Clauis sacri loci laicis non committenda.*
15 *Campanæ in eis non conflandæ: nihilque fabrile fiendum.*
16 *Granum non ventilandum.*
17 *Panni linei soli non exponendi.*
18 *Colo non nendum, neque suendum.*
19 *Per Ecclesiam, vti per viam non transeundum.*
20 *Litteræ profanæ non docendæ.*
21 *Quando eas docere liceat.*

2. Tit. 2. decr. 22.

1 ILlud curet Episcopus, vt nè laicorum hominum ædes in posterum ædificentur, quæ Ecclesiarum parietes vlla ex parte attingant.

2 Si quæ verò fenestræ, siue Ecclesiasticarum, siue laicarum ædium in ipsis Ecclesiarum parietibus insunt, vnde in Ecclesias conspectus sit, efficiant, vt duobus saltem post huius Concilij promulgationem mensibus obstruantur.

3. De ijs quæ pt. ad ornat. & cult. Eccl.

3 Si quæ ædes, ædificiaue cuiusuis generis à laicis constructa sunt, quæ vel Ecclesiæ, vel Oratorij parietibus continentia, innixaque hæreant; qua auctoritate, quoq; iure ædificata sint, cognoscat Episcopus: idque sibi ostendi ab eis iubeat, qui ædificarint, ædificariue curarint.

4 Si quæ autem iure ædificata non demonstrauit, ea asportari, amoueri, diruiue mandet; nisi Ecclesiæ, cui continentia hærent, vsui, dominorum consensu, attribuenda potius censeat.

Sin au-

5 Sin autem iure constructa sunt, eaque ædificia, aut stabula, aut loca sordido vsui accommodata, addictaue sunt; ea disiectis, & amotis sordibus, ad honestiorem vsum conuerti Episcopus iubeat, hocque ipsum à Parochis item, & alijs præstari mandet, etiam in ædibus Ecclesiasticis.

6 Neque in posterum à laicis ità ędificari, aut ędificata ad sordidum vsum à quibusuis adhiberi Episcopus permittat.

7 In atrio verò Ecclesię vllo modo ędificari à laicis nè permittat, vt Canonum iure interdictum est.

8 Nè ędium, agrorum, rerumque aliarum eiusmodi, quę vel locandę vel vendendę proponi, aut proscribi publicè solent, neuè omninò rei cuiusquàm profanę schedulę, scriptaue vllis Ecclesiarum, Oratoriorumue, aut Cœmiteriorum foribus, vaIuis, parietibusq; aut in quouis sacro loco in posterum affigantur. 4. De profano vsu à sac. locis toll.

9 Nè item res venales, in Ecclesiarum, & Oratoriorum, Cęmeteriorumue parietibus appendantur; neque intrà loci spacium, quod aqua sacra aspergitur, cùm Ecclesię consecratio fit; aut intra stillicidij fines, aliudue loci maius interuallum Episcopi iudicio prescribendum.

10 Neuè item officinę, taberneuè, quouis materię genere, etiam tabulis, asseribusue confectę, vel ipsis parietibus inhęrentes, vel in cęmiterijs, sacrisue locis, aut omninò intrà illius spacij, aut interualli fines, vllo modo constituantur, aut collocentur. Quæ verò iam constructæ, collocatæue sunt; inde quàm primum penitùs amoueantur.

11.12 Nè Ecclesię, aut Capellę, aut etiã Oratorij, in quo Missæ sacrificiũ aliquando peragitur, tecta palearum aceruis, neuè aliqua lignorum strue onerentur: ne item à parte superiori vel cœnaculum, vel cubiculum, vel omninò locum habeant, vbi, aut dormiatur, aut habitetur, aut quicquam profani fiat. Quę verò loca iam eiusmodi sunt, omninò amoueantur.

13.14 Nè frumentum, milium, hordeum, vllumue tritici, aut leguminum genus; ne poma item; nè instrumenta, vel ad prędiorum rusticorum vsuum comparata, ne cuius generis supellectilem profanam, vt ab Innocentio III. Pontifice in Concilio Lateranensi sancitum est: nè denique quicquàm a domo Dei alienum in Ecclesia, etiam non consecrata, aut in Oratorio, aut in Cęmiterio recondi, aut asseruari ab vllo quouis homine liceat. Vetitumque prętereà sit; nisi, cùm interdum aliter Episcopus faciendum cẽsuerit, clauem illius Ecclesię, aut Oratorij, etiam diœcesani, ruralisue, laicis hominibus, pręsertim verò colonis, vel conductoribus eiusdem Ecclesię ędium, vel prędiorum committi, aut ab illis custodiri, seruariue.

15 Nè campanę in eis conflentur, neuè aliquid ferruminetur: neuè fabrile quicquam aut aliud huius generis fiat; nisi quę ad eiusdem Ecclesię, aut oratorij vsum, ornatumuè alibi fieri non possint.

16. 17. 18 Nè in Cœmiterio frumentum, quasi in area ventiletur; nè tritura fiat; nè palea, frumenta, fruges, expandantur: nec verò telę, panniuè linei, lixiuio, aquauè madefacti, soli ibidem exponantur: neque in eo fœminę, maresque colo quicquam neant, neuè suant, aut aliud prętereà opus faciant, eorum sacrorum locorum rationi alienũ.

19 Ecclesię ostia, Cęmiteria item, aut Rectori, aut etiam alijs vsui nè sint, res profanas onerauè asportantibus, hacque & illac per Ecclesiam, sacraque loca, quasi per viam publicam transeuntibus: cui rei, vt planè occurtatur, cautionem omnem Episcopus adhibeat.

20 Nè grammaticę, humanarumque litterarum rudimenta, quę sępe inanibus Gentilium fabellis traduntur; aut alię omninò litterę, prętter sacras in Ecclesia, tamquàm in ludo litterario pueris aperto exponantur: sed rudimenta solum Doctrinę Christianę, & cętera, quę in illis scholis pueris tradi consueuerunt.

21 Si quo tamen in loco ex causis, hoc Concilio probatis, Parocho permissum erit alia docere, non vetamus; si domus Parochialis angustia necessariò postulet, hoc officium ab eo pręstari ferialibus diebus in Ecclesia permissu eiusdem Episcopi. Quę permissionis facultas scripto detur; tùm prętereà locus certus, ac, quàm longè fieri poterit, ab omni, pręsertim maiori Altari remotus, ad id muneris deligatur: extrà cuius loci fines pueri nè vagentur; nec verò ob eam causam in Ecclesia morentur; nisi cùm Parochus qui eos in disciplinam suscipit, pręsens adest.

De Religiosa in Sacris locis conuersatione.

SVMMARIVM.

1 *In Ecclesijs diuinorum officiorum tempore deambulationes, nugæ, circuli, negotiationes, cum mulieribus colloquia, multorum irreuerentia, mendici vagantes, res venales, venatici canes, volucres, hastæ, sclopeti, balistæ, & alia id genus, pernoctationes etiam, & excubiæ prohibentur. 2.*

2 *Delinquentes in prædictis, à Rectore monendi; & quando expellendi quæque alia Rector ipse non permittat.*

3 *Parlamenta quoque publica, & alia profana prohibentur.*

4 *Constitutio Pij V. de tollendis colloquijs, congressibus, deambulationibus, & alijs eiusmodi, præsertim diuinorum officiorum tempore, à quibus*

quibus executioni demandanda.
Pœnaque irreligiosè in Ecclesia versantium ex Constitutione ipsa.
5 *Ecclesiarum ostia certa hora claudenda, & aperienda.*
6 *Eis apertis Ecclesia custodienda.*
7 *Diuidenda viris, & mulieribus, etiam pars subterranea, & qua ratione. 9.*
8 *Idque proprijs ostijs vtrique sexui, & à quo assignatis.*
10 *Pœna in Ecclesia rixantis, vel gladium euaginantis.*
11 *Pro foribus non ludendum, aut quid simile non agendum.*
12 *Mulieres infames propè Ecclesiam, Ecclesiasticorumque ædes non habitent.*
13 *Mulieres velatæ Ecclesiam ingrediantur.*
14 *Velo eæ non vtentes, qua pœna afficiendæ.*

1 IN Ecclesia, præsertim cùm diuina celebrantur officia, vel verbum Dei prædicatur, nemo hæc audeat. 1. De Ecclesijs, & earum cultu.

Deambulare, nugari, circulos habere, negotijs operam dare:

Cum mulieribus, de quibus suspicio esse possit, colloqui:

Altaribus, fontibus baptismi, vel aquę benedictę adhęrere.

In limine, aut ante fores immorari:

Auersus ab Eucharistię sacramento irreuerenter sedere; aut, cùm in Missa sustollitur, stare:

Aut quouis modo diuina officia perturbare:

Aut irreuerenter in Ecclesia versari.

Nè Clericus, aut alius quiuis in Ecclesijs, earumuè Cœmiterio, atrio, vestibulo, aut porticu, foribusuè, quidquam venale proponat; nè si ad vsum quidem sacrificij, vel Ecclesię futurum sit. Vide etiam, tit. antecedentem. nu. 9. 10.

Nemini cum venaticis canibus, vel volucribus in Ecclesiam ingredi liceat; neque hastam, vel sclopetos, balistas, aliauè eiusdem generis in eam inferre.

Ne mendici eleemosynę causa in Ecclesijs vagentur; sed extra ianuam consistant. Vide etiam Tit. de Constitutionibus, nu. 11.

2 Qui in horũ aliquo deliquerit, à Rectore per se, vel per alium Ecclesiæ ministrum moneatur: nisi paruerit, ab Ecclesia expellatur: si id commodè fieri non possit, ad Episcopum deferatur; qui in eum suo arbitratu animaduertat. qui etiam Rectorum, & aliorum Ecclesię ministrorum huius officij negligentiam coerceat.

Rector cuiusuis Ecclesiæ pernoctationes, aut nocturnas vigilias in ea posthac nemini permittat.

Sed sub noctis horam Ecclesiarum fores claudat.

Neque vllo pacto quemquàm præter Sacerdotes admittat: nisi nocte Natalis Christi Domini, cùm Missa celebratur.

Neuè patiatur, si fieri possit, populum ad eas excubare.

Qui contrà fecerit, Episcopi arbitratu puniatur.

Magnopere verò à Principibus petimus, vt, ad rem adiuuandam, suam quoque potestatem conferant.

2. Tit. 2. dec. 23.

3 Ne in Ecclesia laici homines de rebus profanis, aut de ijs, quę ad ipsam Ecclesiam non pertinent, Congregationes, Concilia, vel quæ par lamenta publica dicunt, habeant.

Conc. Trid. sess. 22 de observand cap. 2. de Immunit. Ecc. in 6. Bulla Pij V. de Cōst. n. 11.

4 Quæ verò Lugdunensi Concilio olim à Gregorio X. & nuperà Summo Pontifice Pio V. ad tollenda in ipsis Ecclesijs colloquia, congressus, deambulationes, & ad earum cultum sancita sunt; in ijs præstitu dis Episcopus omnem, vel maximam diligentiam adhibeat: Canonicos verò, Ecclesiarumuè Rectores, & alios item, ad quos spectat, in munere, quod ad eam curam attinet, obeundo, negligentes, vel contumaces pœnis afficiat, quas illi eadem summi Pontificis sanctione subeunt.

Sique præterea in ijs ipsis exequendis Regulares negligentes esse animaduerterit; illos ad eiusdem Summi Pontificis in eadem Bulla præscriptum grauissimè corripiat.

4. De relig. 1 sacris loc. cō uersatione.

5 Ne sacris mysterijs dicata, & à Deo electa, templa sancta pateant iniquitatibus hominum, quo præsertim tempore peractis diuinis officijs, nemo adest Clericus custos, id curet Episcopus, vt Ecclesiæ, & vrbanæ, & Diœcesanæ, certa pro ratione locorum constituta hora, claudantur, & aperiantur item.

6 Quod si ob causam aliquando diutius, aut per totum diem eas patere oportet; caueat tamen efficiatque Episcopus, vt quo tempore patentes sint, atque apertæ, custos aliquis Clericus adhibeatur, qui semper adsit; & quæ loco illo sacro indigna sunt, ibi agi prohibeat.

7 Vbi vetus illa consuetudo, cùm ab alijs, tùm ab sancto Chrysostomo in primis testificata, eaque non sine aliqua mysterij significatione instituta; vt separatim scilicet in Ecclesia viri à mulieribus essent, in Prouincia nostra intermissa, aut nulla est; Episcoporum cura planè restituatur, quemadmodum & adhuc in compluribus eiusdem Prouinciæ Ecclesijs retinetur, & olim in vsu fuisse cognoscitur ex antiquis earundem Ecclesiarum exædificationibus: in quibus separationis, ac distinctionis huius vestigia, his etiam temporibus extant. Qua in consuetudine restituenda modus, & forma illius distinctionis extruendæ, muniendæ-

muniendaque per eos, quorum interest, seruetur ad præscriptum institutionum nostrarum de fabrica Ecclesiastica editarum.

Forma eiusdem videatur suprà Tit. de Tabulario, nu. 1.

8 Vniuscuiusque autem Ecclesiæ Rectoris cura sit, locum in Ecclesia ostiaque pro ingressu, & egressu separata, sexui vtrique assignare; ac propterea quibus in Ecclesijs opus est, plura ostia, loco opportuno aperire, ad præscriptum Episcopi, ex Institutionibus fabricæ.

9 Ad loca illa sub gradibus, Altarique maiori exstructa, quæ martyria, confessionesue, ab antiquis vocantur, magna cautio adhibenda est, nè viri, & fœminæ ingrediantur eodem tempore, præsertim in populi frequentia.

Quare in illis Ecclesijs, in quibus ingressus ad eiusmodi loca, mulieribus omninò interdictus non est, si diuidi commodè ea non poterunt, vt viri à fœminis separatim sint, saltem, quod ad illa attinet, quæ obscuriora, aut non satis ampla sunt, certus dies, certaque hora ab Episcopo constituatur, qua ad illa alteri sexui separatim pateat ingressus.

10 Ne quis, nè in atrij quidem Ecclesiæ finibus, nedum in Ecclesia, aut cœmiterio rixas, simultates, aliasue quasque res, quæ offensionem, scandalumue pariant, vllo modo excitet; neue gladium, vt Concilio Triburensi sancitum est, armaque stringat, aut ijs quemquàm aggrediatur. Si quis contrafecerit, postquàm spacio, quod ei Episcopus præstituerit, monitus, facti sui excusationem, defensionemue iustam nullã attulerit, communione eiusdem arbitrio priuetur.

11 Pro foribus, atrioue Ecclesiæ, præsertim quo tempore sacra, diuinaque officia celebrantur, nè pila ludatur; aut aliud quicquàm fiat, agaturue, vnde strepitus, clamoresue excitantur, quibus diuinæ officiorum preces interturbentur. Qui secùs fecerit, pœnam, mulctamue subeat Episcopi arbitrio.

12 Illud Parochus sedulò agat, vt mulieres lenocinio, meretricioue quæstu infames, nè domicilium habitent, quod vel Ecclesiæ, vel ædibus Parochialibus, aut virorum, mulierumue Monasterijs continens, aut propè inhæreat.

13 Grauissimis rationibus hoc Paulus Apostolus monet, ac præcepit, vt mulieres in Ecclesiam conueniant velato capite: hoc ipsum docet princeps Apostolorum Petrus; cuius etiam iussu sanctissimus Pontifex, qui in eius locum successit, Linus decreto idem sanciuit. Quare Apostolicis ijs institutis nos adducti, & animaduertentes præterea, ab antiquis illis sanctissimarum Mulierum exemplis, veterique benè instituarum ciuitatum disciplina, atque vsu, ab omni denique ratione, vt ab Ecclesiæ patribus explicatum est, hoc valde esse alienum, vt capite aperto illæ incedant, illud admonemus, vt Episcopi, vbicumque est,

3. De ijs, q̃ pert. ad ornatũ, & cultu Ecclesiæ.

in suis, vel vrbibus, vel diœcesibus, is deprauatis moribus introductus vsus, quo maximo possunt, ac debent, pastoralis solicitudinis officio illum eripere studentes, hoc in consuetudinem introducere curent, vt velo caput ipsæ induant; idque præsertim, cùm vel sacras porcessiones prosequuntur, vel in Ecclesiam conueniunt.

6. Quæ ad cultum Eccl. pert.

14 Quod de velo mulierum, non sine multiplici mysterio, & voce Apostolica institutum, & Pontificio Canone corroboratum, & sanctissimarum fœminarum exemplis vsitatum, ac diuturno vsu retentum, nos Concilio tertio Prouinciali commonendum, & ab Prouinciæ Episcopis omni ratione curandum statuimus, quò diligentius in posterum præstetur, hoc preterea decernimus.

Mulieres cuiusuis ordinis, status, & conditionis sint, pœna interdicti ab ingressu Ecclesiæ sancita, velato in Ecclesia capite sint. Quæ verò non paruerint, postquàm ter, aut semel, quæ vnica monitio pro tribus satis sit, etiam generatim monitæ, in contumacia perstiterint, ab Episcopo, prout expedire iudicauerit, puniantur.

De Ecclesiarum, & Altarium consecrationibus, aliarumq; rerum benedictionibus.

SVMMARIVM.

1 *In Ecclesia consecrata nihil noui ædificij fiat, absque licentia Episcopi.*

2 *Ecclesiæ Parochiales non consecratæ infrà quod tempus consecrandæ.*

3 *Altaria maiora earundem Ecclesiarum consecranda.*
Consecrationis Ecclesiæ, & Altaris vis explicanda. De sacramentalib. 9.

4 *Pridie consecrationis diei ieiunium seruandum.*

5 *Consecrationis dies sanctificandus: idque fiat singulis annis. & de diu. off. 51.*
Is dies, si ignoretur, ab Episcopo certus præfigendus. Ibid. 52.
Consecrationis Ecclesiæ Cathedralis dies in Calendarium referendus, & à quibus is celebrandus. Ibid. 53.
Collegiatæ, & Parochialis Ecclesiæ dies dedicationis, à quibus, & qualiter agatur. Ibid. 54. & 55.

6 *Consecrationes Ecclesiarum, & Altarium in librum referendæ: & vbi is liber custodiendus.*

7 *Consecrationis Ecclesiarum, & Altarium maiorum, memoria, tabula marmorea notanda: eaque vbi collocanda.*

Alta-

8 *Altarium etiam minorum consecratio, qua ratione, quoque loco notanda.*

9 *Aedes quæ benedicendæ; & quo ritu.*

1 NE in Ecclesia, quæ consecrata sit, nisi Episcopi concessu, ædificijque forma ab eodem præscripta, quicquàm noui ædificij fiat; non Capellæ item, non Altaria, vt Canonum iure sancitum est. 3. De ijs, q̃ pert. ad orn. & cult. Eccl.

2 Ecclesiæ saltem Parochiales, non consecratæ, infrà annum in ciuitate, per diœcesim verò infrà 4. De Ecclesiarum, &c. cõsecrationibus, &c.

3 biennium, omninò consecrentur: item Parochialium Ecclesiarum maiora Altaria, quæ consecrata non sunt, quàmprimùm poterunt.

4 5 Cùm Parochialis Ecclesia consecranda erit, ieiunium in vigilijs cum supplicationibus populus suæ quisque Parochiæ seruet: tum in die etiam ipso, quo consecratio fiet, abstineat ab omni seruili opere; eumquem diem, festum colat, & celebret; idque vtrumque propterea à Parocho antè denuncietur. 4. Ibidem.

6 Liber, Episcopo curante, conficiatur: idemque in Archiuio Episcopali asseruetur: in quem Ecclesiarum, Altarium, Cœmiteriorumq; consecrationes, & campanarum benedictiones ordine relatæ, ad perpetuitatemque posteris proditæ, extent. 4. Ibidem.

In Ecclesiæ item vniuscuiusque Sacristia liber eiusmodi sit, aut certè aliud scripti genus, publica auctoritate munitum, de illius Ecclesiæ, suique cœmiterij, & Altarium consecratione, & campanarum benedictione.

7 Quò firmius verò, magisque perpetuum consecrationis Ecclesiarum, & Altarium monimentum posteritati prodatur, vniuscuiusque Ecclesiæ consecrationis diem, annumque litteris, etiam in marmore incisis, rectè notari, tabulamque marmoream, in qua tota consecrationis narratio exaretur, in pariete ab Ecclesiæ fronte, non longè à ianua primaria, loco illustri benè affixam; collocari mandamus. Idem iubetur de Altarium maiorum consecratione.

8 Aliorum verò Altarium cuiusuis Ecclesiæ consecratio, pictura saltẽ aliqua, vel alio signo exprimatur, vel in Altari ipso, vel loco proximo.

9 Antiquus ille benedictionis ædium, quæ vel recenter ædificatæ sunt, vel immundis spiritibus, aliaue ratione vexantur, ritus, vbi in vsu esse desijt, Episcopi cura restituatur. In illa porrò benedictione Parochus, ritum, preces, psalmos, orationes, in libro Sacerdotali, Rituali-ue præscriptas adhibeat.

Veterem illum, &c. Vide etiam Tit. de Sacramentalib. nu. 63.

De Ratione adhibenda in Ecclesiis Altaribusque profanandis.

SVMMARIVM.

1 *Ante profanationem Ecclesiæ, sacræ Reliquiæ, & imagines aliò trãsferendæ. 3.*
2 *Translationi Clerus, & populus interſit.*
4 *Altaria, qua cærimonia amouenda.*
5 *Ossa fidelium, vt etiam exhumanda: quaq; ratione aliò transferenda.*
6 *Altare solum qualiter profanandum.*
7 *Cœmiterium item.*
Cœmiterium. } *ad quam Ecclesiam transferenda. De Ecclesijs instaurandis, nu. 7.*
Ossaq; mortuorum. }
Materia omnis Ecclesiæ profanatæ ad quem vsum non adhibenda. Ibid. nu. 4.
8 *In Ecclesijs profanatis crucis insigne figendum.*

4. Derat. adhiben. in Ecclesijs, Altaribusq; profanand.

1 Ecclesia, si quæ aliquando, quauis auctoritate profananda est, vt nè vario cerimoniarum vsu, sed certa, & vna, eademque ratione profanatio fiat, ità, vt infrà prescribitur, profanetur.

2 Primò, si quæ sacræ Reliquiæ, corporaue sanctorum in ea reconduntur, aliquot ante profanationem diebus, diligenter recognita, ad Ecclesiam, in quam transferri Episcopo placuerit, ritè, & præscripta ratione transferantur. Ad quam sacrarum Reliquiarum translationem illius viciniæ, Ecclesiæque Clerus in primis conueniat, in quam deferuntur, conuocato etiam, præsertim eius viciniæ populo.

3 Sacræ etiam imagines eò transferantur.

4 Deinde Ecclesiæ Altaria per Sacerdotem, cui Episcopus profanationis facultatem, scripto exaratam, nominatim dederit, hac cærimonia amouebuntur.

Primùm aliquantisper, genibus ad Altare profanãdum, flexis, tacitè orans, orationem dominicam, salutationem angelicam, & orationem de sancto dicat; cuius nomine Altare illud dicatum est: tùm, vbi orauerit, illud ab omni parte detegat: lapidem consecratum ità aptè euellat, vt nè confringat; tùm manibus suis lauet, atque abstergat; deinde aquam in sacrarium effundat: lapide ità amoto, diligenter, religioseque perspiciat, si quæ sacræ Reliquiæ insunt, quas inuentas certo, hone-

honestoque loculo clausas, atque obsignatas, asseruet: &, vbi Episcopo denunciarit, in Ecclesia, ad quam trãslatio fit, ad Episcopi prę-scriptum recondendas, & asseruandas tradat; tùm reliqua Altaris pars ab operarijs amoueatur. Idque omne in singulis Altaribus amouendis ritè seruetur.

5 Prætereà alio post Altarium amotionem die per homines, quos Episcopus adhibere voluerit, fideliũ ossa exhumentur; vnoque loco collecta, reponantur, præsente eodem Sacerdote: qui, antequàm exhumationis initium fiat, tacitus item, vt suprà, ad Altare maius precetur, cũ processione Cleri, & populi viciniæ, infrà cuius fines Ecclesia profanata est, ossa efferentur ad locum, vbi reponenda sunt: dumque efferuntur, vt pro mortuis fit, precum officium dicatur; tùm in Ecclesiæ loco, vbi reponentur, viciniori pro mortuis itidem Missę sacrificium fiat.

In Ecclesijs autem dirutis, ad vsumque profanum conuersis, crucis insigne figatur, ex Tridentini Concilij sanctione; quod signum facilè amoueri non queat. Sess. 21. c. 7. de ref.

6 Altaris item vnius, quod sine Ecclesia profanandum est, ratio, vt suprà de Altaribus in Ecclesia profanandis prescripta, seruetur.

7 Cœmiterij prętereà profanãdi modus, vt Ecclesię, idem teneatur.

8 In Ecclesijs autem dirutis, ad vsumque profanum conuersis, crucis insigne figatur, ex Tridentini Concilij sanctione, quod signum facilè amoueri non queat. Ibid. sess. 21. cap. 7.

De Ecclesiis instaurandis, vel diruendis, ac transferendis.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesiæ collabentes, collapsæque reparandæ, instaurandæue.*
2 *Cuius impensis id fiat.*
3 *Nullum, vel exiguum censum habentes, quorum sumptu instaurandæ.*
4 *Materia Ecclesiæ dirutæ ad quem vsum non conuertenda.* 1.
5 *Missarum in Ecclesia diruta celebrandarum, munus, ad quam Ecclesiam transferendum.*
6 Capellæ Altariaue } *vbi id munus expleatur, exstruenda: quid item agendum, vbi illa etiam ædificari nequeant.*
7 *Cœmiterium Ecclesiæ dirutæ quò etiam transferendum.*

Ecclesia

1. De Ecclesijs, & earum cultu. Sess. 21. c. 7.

1 ECclesias quascumque siue curatas, siue non curatas, sacella, & oratoria diruta, Episcopi ad eam rationem, quę à sancta Tridentina Synodo præscripta est, restituenda vel alio transferenda curent. Lapides, cementum, & omnis materia eorum locorum ad profana ædificia nè adhibeantur; nisi Episcopi auctoritas ex iusta causa intercesserit: quòd enim semel Deo consecratum est, ad priuatos hominum vsus transferri non debet.

Altaria etiam, quæ extrà Ecclesiam, & quæ sub dio, nec sæpta, aut munita sunt, Episcopi, aut sepienda, si fieri possit, aut demolienda curent.

5. De Ecclesijs earũ sup. & fructib. Ead. sess. 21. c. 7. & 8.

2 Quæ Ecclesiæ, necesse est restituantur, atque instaurentur; earum omnis census, parsuè hic sumptui necessaria, etiam si Equitibus ordinis Hierosolymitani obueniret, ab Episcopo sequestri nomine apud uirum bonum deponi iubeatur, qui in illarum instaurationem, eiusdem iussu, erogetur.

5. Ibidem.

Ead. sess. & c.

3 Quæ verò labentes, propeq; cadentes nullum censum habent, vnde restituantur; ciuitatis, municipij, lociuè, vbi sitæ sunt, impensis instaurentur Episcopi cohortatione diligenti.

Id omne de oratorijs etiam constitutum sit.

5. Ibidem.

4 Lapides, cæmenta, tigna, omnisque materia Ecclesiæ dirutæ, profanatæuè, ad vsum quoque profanum, sed sordidum tamen aueri, adhiberique arbitratu Episcopi liceat. Pecunia verò, quæ inde colligetur, illius etiam iudicio in sumptus Ecclesiæ vtiles conferatur.

5 Missarum autem munus, quod in ea iàm diruta præstandum erat, nisi Episcopus ad aliam potius legitima facultate transferre censuerit; ad Ecclesiam primariam, quam matricem vocant, transferatur; vbi illius, ad quem profanatę Ecclesię census peruenit, impensis, Altare Sancti, Sanctęuè nomine exstruatur; cuius titulo, quę profanata est, nuncupabatur.

6 Eadem Sess. 21. cap. 7. in principio; ibi: atque in eisdem Ecclesijs erigant Altaria, vel Capellas sub eisdem inuocationibus; vel in iam erecta Altaria, vel Capellas transferant cum omnibus emolumentis, & oneribus, prioribus Ecclesijs impositis.

5. Ibidem.

7 Illius porrò cœmiterium ad eandem Ecclesiam transferatur, ad eundemque locum ossa mortuorum asportentur.

De Immunitate Ecclesiastica.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Criminoso petente se recipi in sacrum locum; vel absque licentia illum ingrediente, ordinarius à Clericis consulendus, admonendusuè.*
2 *Nè immunitas ob id violetur quid ab ordinario seruandum.*
3 *Eadem immunitate, vt cognoscatur, an gaudere possint confugientes, ad quem carcerem, & per quos satellites abducendi.*
4 *Cognitio ipsa breui expedienda.*
5 *Custodia durante, quæ agi à sæculari Magistratu prohibentur.*
6 *Cadauera occisorum à iudicibus, & notarijs maleficiorum in Ecclesijs non inspicienda.*
7 *Delicti in Ecclesia commissi certificandus Episcopus, & à quibus.*

1 SIcut Ecclesiastica immunitas, Dei præcepto, & Canonicis sanctionibus constituta, quàm diligentissimè custodienda est; neque permittendum, vt confugientibus ad Ecclesias, & loca sacra aliqua vis contrà sacros Canones inferatur; ità summoperè cauendũ, nè facinorosi, nisi necessariò ad ea, quasi ad asylum, in sacrarum Constitutionum fraudem se recipiant. 1. De Ecclesijs, & earum cultu. 17. q. 4 quisquis. Cõc. tri. sess. 25. c. 20. de ref.

Mandamus igitur omnibus, & singulis Clericis, proposita pœna excommunicationis, alijsque arbitrio Episcopi: vt, quoties ab aliquo exule, damnato, vel criminoso, qui in loco libero sit, postuletur, vt illum in eorum Ecclesijs, Cœmiterijs, vel domibus recipiant omninò antequàm assentiantur, Ordinarium consulant; & quidquid ille tali in re censuerit, faciant.

Quòd si Clericis minimè præmonitis, tales personæ ad huiusmodi loca, venerint, ijdem Clerici, eiusdem pœnæ periculo, Episcopum quàm primùm certiorem faciant, vt quicquid ab eo hac in re decretum fuerit, seruent.

2 Ipse autem Episcopus de his commonefactus, considerata personarum locorum, & temporis conditione, ac facti qualitate, decernet, quod Ecclesiæ immunitati consentaneum iudicabit: ità tamen', vt Ecclesiastica immunitas nulla ex parte violetur: neque propterea censeatur data facultas aliqua sæcularibus magistratibus & potestatibus lædendi immunitatẽ; aut aliquos de his, quæ diximus, locis extrahendi, contrà quàm antea iure communi statutum esset.

3 Sæpè accidit, fontes homines, qui ad Ecclesiam, sacrauè loca, & alia Ecclesiasticę immunitatis iure munita, præsertim, vbi primum crimen 5. De Ecclesijs earũ sup. & fruct.

men patrarint, statim confugiunt, non solum à satellitibus magistratuum, iudicumue sęcularium; sed à consanguineis etiam, & affinibus eorum, quibus cędes, iniuriaue illata est, armatorum quoq; hominum collecta manu custodiri, magno cum eo periculo, vt ne grauiora interdum facinora, ac aliquando Ecclesiasticę immunitatis violatio, flagitiaque turpissima admittantur. Quamobrem, vt ijs ipsis offensionibus, & malis, quę inde sępè existunt, occurratur, licere decernimus, iussu Episcopi, ob eam solum causam, vt cognoscatur, an qui tunc ad Ecclesiam perfugium habuerit, iure vti possit immunitatis Ecclesiasticę, per satellites fori Episcopalis ad carcerem Clericalem, vel sęcularem, si eo loco Clericalis carceris custodia tuta non est, eiusdem Episcopi iudicio, inde abduci, tamdiù Episcopali nomine custodiri, quoad re perpensa ipse Episcopus deliberet.

4 Is verò quàmprimùm deliberationem ineat; sique libertate, immunitateue Ecclesiastica illum vti, fruiue censuerit, ab omni detrimento, omnique impensa liberum, atque immunem loco restitui statim mandet, vnde abductus est: sin autem secùs faciendum duxerit, foro, iudicioque magistratus sęcularis, prout iuris erit, illum relinqui iubeat, ad Canonum, & Conciliorum, aliarumque Apostolicarum Constitutionum prędscriptum.

5 Interea verò, dum in custodia est, nè cuiquàm liceat, de eo quęstiones, examenue instituere, neque adeò contrà personam quicquàm agere, quo prędiudicium illi, eiusue causę afferatur.

Id autem, vt ab omnibus inuiolatè seruetur, nec verò huius decreti nomine, prętextuue quicquam contrà immunitatem Ecclesiasticam à iudice, magistratuue sęculari fiat, geratur, agaturue, omni diligentissima cautione in eo vtatur Episcopus, censurasque etiam proponat arbitratu suo.

1. De Ecclesijs, & earum cultu.

6 Nè occisorum cadauera à iudicibus, vel notarijs maleficiorum in ecclesijs vllo modo inspiciantur; sed eo illata, exportentur, & huiscemodi inquisitiones, & omnia, quæ ad cædis cognitionem pertinent, à sacris locis reijciantur.

6. Quæ ad cultum Eccl. pert.

7 Si quæ delicta in Ecclesia cõmittuntur, Parochi, intrà cuius parochiæ limites sita est Ecclesia; etiam si illa regularis sit, & exempta, vbi delictum patratum est, officium sit, quàmprimum Episcopo, Vicario uè litteris saltem significare. Idem de eo Parocho, Capellano, Doctoreue decernitur, in cuius Ecclesia crimen commissum est.

De Ecclesiis simplicibus, Oratoriis, ac Capellis, in quibus Missæ sacrum aliquando fit.

SVM-

SVMMARIVM.

1 Ecclesiæ simplicis & Oratorijq; forma.
2 Capellæ eiusdem situs, & spacium.
3 Clatbrum quale.
4 Altaris forma, spacium, gradus: & in qua Ecclesia Altaria ornata semper sint, vel festis tantum diebus.
Sacrarium. De sacrario, nu. 1.
5 Fenestræ.
6 Ianuæ situs, cum fenestra orbiculari.
7 Vas aquæ benedictæ.
8 Sacristiæ locus, eiusque supellex. De supellectile sequenti tit. dicetur.
9 Campanile cuiusmodi.
10 Capellæ minores, quando, vbi, & qua ratione ædificandæ.
11 Alia in Ecclesia quacumque necessaria, vnde sumenda.
Munditia eiusmodi locorum. De ornatu, &c. sacrorum locorum. nu. 6.
Parietes quales, & à quibus sordibus præseruandi. Ibid. nu. 8.
Quæque profana ab eis remouenda. De profano vsu à sacris locis tollendo per totum.
Ostia certa hora claudenda, & aperienda. De Relig. in sac. locis conuers. nu. 5.
Claues quibus non committendæ. De profan. vsu vt suprà, nu. 15.
Missa in eis non celebranda absque licentia Ordinarij: eaque facultas qua ratione quaque moderatione concedenda. De Missis sine cantu. nu. 3. 4. 5. 6. 7. 8.
Quando eam ibidem celebrare non liceat. Ibid. 34.
In Ecclesia ob deuotionem frequentata, capsula eleemosynaria pro Missis celebrandis, collocanda: quoque modo ipsi eleemosyna distribuenda. Ibidem. 27.
Missarum celebratarum liber in Sacristia conseruandus. Ibid. 22.
Missis celebrandis, quæ supellex paranda. Videndus tit. sequens.
12 Oratoriorum priuatorum ædificatio, & vsus non facilè concedendus.
13 Quo ædium loco illa ædificanda.
14 Ædificij forma.
15 Illis rarò ij vtantur, quibus est eorum vsus concessus.
Facultas in eisdem celebrandi à Sede Apostolica impetranda, quæq; etiam cum moderatione concedenda. De Missis sine cantu. 6.
Ecclesiæ, Oratoria, Sacellaque diruta qua ratione restituen. vel transferenda. De Eccl. instaurandis, nu. 1.

Conscri-

Inst. fab. Ecc. lib. 1. c. 29.

1 Onscriptis breuiter instructionibus, & fabrica Ecclesiasticæ, & partium adiunctarũ, consequens est instructio de Oratorijs: quorum vnum est, vbi Missæ sacramentum aliquando fit; alterum quod in vijs exstruitur, vbi non celebratur.

Simplex igitur Ecclesia, seu Oratorium, eiusmodi sit, vt vna tantum naui constet: cuius longitudo sit non minor cubitis duodecim; latitudo verò decem; & altitudo situs rationi conueniat.

2 Habeat præterea in capite Capellam, quæ si fieri potest, in Orientem vergat, cubitis circiter octo, ampliusue, prout situs ratio fert, latè patentem; ea verò longitudine, & altitudine, quæ cum latitudine conueniat.

3 Ad eius ingressum gradus vnus tantum sit, cui ex præscripta forma clathra infigantur.

4 Cuius Altare, pauimentum, tectum fornicatum, fenestræ, fenestella vrceolorum, campanula à latere appensa, & reliqua ita sint, vt de Capellis, Altaribusue minoribus, præscriptum est.

Ad Altare verò ascensus fiat duorum graduum: quorum vnus sit is, quem ipsius Altaris scabellum facit.

A gradu autem inferiori scabelli, vsque ad clathra ima spacium, interuallumue sit saltem cubitorum duorum.

4. De ornatu &c. §. Cùm Ecclesiæ.

Quod Altare, tùm alia posita in Ecclesijs, quę frequentantur, quotidie instructa, atque ornata semper sint; in cęteris verò Ecclesijs, festis saltem diebus. De ornatu, &c. nu. 3.

Inst. fab. Ibid.

5 Fenestrę prętereà Oratorij, in altum ità exstructę sint, vt qui foris stat, inde introspicere non possit.

6 Ianua è regione Altaris, fenestra item, quæ in orbem ducta, instar oculi, ex præscripto modo, fiat.

7 Labrum item aquæ benedictæ, forma constituta, propè ianuam intus statuatur.

8 Capellæ maiori adiuncta Sacristia sit, quæ, vbi potest, ad meridiem spectet: amplaque sit pro Oratorij magnitudine, & instructa supellectili, ac cæteris rebus, quæ vsui sint, ad præscriptum.

9 Ab altera parte, quæ Sacristiæ respondeat, paruula turricula, à Parochiali omninò dissimilis, fieri potest; sin minùs duæ pilæ lapideæ in pariete summo, iam præscripta ratione, struantur, vbi campana vna tantum suffulciatur.

10 Si Oratorium eiusmodi futurum est, vbi plures Missas, eadem pene hora, celebrari oporteat; ab vno, & altero item latere, Capellæ singulæ, paululum à maiori distantes, forma in Ecclesiæ fabrica præscripta, fieri possunt.

Reli-

11 *Reliquarum etiam partium forma, & ratio, quæ ad Oratorium pertinere possunt, sumenda ex ijs, quæ præscripta sunt in Ecclesiæ fabrica.*

12 Oratoriorum autem ædificationem, aut vsum; nè facilè, sed magna de causa permittant ijdem Episcopi. 1. Quæ pert. ad celeb. Missæ.

In eis autem designandis, vel probandis, hęc seruent.

13 Nè sint in interiorum ędium partibus, in quibus domini, vel familia frequentius versentur; sed commodo, & honesto loco, à cubiculis, triclinijs, & ab aula separato, ad templi formam, & regulam propius accedant.

14 Nè ita angusta sint, vt, qui Missam audierint, ad ostium, aut fenestram stare cogantur; aut denique ibi sacris interesse, vbi promiscuè profanum aliquod exerceatur; quod fieri omninò prohibemus.

15 Cui autem id permissum fuerit, is eo rarius vtatur; nè distracti homines ab illa cõmoditate, Ecclesiam Dei minùs frequentent; quod exemplo etiam noceat alijs.

De Sacristia, & Supellectile Ecclesiæ simplicis, & Oratorii, vbi Missa celebratur.

SVMMARIVM.

1 *Sacristia Ecclesiæ simplicis, & Oratorij qualis, quęque habeat.*
2 *Supellex ad ornatum Altaris, & vsum celebrationis Missarum quę, qualis, & quotuplex.*
3 *Quæ alia supellex, quæ tabellę, qui libri, quęque vasa, & instrumenta.*

1 *Sacristia hęc ędificetur instar aliarum, de quibus Tit. de Sacristia Cathedralis, Collegiatę, & Parochialis Ecclesię enarratum est: ampla tamen solummodò pro Oratorij, & Ecclesię magnitudine, vt etiam proximo superiori tit. nu. 8. tactum est. Quę autem habeat, vide eundem Tit. de Sacristia Cathedralis.*

2 *In Ecclesijs simplicibus, & Oratorijs, vbi Missę sacrum aliquando fit, vnicuique Altari, non solum maiori, verùm etiam minori, si quod in ijs est, apparetur, atque sit supellex suprà prescripta vsui Altaris minoris in Basilica Cathedrali. Vide tit. de Supellectile Altaris minoris in Cathedrali, &c.* Inst. sup. Eccles. li. 2. c. 4.

Tùm

3 Tùm prætereà hæc, quæ ordine infrà notata est.

Vas vsui absterſionis calicum, patenarum, & lauationis corporalium, ac purificatoriorum.

Mantilia longiora, quattuor, apud labrum lauationis manuum appendenda.

Mappæ duæ, ad vſum Altaris Sacriſtiæ, ſeu Armarij, apud quod Sacerdos ſacras veſtes induit.

Tapetum, ſeu clathra lignea, vbi Sacerdos ſacras veſtes induit.

Tabella ſacrarum Reliquiarum in ea Eccleſia reconditarum.

Tabella item de Indulgentijs eidem Eccleſiæ perpetuò conceſſis.

Tabella orationũ: quibus præparatorijs vtitur Sacerdos celebraturus.

Tabella orationum, ad vſum Sacerdotis, ſacras veſtes induentis.

Tabella de Miſſis, Funeralibus, Commemorationibus, & alijs officijs.

Tabella colorum: qui in ſacris indumentis pro ritu officij ſingulis diebus adhibentur.

Liber Miſſarum: in quo ſcilicet vnuſquiſque Sacerdos ſua manu notet, & ſcribat, qui in ſingulos dies Miſſæ ſacrum fecerit.

Liber de cærimonijs Miſſæ.

Liber harum Inſtructionum.

Vas olearium maius, pro oleo lampadis.

Vas minus itidem ad vſum infundendi olei in lampadem.

Infundibulum, & vas olei, è vaſe maiuſculo excipiendi; rurſùsque in alterum minuſculum infundendi vſum.

Scopulæ paruulæ ex cannulis paluſtribus.

Perticæ, haſtilianè.

De Oratorijs, in quibus Miſſa non celebratur.

SVMMARIVM.

1 Oratoria, in quibus Miſſa non celebratur, vbi, & qua forma ædificanda.
2 Altare non habeant.
3 Feneſtellas quot habeant, & vbi conficiendæ.
4 Vtque oratoria claudenda.
5 Clauis à quo retinenda.
6 Oratoria angusta, vt ſæpienda.
7 Quæ ab eis remouenda.
8 Imagines in exteriori eorum pariete non pingendæ.

1 *ORatoria porrò, vbi sacrum non fit, quæ in vijs extrui solent, exstruantur non in campis; sed in via publica, vt iter facientes, eorum locorum, prospectu piè commoti, paululum precando consistant. In quibus etiam exædificandis, viæ locus deligatur paulò editior, & à vehiculorum actu aliquantò remotior, quò melius à luto, aquauè luculenta defendantur.* Inst. fab. Ecc. lib. 1. cap. 30. 4. De oratorijs in via sitis §. Exstruãtur.

Forma quadrata, vel rotunda, vel alia, quę pro loci ratione decentior videatur, ornatè exędificentur, benèque tecta sint, vt sacrę imagines à pluuia integrę conseruentur.

Opere tectorio foris incrustentur; intùs verò politè dealbata, crucifixi, aut beatę Mariæ Virginis, aut sancti, sanctęuè alicuius imagine sacra, aut tabula piè expressa, quę parieti hęreat, exornentur.

2 Altare nullum omninò habeant. 4. Ibidem.

Oratoria, vbi Missę sacrificium non fit in vijs, & eiusmodi locis posita Altare nullum omninò habeant.

3 *Singulæ fenestellulas tres, firmiter clathratas, vnde precandi causa introrsum genibus flexis inspiciatur, in parte anteriori habeant, duas hinc inde ab ostio, & in valuis tertiam. Si oratoria angusta sunt, in ipsis valuis vna solum fieri aptè potest.* Inst. fab. Ibi.

Quorum Oratoriorum ostium, si è solido assere constabit; nec verò cancellis erit compactum, fenestella in eo, ac duę prętereà, in pariete anteriori scilicet, ab vtraque ostij parte sint, clathris ligneis saltem munitę, vt intro à prętereuntibus possit sacra ipsa imago inspici, ac veneratione coli. 4. Ibidem.

4 Valuis & clauę ab ostio muniantur. 4. & Inst. fab.

5 Quæ clauis à Parocho custodiatur, intrà cuius Parochię fines posita illa sunt. 4. Ibidem.

6 *Quæ verò Oratoria ità angusta fiunt, vt nè ostij quidem valuas, intus patentes capiant; ijs nullus ingressus detur; sed cancellis ligneis ab ostij parte sępiri possunt, reliqua ędificationis ratione ad prescriptum seruata.* Inst. Ibid.

Si verò pariete à lateribus non sępiantur, cancellis etiam ligneis ab illis partibus claudantur.

Neque alienum esset, longurijs circum sępire, vt equi, iumentaue atque bestię procul sint.

Quæ oratoria si ità angusta sunt, vt nè ostij quidem valuas, intus patentes, capiant, cancellis ligneis à parte anteriori sępiantur. 4. Ibidem.

7 *A rubis, & spinis, alijsque id generis, quæ adnasci solent, ab arboribus item, stirpibus, alijsuè eiusmodi arbustis remota sint; vt nè rami* Inst. Ibid.

diffusi tecta operiant: vnde detrimentum ipsis tectis existat.

Inst. & 4. Ibi. 8 Et quoniam sacræ imagines, quæ in exteriori pariete Oratorij exprimi solent, cùm ità expositæ sint, luto, sordeuè inquinari, vel indecentius, iniuriosiusuè tractari possint, nè extrinsecùs in ipsis Oratorij parietibus pingantur, aut alio modo exprimantur, nisi edito loco fiat, vbi ab omni labe integræ conseruentur. Hactenus quartum, & Instructio fabricæ, quod sequitur, ex quarto tantum. In ipsis verò Oratorijs intus aliqua omninò sacra imago sit.

Quæ pertinent ad bonorum, & iurium Ecclesiasticorum conseruationem, rectam administrationem, & dispensationem.

SVMMARIVM.

1 Inuentarium omnium rerum, bonorum, & reddituum ad Ecclesiam pertinentium à quibus; infrà quod tempus; & quibus adhibitis conficiendum.
2 Eiusdem inuentarij quot exempla, & vbi asseruanda.
3 Inuentaria in visitationibus deferenda.
4 Inuentario conficiendo, peccantes, vt puniantur, Iurapatronatus, vnionesq; perpetuæ ab Episcopo recognoscendæ. Ibi.
5 Bonis Ecclesiasticis, quonis modo caducis factis, qualiter pœna caducitatis remittenda.
6 Eisdem feudi nomine datis, conseruandis modus præscriptus.
7 Ordinariorum ea in re officium.
8 Quibus ea non locanda, aut in emphyteusim, pignoriuè danda. & ita ijs quæ ad Capitula, & c. nu. 23. De Iudæis, nu. 10.
9 Quibus eorum administratio non committenda.
10 Locationes eorundem bonorum quæ ab Episcopo recognoscendæ, & nullæ declarandæ.
11 Recognitio ipsa quando ab alio Episcopo fienda.
12 Bonorum Ecclesiasticorum permutatio, alienatioué, quando irrita sit.
13 Eorundem alienatio, ità facta, vt superioris auctoritate fulciatur, quando nulla declaretur.
14 Eadem alienata, semel recuperata, nondum etiam incorporata non locentur, alienenturuè, nisi ob vtilitatem, aut necessitatem.
15 Bonorum in emphyteusim, vel ad longum tempus traditorum memoriæ conseruandæ modus præscribitur.
16 Locationum ui, quæ pactionibus de prædijs melioribus reddendis fiunt, quæ expensæ à conductore fieri, quæque à locatore exigi possint.

17 *Alienatio fructuum Ecclesiæ pendentium vetatur.*
18 *Contractus superinde factus nullus.*
18 *Bona Clerici mortui temerè inuadẽtes, surripientesuè, excõmunicãtur.*
20 *Eandem censuram incurrunt rem aliquam ex eiusdem defuncti ædibus etiam sine inuasione asportãtes, ante quam mobilia in Inuentarium relata.*
21 *Eiusdem Clerici defuncti hæredes compellendi ad tradendum successori scripta omnia ad beneficium, quod obtinebat, pertinentia.*
22 *Oeconomus ab Episcopo constituendus qui bonorum Cathedralis Ecclesiæ curam gerat.*
23 *Isque qualis.*
24 *Quodque eius officium.*
Alter à Capitulo instituendus Sede Episcopali vacante.
25 *Bona iurauè Ecclesiastica vsurpantes qua pœna afficiantur.*
Decretum Concilij Tridentini, contrà eosdem occupatores, quando, & à quibus publicandum. 28.
26 *Bonorũ Ecclesiæ administratores ea emere, vel conducere prohibẽtur.*
27 *Decimæ, vt soluantur, quod officium Parochi, & Concionatoris.*
29 *Decimarum inuestituræ laicis factæ à quibus recognoscendæ.*
30 *Ab earum solutione se exemptum prætendens, priuilegium exhibere cogatur.*
31 *Nihil exhibens ad solutionem cogendus.*
32 *Decimam prædialem Parocho debẽs, antequam è solo asportet, eidem id biduo ante denunciet; & quando hoc locum habeat.*
33 *Decimarum primitiarum, ac legatorum soluendorum quæ cura, & à quibus suscipienda.*
34 *Procurator, & Aduocatus* } *constituendus, qui Ecclesiasticis bonis, & iuribus recuperandis incumbant.*
35 *Qua mercede.*
36 *Iura Ecclesiæ supprimens Clericus, qua pœna afficiendus.*
37 *Clerici Diœcesani eligant, qui vrbanæ Congregationis deliberationibus, quæ ad vniuersum Clerum spectant, intersint: quibus non monitis Clerus vrbanus ne quicquam decernat.*
38 *Ecclesiasticæ personæ, bona, iura Principibus commendantur.*
39 *Principum, & Magistratus officium ea in re.*
40 *Bonis Ecclesiasticis hospitalitas exercenda, & à quibus præcipuè, & in quos.*
Ea in quos alios vsus conuertenda.
41 *Metropolitanus Episcopus* } *Ecclesiasticos fructus aliter dispensans, quàm tenetur, ad quem deferendus, vtque puniendus.*
42 *Episcopo inferior, eos malè dispensans, quomodo plectendus.*

43 *Qui alij ad eorum restitutionem teneantur.*
44 *Hortatio ad Ecclesiasticos fructus benè dispensandos.*
45 *Fructibus Ecclesiasticis dispẽsandis, qua ratione se quisq; gerere debet.*

1. Quæ pert. ad bonorum & iurium cõ ser. rectã admin. & dispẽ.

Ecclesiarum res quàmplurimæ, aut destitutæ defensoribus, aut etiam ab ijs, quibus earum procuratio credita erat, proditæ, ità perierunt, vt monimentis, vel interceptis, vel perditis, nulla spes iam reliqua videatur illas in ius suum vindicandi. Id nè deinceps accidat, neuè quisquàm, quod in Christi patrimonio negligentior sit, quàm in suo, meritò reprehendi possit, statuimus.

Vt Episcopi, & Capitula tàm Cathedralium, quàm Collegiatarum Ecclesiarum, Hospitalium etiam, ac quorumcumque piorum locorum gubernatores, seu administratores, & alij quicumque qui beneficia ecclesiastica quæcumque, cum cura, vel sine cura, quocúmq; nomine nuncupentur, etiam commendata nunc obtinent, ab huius decreti editione; qui verò in futurum quomodocumque obtinuerint, ab adeptæ possessionis die, quisque intrà spacium sex mensium, edictis etiam interim publicè propositis, omnium, & singulorum bonorum mobilium, & immobilium, iurium, actionum, annuorum censuum, siue redditiuum, nominumuè debitorum, & aliorum quorumcumque ad eorum Ecclesiæ, vel eorum administrationi commissas, monasteria, vel beneficia eorũuè mensas quocumque iure pertinentium rationem diligentissimè cõquirendam; & eorum omnium inuentarium, in quo locorum etiam fines, conditionesq; omnes sigillatim describantur, per publicum Notarium diligenter conficiendum curent. Episcopus quidẽ, adhibitis duobus, à Capitulo Cathedralis Ecclesiæ delectis. Capitulum coràm Episcopo, aut alijs præfectis ab eo: alij verò coram fide dignis testibus.

4. De beneficiorũ collat. ac prou.

Idem præterea Clericus, minor natu, beneficij quod obtinuerit, prædiorum bonorumuè omnium inuentarium, ex formula in Concilio Prouinciali primo præscripta, aliquo viro adhibito, conficiat, quem Episcopus ei constituerit. Alioquin pœnam luat, eiusdem Episcopi arbitratu irrogandam.

4. Quæ ad loca pia pert.

Quæcumque bona siue mobilia, siue immobilia, iuraue ad Ecclesiam, etiam quę sit iuris patronatus laicorum, quauis ratione pertinentia, à laicis, quouis nomine administrantur; de eorum rationibus diligenter conquirendis, & inuentario rectè conficiendo, planè præstetur, quod primo Concilio Prouinciali decretum, ac sancitum est de reliquis, alijsuè bonis, & iuribus Ecclesiasticis. Sequitur hunc §. infrà notatus §. Quarum.

Ex

2 Ex eo inuentario exempla duo, notarij publici auctoritate ad certam eorum fidem munita, conficiantur: quorum alterum Episcopi, & Capitula Ecclesiarum Cathedralium in Archiuio, quod vtrisque commune sit, asseruent: alterum ad Metropolitanum mittant. Præfecti verò, & Capitula Ecclesiarum, quæ Collegiatæ sunt, alterum exemplum in communi eorum Archiuio retineant: alterum in Archiuio Cathedralis Ecclesiæ, intrà cuius fines sunt, asseruandum tradant. 1. Ibidem.

Cæteri autem singuli, qui beneficia quæcumque Ecclesiastica quouis titulo obtinent, exemplis item duobus eodem modo confectis, vnũ in Ecclesia sua diligenter custodiant: alterum ad Cathedralem Ecclesiam perpetuò conseruandum mittant: vnde, si vsus postulabit, exemplum sumere eis liceat gratis.

Quarum rationum, & inuentarij exemplaria publici notarij testimonio munita, conscribantur; quorum vnum apud eos, qui administrant; alterum apud Sacerdotem, Rectorem Ecclesiæ, asseruetur; tertium ad Archiuium Episcopale, vbi custodiendum est, afferatur quò cautius eorum bonorum, & iurium conseruationi consultum perpetuò sit. 4. Quæ ad loca pia pert.

3 Præterea in visitationibus, eiusmodi inuentaria Episcopi secum adferant; & cum ijs, quæ seruant ij, qui visitandi sunt, sigillatim conferant: perspiciantque diligenter, nè quid eorum, quæ ibi descripta fuerint, desit, quod Ecclesiæ, vel minimo detrimento esse possit. Et, si quę fortè deerunt, Ecclesiæ restitui, omniaque eius damna sarciri studeant. Ipsa quoque inuentaria, si eis videbitur, renouari iubeant. Et vtique quæcumque accessio, vel immutatio facta sit, ea quotannis in inuentaria referatur. 1. Ibidem.

4 Qui in his, vel negligentia; vel contumacia, vel fraude peccauerint; si Capitula, & alij, beneficia ecclesiastica obtinentes, Episcopi arbitrio; si Episcopus, primæ Prouincialis cuiusq; Synodi, pœnas dabit.

Episcopi intra sex menses vniones perpetuas, etiam Ecclesijs iuris patronatus factas, & ipsa patronatus iura, ex præscripto Tridentini Concilij recognoscant; & traditam eiusdem Concilij decretis de illis rationem diligentissimè seruent. Ibidem.

5 Si quæ laicis concessa Ecclesiarum bona, aliquo modo caduca facta sint; caueant Episcopi, & quicumque beneficia ecclesiastica obtinent, nè pœnam caducitatis remittant: nisi seruatis ijs, quæ in hoc genere iura præscribunt. Sic secùs fecerint, Episcopi in Synodo Prouinciali pœnas dabunt: cæteri ab Episcopo plectantur.

6 Qui bona Ecclesiæ feudi nomine obtinent, à successoribus in ea inuestituram intrà tempus à iure præstitutum, renouandam curent; eisdemque fidelitatis iusiurandum dabunt.

Pari etiam ratione hæredes eorum, & inuestituram postulent; & inrent ijs, qui Ecclesiæ præfuerint.

Qui id facere omiserint, constituras legibus pœnas pendant.

Nè autem res ecclesiasticæ cum alijs confundantur, mandamus; vt feudatarij omnes in eiusmodi renouationibus omnia bona, eorumque fines sigillatim, & nominatim publico instrumento describant.

7 Hanc verò curam præcipuam Ordinariorum esse volumus, vt illos cogant hæc omnia exequi, propositis pœnis eorum arbitratu.

8 Nemini beneficiorum ecclesiasticorum bona propinquis suis intrà tertium gradum in Emphyteusim, aut ad cuiusuis temporis spaciũ, etiam per suppositas personas locare liceat: nisi euidens, & magna Ecclesiæ vtilitas, iudicio Episcopi, præter alia iuris requisita, aliud postulare videatur. Si aliter factum fuerit, nulla sit locatio; & qui locarit, ab Ordinario puniatur.

2. Tit. 3. dec. 5. Nè Ecclesiasticorum beneficiorum bona patronis, neuè item eis quorum cessione ea beneficia obtinentur; neque illis præterea qui primo, secundouè consanguinitatis gradu cum eisdem iuncti sunt, nè per suppositas quidem personas; ac nè ad breue sanè tempus, locari liceat: idque nisi cognita prius Ecclesiæ vtilitate, Episcopus, data scriptis facultate, concesserit. Quicumque secùs fecerit, fructibus vnius anni mulctetur, quos ex eorum beneficiorum prædijs, bonisuè capit.

Inquirat præterea Episcopus diligenter, an aliqua simoniæ labes contracta inter eos sit.

4. De benef. collat. ac prouisione. 9 Vt prædiorum ecclesiasticorum conseruationi consulatur, ac simul occupationibus, vsurpationibus, alijsque fraudibus occurratur, nè Clericus quispiam minori ætate, beneficium ecclesiasticum obtinens, cuiquàm, etiam quocumque sanguinis, cognationisuè vinculo, vel arctissimo sibi coniuncto, illius beneficij bonorum administrationem, procurationemuè, nisi Episcopi concessu, litteris exarato, committat. Sequitur Decretum, Id præterea supra nu. 1.

1. Ibidem. Sess. 25. c. 11. 10 Ex auctoritate sacri Concilij Tridentini negotium damus Episcopis Prouinciæ nostræ, vt singuli vnà cum Canonico à Capitulo, & altero de Clero ab ipsis deligendo recognoscant, etiam ex officio, quascumque locationes bonorum ecclesiasticorum ad longum tempus à triginta annis factas. Et, si eas in damnum Ecclesiæ, & contrà Canonicas sanctiones contractas fuisse adiudicauerint, irritas, & nullas declarent.

6. De bonis, & iuribus Eccles. Quibus iudicibus auctoritate Concilij Tridentini, & Synodi Prouincialis primæ facultas data est, qua rerum ecclesiasticarum locationes, ad longum tempus factas rescindant, nullasque decernant; perpetuas etiam locationes cognoscere, itidemque rescindere, ac irritas facere,

facere, ad eiusdem Concilij Tridentini præscriptum, ij ipsi, & possint, & debeant.

11 Locatio bonorum ecclesiasticorum, ad longũ tempus facta, cùm ex Tridentini Concilij auctoritate recognoscenda erit, nè Episcopus qui bona ipsa locarit; quiuè huius locationis commissarius, aut executor fuerit, causam dijudicet; sed huius locationis recognitio ad Episcopum ꝛviciniorem pertineat; tùm ad eos, qui his locationis causis recognoscendis in eiusdem Episcopi vicinioris diœcesi præfecti fuerint. 2. Tit. 3. dec. 9. Sess. 25. c. 10. de ref.

12 Si Canonicorum, aliorumuè Ecclesiasticorum hominum Collegium, aut Moniales, aut alij quiuis homines, nulla legitima superioris auctoritate, bona ecclesiastica permutarunt, vel alio quouis pacto alienarunt; aut in posterum id committent, cogat Episcopus, tùm eos, qui alienarunt, contrà illum agere, qui talia bona detinet, vt ea restituat; tùm detinentem compellat, ꝛvt ipsa vnà reddat cum fructibus, non iure perceptis. Quicumque hac in re sibi non obtemperarint, eos anathemate feriat, aut interdicat, ex Canonumque sanctione alijs prętereà pœnis afficiat; ac permutationem item eam, aliamuè quamcumque alienationem irritam, planèque nullam declaret. Ibid. dec. 6.

13 Bonorum ecclesiasticorum quæuis alienatio, ea lege confecta, vt superioris auctoritate muniatur, si is, cui alienata sunt, antequàm contractæ alienationi eiusmodi auctoritas accesserit, in eorum possessionẽ ingressus est, irrita, & nulla ab Episcopo declaretur; &, qui ea possidet, à possessione statim amoueatur; & qui prætereà alienarit, ex Canonum sanctione puniatur. Ibid. dec. 8.

14 Ecclesiastica bona, quouis nomine alienata, quacumque ratione ad Ecclesiam redierint, etiam si reliquis Ecclesiæ bonis incorporata non sint, nè tamen amplius ad longum tempus locentur, neuè quouis nomine alienentur; nisi illud ꝛverè tunc Ecclesiæ vtilitati, aut necessitati sit.

15 Vt bonorum Ecclesiasticorum, quę, ꝛvel in emphyteusim tradita, ꝛvel ad longum tempus alio quouis nomine data sunt, memoria, quò ad eius fieri potest, conseruetur: Ecclesiasticus quiuis homo, cui aliquid in singulos annos eo quouis nomine soluitur, cùm primùm id exiget, Notarium adhibeat, à quo instrumenti fide testatum fiat, quicquid ab eo, qui soluere debet, ille acceperit; & cuius fundi, vel vineæ, vel prati, ꝛvel ædium, aliarumuè rerum ecclesiasticarum nomine exegerit; idque nisi qui ea ecclesiastica bona conductionis nomine nunc possidet, illum tamquàm directum illorum bonorum dominum Notarij publici fide recognouerit, eadem diligenti, vt suprà, descriptione prędiorum adhibita. Quòd si quis Clericus, cuius hoc interest, in huius rei cautione adhibenda negligens erit, dimidia parte fructuum vnius anni 2. Ibid. dec. 10.

mulctetur, quos ex eo beneficio consequeretur.

Quæ autem huius rei causa, vel confessiones, vel recognitiones instrumenti fide conficientur; earum exemplum ille Clericus, ad quem spectat spacio mensis Episcopo tradat, in Archiuio asseruandum.

2. Ibid. decr. 11. 16 Vsu, & diuturna consuetudine compertum est, quantum Ecclesijs detrimenti, damnique sæpè importet illa prediorum ecclesiasticorum locatio, quæ ad certum tempus pactionibus ijs iniri solet, vt meliora reddi liceat; ac interdum ea cõditione, vt qui sumptus facti sunt, nè possint, nisi in ipso extremæ locationis tempore, recuperari, & qui item conduxerint, ejici, amoueriuè à possessione nè possint; nisi quidquid in illis melioribus reddendis pecuniæ erogarint, quidquidnè sumptus fecerint, id omne receperint. Quare nos Ecclesiarum vtilitati consulentes, & huic rei vnde tantum detrimenti, tantumq; incommodi ipsis Ecclesijs accidere sæpè solet, quantum in nobis est, occurrere volentes, ità statuimus.

Quæcumque ecclesiasticorum prædiorum locationes ad certum tempus in posterum eo pacto fient, vt illa meliora reddi liceat; & quidquid in illis farciendis, restituendisuè erogatum sit, id ei, qui conduxit, solui oporteat; hęc inita locationum pactio, nè ius tribuat faciendi impensas, in quouisædificij genere vtiles, nisi eas, quæ maiorem summam non excedant, quàm illa sit, quam conductor retinendo singulis annis, quibus firma est locatio, tertiam partem eius, quod locationis nomine soluere debet, recuperare possit. Eam autem ipsam tertiam partem quolibet anno retineat, quò ad, quicquid erogarit, ipse recuperet.

Si quæ verò impensæ, ad vsum necessarium pertinentes, factę sint; ad quamcunque summam perueniant, tum ob eiusmodi impensas cõductor eadem ratione partem tertiam sibi in singulos annos retineat. Sin autem ad sumptus, qui necessariò facti sunt, recuperandos non satisfuerit ea tertia pars; nè, completa etiam locationis die, à prædiorum possessione is, qui conduxit, antequàm ei satisfactum sit, amoueatur: sed Ecclesię Rectori liberum sit, atque integrum, aut comparata aliunde pecunia, aliaue quauis ratione ipsa prædia de conductore redimere; aut eadem illi ipsi conductori iterum, consentiente Episcopo locare; idque tot annis saltem, vt tertiam partem ad minimum in singulos annos eius rei retinendo, quã locationis nomine soluit, id omne, firma adhuc locatione, recuperet, quod ipse erogarit. Si verò qui his conditionibus conduxerint, tertiam ipsam partem quotannis non retinuerint, nè ius sit eis ab Ecclesia, nec à Rectore, qui succedet; partem, quã non retinuerint, repetendi; sed eorum culpę adscribatur.

In

In ijs etiam locationibus, quæ à Rectoribus, iam ad tempus, ità iniri solent, vt conductores prædia meliora faciant; huiusque pactionis vi atque ratione ędificia, sarcta, tectaque sunt; vel in posterum conductoris sumptibus meliora reddentur; hos sumptus, quos fecerit conductor, ea ratione recuperet, quæ à nobis hoc decreto prescribitur nisi id conuentum sit, vt breuiori tempore soluantur, quam à nobis statutum est.

Quòd si is, qui iam conduxit, & prędia meliora fecit, tertiam eam partem retinere nolit; sed vna tantum solutione sibi restitui velit id omne, quidquid iam erogarit, partem illam quam sibi retinere licet, apud hominem aliquem, cui tutò committi possit, quolibet anno deponat, vt sperari aliquando possit, prædia ipsa Ecclesiastica recuperari aliqua ratione posse.

Si verò conductor eam tertiam partem non deposuerit, sed Rectori Ecclesię soluerit; Rector, qui succedet, illam ab eo repetere possit, aut in rerum, quę meliores factę sunt, rationem referre.

Rector autem, qui tertiam hanc partem temerè receperit, dimidia parte fructuum, quos quolibet anno ex ipso beneficio Ecclesiastico percepit singulis annis mulctetur.

Si qui præterea, ob sumptus in prædijs quibusuis ecclesiasticis factos, creditores sunt, eaque prædia non ipsi, sed Ecclesiæ Rector quauis ratione possidet, ne ea hypothecæ diutius sint, id quod mutua quadam collusione aliquando factum est; in hac ipsa re id curet Episcopus, vt eadem tertiæ partis annua solutione, quidquid in sumptus erogatum est, etiam fructibus sequestri nomine depositis, aut alia ratione, eis restituatur.

Liberum tamen sit Episcopo, in his omnibus, si quando pro beneficij tenuitate, aliauè iusta causa, aliquid minus tertia ea parte præscripta in singulos annos solui, aut retineri consueuerit, id arbitrio suo scriptis concedere.

Vt verò hoc decretum omnibus notum sit, ac planè perspectum, illud nostra auctoritate vulgariter redditum, ab omnibus, & singulis vrbis, & diœcesis Parochis, festo primo die, postquàm ipsi acceperint, publicè in eorum Ecclesijs legatur, ac populo frequenti recitetur.

17 Nolumus cedentibus, aut decedentibus ijs, qui ecclesiastica obtinent beneficia, illorum fructibus fraudari successores, aut saltem eorum recuperationem litibus, & controuersijs difficilem reddi: qua re fit, vt interim Ecclesia debitis muneribus, & officijs destituatur. 1. Ibidem.

Idcircò sancimus, ne Ecclesiarum rectores, aut quicumque beneficia Ecclesiastica quomodolibet obtinentes, sine Ordinarij licentia

scripto

scripto permissa, pendentes beneficiorum fructus quouis præterea, vel causa alienent: nisi venditionis, vel locationis nomine; & tunc dilata in id tempus precij, vel mercedis solutione, quo fructus erunt à solo separati.

18 Quod si secùs factum fuerit, contractus irritus sit, & nullus; &, qui fecerit, arbitrio ordinarij pœna afficiatur, quam etiam sustineat is qui eo in suam rem vti voluerit.

2. Tit. 3. dec. 15.

19 Nonnulli homines ad id temeritatis sæpè veniunt, vt Clerici mortui bona inuadant, vnàque cum ijs illa sæpè, quæ etiam Ecclesiæ ministris, in mortui locum succedentibus, debita sunt, & Ecclesiæ item, cui, dùm in vita ille esset, inseruierat, bona sacrilegè subripiant. Quare pœna excommunicationis latæ sententiæ vetamus, nè Clerici mortui, qui dum viueret, Ecclesiasticum beneficium obtinebat, bona ad Ecclesiã, eiusuè ministros pertinentia, quisq; temerè inuadat, atq; auferat.

Hoc autem decretum semel saltem quotannis Episcopus in sua diœcesi promulgandum iubeat.

3. De ijs quæ ad bona Eccl. tuen. pert.

20 Quod Prouinciali secundo Concilio pœna excommunicationis proposita contrà eos sanciuimus, qui Ecclesiastici hominis mortui bona, vel temerè inuadunt, vel surripiunt, eo decreto illos item astringi volumus, qui vel nulla inuasione, aut vi facta, ex illius mortui Clericalis hominis ædibus supellectilem, remuè vllam, seu scripta ad Ecclesiã cui ille Rector præerat, pertinentia, ante asportant, aut euehunt, quam ab illo, cui id curæ ab Episcopo commissum est, in indicem relata sint illius mortui bona mobilia, libri, & scripta, cæteraque eius generis, quæ in hæreditatem caderent. Hoc itidem decretum, vt illud, quotannis de more promulgetur.

21 Episcopus, vbi Clerici cuiusuis, qui Ecclesiasticum beneficium obtinuerit, mortem audierit, eius hæredes compellat, vt quæcumque scripta, instrumentaue, ad illud beneficium pertinentia, quæ in mortui Clerici bonis inueniuntur, alteri Clerico, qui in beneficium successerit, ab eis tradantur gratis, ac ne vllo quidem, vel minimo precio, pacto, aut exacto: etiam si Clericus, qui decessit, in illorum exemplis describendis aliquid sumptus erogarit.

5. De Epo, Epali iur. & foro. Sess. 24. c. 16. c. qm̃, & seq. 16. q. 7. 9. q. 3 c. cum simus. 89. dist. c. qa in quibusdã.

22 Sacrosanti Concilij Chalcedonensis Canon iubet, ab Episcopo Oeconomum deligi, & constitui, qui Ecclesiæ Cathedralis prædia, bona, resque de illius sententia, & arbitrio administret; vt non modo illa non dissipentur; sed testis sit rectæ administrationis, ac dispensationis. Id, vt à Prouinciæ nostræ singulis Episcopis seruetur, hoc decreto statuimus, nec verò solum quò diligentius bonorum Ecclesię rectæ administrationi ad illius Concilij prescriptum consulatur; verum etiam quò studiosius Episcopus, cum census, supellectilis, bono-

bonorumque eorum curatorem, administratoremque habuerit, in rerum spiritualium officijs, quę Episcopalis muneris propria sunt, ipse omni cogitatione, totoque animo incumbat.

23 Eum verò Oeconomum, vt alio Canone cauetur, Vicedominum constituat Episcopus, non laicum, neque sibi cognatione, affinitatè, aut fauore coniunctum; sed Ecclesiasticum hominem qui & de Clero suo, & verò, è talem, qui idoneus sit, quique in eo administrationis genere, & rectè & peritè versari possit. 16. q. 7. c. in noua actiõe.

24 Cuius administrationis rationis in Codicem certum rectè, ordinèque relatus, tertio quoque anno ad Concilium Prouinciale Episcopus afferat, atque exhibeat, sollicitè pro conscientiæ suę religione, totius illius dispensationis rationem in eodem Concilio redditurus.

25 Vniuersitates, laiciuè homines, etiam qui ius patronatus habent, qui bona, censum, iurauè beneficij Ecclesiastici, aut loci pij, quocumque modo vsurpauerint, aut eorum possessionem detinuerint, anathema, & alias pœnas subeant decreto Tridentino constitutas, non obstante quocumque antiquo usu, possessioneuè. Hoc verò decretum, cum illo vulgariter redditum, populo edici, atque promulgari sæpè iubemus, quò diligentius tale crimen caueatur. 5. De Ecclesijs earũ sup. & fructibus. Sess. 22. c. 11. de ref.

26 Qui bona Ecclesiæ, Hospitalium, aliorumuè piorum locorum, siue solus, siue vna cum alijs administrat; si vel ipse, vel per interpositam personam ea emerit, aut emphyteusis locationisuè nomine conduxerit; ab eo administrationis munere statim amoueatur: nec dignus in posterum censeatur, cui talium rerum procuratio, administratiouè demandetur; cum eoque prætereà ex iuris præscripto agatur. 2. Tit. 3. dec. 19.

27 Nè per inscitiam, aut obliuionem id peccatum committatur, ne decimæ ijs, quibus legitimè debentur, vel omninò non soluantur; vel ex parte tantum. Ideò mandamus, & Parochis, vt inter Missam, & prædicatoribus in Concione, primo quoque Dominico die Aduentus, & Quadragesimæ doceant populum, quid de solutione decimarũ sacrum Tridentinum Concilium statuerit: vehementerque hortentur, ac moneant, vt debitas decimas integrè persoluant, nè propositas ab eadem Tridentina Synodo excõicationis pœnas subire cogantur. 1. Quæ pert. ad bono. &c. Ead. sess. 25. c. 12.

28 Quibus etiam diebus eiusdem Tridentini Concilij decretum contrà occupantes quouis modo fructus, bona, & iura ecclesiarum, & aliorum piorum locorum, communi lingua populo recitent. Sess. 22. c. 11.

29 Decimarum ecclesiasticarum inuestituras, quæ laicis hominibus in perpetuum factæ sunt, Episcopus pro officij sui munere, diligenter, accuratèque recognoscat. quòd si eas legitima auctoritate minùs confirmatas esse compererit; irritas illas, ac plane nullas declaret, & decernat. 3. De ijs, quæ ad bona, &c.

30 Si quibus in locis generatim ab omnibus fructuum, qui ex prædijs colliguntur, decimę Parochiali Ecclesiæ soluuntur, in ijs quispiam fortè est, qui illas exoluere recuset, quoniam sibi persuadet, alicuius priuilegij, aut causæ prætextu immunem se esse: huic Episcopus certũ breue tempus præscribat, quo præscripto tempore is, aut priuilegium exhibeat, aut causam afferat, immunitatis suæ.

31 Quod si ille quicquàm, quod leue sit, ad illius immunitatis instuendum, vel nihil planè attulerit; id Episcopus curet diligentissimè, vt is illas quàmprimùm præstet, quippè cùm in decimis, quæ eius generis sunt, præscriptioni non sit locus.

32 Ne cuipiam bona, decimarũ iure Ecclesiæ obstricta, è solo asportare liceat, nisi ad asportationem, aut ad descriptionem vocato Ecclesiæ Rectore, Parochouè, cui illæ soluuntur. Itaque qui decimas debet, ea bona domum suam, alioue asportaturus, id biduo ante eidem Rectori significet, vel litteris, vel certo nuncio; vt præsens illis, vel asportandis, vel describendis adesse, si velit, vtique possit. Quòd si ille tunc aberit, id vni de eius familia nunciandum curet; aut illius Ecclesiæ, domusuè Parochialis valuis scriptum affigi iubeat, quo asportatio ea denuncietur. Quòd si diutiùs illa bona in solo essent, eis detrimentum, damnumue immineret: tum, vel absente Rectore asportari liceat.

Hoc verò nostrum Prouinciale decretum habere locũ declaramus, quibus in locis non aliter expressè cautum sit aliqua singulari constitutione, aut priuilegio, aut conuentione.

5. De bonis, & uitibus Eccles.

33 Quamquàm de pijs legatis, decimis, primitijsque decreta permulta, contra debitores, Synodis Prouincialibus promulgata sunt; nihilominùs istorum calliditatibus, rursusque eorum quibus debentur commodo non adhuc satis consultum, ac prouisum est. Quamobrem Episcopus, vel ipse per se, vel per Vicarios, Visitatores suè suos, etiam in visitationis munere de pijs legatis accuratè diligenterque inquirat; accersitisque etiam ad se, si videbitur, hæredibus, alijsue, qui ea exequi, præstareue debent, de illis ipsis decernat: certumq; præterea tempus, quo illi præstent, omninò constituat. Atque eorum quidem omnium & singulorum, qui illa præstare debent, nomina edi, in tabellamque certam referri iubeat: quæ in vniuscuiusque Ecclesiæ Parochialis Sacristia loco conspicuo affixa, propositaue sit. Si quis verò eorum, qui in eam tabellam relatus est, ad constitutum tempus legata, quæ debet, præstare, neglexerit, prætermiserituè, arbitrio Episcopi puniatur: nisi re ipsa, quàmprimùm legata, quæ debet, persoluat. Id quoque ipsum de illis, qui decimas, & primitias debent, hoc decreto planè constituimus, & sancimus.

3 De ijs, quæ ad bona Eccles. &c.

34 Episcopus procuratorem, aduocatumque constituere omni ra-

tione

tione curet, qui in bonorum, iuriumque Ecclesiasticorum recuperationem incumbat; vt illis succurratur Ecclesijs, quarum Doctores administratoresue, aut præ inopia non possunt, aut præ metu, & opibus aduersariorum illa recuperare non audeant; vel alia de causa negligunt.

35 Horum vtrique ab illis certam mercedem in singulis causis, quas egerit, persolui iubeat, si per Ecclesiarum, quarum patrocinium illi susceperunt, facultates, Episcopi iudicio, potest: sin minus, gratis intereà omnia ab vno, & altero item agi curet: ità tamen, vt pro illorum laboris, operæue ratione, causis, in quibus elaborarint, peractis, si quid vel iuris, vel emolumenti Ecclesijs illorum opera acquisitum sit, de eo illis arbitrio suo satisfieri mandet. Si verò contrà acciderit; vberius illi à Deo bonorum omnium remuneratore, præmium expectent.

36 Si quis Clericus, aut Sacerdos vlla cuiusuis generis scripta, ad Ecclesiæ rationes pertinentia, occultarit, suppprestituè dolosè; is pœna afficiatur, quæ Agathensi, & Aurelianensi Synodis contrà Clericos, huius culpæ reos, sancita est.

37 Quia contingit interdum, vt Clerus vrbanus congregatus, reliquo Clero diœcesano non adhibito, aliqua decernat, quæ ad Clericos vniuersæ diœcesis pertineant, magno nonnumquam absentium damno: idcircò nos communi eorum vtilitati consulentes, statuimus; vt Clerici, qui extrà ciuitatem sunt, cùm primùm in diœcesanam Synodum conuenerint, aliquos eligant, qui vrbanæ congregationis deliberationibus, quæ ad vniuersum Clerum spectant, intersint. 1. Quæ pert. ad bonorum &c.

Præcipimus etiam Clero ciuitatis, vt antequàm congregetur, semper eos, qui delecti fuerint, admoneat; vt ad congregationes adesse possint. Si verò non admonuerit, quidquid ibi actum, decretumuè sit, externo eius diœcesis Clero detrimento esse non possit.

38 Omnes verò ecclesiasticas personas, & eorum bona, libertatem, commoda, & iura omnia, Principibus summoperè commendamus; admonentes ecclesiasticam immunitatem siue ad hominum vitam, siue ad bonorum possessionem, fructusque pertinent; Dei ordinatione, Summorum Pontificum decretis, & sanctorum Conciliorum auctoritate tributam, nulla ratione violandam esse.

39 Neque enim Principes, & Magistratus res Ecclesiasticas attentare; neque sactos, & religiosos homines ad suum iudicium, potestatemque reuocare; neque Deo addictis bonis manum injcere, aut vllum onus imponere debent. Immò verò meminisse oportet, quas à Deo facultates consequuti sunt, eas ad ipsius Dei gloriam, & honorem, hominumque sacrorum salutem, & incolumitatem conferendas esse; qui pro eorum quiete, ac felicitate Deo preces assiduè faciunt.

Cuius

Cuius officij cum maximè intelligentes fore confidamus, in primis Catholicum, eundemque potentissimum Hispaniarum Regem, & reliquos deinceps Prouinciæ Principes; dubitare non possumus, quin re ipsa efficiant, vt eorum Magistratus, & Communitates nihil aduersus immunitatem, & libertatem ecclesiasticam vllo vmquàm tempore moliantur. Quod ità vt fiat, Episcopi pro sui officij munere curare, & eniti debebunt.

Sess. 25. c. 8. 16. q. 1. c. h.

40 Sacræ Tridentinæ Synodi decretum sequuti, monemus omnes, quicumque beneficia ecclesiastica obtinent, vt hospitalitatem benignè exerceant; memores, Christum Dominum in hospitibus recipi, à quo recipientur ipsi in æterna tabernacula.

Hoc autem hospitalitatis officium eò magis Episcopis colendum est, quod illis eam virtutem Apostolus in primis amplectendam proposuit.

In hospitalitate autem non is habeatur delectus personarum, vt diuites potissimum inuitentur, qui cum fœnore reddant, quod acceperint; sed, cùm ecclesiasticarum personarum domum nemini, quantum per facultates licuerit, clausam esse deceat, profectò illis maximè patere debet, qui Dei voce, sanctorum Patrum cohortationibus, & exemplis, sacrorum Conciliorum præcepto, & auctoritate nobis cõmendati sunt.

41 Et sacrorum Canonum decretis statutum est, & sanctissimorum Patrum testimonijs celebratum, quæ bona fidelium pietas Deo consecrauit, ea vel illorum necessitatibus honestè subleuandis, qui diuinis dicati obsequijs, Christi ministri, & dispensatores mysteriorum Dei effecti essent; vel Ecclesijs reficiendis, earumque ornamentis ad diuinum cultum necessarijs comparandis, vel pauperibus sustentandis addicta esse: siquidem vbi primum Ecclesiæ bona esse cœperunt, eam naturam, & conditionem consequuta sunt, vt in alium, quàm in sacrum, & pium vsum eorum fructus conuerti nefas esset. Quare cauendum est, nè cupiditate prolapsi, quæ radix est omnium malorum, dum vel proprijs, vel propinquorum, & familiarium diuitijs, & honoribus studemus, quæ Deo dicata sunt, bona & Ecclesiæ detrimento, & pauperum gemitu, & bonorum offensione ad aliorum vsum conuertamus. Itaque nos sacrorum Canonum, & sanctorum Patrum auctoritate innixi, atque ijs adducti, quæ sacra Tridentina Synodus de officio administrandi bona ecclesiastica significauit, eos omnes, qui ea obtinent, vehementer monemus, vt muneris sui memores, hæc, quæ sequuntur, diligentissimè præstent.

Sess. 25. ca. 1. de refor.

Episcopi, Abbates, Præpositi, Parochi, ac cæteri omnes cuiuscumque dignitatis, & gradus Ecclesias, etiam eorum administrationi commissas, ac quæcumque beneficia ecclesiastica, etiam simplicia, quomodocumque

cumque etiam commendata, in Prouincia nostra obtinentes, omni diligentia cognoscere studeant, quibus oneribus eorum Ecclesiæ, & beneficia ex bonorum ecclesiasticorum natura, vel ex illorum, quæ obtinent, propria institutione, vel ex conditione Apostolicis litteris in prouisione dictorum beneficiorum, eis præscripta, vel alia quacumque eius generis ratione subiaceant, illisque integrè satisfaciant. Quod si facere omiserint; sed eos fructus sibi vindicare, vel ad alios transferre ausi fuerint, vel in quem debent vsum, non impenderint; se ex sacris Canonibus, & sanctorum Patrum sententia, sacrilegij reos esse intelligant: & eorum omnium necessaria restitutione teneri: neque vlla omninò, etiam immemorabili, consuetudine excusari.

Atque ideò, si Metropolitanus tale commiserit, antiquior Suffraganeus de eo ad Synodum, & Synodus ad Sanctissimum D.N. Romanum Pontificem deferat; si Episcopus sit, & ab Archiepiscopo, vel eo absente, ab antiquiore Suffraganeo monitus plenè non satisfecerit, ad Synodum Prouincialem, primo quoque tempore celebrandam per eũdem deferatur: vbi, & restituere cogatur; & pœnas subeat Synodi arbitratu.

42 Si verò inferiori gradu, quàm Episcopus fuerit, quicumque is ipse, si ab Ordinario loci monitus non satisfecerit, præter restitutionem eorum, quibus pia opera defraudauit, per sex menses administratione bonorum ecclesiasticorum prohibeatur. Quod si iterum in eo peccarit, grauioribus etiam pœnis plectatur.

Quo in genere tanto etiam grauius animaduertentum erit in eos, qui beneficia ecclesiastica obtinent commendata, quanto magis ex industria peccasse videbuntur; si litteris Apostolicis præscriptam legem propositam ante oculos habentes violare non veriti fuerint.

43 Nouerint etiam ij, ad quos scientes huiusmodi fructus, vel aliquod ex illis commodum quouis nomine peruenerit, se eadem restitutionis lege teneri.

44 Ij verò, qui Ecclesias, & beneficia ecclesiastica quæcumque obtinent, quorum fructus ad eos, tamquàm diuinorum obsequiorum ministros, honestè sustentandos propriè sunt attributi, si vberiores sint, quàm ad tuendam vitam, conditionisque suæ rationem requiratur; dubitare non debent, ad eum finem hanc copiam illis esse attributam, vt præter ea, quæ ad victum, & cultum eorum satis essent, suppeterent etiam, quibus diuini cultus ornatus, & splendor conseruaretur, & pauperum inopia, & indigentia subleuaretur: quemadmodum etiã Deus plerosque diuitijs cumulat, vt amicos sibi faciant; à quibus cùm defecerint, in æterna recipiantur tabernacula. Quamobrem per viscera misericordiæ Iesu Christi obtestamur, atque monemus, vt meminerint ea

bona

Sess. 25. c. 1. de ref.

bona non esse sibi credita ad luxum, neque ad augendos consanguineos, sed ad vitam honestè, vt fidelem Dei ministrum, & pietatis Christianæ magistrum decet; traducendam: ex eo verò quod superent, si necessaria pauperibus alimenta denegarint, intelligãt se, quos non pauerint, occidisse; atque ob violatam sanctissimæ charitatis legem, mortale peccatum commisisse: quo sibi iram in die iræ thesaurizauerint.

45 Modum autem, & rationem, qua metiri se pro conditione, & gradu vnumquemque oporteat ad vitam suam fructibus Ecclesiasticis honestè ducendam, eam esse omnes debent intelligere, quæ ab ijs non discrepet; quæ in sacris Canonibus, & præsertim in his nostris Constitutionibus de Clericali frugalitate, & modestia statuta sunt.

Quæ verò de fructibus Ecclesiasticis dicta sunt, eadem etiam de supellectili omni, cæterisque rebus, quæ ijsdem fructibus comparata sunt, dicta esse intelligantur; nè quæ de domestico Ecclesiasticorum hominum cultu, & ornatu per nos in hac Synodo decreta sunt, aut ad propriam auaritiam, aut ad propinquorum splendorem statuta esse videantur.

Cętera quę ad huius Tituli materiam aliqua ratione pertinere possunt, videantur in Tit. Quæ ad benef. Collat. pert. & de Piorum locorum admin.

De Processionibus, & Supplicationibus.

SVMMARIVM.

1 *Processiones vnde proficiscantur; & vbi; quaque ratione absoluantur. 22.*
2 *Quo tempore ad eas veniendum.*
3 *Quo habitu Canonici, & alij Clerici induti ad eas accedant. Ab illis chyrothecę tunc non induendę. De diu. off. nu. 29. Pluuialia item à quibus, & quando induenda. 34.*
4 *Quo ordine à Capitulis, Clericis, Regularibus, Confratrijs & secularibus procedendum, & redeundum. 11. 14.*
5 *Regulares, & exempti ab Episcopo vocandi.*
6 *Et qualiter compellendi.*
7 *Precedentię controuersia ab Episcopo tollenda.*
8 *Cruces à quibus Clericis, & quo habitu ferendę.*
9 *Lumina duo candelabris infixa ad Crucem adhibenda.*
10 *Imagines alię, vexillaue à quibus ferenda.*
12 *Quid à Clero canendum sit in processionibus significandum.*
13 *Ab omnibus psallendum.*

Qua

15 Quæ reuerentia processiones obeundæ.
16 Quæ in earum actione cauenda.
Leges præscribendæ eorum, quæ à Clero in eisdem vitari, præstarique debent. De diu. off. nu. . . .
Easdem transgredientes à Punctatore notandi. Ibidem.
17 Certi etiam viri ab Episcopo deligendi, qui de supplicationibus præscripta seruari curent.
Alij præterea homines Ecclesiastici deligendi, qui Clerum ad supplicationes procedentem, dirigant, & alia præstent. Ibidem.
18 Edendi, & bibendi consuetudo in supplicationib. tollenda. 33.
19 De quo à Parocho admonendus populus Dominico die antecedenti'.
20 Missa quando, & à quo celebranda in Ecclesia, ad quam profectum sit. 23.
21 Officia alia à quo item Clero ibi præstanda.
24 Locus in Ecclesia constituendus, vbi Clerus conueniens, deuotè consistat.
23 Clerus ipse ibidem congregatus à quibus abstineat, quæque agat.
24 Clericorum ostiariorum quod officium, erga Ecclesiasticos ibidem irreligiosè versantes.
25 Campanæ in processionis egressu, & regressu pulsandæ.
26 Musicæ instrumenta in eisdem processionibus non adhibenda.
27 Processionibus Papæ, Episcopiuè iussu indictis, Canonici præsentes quid lucrentur.
28 Clerici alij absentes, vt plectantur.
Processio, quæ solemni die Corporis Christi Domini agitur, è fenestris non spectan. De sanctiss. sacr. proces. defer. nu. 8.
29 Idem seruandum in alijs processionibus publicis.
30 Eleemosynæ ciborum distributio diebus processionum non fiat. 20.
31 Decernendum à quibus in processionibus sint pluuialia induen.
32 Processionibus disponendis laicorum opera non adhibenda: quique alij adhibendi.
Concilio Prouinciali diœcesana q. Synodo indictis singulis diebus Dominicis processiones obeundæ in Cathedrali, & Collegiatis. De Concilio Prouinciali. nu. 15.
Apparatus obscœnarum rerum in processionibus non adhiben. De Imaginib. nu. 27.
33 Processionum stati dies, pro gratiarum actione, & calamitatibus, qui.
34 Populus à Parocho sæpè admonendus, vt sub suæ Parochiæ vexillo processiones prosequatur: quæ processiones quando item agendæ, Dominico die præcedente populo significandum. & 35.
35 Indulgentiæ ob id concessæ, frequenter promulgandæ.

Litterarum, quibus eæ conceduntur, tenor. De Constitut. nu. 44.
De processionibus, quæ cum sanctissimo Sacramento fiunt, suo tit. tractatum est.

1. De Process. & sup.

1 GEnerales processiones a Cathedrali, vel cuiusque loci maiori Ecclesia proficiscantur; & eodem reuertantur; nisi aliud Episcopo videatur.

2 In ijs supplicationibus generalibus, qui non venerit ante inuocationem sanctissimę Trinitatis, pro absente habeatur; aut alia pœna ab Episcopo plectatur.

3 Eas Canonici, & alij Clerici, etiam cuiusuis dignitatis sint, cum superpelliceis, & vsitatis alijs sacris vestibus statuto tempore semper obeant.

4. De Processionibus. In omni processione, in illa præsertim, quæ solemni die Corporis Domini agitur, Clerus sæcularis, superpelliceo mundo, candidoque indutus, vt adsit, præmoneatur.

1. Ibidem. 4 Præfectis Ecclesiarum Collegiatarum in vrbibus præcipimus, vt cum suis quisque Canonicis, & beneficiatis vocatus, superpelliceo, vel alijs sacris vestibus indutus, publicas processiones, prælata cruce, semper obeat.

Quibus Episcopus locum arbitrio suo quàm primùm assignabit; neque eius rei effectus vlla appellatione retardari possit.

Sess. 25. c. 13. De Regul. 5 Ad huiusmodi processiones Episcopi, cum eis videbitur, ex Tridentino Concilio vocent Regulares omnes, quamuis exemptos.

3. De ijs, quę ad diuin. off. pert. 6 Tridentini Concilij auctoritate Episcopus, cum regularibus agat, propositis etiam censuris, & pœnis, vt tùm in vrbe, tum in diœcesi, vbicumque ij Monasteria habent, vnà cùm reliquo Clero sæculari processiones publicas, ad Tridentini Concilij præscriptum, ipsi obeãt, ijsque intersint.

1. Ibidem. Sess. eadem. 7 Si qua controuersia sit de priore loco, ab Episcopo, ex auctoritate eiusdem Concilij tollatur.

8 Cruces Clerici ferant talari veste, & superpelliceo induti: ijque eiusmodi sint, vt eam aptè, & decorè ferre possint.

5. Quæ ad diuin. off. pert. 9 Lumina duo, candelabris, cereoferarijsuè infixa, cùm processiones publicæ, etiam quæ in Ecclesię ambitu aguntur, ab omni cuiusuis ordinis Clero, tàm Regulari, quàm Sæculari, ad crucem adhibeantur, quę vnicuique Capitulo, Cleroue de more præfertur.

4. De Process. 10 Sacrarum imaginum insignia, vexillaue Cleri, nè laicus homo in processione præferat: vbi Clericus quisquàm est, qui hoc munus prę̃stare possit.

Omnes

11 Omnes ordines grauiter, & modestè procedant: colloquijsque excluſis, psalmis, hymnis, & reliquis sacris precibus operam dent. 1. Ibidem.

Nemo ordinem in processione deserat, aute quam ad Ecclesiam, vnde profecti sunt, redierint.

Laici à Clericis, fœminę à uiris separatim prosequantur.

12 Cùm ad processionem Clerus vocatur, quid psallendum, quid canendumuè ei sit, vt opportunum erit, significetur. 4. Ibidem.

13 Canant omnes, cùm verò aliquot canentibus, alijs canere non licet; qui bini incedant, submissa voce, psalmum, hymnum, antiphonam, precemuè piam, inter se dicant, supplicationi, quę fit, mysteriouè conuenientem.

14 Clerici omnes Sęculares, & Regulares, & qui in Basilica Cathedrali dignitates obtinent, bini semper procedãt: neque item inter eos vllo modo laici homines, quocumque gradu sint, interiecti incedant; neque item inter Episcopum, & eosdem, laicis locus sit.

15 Videant Episcopi, vt in supplicationibus, & processionibus quibuscumque, præsertim cum sanctissima Eucharistia circumfertur, & cum frequentior populus ad Ecclesias, indulgentiæ, festi diei, Sacræ Concionis gratia, vel alia de causa conuenire solet, ea modestia, & reuerentia adhibeatur, quæ pijs, & religiosis huiusmodi actionibus maximè debetur. 1. Ibidem.

16 Ne inter viam inaniter spectandi gratia subsistatur.

Ne petulanti facto, dictouè cuiquam molestia afferatur.

Ne, quæ minùs deceant, spectacula adhibeantur.

Neuè actiones pro foribus ædium, aut in via repræsententur.

Qui secùs fecerint, seuerè coerceantur.

Quicumque in processione erratum contra tabellæ præscriptum commiserit; pro præscripta ratione punctator sigillatim, nominatimque illum notet. 4. Ibidem.

17 Episcopi præficiant certos viros, quibus curæ sit, vt hęc omnia, quę de supplicationibus præscripta sunt, seruentur; &, vt res ea, qua decet, pietate agatur. 1. Ibidem.

Constituat Episcopus certos homines, qui Clerum, ad supplicationes procedentem, dirigant: tumque aliquando, cùm opus est, eundem subsistere moneant: tum etiam, qui populum in ordine consistere, mulieres velatas incedere, aliaque eiusmodi opportunè in ipsa etiam via moneant, præcipiant, vt seruentur, efficiant omni sollicitudine. 4. Ibidem.

18. 19 Edendi, ac bibendi consuetudinem, secumuè esculenta, & poculenta deferendi, aut ea vendendi in sacris supplicationibus habendis, vineisque lustrandis, & suburbanis Ecclesijs visitandis, Pa- 1. Ibidem.

rochi tollere studeant: fideles sæpius admonentes, præsertim die Dominico; qui proximè sacras Rogationes antecedit; quàm deceat, vbi pijs orationibus mens, & lingua exercenda est, ibi ieiunium, quod ad alliciendam Dei gratiam magnam vim habet, tantisper seruare non posse.

5. 1. 20 Cum supplicationes publicas, solemnesque fieri opus erit, primùm earum causa processiones agantur, deinde Missa solemniter celebretur; nisi aliter ob causam Episcopus aliquando iusserit. Clerus etiam Regularis, piarumque Confratriarum homines, populus denique omnis, cùm ad Ecclesiam, vbi supplicandi causa statio fiat, processerint, inde ordine item redeant ad Ecclesiam vnde discesserint; vti etiam primo Concilio Prouinciali decretum est; nisi Episcopi præscripto in Ecclesia, ad quam ventum est, processio absoluenda, & dimittenda sit: tuncque inde ad suas quique Ecclesias, benedictione Episcopali, aut missione de more facta, collegiatim Cruce præcedente abeant licet, peractis ante supplicationum, prout ritus est, solemnibus precibus, atque orationibus.

21 Quæ in hoc supplicationis munere, precum, & orationum officia in Ecclesia, ad quam itum est, quæcumque illa sit, peragenda sunt; à Capitulo Cathedralis: in Diœcesi autem, à Clero primariæ sæcularis Ecclesiæ, non illius, ad quam supplicandi causa processum est, rite præstentur; nisi antiqua consuetudo aliud suaserit.

Missæ item sacrificium, cùm ibi faciendum est, illud à Capitulo, Clerouè Cathedralis, & in Diœcesi, primariæ sæcularis Ecclesiæ solemniter fiat: Quo tempore reliquus Clerus discedat licet, missione solemniter facta; ut in suis quisque Ecclesijs Conuentualem, Parochialemque Missam concelebret: nisi aliter quandoque Episcopus iusserit.

22 Clero ad Ecclesiam conuenienti, processionis, supplicationis, alteriusuè eiusmodi officij causa, locus aliquis Ecclesiæ illius amplè quantum potest, patens constituatur, vbi simul vniuersus, si potest, alioqui collegiatim saltem vnusquisque ordo conueniat, & tacitè precando consistat, donec illas obeat: nè per Ecclesiam vagetur, aut quidquàm aliud admittat, quod Concilio Prouinciali secundo uetitum est.

2. Tit. 2. dec. 9. 23 Clerus, cùm in aliquam Ecclesiam, uel ad processiones, uel ad stationes obeundas, vel ad funus conuenerit; illud meminerit, se esse in domo Dei sancta, quę domus est orationis. Quare nullus cuiusuis ordinis Clericus, aut Sacerdos in Ecclesia deambulet, nec in confabulationibus & congressibus, eo loco indignis, versetur: sed vnusquisque, aut solus, aut comitibus, socijsq; alijs adiunctis, religiosas preces Deo in causa adhibeat, quam ob rem Clerus vniuersus conuocatus est.

Cùm

Cùm autem statio celebretur, nè vllus item Clericus extrà Ecclesiam maneat; sed omnes intus sint, omnique pietatis consensione Deo statas illas preces canant.

24 Clericorum verò sit, ostiarij functiones in Ecclesia Cathedrali obeuntium, ecclesiasticos homines supplicationum, processionumue causa in eum certum locum congressos, si quos vagantes, deambulantes, colloquentesue animaduerterint, Episcopi auctoritate prohibere: nùm etiam contumacium nomina ad eundem deferre. 4. Ibidem.

25 In omni Ecclesia, vnde ad statas processiones Clerum, populumque egredi solemne est, vbi primùm procedendi initium fit, campanarum omnium pulsationes solemniter tamdiù adhibeantur, quò ad inde Clerus vniuersus in processionis munere egressus sit. Idem cùm à processione reditur, præstetur. Itidem in Ecclesijs fiat, quæ in vicinia sunt, vbi processio agitur.

26 Musicis verò cuiusuis generis instrumentis in processionibus sonari, nè vllo modo permittatur.

27 In supplicationibus, processionibusue, quæ Summi Pontificis, Episcopiue iussu in exteriori Ecclesiæ circuitu aguntur, Canonicis, & alijs Chori Ministris, qui distributionũ quouis modo participes sunt, tantum ex communi residenti ex censu distribuatur, quantum ipsis dari solet, cùm in Choro præsentes horæ tertiæ officio adsunt. Si verò pro feriæ, festique ratione, quo processio agitur, non in circuitu Ecclesiæ, sed per vrbem, oppidumue illa fiat, agaturue, triplum detur. Quæ omnis distributionum portio detur ijs tantum scilicet, qui illas præsentes obeunt.

28 Quod ad alios autem Clericos attinet, qui processioni, supplicationiue interesse debent; nec verò distributionum participes sunt, cum ijs Episcopi arbitratu, certis mulctis, pœnisue agatur.

29 Itidem prętereà curent de alijs publicis processionibus, cùm illas omnes populum supplicem prosequendo piè obire institutum sit.

30 Si quæ eleemosynæ panis, aut vini, aut aliorum ciborum certo constituto tempore, pij etiam legati iure, alioue quouis nomine distribui debent; earum distributio, nè processionum, supplicationum tempore fiat: quominùs illa commessationibus, crapulisue occasio præbeatur: sed illis peractis id agi liceat.

31 Vnusquisque Episcopus pro solemnium processionum, & eiusmodi actionum ratione decernat, tum qui è Clero; tum quibus diebus, pluuiale illis obeundis induant.

Interea verò mos, & vsus Metropolitanæ Ecclesiæ hoc in genere seruetur.

32 In Missa etiam solemni sacrificio, processionibus, & alijs & iusmodi

modi sacris actionibus cautio sit, vt ad ecclesiasticas functiones, quæ in illis præstari oportet, cuiusmodi sunt; & cùm Corpus Domini in Missa eleuatur, cereorum accensio, & sustentatio, & Cleri in processionibus item disponendi, dirigendiuè ratio, & id generis aliæ, laicorum hominum opera, ministeriumuè adhibeatur: sed in ijs, alijsue eiusmodi generis functionibus obeundis præstò sint Sacristiæ custodes, Clerici, tum Magistri Chori, vel cæremoniarum adiutores, alijque ecclesiastici ordinis homines, quorum ministerium ecclesiasticarum rerum vsui, functioniuè addictum est, tùm alij item Clerici, quibus ea munera Episcopus assignarit.

6. Quæ ad proces. pert.

33 Stati dies processionum, quæ pro gratiarum actione fient, vt antiquis rituum monimentis traditum est, sint, Dominicus scilicet dies, vel feria quinta. Si verò pro calamitatibus, peste, bello, fame, alijsq; id generis supplicandum est; processiones publicæ agantur feria quarta, sexta, & Sabbato: quibus processionibus agendis, etiam certas Ecclesias pro Ecclesiæ suæ consuetudine, ac pro populi commissi pietate Episcopus statuet libero arbitratu suo.

34.35 Supplicationibus publicis obeundis, fideles suæ quiq; Ecclesiæ Parochialis vexillo prælato, vt frequentes ordine procedant, eos Parochus sæpenumero, prout occasio tulerit, accuratè moneat, valdeque accendat, dono, munereque indulgentiæ, quam Summus Pontifex Gregorius XIII. pro sua paterna charitate Prouinciæ Mediolanensi concessit: cuius indulgentiæ Pontificias litteras in fine huius Concilij sexti impressas, ob eam causam frequenter Parochialibus suis euulget.

Quæ in hoc titulo desiderabuntur, videantur in Titulo de sanctissimo Sacramento processionaliter deferendo.

De Supellectili, quæ processionum vsui, communis est Cathedrali, Collegiatæ, & Parochiali Ecclesiæ, cum eiusdem forma.

SVMMARIVM.

1 *Crux Capituli in Cathedrali, & Collegiata Ecclesia tantum. Forma qualis. De Supellectile quę Canonicis, &c. nu. 2.*

2 *Thuribula, Acerræ, Cochlearia* } *in Cathedrali, & Collegiata, ac Parochiali quot.*

Forma

Forma cuiusmodi. De Supellectile Missarum, & Episcopal. nu. 5.
3 Cereostrata in Cathedrali, Collegiata, & Parochiali.
Forma quot eorundem.
4 Labarum, seu vexillum sancti Patroni Ciuitatis, Ecclesiæ Collegiatæ, & Parochialis.
5 Forma.
6 Processionalia, seu libri litaniarum, processionumque in Cathedrali Collegiata, & Parochiali quot.

1 CRux vna Capitularis, ex instructionibus Ecclesiasticæ supellectilis paranda in Cathedrali, Collegiataque Ecclesia. Inst. sup. Ecc. lib. 2. De sup. & Missæ condiu. off. processioniq; vsui com. est i Cath. Colle. & Par.

2 Thuribula, Acerræ, Cochlearia } in Cathedrali, & Collegiata duo; in Parochiali vnum. Inst. Ibid.

Cereostrata bina in Cathedrali, Collegiata, & Parochiali Ecclesia. 5. Quæ ad diuin. off. pert.

3 Cereostrata, seu Cereoferaria, artificiosè tornata sint, auro, aut coloribus decorè obducta in superiori parte, qua Cereus infigitur. Eorum orbis, ex carta ferrea, ideſt tola, congruenter pateat, extremitate sursum reflexa, ad guttas capiendas, quæ ex Cereo defluunt. Alterius verò generis Cereoferaria, quas cancellas appellant, infrà ex ligno tornatili sint; suprà verò quadrifariam secto, & ad Cereos excipiendos apto: ornata verò vt alia. Inst. for. sup. lib. 2. De Cereostratis.

Opercula, ex tenui carta ferrea, fiant, quę infrà patulo circuitu sint, suprà in acumen desinant: bacillis aptè inserantur, vt per eos Cerei, quamuis altè positi, extingui à ministris possint: hęc aliqua maiora ad vsum maiorum, aliqua verò minora, ad minorum vsum, conficiantur. Inst. Ibid.

4 Labarum in vnaquaque Ecclesia Cathedrali, Collegiata, ac Parochiali Ecclesia vnum sit. Inst. for. sup. lib. 2. De labaro seu vexillo.

5 Vexillum sancti Patroni vrbis, & opere, & materia, & ornatu insignius sit, quàm Parochiale, tùm amplitudine prętereà maiori, quę formã ferè quadratam exhibeat.

Vexillum verò Parochiale, quod siparum, aut sanon Ecclesiastico nomine vocatur, è tela auro, argentoue intexta vel è serico firmiter contexto sit. Longè pateat cubitis tribus, & dimidio, lateque totidem, ità vt formę quadratę, speciem prębeat. Qua forma insigne illud, augustissimumque Constantini Imperatoris vexillum, quod Romani labarum dicunt, crucem preciosa, cuius imago cœlitus apparuit, intextum fuisse ex antiquis monimentis constat. Porrò è materia longè pretiosiori fiat, vbi præ Parochialis vicinię facultatibus potest.

Imagine, effigieuè sancti, aut sanctæ, cuius nomine Ecclesia Parochialis nuncupatur, depictum, ornatum, aut contextum sit.

Colore præterea, quem sancti, sanctæuè, cuius vexillum præfertur, imago pro Ecclesiæ ritu deposcit.

Vndique cinctum ornatu laciniarum eiusdem coloris, cuius vexillum est, permixtis etiam filis, argento, auroue intextis.

Appensum præferatur ex hastili ligneo, eoque solido: cui à summa parte crux paruula quadrata præfigatur.

Hastile autem vexillo longius sit cubitis circiter duobus: colore item, quo vexillum.

Vexillum verò, quod, dum fœminæ in supplicationibus publicis procedunt, pro Parochialis viciniæ distinctione præferunt, & materia, & colore, & imagine, & ornatu sit, vt illud, suprà descriptum: & latè, longèque constans vno tantum cubito, & hastili breui, ac tenui: cui item crux paruula in summo affigatur.

6 Libri ad processionum vsum in Cathedrali, tres; in Collegiata, duo; in Parochiali, vnus.

De Funeribus, & Exequijs.

SVMMARIVM.

1 Mortuus quando non efferendus.
2 Quando in Ecclesiam non inferendus.
3 Ante quam horam non sepeliendus.
4 Ad funera qui, & quot euocandi.
5 Quique alios pro se mittentes eleemosynam capere non possunt, etiam sponte oblatam. 6.
Quot ad mensam ob eam causam, adhibendi. De vit. & honest. cler. nu. 38. & 39.
7 Funeris ducendi hora constituenda.
8 Superstitiosi quicquam in feretro non ponendum.
9 Pallium ad mortuos efferendos quorum sumptibus comparandum.
10 Id gratis commodandum.
11 Si precioso nobiles vti voluerint, emant; quod funere absoluto Ecclesiæ acquisitum sit. 12.
Pallij funeralis loco, pallia Altaris non adhibenda. De Missis sine cantu, nu. 41.
13 Clericus mortuus quomodo indutus, & à quo efferendus: à quo item

Subdia-

Subdiaconus, & Diaconus. 15.
14 Laicus illustris à Clericis non efferendus.
16 Episcopus à quibus } efferendi.
Laici item à quibus }
17 Crux vna tantum ab vnoquoque Clero præferenda.
18 Controuersijs, quæ in mortuis efferendis inter Parochos sæculares, & regulares oriuntur, occurritur.
19 Clerus, quò se recipiat antequàm mortuus efferatur.
Quaque modestia ibi versetur. De Processionib. nu 23.
Clerici bini illuc, ad funus prodeuntes, mortuum ad Ecclesiam comitentur. 20. Psalmos, precesuè alias canentes. 21.
22 Via breuiori funus ducendum.
23 Candelæ, cereiuè ab omnibus, propriis manibus accensi deferendi. 24.
Dimissis chirothecis. De diu. off. nu. 29.
25 Illique non restinguendi sepulturæ officio non absoluto.
26 Delato in Ecclesiam mortuo, quid à Clero præstandum.
27 Officium non à laicis, etiam confratribus, sed à Clero peragendum.
28 Missa quando pro mortuo celebranda.
29 Quid si festo die illum sepulturæ tradi contigerit.
30 Officio absoluto, quo ordine, à Clero ad suam Ecclesiam redeundum.
31 Mortuorum vestes à Clericis non sumendæ inuitis hæredibus.
32 Candelæ, intortitiaue in mortui funere adhibita, decreto Concilij Primi Sacristiæ addicta, altero Concilij Secundi decreto Rectori, vel quibus alijs applicantur.
33 Quarta funeralium omninò persoluenda.
34 Hæredes mortuorum ad comparanda in funere necessaria ab Episcopo compellendi.
35 Sermo in funere qualis; & vbi habendus.
36 Eleemosyna, quæ ob funus datur, vbi non distribuenda.
37 Exequiarum causa pactiones prohibitæ.
38 Pignora quoque cautionis causa non capienda.
39 Consuetudines laudabiles cura Episcopi seruandæ. 50.
40 Eleemosynæ causa data capere omnibus liceat.
41 Personæ miserabiles, quæ Ecclesiarum sumptibus sepeliendæ.
42 Exequiarum curatoribus quantum mercedis dandum, certæ regulæ ab Episcopo præscribendæ.
43 Capitulum { Metropolitanæ / Cathedralis, & / Collegiatæ } Ecclesiæ quantum accipiat.

Parochi

44 Parochi
45 Sacristę
46 Clerici.
47 Custodes.
48 Antiani
Curatoresuè
alij. } quid capere possint.

49 Pro crucibus, & căpanis
50 Pro loco sepulturę
51 Pro cenotaphio } à quibus nihil accipiendum: & pro quibus aliquid capiendum.

52 Funus Canonici mortui cuius sumptibus, & à quibus faciendum & quid aliud agendum 53.
Parochi item mortui funus à quibus gratis agendum. De Parochijs, nume. 54.
54 Delinquens in prędictis, vt ab Episcopo puniendus.
55 In sequentibus verò casibus, quid erranti subtrahendum. 56.
A quo errantes in prescriptis legibus punctandi. De Punctatoribus, nume. 32.
57 Cadauer perpetuæ sepulturæ traditum asportari qua facultate liceat.
58 Cadauer occisi in aliena Parochia, alio transferri quo in casu liceat, vel non.
Morte alicuius audita, quid faciat Parochus. De Parochijs, nu. 49.
Oratio pro defunctis à Gregorio XIII. Romę instituta, ab Episcopis in suarum diœcesium locis instituenda, & qua hora mortis. De oratione. 18. 19. 20. 21.
Fidelis vniuscuiusque ea in re officium. Ibid. nu. 21.
Parochi item. De Indulgentijs, nu. 100
Indulgentię ob id conceśę à Parochis suo populo significandę. Ibid.

1. De funer. & exeq.

1 VEtus Ecclesiæ institutum mortuorum funus pijs precibus, & officijs solemni more prosequēdi, multis locis auaritia, ambitione, vel negligentia deprauatum, ad pristinam pietatis rationem reuocemus; Clericis quibuscumque cuiuscuis dignitatis sint, etiam Canonicis Cathedralium, & Collegiatarum Ecclesiarum, cæterisque omnibus hæc seruanda proponimus.

Ante solis ortum; & post occasum, mortuum & efferri & ad sepulturam recipi prohibemus.

2 Inter maioris Missæ celebrationem, mortuorum corpora sepulturæ causa in Ecclesiam non inferantur.

Dela-

3 Delatum ad nos est, nonnullas ex eo offensiones oriri, quòd corpora mortuorum, eorumque præsertim, qui repentina morte decesserunt, in sepulturam nimis præpropere; atque adeò celerius quàm par est, tradantur. Quibus offensionibus, vt opportunè occuratur; decernimus, nè in posterum corpus aliquod sepeliatur; nisi duodecim saltem horis, postquàm spiritum exhalauit. Verum si quem de improuiso mors; aut morbi alicuius repentinæ vis occupauit, is nè in sepulchrum inferatur ante vigesimam quartam huiusmodi repentini euentus horam, nisi secùs Episcopo; eiuè videbitur, cui ipse id curæ dederit. 6. Quæ ad fun. pert.

4 Funeribus, defunctorum officijs, anniuersarijs concelebrandis, cùm Rector Ecclesiæ præter Clericum ministrum suum, alios etiam Sacerdotes, Clericosuè, quorum ministerio, operauè vtatur, accersere, adhibereuè necesse habet; hoc ordine, nisi aliud defunctus, hæredesuè illius voluerint, illos euocet, primo scilicet, si quos habet, illius animarum curæ gerendæ quouis modo socios, collegas, adiutoresuè, tum illius Ecclesiæ titulares, vel canonicos, vel Chori Ministros, vel demùm Capellanos item, deinde Clericos alios, ecclesiasticæ functioni, officiouè in ea Ecclesia addictos, adscriptosuè; tùm prætereà alios, quos mortui hæres, aut is, cuius interest, accersiri, euocariuè maluerit. 4. De funer. & exeq.

Nec verò plures adhiberi vllo prætextu etiam huius decreti liceat, quàm ille velit, vel Sacerdotes, vel alios, etiam Clericos tantum, puerosuè, Clericali vestitu indutos, etiam quos illi euocari secum duxerint: neque rursùs ad eleemosynæ, emolumentiuè cuiusuis generis, eo nomine percipiendi, partem vllam, neque denique vllum non vocatum admitti.

5.6 Illud Præpositi, Archipresbyteri, Parochi, Rectores, & alij quicũque Clerici caueant, nè ad funus ducendum, aut officia pro mortuis celebranda alios pro se mittant, emolumentum, aut eius partem ipsi percepturi: neque secùm pueros, aut Clericos ea spe perducant, mittantuè, vt eleemosynæ, quæ illis data erit, participes ipsi sint: nec sanè verò vllam eius partem vllo quouis prætextu etiam spontè oblatam, capiãt: neque item qui mittuntur, plus capiant, quàm si proprio solum nomine vocati essent.

7 Funeris ducendi certa hora constituatur, qua omnes quicumque euocati sunt, conueniant; vt nulla interposita mora ad illud procedatur.

8 Cautio sit, vt nè simplices homines quicquàm superstitionis causa apud mortuum in feretro, aut in eius manibus ponãt; aut aliud, quod superstitionis speciem præ se ferat, aut suspicionem habeat, cõmittant.

9.10 Dent operam Episcopi diligenti cohortatione, vt in singulis Parochijs, communibus eorum sumptibus, qui sunt in Parochia compa- 1. De funer. & exeq.

retur

retur pallium, quod mortuo imponi solet; idque omnibus in funere gratis commodetur: quod si Parochiani id recusauerint, singuli Parochi, & alij Ecclesiarum Curatorum Rectores pallium ad huiusmodi vsum emant; pro quo mortuorum hæredes illis minimum aliquid Episcopi arbitratu largiantur.

4. De funer. & exeq. Vbi ex nostra in Concilio primo Prouinciali edita Constitutione pallium ad cadaueris, feretriuè tegendi vsum, quacumque ratione comparatum est, omnibus illud gratis accommodetur.

Vbi verò paratum nondum est; Parochialis vicinię hominum, non Ecclesiæ Rectoris sumptibus comparari decernimus.

Sin autem neque illi parent, neque mortui hæres item; sine pallio cadauer efferatur, quousque id præstetur.

1. Ibidem. 11. 12 Si verò nobiles homines aureo, vel serico, vel omninò precioso pallio vti voluerint, pecunia sua faciendum curent; quod ad eiusmodi cadauerum vsum nullo modo in posterum adhibeatur; sed illi Ecclesiæ, in qua mortuus sepultus fuerit, illicò post funus acquisitum sit, & in eius ornamenta conuertatur.

6. Quæ ad funer. perr. 13 Clericus mortuus vestitu Clericali Ecclesiastico quem ordinis sui ratio deposcit indutus efferatur, Diaconali, Ecclesiasticaque veste Diaconus, Sacerdotali Sacerdos: Clericus superpelliceo, tonsuraque ornatus: itidemque alij pro ordinis Ecclesiastici gradu.

14 Mortuum, quouis etiam generis, gradus, dignitatisuè nomine illustrem, laicum, ecclesiastici homines nè efferant: nè item inferioris Ordinis Clericum, qui in superiori ordine constituti sunt.

15 At verò Subdiaconum, Subdiaconi, Diaconum, Diaconi; & sic ordine cæteri, nisi necessitas aliquando suadeat, digniores ab inferioris ordinis hominibus efferri.

16 Episcopum verò mortuum ij, qui in Ecclesia Cathedrali dignitates obtinent, & Canonici Sacerdotes, & ij digniores efferant.

Laicum autem laicalis ordinis homines, quod officium etiam, qui laici piè alicui confratrię adscripti sunt, præstare poterunt.

1. Ibidem. 17 Singularum Cathedralium, Collegiatarum, & Parochialium Ecclesiarum Clericis, qui in funus venerint, vnà tantum suæ Ecclesię crux præferatur; neque aliæ in funere deferantur; nisi, quas suus quamque Clerus subsequatur. Quòd si alij quoque Clerici inuitati fuerint, eius Rectoris, qui inuitarit, Crucem prosequantur.

Ibidem. 18 Ad tollendas controuersias, quę magna populi offensione inter Regulares, qui beneficia curata obtinent, vel in eis curam animarum exercent, & Parochos sęculares in efferendis mortuis oriuntur; statuimus, vt, cùm ex Parochia, cui sęcularis Sacerdos pręsit, mortuus efferatur, vt in Parochiali Ecclesia sepeliatur, cui Regularis sit pręfectus, vel

contra;

contra; tunc vtrique Parochi, superpelliceo, & stola induti, pares progrediantur. Reliqui verò Regulares eum locum teneant, quem in generalibus processionibus tenere consueuerunt, non obstante quauis consuetudine, vel pactione, quam inter se fecerint.

19. 20. 21 Cùm mortuus efferendus erit, cuiusuis Ecclesiæ Clerus, qui vocabitur, in vnam proximam mortui ædibus Ecclesiam congruo processionis ordine conueniat: Vnde omnes ordine prodeuntes, bini cantantes psalmos, aliasuè sacras preces, mortuum ab eius ædibus ad sepulturam comitentur.

22 Cadauer cùm effertur, via procedatur, quæ à domo ad Ecclesiã recta, ac breuis sit: si verò vsque adeò breuis, & compendiosa est, vt ordines eorum, qui funus comitantur, intrà illius fines contineri non queant; tunc via paulò longiori funus ducatur, idque iussu, concessuè Sacerdotis, qui funeri præest. 4 Ibidem.

23. 24 Omnes, tùm qui dignitates obtinent, tum Canonici, etiam Metropolitanæ, & Cathedralis Ecclesię, tum alij præterea quicumque Clerici, quibus in funere candelę, aut cerei, intorritiauè dantur, eas, eauè accensa in funere manibus ipsi deferant.

25 Lumina, cerei, funalia, intortitiauè in funere nè restinguantur, nisi sacro officio etiam sepulturę ritè absoluto atque expleto. 5. Quæ ad fun. pert.

26 Cùm ad Ecclesiam venerint, omnes corpus suo item ordine circumstent iustituta officia celebrantes; nec prius discedant, quàm corpus in sepulchrum illatum fuerit. 1. Ibidem.

27 Ne laici, etiam confratres, aut alij societati adscripti, sed Ecclesiastici homines, mortuo, cuius funus agitur, totum officium sepulturæ prędent: ità vt quæ preces, quiuè sepeliendi ritus, ei ex Ecclesiæ instituto, consuetudineuè adhibentur, eorum omnium officium non ipsi laici, sed Sacerdotes, & Clerici eo nomine vocati, perfectè expleant, quò ad illius corpus humatum, sepultumuè est. 6. Ibidem.

28 Missa, cum mortui corpus sepelitur, quando commodè fieri potest, pro eo piè celebretur, id quod, & Canonum iure, & sacrorum rituum libris cautum est.

29 Si quando autem die Dominico, festouè mortuum efferri, in sepulturamque tradi contigerit, pro eo Missam conuentualem ad prędscriptum Romani Ritualis celebrari licebit.

30 Deinde singularum Ecclesiarum Clerici eodem ordine, quo venerant, Crucem præferentes, ad Ecclesiam suam redeant, nisi aliquando aliud Episcopo iusta de causa videatur. 1. Ibidem.

31 Clerici Ecclesię, in qua mortuus humatur, eius vestes hęredibus inuitis, nè sumant; sed ijs, ad quos pertinent, reddant. 1. Ibidem.

Quod primo Concilio Prouinciali sancitum est, id explicatius nunc vetamus, 4. Ibidem.

vetamus, vt nè, scilicet Clerici, neuè alij quicumque sint, qui aliquam in funere, curam ponunt, vestes, indumenta, ornamentaue, cadaueri adhibita, nisi à sponte offerentibus, accipiant; sed gratis, ac sine mora ijs, ad quos pertineret, omnia planè restituant, reddantuè.

1. Ibidem. 32 Candelę omnes, cerei, & quę intortitia vocantur, quæ circum crucem, & cadauer ad Ecclesiam adferuntur, & alia, quæ circum secretum, & in Altaribus, ac reliquis in locis, dum diuina officia in funere celebrantur, hæredum impensa accenduntur, ita Deo oblata esse intelligantur; vt eius Ecclesiæ Sacristiæ, in qua mortui corpus humandum erit, continuò addicta sint.

2. Tit. 2. dec. 16. Rectoribus verò illas vendere nullo modo; sed ad Missam, cęteraque diuina officia celebranda tantummodo vti liceat; nisi in alium Ecclesię vsuum Ordinarij licentia conuertantur.

Candelę, cerei, & quę intortitia vocantur, in mortui funere adhibita, superioris Concilij decreto Sacristiæ illius Ecclesiæ addicta, in qua funus fit, aut mortui corpus in sepulturam traditum est, si quę in Missarum celebratione, & reliquis diuinis eiusdem Ecclesię officijs superarunt; ea omnia, vel ipsius Ecclesię Rectori, vel ijs, ad quos ante illius decreti promulgationem eiusmodi candelę, cereique pertinebant, in alium eiusdem Ecclesiæ vsum, vel ad suæ etiam vitæ sustentationem, arbitratu suo, conuertere liceat.

2. Ibidem. 33 Excipimus autem ea, quę Clericis cuiusuis generis eleemosynæ causa dari solent; & quæ funeralium nomine Cathedralibus, & Parochialibus Ecclesijs ex sacris Canonibus debentur; quibus nihil obsit; quo minùs quartam funeralium, quę solita esset persolui, ex decreto Tridentini Concilij consequi possint.

Sess. 25. c. 13. de ref. 34 Si mortuorum hæredes ità se impiè gesserint, vt religiosum exequiarum institutum negligenter, Cruci, Clericis, & funeri debita lumina adhibere nolint; ab Episcopo ea cogantur comparare, quę necessaria videbuntur.

1. Ibidem. 35 Nemini quemquam in funere laudare liceat; nisi, & eum, quem laudare velit, Episcopus dignum censuerit; & laudationem scriptam ante probarit.

Liceat tamen in funere Concionem habere, quæ tota referatur ad humanam miseriam, fidelium oculis proponendam; omnesque ad vigilandum cohortandos; nè, cùm venerit Dominus, hora qua non putarint, inueniat eos dormientes.

4. Ibidem. Sermo si quis in funere habebitur, non domi, aut alio eiusmodi loco, sed in Ecclesia habeatur.

36 Eleemosyna, quę Clero ob funus, aut defunctorum officium datur, nè in Ecclesia, Cœmiterioue, aut spectante populo, sed eo remoto,

to, locoque ſeparato, factis exequijs, officijsuè diſtribuatur.

37 Exequiarum, ſepulturę, & anniuerſariorum cauſa nemini quid- 1. Ibidem.
quam paciſci, aut exigere liceat; neque etiam petere, vel quid aliud committere, quod ſimoniacæ labis, aut ſordidę auaritię, ſuſpicionem habeat.

Ne pactiones de funere, aut de exequijs pro mortuo cęlebrandis cũ 4. Ibidem.
defuncti hęrede, aut alio, ad quem pertineat, à Parocho, alioue ea cõditione fiant, vt certa cerę pars, quę exequiarum officijs ſupererit, ipſi hęredi, aut alteri reſtituatur.

38 Ne Parochi, alijuè Clerici, neque item exequiarum curatores, alijuè, quicumque in funere operam ponunt, pignora capiant, quibus ſibi caueant de funerali eleemoſyna, aut de eorum opere in funere præſtitæ mercede.

39 Piàs tamen conſuetudines in his ſeruari iubemus; cuius rei Epi- 1. Ibidem.
ſcopus curam ſuſcipiat.

Quę ſuperiori Prouinciali Synodo decreta ſunt, ad tollendas Re- 2. Tit. 2. dec.
ctorum Eccleſiarum in exequijs, & funere pactiones, & exactiones il- 17.
licitas, aut quæ ſimoniacæ labis, vel ſordidę auaritię ſuſpicionem afferrent: ea à pleriſque in eam partem accipi animaduertimus, vt occaſione inde ſumpta, Eccleſię, non ſeruato piarum conſuetudinum vſu, debitis eleemoſynis defraudentur. Quare Epiſcopus, habita, & locorum, & perſonarum ratione, in funeribus, & exequijs, quę pia inſtituta, & conſuetudines laudabiles ſibi videbuntur, arbitratu ſuo ſeruari iubeat, ſacrorum Canonum auctoritate; contumaceſque compellat omni iuris remedio.

40 Pia etiam legata exigi volumus; neque ea, quæ eleemoſynæ cau 1. Ibidem.
ſa vltrò data fuerint, accipi prohibemus.

41 Miſerabiles perſonę, quibus mortuis, aut nihil ſupereſt, aut ita parum, vt ſua impenſa humari non poſſint, à Parocho ſumptibus Eccleſię ſepeliantur.

42 Statuat Epiſcopus in ciuitate, & diœceſi ſua pro modo laboris, quantum mercedis cauſa dandum ſit Curatoribus exequiarum, cęteriſque qui dant operas in funere, & ijs, qui campanas pulſant. Quibus, & quamdiù in exequijs campanas pulſare debeant, arbitrio ſuo præſcribat.

43 Eccleſię Metropolitanę, vel Cathedralis, vel Collegiatę, Capitu 4. Ibidem.
lum, ac ſinguli de Capitulo in funere, funeriſuè officio, contenti eleemoſyna ſint, quæ generatim ipſi vniuerſo Capitulo, aut ſigillatim vnicuique de Capitulo dari ſolet.

44. 45. 46 Idem Parochi, Rectores, Sacriſtiæ cuſtodes, & alij Cleri- Ibidem.
ci inuiolatè ſeruent ad Epiſcopi præſcriptum. Pro crucibus autem,

&

& quę circa cadauer, aut cœnotaphium disponuntur; pro campanis item, lampadibusuè, alioue prætextu, aut nomine, nihil pręterea capiat, exigatuè, nec Capitulum, nec quisquàm de Capitulo, nec Rector, nec Sacrista, custos, aliusuè Clericus quicumque, nisi si quid est, quod fabricæ, aut Sacristiæ, campanarum nomine dari piæ consuetudinis Episcopus esse censuerit; idque verè in eum vsum cedat; at pro crucibus nihil omninò, quouis etiam fabricæ, vel Sacristiæ nomine accipi liceat.

47 Quantum Clericorum vsitato nomine dari solet, tantum custodibus, qui in minoribus ordinibus cõstituti sunt, detur: si in sacris fuerint, habeant, quantum Sacerdotum nomine datur.

Qui verò custos, vel Crucem prætulerit, vel campanas pulsauerit, tunc ille accipiat, quod eo nomine tantum dari statutum est.

48 Qui funeris curationem aliquam habere solent, ytpotè Antiani, alijque quocumque nomine vocati, qui item corpori sepeliendo operam nauant, eos accipere non vetamus, quod pro officij sui, quod ipsi præstiterint, opera, dari consueuit.

49 Crucis verò, vel campanarum, alioue quouis nomine, nè ab ijs quidem quicquam in funere, uel funeris, uel exequiarum causa, exigi, accipiuè liceat.

Eius uerò generis homines, & alij, qui in funus se ingerunt, nec quicquàm operæ ponunt, nihil omninò consequantur.

59 Pro loco, in quem mortuus infertur, à nemine, ne Sacristiæ quidem, aut fabricæ Ecclesiæ, aut Confraternitatis alicuius, alteriusuè pij usus nomine, quicquàm prorsus exigatur: pias tamen, & laudabiles consuetudines, ut primo Concilio Prouinciali iussum est; in hoc etiam Episcopus seruari iubebit.

51 Capitula, Canonici, & alij Ministri quicumque sint Ecclesiarum, ne cœnotaphij, quod in officijs mortuis ex tabulis struitur, nomine quicquàm capiant.

2. Tit. 2. dec. 14. 52. 53 Canonici mortui funus, eiusuè, qui eiusdem Ecclesiæ, in eaue dignitatem obtinebat, Capituli sumptibus à reliquis Canonicis fiat, tùm pro eius animæ salute Missa Conuentualis celebretur: & unusquisque item Canonicus, Ministeruè eiusdem Ecclesię, qui Sacerdos sit, Missam itidem pro eo celebret.

1. De fun. & cæq. 54 Quicunque laicus, uel sæcularis Clericus in ijs deliquerit, quę his decretis præscripta sunt, ab Ordinario loci graui pœna afficiatur.

4. Ibidem. 55 Qui in funere, officijsuè funeralibus, uel exequijs quicquàm, ut infrà, peccarit; eius funeris, officijuè funeralis omni eleemosyna, emolumentoque careat omninò: pœnaque sit Episcopi arbitrio, tàm ei, si acceperit, quàm præfecto, Rectoriuè, qui dari curarit, consenserit, permiserituè.

Qui-

56 Quicumque à funere, funeralibusuè officijs eiuſmodi abſuerit.
Qui item ante temporis, vel officij punctum, ab Epiſcopo præſtitutum non adfuerit.
Qui funere, officiouè pro mortuis non peracto diſceſſerit, quod ſit, dum corpus ſepulturæ traditur.
Rursùs, qui, non peractis funeralibus officijs, diſceſſerit.
Qui item habitu, prout Epiſcopus præſcripſerit, non conuenerit, interfuerintè.
Qui contrà decretorum Prouincialium præſcriptum quicquàm in illis peccarit.
Qui item alia commiſerit ex ijs, ob quæ Epiſcopi iuſſu, pro abſente habendus ſit.
Qui item funeris, exequiarumuè curatores, vtpotè Antiani, vel alio vocati nomine, per ſe muneris ſui partes non obierint.

57 Ne cuiquàm ex vlla cuiuſuis ordinis Eccleſia mortui cadauer, perpetuæ ſepulturæ traditum, aſportari liceat, niſi facultate ab Epiſcopo impetrata, eaque litteris nominatim exarata. 4. Ibidem.

58 Parochus, intrà cuius Parochiæ fines, aliquis alienę Parochiæ occiſus eſt, eius cadauer liberè aliò transferri nullo prætextu prohibeat: nihilque ea de cauſa accipiat. Si verò translatio ea cum funere ſit, liberum ei ſit, vti vire ſuo.

Quæ huic titulo deerunt, videantur in titulo de officijs, Anniuerſarijs.

De Funere Summi Pontificis.

SVMMARIVM.

1 *Pontifice Summo mortuo, quid ab Epiſcopo curandum. De Rat. diuinorum off. nu. 49.*
2 *Miſſa pro eodem defuncto à Sacerdotibus celebranda. Ibidem. verſ. Sacerdotes verò.*

1 SI quando autem Summus Pontifex ex hac vita migrarit, nuncio certo mortis allato, id curet, &c. Tit. de diu. officijs, nu. 53.
2 Sacerdotis verò ſinguli, &c. Ibidem.

De Funere Episcopi, & Metropolitani.

SVMMARIVM.

1 Episcopo mortuo, quod officium Capituli Cathedralis. 3. 4.
Eiusdem negligentia in eo, à quo coercenda. 8.
2 Quod item Episcopi vicinioris officium.
Eiusque negligentia à quo punienda. 7.
Episcopum mortuum, qui efferant. De funerib. & c. 16.
5 Cerei quot accendendi in eius funere, & cuius sumptibus. 6.
9 A quibus Missa pro eodem defuncto celebranda.
10 Parochi Diœcesani, vt pro eo Missam celebrent, à quo admonendi.
11 Populus, vt etiam pro eodem oret à suo Parocho admonendus.
12 Anniuersaria, vbi, & quamdiù pro illo, cuiusque impensa agendum.
Archiuij Episcopalis clauis, cui, Episcopo mortuo, tradenda. De Archiuio Episc. nu. 3.
Metropolitani funus, qua cœrimonia peragendum. De vita & hon. Episc. nu. 59.

1. De Funere Episcopi.

1 PIum sanctorum Patrum institutum ad concelebrandas Episcoporum exequias, iamdiù intermissum, reuocantes, statuimus,

2 Vt Episcopo mortuo, vel morti proximo, tres primi de Capitulo præsentes vicinum Episcopum, vel eo impedito, alium inuitent, qui statim veniat; ac si viuum Episcopum inuenerit, accuratissimè consoletur; & ea officia præstet, quæ ad animæ salutem tali tempore requiruntur.

Mortuum verò vnà cum Sæculari, & Regulari Clero solèmni more ad sepulchrum prosequatur.

Nihil autem Episcopus, pij huius officij gratia, impensæ, vel quouis alio nomine à quoquam exigat, vel sponte oblatum accipiat.

Eius tamen expectationis causa corpus Antistitis nè amplius quadraginta horis insepultum iaceat.

3 Interea verò curet Capitulum, vt custodiatur corpus; & circum ipsum frequentes ex Clero sint, qui pro eius anima preces Deo faciant.

Sess. 24. c. 1. de ref.

4 Eidem Capitulo hoc munus iniungimus, vt primo quoque tempore.

pore Prouinciales Episcopos omnes de Episcopi morte faciat certiores, qui in Ecclesijs Cathedralibus Missam solemni cęremonia pro eius anima celebrandam curabunt: & publicis supplicationibus, ac precibus indictis, Deum piè, sanctèque deprecabuntur, vt orbato gregi Pastorem dare velit iuxtà cor suum.

5.6 In exequijs eius plures vigintiquattuor cereis non accendantur, idque impensa vacantis Ecclesiæ, nisi extent defuncti bona; vel alius sit, qui de iure, aut consuetudine sumptum facere debeat.

7.8 Episcopi negligentia in Comprouincialis Episcopi funere à Synodo Prouinciali; Canonicorum, & Clerici, à successore Episcopo grauiter puniatur.

9 Sicut Episcopus, dùm in vita est, sanctæ pastoralis sollicitudinis studio debet saluti animarum inuigilare, ità illud cum omni ratione coniunctum est, vt, post eius obitum ecclesiastici ordinis homines, & laici item, quorum curæ, gubernationique Pastorali præfuit, grata, piaque memoria episcopales vigilias, ac labores, quibus ille in eo munere gerendo perfunctus est, prosequantur, pro illius anima in primis Deum religiosè precantes. 4. De fun. & exeq.

Quamobrem præter ea, quæ de Episcoporum exequijs primo Concilio Prouinciali sancita sunt, hoc etiam decernimus, vt Parochi, & Sacerdotes singuli, tùm vrbani, tùm Diœcesani, vbi primùm de obitu Episcopi sui nunciatum est, nouem singulis post eum nuncium diebus quibus per Ecclesiastici officij ritum potest, Missam de mortuis pro illius anima celebrent: aut saltem stataṁ pro defuncto Episcopo orationem dicant, vt in æterna recipiatur tabernacula.

10 Capituli verò sit, de Episcopi obitu Diœcesanos Parochos certiores quàm primum facere, eosdemque huius officij monere.

11 Populus itidem pro paternę sollicitudinis, charitatisque officijs, quę ille viuus pro omnium salute pręstitit, hoc communi parenti mortuo reddat, vt religiosis precibus, alijsque pijs suffragijs illius animam adiuuet. Ad quam sanè rem suum quisque populum Parochus, cum vsu venit, ijs præsertim nouem diebus hortetur accuratè, ac diligenter.

12 Sacra anniuersaria pro mortuo Episcopo quotannis fiant in Cathedrali Ecclesia; quamdiù proximus eius successor in Episcopatu vixerit, viuentis Episcopi, & Capituli sumptibus. 1. de fun. Episcopi.

De Officijs, & Anniuersariis defunctorum.

SVMMARIVM.

Officia mortuorum infrà hebdomadam obeunda, à Parocho Dominico die præcedente, denuncianda: De Parochys, &c. nu. 45.
Anniuersaria, & officia, quæ in Ecclesia denuncianda. Ibid.
1 *Quibus diebus non agenda.*
Iis agendis, qui, & quot adhibendi. De Funerib. nu. 4.
2 *Ea, pietatis ratione, à Parocho suadenda.*
Eorundem causa nemini pacisci liceat. Ibid. 37.
Anniuersariorum, & Missarum tabella in Sacristia retinenda. De Sacristia. nu. 25.
Anniuersariæ exequiæ pro mortuo Episcopo, quando, quamdiu, & cuius sumptibus faciendæ. De funere Episcopi. 12.
3 *Pro Parocho mortuo, à quo, & quo die item celebranda.*
Cænotaphij nomine nihil capiendum. De funerib. 51.

6. Quæ ad funer. pert.

1 NE die Dominico, & festo, qui Ecclesiæ præcepto, consuetudine, votoue colatur, anniuersaria agantur: quæ si certo aliquo festo, is qui decessit pro se agi præscripserit, alio proximè præcedenti die, cùm pro officij ratione licet, celebrentur.

1. De fun. & exeq.

2 Caueant autem Parochi, & alij Ecclesiarum Rectores, ne, quod pietate adducti suadere debent mortuorum hæredibus, vt anniuersaria officia illorum causa celebranda curent, id cupiditate impulsi, molestius flagitent: quà in re si peccarint, Episcopi arbitrio puniantur.

6. Quæ ad funera pert.

3 Parochus, illius, qui proximè præcessit Parochi anniuersaria stato die, quo ille obijt, celebratione Missæ Parochialis agat; sin autem profesti, solemnisque diei ratione tunc non licet; alio die proximè antecedente, quo licebit, pro illius animæ salute, piè, religioseque exequatur.

De Supellectile, quæ officiorum funeralium, & anniuersariorum propria est, cum eiusdem formis.

SVM-

SVMMARIVM.

1 Feretra in Cathedrali, Collegiata, & Parochiali quot.
2 Pallia feretralia in Cathedrali, Collegiata, & Parochiali quot.
3 Cuiusque formæ.
4 Cœnotaphium gestatorium, quæ tumba dicitur, vnum, & vbi.
5 Forma eiusdem.
6 Eidem pallia Altarium non adhibenda.
7 Basis Cœnotaphij, vna, & vbi.
8 Pannus stragulus eiusdem basis vnus etiam, & vbi: aut basis saltem decenter picta.
9 Forma illius.
10 Cruces, quæ circa Cœnotaphium collocantur, quot.
11 Quales item.
12 Scabella sustentacula Crucum, quot.
13 Forma eorundem.
14 Candelabra ferrea Cœnotaphij, quot.
15 Et qualia.
Locus horum instrumentorum asseruandorum. De de loco vbi feretra, &c. 1.
16 Libri ad vsum funerum, & officiorum mortuorum, quot.

1 FEretra duo in Cathedrali, & Collegiata Ecclesia, Parochiali verò vnum, parandum. Inst. sup. Ecc. lib. 1. De sup. quæ off. fun. prop. est in Cat. Colleg. & Paroch.

2 Pallia feretralia, in Cathedrali, Collegiata, & Parochiali duo saltem; vnum, quo cadauera contegantur, cùm efferuntur, & Cœnotaphia item; alterum, quo eadem cadauera substernantur.

3 Pallium, vel tegendi cadaueris, vel Cœnotaphij sternendi vsui paretur: hoc Cœnotaphij sine cruce; illud verò cadaueris Crucem albam in medio habeat. Inst. for. sup. Eccl. lib. 2. de supp. off. fun.

Vtrumque porrò sit colore nigro; ac, nisi preciosius quis malit, è panno serico villoso, quem villutum dicunt, aut saltem laneo contextum.

4 Cœnotaphium gestatorium, vnum tantum tàm in Cathedrali, quàm Collegiata, & Parochiali Ecclesia.

5 Cœnotaphia, quas tumbas dicunt, in diuinorum officiorum pro mortuis celebritate adhibenda, aut in arcum, aut in acumen ducta esse possunt. Inst. I biem

6 Nè Cœnotaphijs, aut quas vocant tumbis, pallia Altarium adhibeantur. 4. De fun. & exeq.

7 Basis cœnotaphij vna tantum in Cathedrali, Collegiata, & Parochiali Ecclesia.

8 Pannus stragulus eiusdem basis, vnus, tàm in Cathedrali, quàm Collegiata, & Parochiali.

Inst. Ibid. 9 Stragulum Cœnotaphij, ad basim scilicet sternendam, quæ Cœnotaphio subijci solet, è panno saltem laneo coloris nigri paretur. Aut verò basis nigro colore pingatur, crucibus etiam, mortuorumque capitibus albis appictis.

10 Cruces, quæ circà Cœnotaphium collocantur; in Cathedrali, Collegiata, & Parochiali, quattuor.

Inst. Ibid. De Crucib. Cœnotaph. 11 Cruces Cœnotaphij, ex auricalcho saltem, aut ex ligno etiam, deaurato picto, conficiantur.

12 Scabella sustentacula Crucum; in Cathedrali, & Collegiata, Parochialique, quattuor.

Inst. Ibid. 13 Quæ Cruces, vt rectè stent, bases marmoreæ, aut saltem lignea ad eas aptè sustentandas parentur: in quarum medio foramen rectum insit, quod earum hastile capiat. Sint verò à parte transuersa, latitudinis cubitorum duorum; à recta longitudinis totidem, præter manubrium.

14 Candelabra ferrea Cœnotaphij, in Cathedrali, & Collegiata octo, aut duodecim, in Parochiali octo saltem.

Inst. Ibid. De Cand. Cœnot. 15 Candelabra Cœnotaphij, ex ferro conflentur; altitudine constent cubitorum duorum, & dimidij; suffulciantur firma base, quæ instar tripodis, aut alterius firmioris generis sit, nè fortè præ pondere, & longitudine cereorum facile corruant: orbem præterea è lamina ferrea conflatum à superiori parte habeant: cuius orbiculi extremitas sursum reuocata ceram defluentem contineat. Super hoc item orbiculo apex ferreus infixus exstet, cui vasculum inseratur, ad cereos excipiendos aptè accommodatum.

16 Libri eiusmodi in Cathedrali, quinque: in Collegiata, ac Parochiali, duo.

De diligentia ab Episcopo adhibenda in statu vniuscuiusque Parochiæ cognoscendo.

SVMMARIVM.

1 Parochiæ cuiusque status ab Episcopo cognoscendus.
2 Certi viri deligendi, qui populi mores inuestigent, & Episcopo deferant.
3 Liber à Parocho parandus, in quo Parochiani omnes viui, & mortui describantur.

Inquilini

4 *Inquilini noui obseruandi; & in quibus.*
5 *Inquirendum de pauperibus, & quibus alijs.*
6 *De quibus à Parocho Episcopus admonendus.*
7 *Episcopus, quando Parochos conuocet, vt de animarum statu illos interroget.*

1 SVmmam vim, ac necessitatem habet illa Domini sententia, Speculatorem dedi te domui Israel; & alio item loco: Diligenter agnosce vultum pecoris tui, & considera super greges tuos; vt Episcopi quanta maxima possunt, diligentia obseruent sibi commendatum gregem, neque ab eo vmquam oculos deijciant, quid ei opus sit animaduerentes; vt ex Prophetæ sententia, confractas partes alligare, infirmas consolidare, ægrotas sanare, abiectas oues reducere, perditas requirere, & recuperare possint. 1. De diligentia ab Episcopo adhibēda in statu vniusc uiusq; Par. cognosc.

2 Quoniam verò lustrare omnia proprijs oculis nequeunt, in singulis Parochijs deligant certos, ac probatos viros, qui inuestigent, an populus ambulet in vijs Domini; an aliquid sit, quod Episcopi cognitionem, & medicinam desideret; an aliquid, quod corrigi, & emendari debeat: quæque compererint, fideliter ad Episcopum deferant.

Episcopus in vrbe sua viros aliquos, auctoritate præstantes, spiritualis vitæ studiosos deligat: quorum adiumento, & opera vti possit, & in ijs cognoscendis, quæ ad Ciuitatis, Diœcesisque suæ morum institutionem pertinent, & in adiuuandis Christianarum virtutum exercitationibus, & in alijs denique quibus populi sibi commissi progressio fiat ad sanctè agendi studium. 3. De ijs quę ad Episc. forum pert.

3 Parochus etiam librum habeat, in quo omnium, qui in eius Parochia sunt, nomina, & cognomina quàm primùm describat; singulorumque sexum, ætatem, & statum. In eo deinceps describat, & recenter natos, & mortuos, & in Parochiam habitatum venientes, & inde emigrantes. Quem librum Episcopo, quoties is petierit, vel inspiciendum, vel describendum dabit.

4 Obseruabit etiam suæ Parochiæ nouos inquilinos: deque eorum orthodoxa fide, & sacramentorum perceptione; deque mulieribus, quas secum habuerint, an matrimonij, cognationis, affinitatis vinculo verè coniunctæ sint; an impudicitiæ nomine suspectæ, ab eo Sacerdote, in cuius Parochia proximè habitarint, & à Parochiæ incolis accuratè cognoscet.

5 Inquirat autem studiosè de pauperibus suæ Parochiæ, præsertim puellis nubilibus, de viduis, orphanis, pupillis, ægrotis, senio confectis,

alijsq; personis, temporali, vel eam spirituali misericordia indigentibus: quibus, & ipse pro iuribus opitulari, & alios suo exemplo, & hortatu ad id officium incitare studeat.

6 Præcipuè verò de ijs omnibus sæpè certiorem faciat Episcopum, vt, qui communis eorum pater est, ijsdem paternam curam, & pietatem, quacumque poterit ratione, præstet.

Quamobrem etiam Episcopus quotannis per sacra quattuor anni tempora suæ ciuitatis Parochos adhibebit; & illis de eorum animarum statu, quarum curæ præpositi sunt, diligenter interrogatis, omnia commemoret, quæ eorum officij munus contineant; eisque & Doctoris diligentiam, & Pastoris vigilantiam præstabit.

De Vicarijs foraneis Regionumque Præfectis constituendis, & eorum officio.

SVMMARIVM.

1 *Vicarij foranei constituendi; quibus certæ diœcesis partes attribuendæ.*

2 *Eorum munus quibus deferendum.*

3 *Id munus inter alia versetur in congregationibus menstruis Parochorum habendis.*

4 *Quibus tamen mensibus eæ minimè haberi permittantur. Quibus item diebus non habeantur.* 14.

5 *Certæ regulæ, ea in re, à Metropolitano præscribendæ; & à quibus seruandæ.*

6 *Confessio peccatorum à singulis, ante congregationem facienda.*

7 *Missa priuata à quibus, vbi, & quando celebranda.*

8 *Missa Conuentualis quando item cantanda.*

9 *Sermo à quo habendus, & cuius admonitu.*

10 *Processio vbi agenda.*

11 *Refectio qualis, & vbi.*
Congregationis initio stata oratio de Spiritu sancto recitanda. De Toro Episc. nu. 2.

12 *Quæ in congregationibus ipsis tractanda: quæque legenda, & explicanda & à quibus.*

13 *Eorundem Vicariorum cura præcipua versetur in inquirendis Sacerdotum moribus; & à quibus alijs.*

15 *Congregationum habendarum tempus, Dominico die antecedente à*

Parocho

Parocho denunciandum: & in quibus populus hortandus.
Indulgentiæ, congregationis nomine conceſsæ, euulgandę die, quæ Miſsa illius congregationis celebratur. De Indulgentijs, nu.17.
Tenor litterarum conceſſionis eiuſdem Indulgentiæ. De Conſtitut. nume.45.
16 Quæſtiones in eis habitæ, explicatæ, inexplicatæuè ad Epiſcopum mittendæ. In certumque librum referendæ.
Negligentes in conueniendo, & contumaces in exequendo, vt plectantur. 31.
17 Sacerdotes in ſtudijs deſides Epiſcopo deferendi.
Regulares Curati ad eaſdem congregationes accedant, eaſq; habeant. De Syn. Diœceſ. nu.5.
18 Congregationes priuatæ, quibus in locis agendæ, quidque in eis tractandum.
19 Eidem Sacerdotes, & Clerici interſint.
20 Recuſantes intereſſe, Epiſcopo denunciandi.
Parocho aliquo Congregationis, Regionisuè ægrotante, à quo illius animæ & corporis cura ſuſcipienda. De Parochijs, nu. 14.
Eodem mortuo, à quibus funus obeundum, & gratis. Ibid. nu.55. & 54 ver. Quicunque.
Miſſaque priuata celebranda. Ibid. nu.54. verſ. eius.
Miſſa Conuentualis, quando item cantanda: quaque in Eccleſia. Ibidem.
Vicarij foranei Curatos non reſidentes Epiſcopo denuncient. De Reſidentia, nu.23.
21 In vrbem venientes, de quibus Epiſcopum doceant.
22 Ipſis Curati obedientiam præſtent. Inobedientes Epiſcopi arbitrio plectendi. 23.
24 Idem, Epiſcopi arbitrio, ab officio amouendi.
Videant ijdem, an ſcriptum ab homine ignoto allatum, quo teſtatur mulierem ſecum ductam, ſuam vxorem eſse, perfectè probet. De Adulteris. &c. nu.3.
Dubium aliquod in eo ſcripto habentes, ſcriptum ipſum ad Epiſcopum diligentiſſimè mittant. Ibidem. verſ. ſi verò.
In conſcribendis actibus ſui fori notario carentes, quos, & quot viros adhibeant. De Cancellario, & Notarijs. 16.
Merces eorum quanta. Ibidem.
Cauſarum, quæ in Epiſcopali foro aguntur, patrocinium Vicarij ipſe non ſuſcipiant, neque alij ſuæ familiæ. De Foro Epiſc. nu.7.
Morum corruptelæ loci, quo Concionator mittitur, tempeſtiuè ab eiſdem illi ſignificandæ. De Concionatorib. 19.

Eidem

Eidem concionatori facultatem concedere possunt collectam facienti inter concionandum. Ibid.nu.27.

Eorundem Vicariorum diligentia, scholæ Doctrinæ Christianæ vbi instituendæ. De fidei initijs, nu.6.

Vbi verò, ob impedimentum aliquod, ad scholas institutas conuenire non possit, quæ cura alia ab eisdem suscipienda, vt doctrina exerceatur. Ibid. vers. si quando.

Vicarij foranei } *quæ præstent in ægrotorum cura. Quę ad sa-*
Præfectiq; Regionarij } *cram. extr. vnct. pert. nu.23.*

Negligentes curatos, reprehendant, & accusent. Ibid. ver. Quod si.

Libros Missarum celebrationibus notandis præscriptos, recognoscant. De Missis sine cantu, nu.24.

Fidei rudimenta ignorantes absque eorundem Vicariorum assensu ad confessionem non admittendi. De fidei initijs, &c. nu.8.

Obstetrices ab eisdem probandę. Quę pert. ad sacr. Bapt. ii.

Iidem delegari possunt ad concedendum facultatem retinendi prolem in lecto. De sacramentis in genere, nu.35.

Item ad recipiendum iuramentum à testibus Synodalibus, à Synodo absentib. De synodo diœces. 28.

Quod eorum officium ante Synodum. Ibid.nu.9.

Pridię diei eiusdem Synodi in Episcopalibus ędibus ijdem adsint, quidque agant. Ibidem.nu. 10.

25 *Visitatio anniuersaria Vicarijs foraneis, Regionarijque Præfectis præscripta.*

26 *Vicarij* } *ijdem, ad Episcopum conueniant hebdomada ante Se-*
26 *Præfectiq;* } *ptuagesimam, relaturi, &c. 30.*

27 *Ea ipsa relatio, vt diligentius fiat, congregatio Parochorum habenda, & quid cum illis tractandum.*

28 *Quod item ea in re singulorum Parochorum officium.*

29 *Ab anniuersario Vicariorum foraneorum conuentu redeuntes, alteram Parochorum congregationem habeant.*

31 *Congregatio alia feria secunda, post octauam Resurrectionis habenda, & quid in ea tractandum.*

32 { *Visitatio,* / *Conuentus,* / *Aliaque* } *eorundem Vicariorum, & Præfectorum non omittenda, etiam si Synodus non habeatur.*

1 VT Episcopus in vrbe etiam externum gregem facilius, quasi præsens intueri, & curare possit; deligat aliquot probatos Sacerdotes, quibus singulis, imposito Vicarij foranei nomine, tribuat certas regiones diœcesis suæ. 2. De Vicarijs for. constit.

2 Id autem munus ad Archipresbyteros, Archidiaconos, qui in diœcesi sunt, & Præpositos, aliosue Ecclesiastica dignitate præditos, quos idoneos iudicauerit, potissimum deferet. Sin minus, ad alios Rectores, qui apti sint ad huiusmodi officium.

3 Hi autem Vicarij regionis, sibi per Episcopum commissæ, presbyteros cuiuscumque conditionis, curam animarum habentes, semel singulis mensibus modo in vnam, modo in aliam eius regionis Parochialem Ecclesiam cogant. Idque in orbem eodem ordine semper faciãt.

4 Pro locorum, & temporum ratione id ab Episcopo suis diœcesanis Parochis permitti, concediuè liceat, vt Decembri, & Ianuario mensibus, ob dierum breuitatem, itineris difficultati coniunctam, Sacerdotales illos conuentus ipsi non habeant, quos primo Prouinciali Concilio in singulos menses haberi decreuimus; ita tamen vt alijs deinceps mensibus, quibus commodius haberi poterunt, resarciatur, & præstetur, quicquid intermissum est, frequentioribus conuentibus, & omni alia diligenti ratione. 4. De Parochijs, & par. vir. & off.

5 Iis autem conuentibus, vel in vrbe, vel in diœcesi habendis, certas regulas, quæ partim in superioribus Concilijs Prouincialibus eo de genere decreta sunt, partim ordinem, ac rectè adiungendæ videbuntur, ad communem Prouinciæ vsum per nos præscribendas, atq; edendas, tùm Parochi, tùm alij, ad quos executio spectat, seruent, atque exequantur diligenter.

6.7 Pridie eius diei, quàm in vnum locum conueniant, peccata sua omnes confiteantur: sequenti die in ea Ecclesia, in qua coacti fuerint, Missam singuli celebrent. 1. Ibid.

8.9 Tùm vniuersi in Choro Missam Conuentualem pro mortuis, vel de sancto Spiritu, solemni more cantent: in qua eorum aliquis, à Vicario prius admonitus, Concionem ad populum habeat.

10.11 Confectis sacris, & habita processione circa Cœmiterium, orationibusque consuetis, in domo Rectoris illius Ecclesiæ, vnico tantum ferculo contenti, ea, qua decet modestia, & charitate cibum capiant.

12 Deinde conferant inter se, quæ ad boni pastoris officium, & ad curam animarum rectè gerendam pertinent: & consulant de difficultatibus, & incommodis suæ Parochiæ; quorum explicatio vel remedium, aliorum consilium, & operam requirat.

Ijdem

Ijdem autem Vicarij libellum de casibus conscientiæ, Episcopis ac Sedi Apostolicæ reseruatis, Metropolitani cura edendum, reliquis Sacerdotibus legent; & aliquot capita, tùm harum Constitutionum, tùm earum quæ in Synodo Diœcesana decernentur, simulque quidpiam ex probata summa de casibus conscientiæ explicabunt.

13 Præcipuè autem de presbyterorum vita, & moribus quærant, & quales se in Pastorali præbeant cura.

An eorum culpa diuinus in Ecclesia cultus desideretur.

An re ipsa præstentur ea, quæ Episcopi, vel alij eorum nomine in Ecclesiarum necessitatem, earumuè reparationem impendi iusserint.

An libros habeant, quos ex decreto nostro habere debent.

An reliqua in hac Synodo decreta seruentur.

De his omnibus, &c, si quid propriè mandarit Episcopus, deque alijs, quæ ad vtilitatem animarum Episcopi cognitionem desiderant, ipsum per litteras diligenter certiorem faciant.

2. Tit. 2. dec. 30. 14 Vt quæ de Sacerdotalibus conuentibus, in diœcesi habendis, semel superiori Concilio præscripta sunt, ea, quò ad eius fieri potest, rectè, atque ordine gerantur, hæc ei addenda censuimus.

Nè Sacerdotum Conuentus festis ijs diebus habeantur, quos toti Ecclesiæ præcepto institutum est; nec verò illis diebus, quorum præcipua celebritas in locis agitur, vbi is conuentus ijs ipsis diebus futurus esset.

15 Parochus verò Ecclesiæ, in qua eiusmodi congregatio futura est, die Dominico, qui illam proximè antecedit, eius habendæ tempus populo significet; cumque hortetur, vt illo ipso, die ad Ecclesiam conueniat, tùm vt orationum, quæ, & pro viuis, & pro mortuis ibi fient, particeps sit, ac indulgentiam dierum quadraginta consequatur, quam ab vnoquoque Episcopo in sua diœcesi illis concedendam decernimus, qui diuinis officijs, tunc celebrandis, intererunt; tùm etiam, vt sacram Concionem audiat, quæ eo tempore in Missæ celebratione habebitur.

16 Quæ verò quæstionum explicationes singulis mensibus habitæ in ijs ipsis Conuentibus erunt; & si quæ præterea quæstiones in illis ipsis disputationibus inciderint, quę non satis tunc explicatę sint; eas omnes litteris consignatas, Vicarij foranei quàmprimùm ad Episcopum mittant; cuius iudicio illę, vel explicatę, vel comprobatę in Cochlea eius rei nomine confectum, quē Vicarius foraneus custodiat, referatur.

17 Ex eorum Conuentuum progressu si Vicarij foranei animaduertent, Sacerdotes quosdam ad Doctrinę studia, in quibus maximè versari debent, desidiam quandam, vel negligentiam adhibere; eos ad Episcopum deferant, cuius auctoritate illorum culpæ, vt opus erit, occurratur.

Vt

18 Vt autem in ijs studiorum exercitationibus vnusquisque Sacerdos maiores progressus habere possit; in qua Parochia quinque saltem Sacerdotes erunt, eos in singulas hebdomadas bis ad priuatas inter se studiorum disceptationes Parochus conuocet: in quibus vel aliquam Catechismi Romani lectionem tractent; vel quæstiones aliquas de Conscientię casibus explicent; vel huius, superiorisuè Concilij Prouincialis, aut Diœcesanæ Synodi, quam eorum Episcopus habuerit, partem aliquam studiosè legant. Quod si ei Parochiæ propè erit aliquod Regularium Monasterium, vbi aliquis sit, ad sacrarum litterarum, Ecclesiasticarumque rerum explicationem aptior, curent etiam illius opera, atque studio adiuuari.

19 Ad has priuatas Sacerdotalis studij exercitationes Clericos etiam, qui intrà illius Parochię fines habitant, adhibeant; vt eos rerum Ecclesiasticarum cognitione instructiores in Ecclesijs habeant.

20 Quicumque verò huic priuato Conuentui interesse recusarit; eum Parochus ad Episcopum deferat, qui, quo maximo poterit, studio curet, vt huic decreto obtemperetur.

21 Quoties in vrbem venerint, primum Episcopum adeant; deque eorum statu, qui sibi commissi sunt, accuratè doceant. 1. de Vic. for. const.

22 Curati verò quicumque etiam si quauis dignitate præditi, in ijs, quę ad officium suum spectant, Vicarijs, quos diximus, obtemperent.

23 Quod, si aliqui ad conueniendum negligentes, vel ad mandata eorundem Vicariorum exequenda contumaces fuerint; Episcopi in illos pro modo culpæ animaduertant.

24 Hi autem Vicarij voluntate Episcopi ab officio amoueri semper possint; ac si malè id administrarint, pœnas dent, eiusdem Episcopi iudicio.

25 Quò diligentius, atque adeò accuratius, & in vrbe ij, quos vnicuique regioni Episcopus præfecerit, & in Diœcesi Vicarij foranei muneris, atque officij sibi commissi partes exequantur: quo item crebrius, ac vigilantius Diœcesis status, cui assidua pastorali speculatione prospiciendum est, exploratus ipsi Episcopo sit, atq; cognitus, cum ex omni alia ratione, tùm ex eo, quod illi certo anni tempore, ad ipsum studiosè referant, non solùm quæ de Synodo Diœcesana decreto generatim, vniuersèque præscripta sunt; verùm etiam quęcumque sigillatim, ac præcipuè, pro temporum ratione idem Episcopus illis præscribenda censuerit; in hoc genere ità consultum sit, vt illi in Ciuitate, in Diœcesique Vicarij foranei, in sua quique regione commissa præter illam in suo munere gerendo curam, suasque frequentiores per annum visitationes præterque Episcopi, & Episcopalium visitatorum in visitando diligentiam, ipsi etiam singulari, accurata, diligentique ratione visitatio- 5. Quæ ad Synodũ, Cõgregationesque alias Clericales & Visitat. attin.

sitationem concreditę sibi regionis cumulatius, exactiusque obeant, à die sancti Martini, vsque ad diem festum ordinationis sancti Patris nostri Ambrosij. Si quis verò, vel pro regionis, quæ sibi commissa est, magnitudine, vel alia causa ad statæ visitationis munus longiori tempore opus habeat, ei integrum, ac liberum sit, aliquot ante præscriptum tempus diebus visitationis suæ initium facere.

26 Vicarij autem foranei singuli, pro ratione, tùm eo decreto generatim præscripta, tùm ab Episcopo sigillatim præscribenda, de regione, quæ vniuscuiusque eorum Vicarię curę demandata est, ad eundem relaturi, in Ciuitatem quotannis hebdomadæ ante Dominicam in Septuagesima penultimæ; duodecimo scilicet ante eius Dominicæ celebritatem die, summo mane in Episcopales ædes ad illum conueniant. Id verò, nisi aliquando ob temporis, quod inter Epiphaniam, & Septuagesimam incurrit, breuitatem, aut aliam ob causam, eum Vicariorum Conuentum, alio commodiori tempore habendum esse, per litteras Episcopales significatum sit.

27 Quò diligentius verò relationem singuli Vicarij præstent; id sub fidij sibi comparent, vt, antequàm stati conuentus dies veniat, congregationē Parochorum suæ quique regionis habeant, à quibus quęcumque vel vniuersè, vel nominatim præscripta sunt, diligenter animaduertant, & colligant.

28 Parochorum propterea curæ sit, certo ante conuentualem diem tempore videre, atque exquirere suarum Parochiarum, Parochialiumue hominum statum, vitam, & mores. Si quæ verò animaduerterint, quibus salutariter consuli, aut prouideri oporteat, ea sigillatim, & ordine descripta, suo quique Vicario tradant, vt ad constitutum tempus Episcopo referant.

29 Vbi à Conuentu, qui anniuersarius ipsis Vicarijs stato die indictus est, ad suam quique Ecclesiam redierunt, statim quique suæ regionis Parochorum Congregationem iterum habeant de ijs, quæ ab ipsis, vel Synodi proximè celebrandæ, vel alterius rei causa agi, præstariue monuerit, aut iusserit Episcopus.

30 Constituti verò in vrbe ab Episcopo regionum præfecti, quæcumque ad præscriptam illam rationem eidem referenda sunt, ea tùm diligenti stata visitationis cura, tum Parochorum, quorum paulò ante relationis diem congregationem habebunt, adiumento vsi, post, referent, quàm Vicariorum foraneorū dimissa erit constituta congregatio.

31 Feria præterea secunda post octauam Resurrectionis Domini, si dies festus non est, sin minùs, proximo primo feriali die, quo solemniter officium non fit, idem tum præfecti regionum in vrbe, tùm Vicarij foranei congregationem iterum habeant; in qua, & à Parochis

etiam

etiam colligant,& inter ſe item videant, ſi qua reliqua ſunt, quæ poſt illum conuentum, qui ante Dominicam in Septuageſima habitus eſt, inciderint; quæ item ad Epiſcopum ante Synodi diem referri oporteat: qualia ſunt de ijs,qui proximo Paſcha confeſſi non communicarint,& de alijs,quæ ad eundem deferenda ſint.

32 Sin autem aliqua dè cauſa ad conſtitutam eam diem Synodus non habebitur; nè propterea per illos omittatur, quin & præſcriptam viſitationem diligenter obeant; & ante Dominicam Septuageſimæ ad Epiſcopum conueniant; & ſingula alia præſtent, vt ſuprà, vel illis omnibus vniuersè, vel nominatim;præcipuèque Vicarijs foraneis conſtitutum eſt: & tertia etiam poſt Paſcha Reſurrectionis Domini hebdomada ad præſcriptum eidem Epiſcopo, cùm præfecti de ſcripto referant,ac tradant; tum ij Vicarij ſingula mittant.

FINIS QVARTI LIBRI.

CONSTITVTIONVM, ET DECRETORVM Synodalium Prouinciæ Mediolanensis

Liber Quintus.

De Visitatione.

SVMMARIVM.

1 *Visitatio Episcopi munus.*
2 *Illudque valde necessarium, ac debitum.*
3 *Visitatio ab Episcopis quando habenda.*
4 *Eis impeditis per quos alios. & de Parochijs. nu.14.*
5 *Quos, & quot in eo munere secum habeant.*
6 *Vbi hospitentur, & cibum sumant.*
Lex de victu, procuratione, & muneribus seruanda.
7 *Mensaque qualis.*
8 *Notarius, Cancellariusue quid capere possit.*
9 *Pœna Visitatori contrafacienti quæ præscripta.*
10 *Visitatio ad salutem eorum, qui visitantur instituta.*
11 *Celeriter, & diligenter conficienda.*
12 *Visitationis initium ab Episcopali familia fiendum.*
13 *Quo ordine cætera loca; quaq; ratione Ecclesiæ omnes visitanda. 19.*
14 *Episcopus visitans, prædicet.*
15 *Priuatim admoneat.*
16 *Confirmationis sacramentum ministret.*
17 *Ad pœnitentiam cohortetur.*
18 *Viros, ad inquirendi rationem adhibeat: quæque alia faciat. nu.19.*
Visitanda Ciuitas, & Diœcesis. supra 4.
20 *Cathedralis, & Collegiatæ Ecclesiæ Ministri, qua diligentia visitandi.*
21 *Parochiales item; ac Parochi quomodo visitandi.*
Iidem Parochi, in sermonibus habendis, eodē tempore probandi. 43.
Quoque modo Clerici horas suas collocent, inquirendum. 44. remissuè. De vita & hon. Cler. 81.
22 *Curatæ etiam Ecclesiæ, Monasterijs Regularium vnitæ, visitandæ.*

Capellæ

23 Capellæ quoque ea conditione institutæ, vt Ecclesiasticus superior eas visitare non possit.
24 Ecclesiæ insuper Equitum ord. Hierosolymitani.
25 Populus. 39.
26 Regulares.
27 Monasteria, ac beneficia commendata.
28 Monialium monasteria.
29 Hospitalia.
Piaque alia loca. } visitãda.
30 Scholæ & de ludimagistris, nu. 12.
31 Disciplinantium Sodalitates 28. & de sodalitatib. nu. 4.
32 Bibliothecæ.
Bibliopolæque. De Bibliotheca, & de profess. fidei. nu. 16.
Visitatores quibus in rebus diligentiam adhibeant, quidque in eo munere in primis curent. 34.
33 Quid possint; quæque alia præstare debeant.
35 Quid Apostolica auctoritate exerceant.
36 Episcopo ad visitandum accidenti, quomodo obuiam prodeant Parochiæ fideles.
37 Visitatione durante ijdem intersint: idque vt faciant quod officium Parochi.
38 Ante initium visitationis quid ab Episcopo præstandum.
Quidque ab eodem curandum, vt celerius visitatio absoluatur. 42.
39 Quid item à Parocho. 41.
Præposito.
40 Canonicis.
Capellanis.
Beneficiatis. } agendum.
Fabricarũ Præfectis.
Hospitalium
Piorumque locorum
Curatoribus.
45 Visitationis initio Christianè viuendi regulæ de suggestu legendæ.
46 In illius fine, certisq; alijs solemnitatibus monitiones item pastorales, de scripto recitandæ. 47.
Quæ item monitiones ad ipsos Visitatores pertineant. De Monit. in Synodo legendis, nu. 14.
48 Decreta edenda, & quæ antequam à visitata Ecclesia discedatur.
49 Et nè multum temporis in eo ponatur, quid seruandum.
50 Quorum decretorum editio diutius differri poterit 52.

51 *Qualiter illæ concipienda.*
53 *Quando, & quoties edenda gratis.*
54 *In librum exscribenda: & vbi is liber asseruetur.*
55 *A quo subscribenda.*
56 *Illorum editionis dies notandus.*
57 *Visitator Episcopi gradu inferior quam visitandi formulam seruet.*
58 *Quo comitatu contentus sit, & suprà, nu. 5.*
Contrafaciens vt punitur. suprà, nu. 9.
59 *Instructiones præparatoriæ in Episcopali visitatione in alijs visitationibus seruandæ exceptis ijs, quæ Episcopi proprię sunt.*

1. de Visitat. 1 INter Episcopalis officij munera, præcipua est, & ad salutem gregis maximè necessaria visitatio. Ideò monemus Episcopos omnes, vt singuli ex decreto sacri Tridentini Concilij Ecclesiam suã ac Diœcesim visitent intrà tempus, ab eodem

Sess. 24. c. 3.

4. de Visit. 2 Concilio pręstitutum.

3 Necessarium illud, ac planè debitum visitandi munus, quod ex Sanctione Tridentina præstari oportet, Prouinciæ nostræ Episcopi ità sollicitè exequantur; vt suæ quique vrbis, ac diœcesis visitationem singulis ipsis annis, aut, si per Diœcesis amplitudinem non possunt, biennio ad summum ipsi per se conficiant.

4 Si verò legitima occupatione, causaue impediri, id muneris aliquando per seipsos obire nequeunt, Vicarios generales, Visitatoresue alios, huius rei vsu peritos, atque idoneos adhibeant, qui visitationis officium sedulò, vt par est, præscripto tempore exequantur.

2. Tit. 1. dec. 6. Episcopus, cùm ad visitationis munus Sacerdotes idoneos adhibere potest, nè alijs inferioris ordinis Clericis vtatur.

4. de Visitat. 5 Cùm verò visitationis munus ipsi per se obeunt, vel vnum vel duos Canonicos, vel alios quoscumque homines Ecclesiasticos quos vsui, & adiumento sibi fore viderint, prout maluerint, secum in ea visitandi cura adhibeant.

1. Ibidem. Comitatum autem nõ habeant nisi necessarium; in quo plures omninò ne sint quindecim hominibus, & iumentis duodecim. Si plures duxerint, alant suis sumptibus.

4. Ibidem. Nè deinceps plures, quàm homines decem, & iumenta septem ad summum secum in visitando conducant, suppurata hoc numero Episcopi etiam persona, ac illius Ecclesiastici viri, quem ex huius Concilij decreto Episcopus quisque aliquando præmittet; suis tamen propriis sumptibus licebit eis plures conducere.

At verò, qui Episcopis gradu inferiores sunt, in visitatione lõge pau-

ciores,

ciores, & homines, & iumenta adhibeant. Hoc decreto derogatum sit alteri in Concilio primo Prouinciali edito.

6 Laicorum hospitia, eoque magis conuiuia, vt maximè possunt, omnes fugiant; sin autem ad illos diuertere aliquando necesse erit, cùm cætera seruent, tùm in primis caueant, vt nè extra mensę Episcopalis, & Clericalis modum, regulasque in visitatione præscriptas, quicquàm omninò ab hospitibus apparetur, apponaturve.

7 Caueant verò, nè legem de victu, procuratione, & muneribus à sacro Tridentino Concilio definitam, transeant. 1. Ibidem. Sess. 24. c. 3.

In mensa duo tantum fercula afferre liceat. Quod ad reliqua attinet, decretum in hac Synodo factum, de Episcopalis mensæ moderatione seruetur.

8 Notarius autem, Cancellariusue, nè quicquàm pro visitatione ab ijs, qui visitantur, vllo quouis nomine exigat, neque vllum doni, etiam pusilli, quocumque modo oblati, genus accipiat: ac nè item pro decretorum, ordinationumue in visitatione confectarum actione, vel conscriptione, earumue exemplo, etiam singulis vel Ecclesijs, vel Clericis, vel alijs, qui visitantur, iussu visitantis edito. At pro operâ, laboreue, quem alterius, cuius interest, illarum exempla alio deinceps tempore petentis, causa in ijs exscribendis posuerit, mercedem capiat licet, pro taxę, in foro Episcopali præfixe, aut præfigendę ratione. 4. Ibidem.

9 Si præter huius decreti prescriptum, cuiquàm graues fuerint, dupli restitutione teneantur; preterea inferiores, Episcopi arbitrio; Episcopus Synodi Prouincialis iudicio alias pœnas subeat. 1. Ibidem.

10 Meminerint autem visitationem ad salutem eorum, qui visitandi sunt institutam esse. quamobrem illis maximè propositum esse debet, vt in eis incorruptam, orthodoxamque doctrinam, probatam morum disciplinam tueantur, ac restituant.

11 Dent autem operam, vt non solum quam diligentissimè; sed etiam quàm celerrimè visitationem conficiant. Sess. 24. c. 3.

12 Episcopi, qui cæteris omni bene, sanctèque agendi exemplo prę-ire debent, antequàm Cleri, populique visitationem ineant, à se suaque familia visitandi initium vtiliter facient; quo reliqui omnes domesticæ illius visitationis actione, executioneque incitati, pastoralia iussa, quæ ipsi vtsitando præscripserint, promptius, ac studiosius exequantur. 4. Ibidem.

13 Visitationis ordo is adhibebitur, vt primum Ciuitatem, deinde Diœcesim visitent: nisi forte aliud Episcopo videatur. 1. Ibidem.

In Ciuitate Cathedralis Ecclesia primo loco visitetur; tum singulæ Collegiatę; deinceps Parochiales omnes; quo, & Parochi & quicumq; prętereà Sacerdotes, & Clerici in Parochijs commorantur, euocandi Sess 7. c. 7. de refor.

sunt, scholas, Seminaria, Sodalitates, Hospitalia, ac cętera pia loca visitantes, studiosè, ac diligenter inspicient.

Trid. Con. sess. 24. c. 3.

14 Studebunt verbi Dei prędicatione, vehementi cohortatione ad religionem, vitę innocentiam, pacemque & concordiam omnes adhortari.

15 Si verò priuata admonitione opus esse intelligent, in eam docendo, arguendo, obsecrando pro rei, personę, ac temporis ratione incumbent.

16 Confirmationis sacramentum, vbi opus erit, ministrabunt.

17 Omnes ad pœnitentiam cohortabuntur; & quos aliquo peccato teneri cognouerint, cuius absolutio Episcopo reseruata sit, eos prę confitentes, & humiliter veniam petentes, vel ipsi, vel per alios ad id munus delectos, absoluent.

18 In singulis locis à viris ętate, vsu, & probitate cōmendatis de omnibus subtiliter inquirent, quę eos ꝓ officij sui munere scire oportebit.

19 Ecclesiam, & eius partes omnes inspicient.

An eo cultu, & nitore teneatur, qui domum Dei decet; si quid restituendum, reparandum, reconcinnandumuè sit; iubeant ab ijs, ad quos pertinet, resarciri.

An sanctorum reliquię, tuto, ornatè, decenterq; conditę asseruentur.

An quę de sepulchris, ac cœmiterijs à nobis sancita sunt, re ipsa prestentur.

Si consecranda sint Altaria, consecrabunt.

Si qua Ecclesia aut cęmiterium pollutum sit, reconciliabunt.

Videndum etiam an desint vestes, libri, calices, patenę, corporalia, & reliqua eius generis instrumenta, & ornamenta, quę ad Altaris ministerium, & ad diuina officia sint necessaria.

An illa munda, & purgata seruentur.

An Missę, aliaque diuina officia, qua oportet pietate, ac deuotione celebrentur.

An Ecclesię libri, vetera scripta, instrumenta, & priuilegia custodiantur.

An eorum extet ratio, quę in Inuentarium relata sunt.

20 Tùm de dignitatibus, Canonicis, & alijs Ecclesię Ministris quęrendum erit.

An ritè sint ordinati.

An ordinibus initiati, quos eorum officij munus requirit.

An Ecclesias, beneficia, seu Ecclesiastica officia legitimè obtineant.

An in ea se quisquàm intruserit.

An resideant; & administrationi Sacramentorum, & Missarum, diuino-

diuinorum officiorum celebrationi, & anniuersariorum persolutioni, aliisque oneribus, & muneribus satisfaciant.

Quæ sit eorum vitæ, ac morum ratio; qui vestitus; quibuscum versari soleant; qualis sit eorum familia.

An sordibus, & illiberalibus artibus, & ab eorum gradu alienis, operam dent.

An Ecclesiæ iura, & bonorum Ecclesiasticorum possessionem defendant.

An eorum fructus rectè dispensent.

An pacem inter se habeant; se in aliorũ pacificationẽ interponant; Inimicitiarum, & odiorum causas tollere studeant.

An populus piè versetur in Ecclesia; Missamque & alia diuina officia reuerenter attendat.

21 In Parochijs, præter ea omnia, quę diximus, videant. Trid. sess. 7. c. 7.

An Parochi ex decreto, in hac Synodo edito, libros habeant, in quibus baptizatorum, confirmatorum, cõpatrum eorum, qui matrimonio coniungantur, ac mortuorum nomina, & cognomina describantur.

An ritè sacramenta præbeantur.

An Sacrosanctum Eucharistię Sacramentum, Chrisma, & reliqua sacra, ea munditię cura, & custodia, qua debent, conseruentur; & suo tempore mutentur.

An Eucharistia piè, & honorificè, prosequente fidelium comitatu ad ægrotos adferatur.

An legitimè matrimonia, & in Ecclesia, adhibitis ex decreto Tridentini Concilij denunciationibus, debito tempore contrahantur.

An suæ curæ commissas Ecclesias, maximè diebus festis, deserant, vt inseruiant alienis.

An Dei verbum prædicent, & pueros rudimentis fidei instruant.

An libros, quos nos in hac Synodo habendos præscripsimus, habeant.

22 Curatas Ecclesias, quę Regularium Monasterijs, etiam vbi Abbas Generalis domicilium, sedemque Ordinis primariam habet, vnionis iure adiunctę sunt, Episcopus ex Tridentini Concilij decreto, Sessio. 7. cap. 7. visitet. 5. Quę ad Synodum Congreg. & Visit. attin. Sess. 7. c. 8. Sess. 24. c. 9. Sess. 21. ca. 8. de refor.

23 Singulis annis Episcopus ad præscriptum Concilij Tridentini eas Capellas visitet, quę hisce etiam conditionibus erectæ, institutæue sunt, vt Ordinarius, aliusue superior Ecclesiasticus non possit, ne visitationis quidem correctionisue causa, aut alia quauis ratione id sibi vindicare; vsque adeò, vt si contrà attentatum erit, nulla, irritaque sit, & erectio, & huiusmodi voluntas testatoris. Si verò Capellarum erectio fundatioue, ac testatoris voluntas hisce conditionibus præscripta 6. Quæ ad Visitat. pert.

Sedis Apostolicę auctoritate comprobata erit; tunc Ordinarius earum Capellarum administrationis, visitationis, correctionisuè ius nullo modo sibi sumat: nisi fortasse quibus testatur illarum administrationem, curationemuè reliquerit, aut commiserit, eos negligentes esse cognouerit.

24 Ecclesias prætereà Equitum ordinis Hierosolymitani is itidem visitet, vt Summi Pontificis Pij V. Constitutio præscribit.

1. Ibidem. 25 Denique dispicient, an in populo sint hæretici, vsurarij, concubinarij, alijque flagitiosi, & facinorosi homines; qui inimicitias gerant; qui Quadragesimam, alia ieiunia, festos dies, & reliquos Ecclesiæ ritus non seruent; quique saltem semel in anno peccata sua confessi non sint; aut sanctam Eucharistiam non sumpserint.

An sint qui legata pia non exequantur.

An domestica disciplina patrum familias in educandis liberis diligens, pia, & honesta sit.

4. De Visitatione. Fœminarum ac marium luxu, immoderatoque vestium sumptu vtentium, ornatum illum inanem, ac planè superuacaneum, & à Christianę vitę more sanè quàm alienum, vnde tot malorum seminarium extare quotidie cernitur, omni Episcopalis muneris officio, & auctoritate prohibere, tollere, funditusque euellere studeant.

1. Ibidem. 26 His exquisitis, cognoscere studeant, quinam ex regularibus, & prędicandi munere fungantur, & fidelium confessiones audiant; an & eorum probata sit Doctrina; & probatæ Doctrinæ vita respondeat.

4. De sacram. pœnit. Episcopus, & in vrbe, &, quo tempore etiam visitationem obit, in frequentioribus Diœcesanis locis Confessarios Sacerdotes, etiam Regulares aliquando ad se, tùm singulos, tum vniuersos conuocet, &c. Tit. de Confessario, nu. 33.

3. De ijs, quę pert. ad ornatum, &c. Sess. 21. c. 8. de reform. Sess 7. c. 8. Sess. 24 c. 9. Sess. 25. De Regul. c. 20. Conc. Taraconen. cap. 8. Cõc. Brac. 2. cap. 1. 27 Episcopus ex Tridentini decreti iussu, singula Monasteria, in quibus non viget Regularis obseruantia, aliaque Ecclesiastica beneficia, quę commendata sunt, quocumque nomine nuncupata, intrà Diœcesis suę fines posita, quotannis visitet: idque opportunis omnibus remedijs, facta etiam fructuum, ad illa pertinentium, sequestratione, prouideat, vt quę reconcinnari, aut instaurari oportet, ea omninò vel reconcinnentur, vel restituantur; tùm indumenta prętereà, ornamentorum suppellex, & sacrę vestes comparentur; ac ministeria, quæ ad diuinum cultum spectant, rectè, ordine, & cum dignitate in illis præstentur.

4. De Visitat. Sess. 25. c. 8. & 9. de regu. 28 Monialium Monasteria, Regularium viri, curæuè subiecta, quòd ad clausuram attinet, diligenter, accuratèque visitent; loca ipsa introspectent; atque ex superiori etiam parte circumlustrent; & cautè, solerterque inspiciant prospectus omnes, aditus, & cętera denique omnia,

nia, quę ad clauſuram rectè tuendam vllo quouis modo pertinent.

29 An hoſpitalia, & alia pia loca rectè adminiſtrentur; eorumque bona prudenter, fideliterque in eum ⁊ vſum, cui addicta ſunt, diſtribuantur. 1. Ibidem.

An qui in hoſpitalibus ſunt, piè viuant.

Hoſpitalia item, aliaque pia ſingula loca, & ſodalitia, pro auctoritate, facultateuè, & Canonum iure, & decretis Tridentinis ſibi data, in ſingulos annos viſitent; & quæ laicalia etiam, & merè priuata ſunt, in ijs, quæ ad obſeruandam piam teſtatorum voluntatem ſpectent, viſitando corrigant, & reforment. 4. Ibidem. Seſſ. 22. c. 8. & 9.

30 De Scholis, ſciant, quos libros diſcipulis Magiſtri interpretentur; & an illi officio ſuo ſatisfaciant. 1. Ibidem.

An Magiſtri tales ſint, & ità admiſſi; quemadmodum in hac Synodo mandauimus, ſi ſecùs amoueantur.

31 Sodalitates quaſcumque ſeu Confratrias, quæ Diſciplinatorum nominum vocantur, Epiſcopus, vt Tridentino Concilio iuſſum eſt, viſitet, &c. De Sodalitat. nu. 4. 2. Tit. 3. dec. 22. Seſſ. 22. c. 8.

32 De Bibliothecis diligenter quærant, an in eis ſint hæretici libri; aut qui aliter iure prohibeantur. 1. Ibidem.

33 Si quid in ijs omnibus tollendum, corrigendumuè fuerit, tollent, & corrigent; & ad puniendos delinquentes, cenſuras, & alia iuris remedia adhibebunt. Seſſ. 24. c. 10.

Omnes verò ſummo ſtudio monebunt, & hortabuntur; ⁊ vt officij ſibi commiſſi munus fideliter, ac diligenter exerceant.

Neque ſolùm hęc, ſed quęcumque à Tridentino Concilio, & à nobis præcipiuntur; & alia multa, quę pro eorum prudentia, ac pietate ad vtilitatem, ac ſalutem populorum, eis in mentem ⁊ venire poterunt, exquirent, & exequentur.

34 Diligentiam ⁊ verò omnem viſitando adhibeant non modo in Eccleſiarum cultu, & ornamento tuendo, augendouè; ſed maximè in omni, & Cleri & populi priſtina Chriſtiana diſciplina reſtituenda; in vtriuſq; item moribus cognoſcendis, ijſdemq; deprauatis corrigendis. 4. De Viſit.

35 In eaque vel viſitatione, vel morum Correctione etiam tamquã Sedis Apoſtolicę delegari, auctoritate Tridentini Cõcilij ſtatuant, moderentur, puniant, & exequantur ad ſacrorum Canonum pręſcriptũ, quæcumque illis ex prudentia ſua pro ſubditorum emendatione, & Diœceſis ſuę vtilitate neceſſaria videbuntur. In ijs neque vlla inhibitio, appellatio, aliuduè quicquàm impediat, aut retardet executionem eorum, quę ipſi mandarint, aut iudicarint, decreuerintuè. Seſſ. 13. c. 1. Seſſ 24. c. 10. Seſſ. 22. c. 1. c. irrefragabili, de off. ord.

36 Epiſcopo ad cuiuſcumque loci, vel Eccleſiæ Parochialis, curatæuè viſitationem aduentanti, cum illi potiſſimum, ut uetus Canon Con-

cilij Turonensis iubet, qui confirmationis sacramentum ab eo susceperi sunt, tùm præterea reliqui omnes fideles, exceptis tantum ijs, qui morbo, aduersaue valetudine laborant, sicut in Concilio Rothomagensi cautum est, obuiam ordine prodeant; ac statis hymnorum, psalmorumque precibus, & cum gaudio, timore, summaque reuerentia illum, tamquam vicem Christi agentem excipiant, prout eodem Rothomagensi Concilio sancitum est, cuius Canone excommunicatio illis constituta erat, qui ei muneri defuissent.

37 Neque solum quo tempore ille aduentat; sed alijs etiam diebus dum visitatio Parochiæ fit, fideles quàm frequentissimi adsint; vt ipsâ omnes, ac singuli, si quid ad animarum salutem procurandam opus habent, proprio pastori, parentique liberè exponant; ei, quę pro illius officij ratione oportet, interroganti respondeant; illum concionantem, monentem, & paternè arguentem, obsecrantem, & increpantem, audiant: eiusdem iussa, monita, & decreta suscipiant, atque Dei denique voluntatem, quam præsentes per ipsum auribus percipiunt, non tantum obediendi propensione, sed etiam rectè factis omninò exequantur.

Id porrò omne, vt fideles diligenter, promptoq; animo præstent, frequentissimiq; in Episcopali visitatione adsint, Parochorum, & aliorum quorum interest, sacerdotũ sit, crebrò, prout vsu venerit, intrà Missarũ solẽnia illos docere, cũ eas officij partes, quas Epõ visitanti ab ipsis præstari conueniat, cũ visitationum in primis vtilitates, fructusq; salutares.

38 At verò ex visitationum laboribus, quò vberiores fructus existãt, ac fidelium animi salutari aliqua præparatione excitati, & suffulti, quò prõptiores, erectioresq; fiant, eũ ad benè agendum, tùm ad paterna, & epãlia iussa, monitaue amplectẽda, & exequenda, tùm ad oẽm denique Christianæ vitæ disciplinã sanctis institutis confirmatam, suscipiendã; ac præterea, vt visitatio & diligenter, & breuiter, & rectè denique cõficiatur, atque absoluatur, has etiam de præparatione ab ijs præsertim, qui visitantur, adhibenda, instructiones adiungendas censuimus ijs decretis, quæ hoc ipso de genere in hoc, & in alio nostro Prouinciali primo Concilio edita sunt. Quibus porrò instructionibus pro personarũ, temporũ, locorũq; suę Diœcesis ratione, ab Epõ addi, detrahiq; liceat.

Primùm vbi visitationis, vel generatim in vniuersa vrbe, Diœcesiq; inchoandæ, vel speciatim in aliquo oppido, locouè, aut Parochia, præsertim frequentiori, atque insigniori obeundæ, certã diem Episcopus statuerit; pastoralibus etiam litteris, eo potissimum nomine à se confectis, populum præmoneat, atq; cohortetur, cum ad alia pietatis officia, tùm maximè ad peccatorum Confessionem, sacram Communionem, precesque pro salutari visitationis euentu continenter habendas.

Triduo proximo, antequàm vniuersæ visitationis initium fiat, in

Cathe-

Cathedrali Ecclesia quadraginta horarum orationem indicat; quam eiusdem visitationis nomine à Clero, & populo, qui in vrbe est, frequentiori in ea ipsa Ecclesia piè celebrari curet.

Hæc ipsa etiam orationis ratio Parocho, alioue Ecclesiæ Rectore, cuius interest, curante, adhibeatur, antequàm Ecclesiæ Parochialis, curazeue aut oppidi, præsertim insignioris, visitatio ineatur.

Duobus verò, aut pluribus ante Constitutum visitationis tempus diebus, Archipresbyterum, aut Archidiaconum, vt in Concilio Rothomagensi cautum est, aut alium Ecclesiasticum hominem, quem maluerit Episcopus, præire iubeat, per singula oppida, vicos, Parochias, & loca Ciuitatis, & Diœcesis, præsertim frequentiora, insignioraue, quæ ille visitaturus est. Ille verò iussa præstet: conuocatoq; Clero, & populo vniuscuiusque loci nunciet Episcopi aduentum, eidemq; aduentanti obuiã, vt iussum est, prodire, cæteraq; in promptu haberi moneat, ac mandet. Pastorales item Epi litteras, edicta, instructiones, ad visitationẽ pertinẽtes, enunciet, atque euulget. Tũ præterea quicquid de leuioribus causis ab eo explicari, agiuè Eps iusserit, id exequi studeat, vt nè ille veniens diutius ob eiusmodi causas in visitationis mora esse necesse habeat.

39 Parochus porrò, aliusue Ecclesiæ Rector, vel præfectus, in quã aiarum curam gerit, cùm visitandus erit, pastorales Epi litteras, visitationis nomine editas, duobus ante illius Aduentum proximis festis diebus, intrà Missarum solemnia cùm populi frequentia adest, de scripto recitet.

Itidem præstet de litteris, quas de confirmationis Sacramento ritè, religioseque suscipiendo Episcopus, institutionum, monitionumue nomine ediderit.

Hoc ipsum præterea exequatur de alijs item litteris, edictis, & institutionibus, quas ob visitationem euulgari ille iusserit.

Sacerdotibus quoque & alijs, quorum interest, Epales institutionũ litteras de scriptis, tabulis, libris, alijsq; rei Ecclesiasticæ monumentis, instrumentis, cæterisque id generis maturè præparandis, quo visitandi ratio, breuior, explicatiorque sit, significet, & recitet; acta opus est, earum exempli exscribendi copiam illis faciat.

Quam litterarum, edictorumue Episcopalium euulgationem, recitationemue, & lectione, & cõcione, & monitionibus, & omni alio tum publico, tum priuato cohortationum officio prosequatur, prout expedire animaduerterit: quò fidelium animos diligentius præparet, atque excitet ad suscipiendum Episcopalis visitationis officium vberrimo, ac salutari cum animarum fructu.

Illud curet, vt nemo, qui intrà Parochiæ suæ fines habitat, omninò sit, qui eo visitationis tempore confessus, sacram communionem non sumat; idque ab Episcopo ipso, etiam si in alia Parochiali Ecclesia

sumere.

sumere oporteret, scilicet eò loci, vbi ille mane visitans, Missæ sacrificium offerat.

Nemo item, qui chrismate non ante confirmatus, modo ætate, in confirmationis litteris Episcopalibus præscripta sit, illud ab eodem nunc non accipiat.

Quamobrem tùm pridie diei Visitationis, tùm maximè vbi Episcopum visitationis causa iam aduentare cognouerit, certo aliquo, solemnique campanarum sono illius aduentum fidelibus significet, quo frequentius etiam ex agro euocati, omni alia prætermissa actione conueniant, eique tale tamquàm necessarium munus obeunti, diligentius præsto sint, qua debent obseruantia, ac veneratione.

Studeant item, Confessariorum Sacerdotum, qui ad id muneris probati sunt, nisi Episcopi cura præmittantur, copiam necessariam habere, qui biduo, triduouè Parochiæ suæ hominum confessiones audiant, aut confessos reconcilient, vt stata visitationis, aliauè die, quam Episcopus constituerit, præparati sint ad sacram Communionem, & ad Confirmationem, qui nondum confirmati sunt, ab eo sanctè sumendam.

Ac propterea Confessionum causa eo tempore confessionalia multa, ad formulæ demõstratæ præscriptum confecta, certisque locis in Ecclesia sua decenter collocata, si totidem non sunt, quot necessaria viderit, aliundè habere curet.

Hostias, vinum, vasa, mappas, & alia ad sacræ Communionis, populo ministrandæ, vsum necessaria, accuratè paret.

Locum item in Ecclesia præparet, atque ornet, vbi ab Episcopo confirmationis sacramentum fideles religiosè suscipiant.

Suggestum item decenti ornatu instruat, vnde tùm ille, aliusuè populo sermonem, concionemuè habere possit; tùm Episcopalia mandata de scripto pronunciari.

Pridie illius diei, quo Episcopus visitaturus est, chirographa, schedulasuè in promptu esse curet, eorum, qui confirmationis Sacramentum susceperi sunt, & compatrum, commatrumque item ex præscripto instructionis litterarum de confirmationis Sacramento promulgatarum.

Omnium singularumque rerum, quæ vel consecrandæ, vel benedicendæ sunt, vtpotè Ecclesiæ, Cœmiterij, Altarium, campanarum, vestium, indumentorum, tabernaculi, calicum, corporalium, crucum, imaginum, significationem, indicis ordine exaratam, Episcopo ante diem visitationis ità in tempore det, vt cùm de apparatu, tùm de certa hora, vel die illas sacras actiones obeundi deliberare possit.

Sacristiam præterea adornet, atque instruat: in qua ex armarijs exposita sint sacra indumenta, vestes, pallia, vasa, ac reliqua omnia Ecclesiasticæ

fiasticæ supellectilis instrumenta, atque ornamenta, præter illa, quæ in Ecclesię, Altariumque apparatu, & vsu tunc erunt: eaque ordine ac pro colorum ratione distinctè collocata ità appareant, vt eo, & loco, & tempore in visitando recognosci certè, facileque ac breui possint.

Certo item, decentique Sacristiæ loco libri, ac volumina Ecclesiastica, vt Missalia, Breuiaria, Lectionaria, Antiphonaria, & alia id generis suis operimentis politè contecta, in oculis Episcopi appareant.

Tuto item eiusdem loco in promptu sint scripta, monimenta, Codicesuè, quibus testificatio fiat, sacrarium Reliquiarum, in ea Ecclesia asseruatarum.

Eodem loco tabulę item, scriptauè indulgentiarum, eidem Ecclesię concessarum.

Separatim alio Sacristiæ loco, vel in Archiuio, si illud à Sacristia distinctum sit, in promptu habeat, tabulas, scriptauè, ac monimenta quęuis pro ratione annorum distinctè notata, quę ad Ecclesię, Altarium, Capellarumuè iura, priuilegia, bonaque testificanda pertineant.

Librum item Statutorum, & Constitutionum, & tabularum, rituum, consuetudinum, si quas peculiares illa Ecclesia, eiusuè Clerus habeat, præsertim in diuinis officijs, Ecclesiasticisque functionibus.

In promptu præterea, ac parata Inuentaria hęc infrà ordine præscripta, rectèque confecta habeat, quibus singulis manu sua subscriptum sit.

Primò Inuentarium sacrarum Reliquiarum in sua Ecclesia reconditarum, ac simul monimentorum, litterarumuè illas verè testificantiũ.

Alterum, in quo descriptę sint indulgentię omnes, illi Ecclesię, eiusuè Capellis, aut Altaribus perpetuò concessę, aut ad tempus, quod adhuc peractum non sit.

Tertium, in quo sacrę vestes, pallia, indumenta, & ornamenta singula; omnia, quęcumque supellectilis Ecclesię sint, rectè, ac distinctè descripta, notatauè appareant.

Quartum, in quo libri, scriptauè, litterę, ac instrumenta id generis, quibus bona, iura, priuilegia Ecclesię, Altarium, Capellarumuè testificata apparent, notata sint.

Quę Inuentaria, quo tempore, & quibus prędentibus proximè confecta sint, ex illius scriptione appareat, vt, si ità opus aliquando erit, rectè conferri possint, eademque ex scripta, in uisitationis acta referantur, prout Episcopus censuerit.

Paratum habeat, ac exhibeat indicem Dignitatum, Canonicatuum, portionum, & aliorum id generis titulorum, Altarium, Capellarum, & Clericatuum, quicumque sunt in illa Ecclesia, cum explicatione eorum census, ac onerum vnicuique adiunctorum; tùm etiam fundationum,

tionum, institutionumue, & notariorum, qui fundationum tabulas confecerint, tùm singulorum præterea, qui ea Altaria, Capellas, portiones, canonicatus, dignitates, aliudue, quouis, etiam ad nutum amouibili, titulo obtinent.

Indicem etiam similem, cum simili explicatione titulorum, & beneficiorum quorumcumque, tùm Ecclesiarum, tùm Oratoriorum Sæcularium, etiam cāpestrium, quæ sita sunt extrà illam Ecclesiam, intra fines tamen eiusdem Parochiæ.

Indicem item Scholarum, Confratriarum, locorum, operumue piorum, quouis modo in ea Ecclesia institutorum, quo exprimatur, & institutio, & institutionis tabulæ, à quo scilicet notario confectæ.

Rursùs indicem similem Scholarum Confratriarum, Hospitalium, locorumue, & operum piorum, quorumcumque, quę extrà illam Ecclesiam intrà fines tamen Parochię sita sunt.

Indicem quoque Monasteriorum, Præposituranum, & huiusmodi domuum Regularium, tam virorum, etiam si commendatę sint, quàm fœminarum, etiam, quę ab Episcopi iurisdictione immunes sint, quę cumque in illius Parochię finibus sitę sunt.

Paratum item indicem habeat, ac exhibeat, in quo Clerici, in suæ Ecclesiæ finibus habitantes, descripti sint, notatis eorum vniuscuiusq; tum nominibus, tum domicilijs, habitationibusue Ecclesiasticis, aut Sæcularibus: & item adscripto an soli, an vnà cum alijs, vel Ecclesiasticis, vel laicis habitent.

Indicem item puerorum, adolescentiumue vitæ Ecclesiasticæ disciplinam ingredientium.

Musicorum item, Cātorum, Organoq; in quauis Ecclesia sonantiū. Laicorum item hominum, si qui sunt, Sacerdoti in Missę sacro, aut diuinis officijs, funeralibus etiam, & in alijs Ecclesiasticis muneribus, operam aliquam prestantes.

Indicem item prędiorum, bonorumque Ecclesiæ suę; rursusq; fructuum, & censuum, quos inde percipit, & aliorum inde reddituum, vtpotè oblationum, eleemosynarum, quę statis quibusdam anni diebus, vel ob solemnitates, vel ob anniuersaria, aliamue causam fiunt.

Huic rursùs alius index adiunctus exhibeatur, vsurpationum bonorum, iuriumue illius Ecclesię, & alienationum præterea triginta ante Tridentini Concilij celebrationem, & confirmationem annis factarū.

Indicem etiam det reddituum, vel veterum, vel recentium, Capitulo, Cleroue illius Ecclesię Communium.

Indicem quoq; distinctum, reddituum, emolumentorum, onerum, & aliarum, vt suprà, prescriptarum rerum, quæ ad Ecclesias tunc vacantes pertinent, notato etiam tempore, quamdiù vacent, & illius item,

qui

qui earum fructus, vel decimas, vel primitias, vel alios cuiusuis generis redditus exigit, nomine descripto, & auctoritate, qua exegit item.

Indicem præterea census ab eo, qui sibi tamquam Rectori obuenit, distincti, ac separati, vtpotè illius, qui vel ad fabricæ illius Ecclesiæ vel ad luminum, vel ad sacristiæ, vel ad alterius eiusmodi rei vsum erogationemue pertinet.

Promptos item habeat Codices Parochiales, vnum scilicet baptizatorum, alterum eorum, qui matrimonium contraxerint, tertium illorum qui Chrisma susceperint, quartum, quem proximè confecerit de numero, statuque animarum.

Regestum etiam, aut exempla Constitutionum Pontificiarum, ac literarum Pastoralium, aut instructionum id generis, & edictorum, quæcumque ab Episcopo acceperit In quibus singulis exemplis notatus sit dies, quo illa populo promulgarit, legerituè.

Paratos item libros, & tabellas singulas, indicesuè habeat, ac exhibeat, qui debent in Sacristia esse ex præscripto Conciliorum Prouincialium, diœcesanorum, ac instructionum.

Si Præterea curam, administrationemuè habet bonorum Ecclesiasticorum separatim ab ijs, quæ sibi ad vitæ sustentandæ vsum attributa sunt, aut fructuum vacantium sibi commendatorum; susceptæ, administratæuè curæ rationum Codicem in promptu habeat, atque exhibeat.

Separatim verò in promptu habeat, vt Episcopo tradat, tabulam decretorum Prouincialium, diœcesanorumque quæ vel ad diuinorum officiorum cultum, vel ad Parochialis curæ, disciplinæque Christianæ rationem pertinentia, nondum in Parochiæ suæ finibus executionem habuerunt, causis, & impedimentis quoque explicatis, cur in executionis vsum adhuc inducta non sint.

Tùm præterea indicem, manu sua confectum, de eorum, qui infrà notati sunt, si qui in Parochiæ suæ finibus id genèris homines extant.

Hæreticorum, hæresisuè nomine suspectorum, aut libros hæreticos, prohibitosuè habentium, vel legentium.

Publicè, vt infrà potissimum, delinquentium, malefactaque committentium.

Blasphemantium scilicet.

Superstitione, maleficijs, magicisque artibus vtentium.

Eorum, qui in Pascha Confessi, sacram Communionem non sumpserint.

Simoniacorum.

Vsuras exercentium.

Concubinariorum, concubinatusuè nomine suspectorum.

Ille

Illorum etiam, si qui publicè, notorièque criminosi, quibus pro Tridentinæ sanctionis, Concilijque Primi, & Tertij Prouincialis decretorum ratione, solemnis, vel publica indicenda sit pœnitentia; vt, aut tunc ijs Episcopus eam iudicio suo statuat; aut illos, quos solemniter pro peccati grauitate pœnitere iussum est; à Cancellario notatos, ad se ineunte Quadragesima venire iubeat, cuius temporis initio illam de Ecclesię sanctę more ipsi subeant ritu solemni.

Coniugum inter se disiunctorum, neque simul cohabitantium.

Eorum, qui cognatione, affinitateuè iuncti, matrimonium gradu prohibito contraxerint.

In Ecclesia parum reuerenter, ac non debita veneratione versantium.

Illorum, qui diebus festis Missæ sacrificio non interfint; aut seruilibus operibus dies festos violare, aut choræis, comessationibus, alijsque eiusmodi actionibus profanare soleant.

Talis, aliaque ludentium; aut istis domicilia exponentium.

Libros de rebus obscęnis, parumque honestis conscriptos, obscœnasque item imagines habentium.

Eorum etiam, qui inertiæ, desidiæ, otio, vel cauponis, tabernisue vinarijs, ganeisuè dediti sunt.

Marium, fœminarumq; vestitum immoderatum induentium, non sine manifesta Dei, hominumque offensione.

Omnium denique deprauatorum morum in Parochiæ suæ hominibus frequentium, ac publicorum.

Indicem item eorum hominum, intrà Parochiæ suę limites habitantium quibuscum Episcopus visitans pro varijs visitationis officijs, aliquando colloqui, agereuè necesse habet. Horum scilicet.

Patrum familias.

Ludi litterarij Magistrorum, Pædagogorum, Musicam etiam, Scriptionem, Arithmeticam, aliasque artes liberales profitentium.

Mulierum item docentium, puellasque sibi indisciplinam traditas, domi educantium.

Medicorum, Chirurgorum, Tonsorumque rem medicam exercentium.

Pictorum, & Sculptorum.

Bibliopolarum, Impressoriamque facientium.

Ministrorum publicorum, vt Syndicorum Confratriæ vniuscuiusque Præfectorum, Curatorumuè, & aliorum id generis.

Notariorum.

Opificum, artificumuè in Parochia sua frequentiorum.

Hominum, operibus pijs exercendis aptiorum, aut iam debitorum;

&

& eorum, qui vitæ spiritualis, disciplinæque Christianæ studiosi adiumenta subministrare possunt rationibus, Parochiæ benè instituendæ vsui necessarijs.

Pauperum, ⁊viduarum, pupillorum, cæterorumque ⁊verè miserabilium.

Cauponariam, cenacularamuè exercentium.

Saltandi, tripudiandiuè, ac sonandi in choræis artem profitentium, docentiumuè.

Exhibeat ipse ordinum, quibus initiatus est, ac beneficij illius, tùm cæterorum etiam, si quę alia obtinet, litteras, tùm facultates scriptas, si quas ab Episcopo, eiusuè Ministris habet, vel suo, vel Ecclesiæ suę nomine; ⁊vtputà susciendi munus Missarum celebrandarum, audiendi Confessiones eorum, qui non sint de sua Parochia, cohabitandi cum laicis, vel extrà ædes Ecclesiasticas; adhibendi fœminas sibi inseruientes, locandi laicis domum Ecclesiasticam, exponendi capsulam pro eleemosynis, & eiusmodi.

Exhibeat item libros proprios, quos ex decretis Prouincialibus, aut ex visitationum, alijsuè Episcopi sui iussionibus, habere debet, vtpotè Breuiarium, Missale, Calendarium proximè editum, librum Ritualem seu Sacramentorum, Homiliarium, Psalterium, ⁊volumen Bibliorum, Catechismum Romanum, Codices Conciliorum, scilicet Tridentini, Prouincialium, & Diœcesanorum, quibus in libris inscriptum sit nomen possidentis.

Exhibeat prętereà indicem aliorum librorum, quoscumq; impressos, aut manu exaratos habet.

40 Quod de sacris reliquijs, indulgentijs, indumentis, ornamentis, supellectili Ecclesiastica, libris, scriptis, inuentarijs, indicibus, fundationum tabulis, redditibus, emolumentis, oneribus, vsurpationibus, alienationibusque titulis etiam beneficiorum, & ordinibus, ac cæteris denique Parocho, Rectoriuè, aut Præfecto Ecclesiæ, in qua animarum cura geritur, prescriptum est; id omne, & Prępositi, & Canonici, & Capellani, etiam mercenarij, & alij dignitatum, Canonicatuum, Altarium, Capellarum, aliorumque beneficiorum titulum obtinentes; aut quouis nomine administrationem, curamuè habentes: & rursus fabricarum Præfecti, & Confratrium, Hospitalium, eleemosynarum, locorum uè, ac operum piorum quiuis curatores, cum visitandi erunt, præstent; quatenus eo de toto genere constitutum vllo modo pertineat ad eorũ dignitates, beneficia, Capellas, & Altaria, titulos, & ordines, aut ad fabricas, hospitalia, eleemosynas, pia loca, vel opera, aut etiam Ecclesias, Altaria, Capellas eorundem prefectorum, vel curatorum administrationi, & procurationi commissas.

Parochi

41 Parochi sit autem, aut Præfecti, Rectorisue, vt suprà, intra cuius Parochiæ fines facienda est visitatio, nisi Episcopus alijs potius id muneris aliquando dederit, illos omnes, & singulos in tempore præmonere, vt præscriptum apparatum conficiant, atq; in visitatione præsentes adsint, tum præscriptã rationem, quam id præstent, diligenter docere.

42 Episcopus porrò, quo visitationis rationem magis explicatam habeat, nec diutius quam par est, in mora sit, in omni præscripto apparatu rectè conficiendo ab ijs, quorum interest, pro pietatis suæ, Pastoralisque diligentiæ studio omnem diligentiam adhibeat.

43 Quòd verò Parochorum, & aliorum Sacerdotum in concionibus, vel sermonibus habendis ratio Episcopo exploratior sit, hæc præter alias huius indagationis constitutas rationes seruare poterunt, vt, cum visitantur, sermonem, conuocato populo, præsentesque ipso Episcopo singuli in sua Ecclesia, vel vbi is maluerit, eo de genere, quod idem inserit, aliquando habeant.

44 Illud autem, &c. De vita & hon. Cler. nu. 80. & 81.

45 Visitationis initio, certæ Christiano more viuendi regulæ, ex Oecumenica Tridentina Synodo, Concilijsque Prouincialibus, & diœcesanis, omnique optima disciplina collectæ, vulgari sermone, breuiter explicatæ, ad communem Prouinciæ vsum per nos edendæ, præterillam decretorum, ad laicos pertinentium, denunciationem, in Concilio Prouinciali tertio Parochis præscriptam, de suggestu populo frequentissimo in vrbe, & insignioribus locis, vbi Episcopus expedire censuerit, clara voce legantur: vt omnes intelligant, secumque taciti inquirãt, an ad præscriptas leges vitæ Christianæ modum susceperint. Tùm ab Episcopo de allis interrogati, videant sui muneris esse, si quas in vitæ institutione executi nondum sint, earum præscriptis, atque institutis parere quàm primum, & quàm diligentissimè, pro salutaris disciplinæ ratione, atque vsu, rectis regulis confirmato.

46 Certas pastorales monitiones, vnicuique hominum ordini, sexui, ætati proprie conuenientes, ex sacrarum litterarum fontibus, sanctorumq; patrum disciplina, ex eisdem Conciljs haustas, ad omnium etiã magistratuum institutionem, nostra cura communi Prouinciæ vsui cõficiendas, vnusquisq; Parochus, cùm in fine visitationis vrbis, & vniuscuiusque præsertim insignioris oppidi, tùm certis anni solemnitatibus, prout Episcopus iusserit, & illis aliquid pro ratione loci, vel addendum, vel detrahendum censuerit, populo de scripto recitet, atque euulget; vt fideles non solum visitationis iussis, decretisque alijs in omnes benè agendi partes confirmari sed sæpius sui quique debiti officij, Episcopalibus, Pastoralibusque vocibus moniti, in dies in via Domini maiores progressiones, habeant.

Visitationis

48 Visitationis munus ad Dei honorem, animarumque salutem vtiliter institutum, quò fructuosius præstetur; maximè videbitur expedire, vt antequàm ab Ecclesia, piouè loco, cuius visitatio agitur, discedatur, decreta, eaque præsertim, quæ de structura, supellectiliuè Ecclesiastica, constituta erunt, Rectori, alijuè, cuius interest, relinquantur, vt quàmprimum fieri potest, diligenter inducantur in executionis vsum. 5. Quę ad Synod. cõgreg. & visit. attin.

49 Atq; in eo quidem genere decretorum, quæ de illius, vel fabricæ, vel supellectilis ratione sunt, cũ in instructionibus, ea ipsa de re ex Prouinciali decreto editis forma præscribatur, non multũ tẽporis ponetur.

50 Si quæ verò, vtpotè de legatis, & alijs eiusmodi causis cognosci oportebit, de ijs, loci etiam visitatione cõfecta statui, decerniuè poterit: sed curet Episcopus anteà omninò, si fieri poterit, decerni, quàm ex ipsa plebe, Vicariuè regione abeatur, si Diœcesis locorum visitatio fit.

15 At qui in decretis non erit generatim, sed sigillatim, & quantum fieri possit, diligenter statuendum, & à quo, & cuius sumptu, & quo temporis spacio quicquàm fieri, prestariuè oportebit; & quæ præterea pœna negligentibus, aut contumacibus erit irroganda. Et verò si quę in decretis exequendis difficultas, vel controuersia videbitur oriri posse; curandum erit, vt planè tollatur. Verùm hac salutari diligentia videat Episcopus, nè in visitando tempus, nisi necessariò protrahatur ad maiorem Cleri, vel Populi, vel Ecclesiarum sumptum.

52 Nec propterea tamen vetitum sit, quominùs aliquotum decretorum confectionem, vel editionem differre diutius possit, si ità pro difficultate rei, aliauè ratione opus esse, aut expedire iudicauerit.

53 Visitationis autem decretorum exempla semel primũ gratis omninò etiam, quod ad scriptionem attinet, edãtur ijs singulis, quibus pro executionis vsu edi, exhiberiuè oportet: iterum etiam, atq; adeò sæpius itidem gratis, vt suprà, edantur; si quæ iàm edita sunt, aliquo modo, sine eorum culpa tamen, amissa, deperditauè sunt.

54 Quæ porrò decreta, cùm primo eduntur; in libro benè confecto, accuratè, rectèque exscribantur. Isque liber in Sacristia Ecclesiæ, alioue decenti, tutoque loco asseruetur.

55 Subscribet præterea manu sua ijsdem decretis in eo libro Episcopus, vel qui eius nomine visitauit, vel Cancellarius, vel Notarius visitationis.

56 Eiusdem verò Cancellarij erit, publicis tabulis notare, in actaque visitationis referre, quo die singula decreta, ordinationesuè singulæ editæ sint.

57.58 Si visitator gradu inferior sit Episcopo, propositam à nobis visitandi formulam in reliquis omnibus diligenter obseruet; in comitatuque octo hominibus ad summum, & sex iumentis contentus sit. 1. Ibidem.

59 Quæcumque de præparatione in Episcopali visitatione facienda suprà præscripta sunt, instructiones, eædem ferè omnes adhibendæ erunt in alijs visitationibus; illa tantum præparatione excepta, quæ pertinet ad ea, quæ Episcopi tantum, Episcopalisuè muneris, & visitationis propria sunt; vt de solemni receptione, de Crismatis sacri ministratione, & alijs huiusmodi.

De Concilio Prouinciali, eiusque Constitutionibus, & decretis.

SVMMARIVM.

1 *Concilium Prouinciale quo tempore quoque anni die, & loco habendum.*
2 *Is dies, locusque à Metropolitano prorogari, mutariuè potest. Eiusdem diei, & loci constitutio edicti loco habenda. 4. 5.*
3 *Metropolitano impedito, antiquior Coepiscopus illud conuocandi ius habet.*
6 *Concilio qui interesse debent, ipsimet adsint.*
7 *Legitimè impediti, quid agant, & quē, qualemq; suo nomine mittant.*
8 *Contrà absentes, vt procedatur.*
9 *Capitula Cathedralium procuratores mittere possunt.*
10 *Concilij inchoandi dies in Calendarium referendus: & quando etiam populo; & à quibus, & ad quem finem denunciandus. 14.*
11 *Schedulæ, ob eammet causam, quando, quibus in locis affigendæ, cuius tenoris, & à quo subscribendæ, quoque sigillo signandæ. 12.*
13 *Litteræ Pastorales Metropolitani eo de genere, quibus item in loci, & quando promulgandæ.*
15 *Antestatam Concilij diem, Concilioque durante quibus in Ecclesijs, quibusque statis diebus, & à quibus Missæ cantandæ, celebrandæ, vel commemoratio facienda: quæque aliæ preces adhibendæ.*
16 *Quid aliud ab Ecclesiasticis Concilium adituris præstandum.*
17 *Quæ item curent Episcopi, antequàm ad Concilium veniant; & de quibus in eo ordine referant. 18.*
19 *Ad Concilium veniens Episcopus quos, & quot secum ducere debeat.*
20 *Ei venienti, qui obuiam procedere debeant.*
21 *In vrbem, quo habitu, & equitatu ingrediatur: & an populo benedicere debeat.*
22 *Quò primo, vrbem ingressus, accedat.*
23 *A quibus; & qualiter in Ecclesia excipiatur.*
24 *A Basilica ad Metropolitanū pergens, qualiter ab eodem recipiatur.*

Ecclesia,

25 Ecclesia, vbi Concilium celebrabitur, exornanda.
26 Concilioq; instante, in eadē oratio Quadraginta horarum instituenda.
27 Oratio etiam, sine intermissione à quibus in Ciuitate, & Diœcesi agenda, Episcopi cura.
28 Pridie primæ Sessionis ieiunent Episcopi, eorumque familia.
29 Campanæ quoque pulsandæ.
30 Primo Concilij die, diebusque alijs quid à Sacerdotibus, & Clericis alijs, Concilio præsentibus, agendum.
31 Sessione prima processio solemnis agenda; Missa à Metropolitano cantanda, qualisque sermo habendus.
32 Sessionibus in alijs Missa, sermoque à quibus celebranda, habendusq;.
33 Conciliares actiones festis diebus mane saltem intermittendæ.
34 Eisdem tota animi cogitatione intendendum ab Episcopis.
35 Congregationes generales cuius campanæ sono, quoque alio signo significandæ.
36 Illis absolutis, vesperi ad vespertinam orationem ab Episcopis conueniendæ.
37 Concilio inchoato quid à Choro canendum eoque durante quid festis diebus ab Episcopis agendum.
38 Quid item à populo, & à Clero.
39 Quidque à Clero in Capella ædium Archiep. agendum.
40 De Ecclesiastica disciplina tractandum.
41 De Clericalibus item disciplinis, & studijs agendum.
42 De earundem Clericalium disciplinarum explicatione differendum.
43 Quid etiam ab Episcoporum familia eo tempore fauendum.
44 Concilio non absoluto, qua facultate abire Episcopis liceat.
45 Eodem absoluto, non tamen adhuc dimisso, quæ agenda, repetenda, tractandaque.
46 Quæque Canonicæ regulæ ad Ecclesiasticos pertinendæ quæque alia legenda.
47 Sessione in vltima dies futuri Concilij denunciandus.
48 Decretis Concilij à Metropolitano ab Episcopis, & Procuratoribus subscribendum.
49 Acclamationibus factis, Episcopi à Metropolitano pacis osculum accipiant, & quid ea osculi significatione præstent. 50.
51 Cōcilio dimisso quid agendum à Metropolitano, & quid ab alijs Epis.
52 Metropolitani iuri quatenus non derogatur in alibi conuocando, prorogando mutandoque Concilio.
53 Pœnæ in Concilio quarto præpositæ locum habeant in futuris Cōcilijs.
54 Conciliorum omnium Prouincialium decreta, cura Metropolitani vno volumine contexenda, & edenda.

4. De Concilio Prouinciali. Sess. 24. c. 2. de ref. c. propter Ecclesiasticas cũ seq. dist. 18.

1 PRouincialia Concilia, diuino munere, à sacra Oecumenica Synodo Tridentina in vsum reuocata, sicut tertio quoque anno ad eiusdem Synodi præscriptum conuocari, celebrariq; oportet; ità maximè consultum esse debet, vt id ipsum rectè, ordine, atque ex vtilitate Prouinciæ præstetur. Itaque & pro illorum vsu, in perpetuum retinendo, & pro cæteris rationibus, ad eorundem actionem rectè, vtiliterque præstandam accommodatis, hac tùm authoritate nostra, tùm etiam de consensu patrum sancimus.

Primò singulis Prouincialibus Concilijs, tertio quoque anno ex ipsa Tridentina sanctione celebrandis, quæ indicere, conuocare, & celebrare ius Metropolitani est, nos certã diem in posterũ indicimus, decernimus, & statuimus, feriã scilicet quintã, quæ à Pascha Resurrectionis Dñi sub tertiam Dñicam cadit: certumq; item locum, nempe Metropolitanã nostrã Ecclesiam, Beatæ Mariæ Virginis nomine nuncupatã.

2 Hoc autem perpetuæ indictionis decreto, Constitutioneue Metropolitani iuri derogatum, abrogatum nè sit, quo minùs constitutum diem, locumue, prout necessitas postularit, vel iusta causa, ratione aliqua ei suaserit, prorogare, accelerare, mutare, ex Canonum iure, sanctioneque Tridentina possit; modo intrà triennij saltem spacium, ad illius sanctionis præscriptum, semel celebret.

3 Neque rursùs Metropolitano legitimè impedito, facultati illud conuocandi, eadem Tridentina sanctione Coepiscopo antiquioti cõcessæ, detractum sit.

4 Eius autem constituti Concilij aris diei, & loci, atque adeo Concilij Prouincialis indictionem omninò ratam, firmamque esse volumus, absque alia, vel litterarum significatione, vel edicti promulgatione, vel vlla alia denunciatione, aut nuncio, tantum roboris, & auctoritatis ad Episcopos, & reliquos quosuis omnes, ac singulos, qui Prouinciali Concilio Mediolanensi, quacumq; ratione adesse possunt, aut debent, quorumue aliquid interest, monendos, & conuocandos, habere hoc decreto sancimus, quantùm illa, quę indicendi eiusdem Concilij Prouincialis ratio litteris, & nuncio, edictoque publico adhibetur.

5 Quamobrem propositis pœnis, Canonũ iure sancitis, cùm vniuersos, & singulos Episcopos, tùm cęteros omnes, qui quouis iure cõsuetudine, aliaue, vt suprà, ratione, debent, Mediolani in Metropolitana Ecclesia præsentes adesse ad eam diem iubemus, quam tertiò saltem quoque anno, Prouinciali Concilio de more incundo, celebrandoque certam, & statam hac constitutione in perpetuum decreuimus.

c. si quis Episcoporum, & cap. placuit, dist. 18.

6 Quicumque verò, vel Episcopi, vel alij interesse debent, ne eo-

rum

rum nomine alij; sed ipsimet statâ die adsint; nisi necessaria iustaque causa, quamobrem debitum hoc officium præstare non possint, impediti sint.

7 Eam porrò causam, tum Metropolitano, vt Canonum iure cautum est, probent; tùm etiam procuratorem certum, Ecclesiasticum hominem, mittant, qui suo nomine suscipiat, recipiatuè, quęcumque Canonum, Concilijque Tridentini auctoritate, in Prouinciali Synodo acta, gesta, constituta, decreta, sancitaue erunt. Si quis contrà fecerit, aliaue ratione non paruerit, aut contumax erit, ex Canonum sanctionibus debitas luat pœnas. cap. Eps cũd. dist.

Si quando Episcopus, iusta, eaque Metropolitano probata, causa, ad Concilium Prouinciale non accesserit, virum Ecclesiasticum mittat, qui non modo legitimam absentię excusationem, vt Canonum iure, Concilijque Prouincialis quarti decreto cautum est, rectè afferat, decretaq; suscipiat; sed hoc etiam præstet, vt à Metropolitano interrogatus, rationem diligenter, rectèq; reddat omnium, quę ad eius Ecclesię, cuius causa ab Epō huius decreti auctoritate mitti debet, rōnes attinēt. 5. Quę ad Synodum, &c. attin. dist. 18. cap. Episcopus.

8 Quicumq; porrò ex ijs, quos constituta illa die adesse hoc decreto iussum est, adesse neglexerit, aut prætermiserit, contrà eũ agatur etiam edicto publico, Metropolitanæ, aut alterius Ecclesię, lociuè, vbi Concilium habebitur, si mutari quandoque contigerit, valuis affigendo. 4. Ibidem. dist. 18. ca. Si Episcopus.

9 Ad constitutum etiam illud tempus capitula Cathedralium Ecclesiarum inuitamus ad Concilium; quibus certos aliquis procuratores, Ecclesiastici ordinis homines, mittere licet; qui eorum nomine præsentes in Concilio adsint; ac, si quæ erunt, quę referre velint, ea Metropolitano in Concilio coram exponant. c. fin. de ijs q̃ fiunt à Prælatis sine cons. cap.

10 Vt verò omnibus, & singulis alijs, qui vel inuitati, vel alio iure interesse possunt, vel debent, quorumuè interest, notior planè sit, atque euulgatior eiusmodi Synodi Prouincialis indictio; certã illam Concilij inchoandi constitutam diem, ac locum in Calendarium, quod eo tertio anno editur, loco suo referri, conciliaremque diem notari; tùm in octaua Natalis diei Domini, qui dies est Calendis Ianuarij, aut in Epiphania, prout in Ecclesia sua moris est, eiusmodi solemnes promulgationes fieri, intrà Missarum solemnia populo frequenti, vnà cum Paschę Resurrectionis Domini, aliarumque solemnitatum denunciatione de more indici, significari, & denunciari vnusquisque Episcopus mandet.

11 Iubeat etiam Ecclesię suę Cathedralis valuis, alijsque locis, quę videbuntur, schedulam, grandiusculis litteris exaratam, duobus mensibus ante constitutam diem, adstante frequenti populo affigi, his verbis.

12 *Concilium Prouineiale Mediolanense, per Reuerendissimum Archiepiscopum, decreto, edito, & promulgato, indictum, & conuocatum hoc anno . . die . . mensis. N. Deo auxiliante, in Metropolitana Ecclesia de more inchoabitur, & celebrabitur.*

Cui schedulæ manu Cancellarij, Notarijuè Episcopalis subscribatur, posito etiam sigillo consueto Episcopali.

6. De Concilio Prouinc. 13 Concilij Prouincialis celebritati, atque actionibus, vt eius diligentiorem vsum, normamque in dies teneremus, certas quasdam rationes in Synodo Prouinciali Quarta constituimus: quibus sanè rationibus operæprecium censuimus hæc adiungere, quò magis splendescant illæ actiones, indeque fructus salutares existant.

Aliquot ante Synodi Prouincialis celebritatem diebus litteræ Pastorales, eo de genere à Metropolitano editæ, cùm in omni Prouinciæ ciuitate, tùm in vniuscuiusque Diœcesis locis, vbi promulgationem fieri moris est, Episcopo curante, rectè promulgentur: quò studiosius fideles excitentur ad precandi studium, pietatisque opera, quibus implorata diuina ope actiones conciliares adiuuentur. Atque ijs quidem litteris si quid Episcopus pro Diœcesis suæ rationibus, atque vsu addendum censuerit, addat, licet.

4. Ibidem. 14 Conciliarem præterea hanc actionem singulis tribus proximis ante diem constitutam Dominicis diebus per Parochos, & Concionatores fidelibus denunciari, eosdemque non modo excitari ad frequentius orationis studium; verùm etiam ad id inflammari vnusquisque Episcopus curet, vt die Dominico statam Concilij diem proximè antecedente, verè pœnitentes, & confessi, sacram Communionem sumant, hoc præcipuè precantes, vt quæ ad suam, & ad illorum, quorum curæ commissi sunt, salutem pertinent, Dei auxiliante misericordia, in Concilio sancta sollicitudine agantur.

15 Ab eadem tertia Dominica ante præfinitum Concilij tempus, & deinceps, quamdiù de more illud absolutum, aut dimissum erit, eadem de causa, ac nomine, quinta quaque feria Missæ sacrificium, tum à singulis Sacerdotibus, tum solemniter Collegiatim, in omni Cathedrali, & Collegiata Ecclesia, de spiritu sancto fiat, prout Concilio Prouinciali secundo sancitum est; vel vbi solemnioris officij ratio hoc quidoque impediat, saltem commemoratio; tùm etiam singulis diebus Dominicis, & in illis, & in omnibus Parochialibus Ecclesijs processio, supplicationesque litaniæ, ac preces habeantur.

2. Tit. 2. dec. 8. Cum primùm Metropolitani litteris Concilij Prouincialis celebrandi dies Episcopis significata erit; illud ipsi curent, vt in omnibus & vrbis, & Diœcesis suæ Parochialibus Ecclesijs quinta quaque feria, in singulas hebdomadas, quò ad illud de more absolutum, ac dimissum

erit,

erit, Missa de Spiritu sancto celebretur: in Cathedrali autem, & Collegiatis Ecclesijs processionum præterea munus singulis diebus Dominicis obeatur; ex animoque preces fiant pro optimo ipsius Concilij euentu. Hoc idem planè seruetur, vbi à proprio Episcopo diœcesanæ Synodi celebrandæ dies indicta erit.

Quod Concilio Prouinciali quarto de Missa, & oratione Spiritus sancti decretum est, id in posterum ità seruetur, vt à Dominica tertia ante constitutam Concilij diem, vsque ad id tempus, quo illius initium fiet, singulis diebus collecta de Spiritu sancto in Missæ sacrificio dicatur. Missa autem de eodem feria quinta celebretur, & supplicationes item fiant statis diebus ad præscriptum illius Concilij quarti. Vbi autẽ Concilij initium factum erit, in omni Ecclesia Prouinciæ Cathedrali, & Collegiata, stata, solemnisque Missa, quæ pro Concilio dicitur, quinta quaque feria celebretur; alijs autem ferijs Collecta pro Concilio à singulis Sacerdotibus in Missa piè recitetur. 6. De Concilio Prouinc.

16 Ecclesiastici etiam ordinis homines, & quos vnà secum ad Concilium Episcopi conduxerint, & quos Capitula miserint, & testes item Synodales, qui conuenerint; ij omnes, & singuli antequàm in viam sedent, peccata confessi, Sacerdotes Missæ sacrificium facere, Clerici sanctissimam Eucharistiam sumere nè omittant. 4. Ibidem.

17 Porrò eò religiosius, & frequentius Episcopus vnusquisque in oratione & precibus, & sanctissimis sacrificijs, illo præsertim tempore versari studebit, quò planius se ad rerum grauium consultationem, & deliberationem vocatum esse videt.

Quò autem instructior is ad Synodalium rerum tractationem conueniat; perquirat primo, quæ Tridentina, & Prouincialia decreta executus sit, quæ non item. Videat præterea, quæ ab alijs, quorũ interest, præstita non sint, quæue non seruentur.

Hæc verò accuratè inuestiget in primis, an qui, vel iure, vel consuetudine, vel alia quauis ratione residere debent, ipsi resideant; anque residentiæ munera per eosdem præstentur?

An regulares exequantur, quæ Tridentina Constitutione de eis sancita, in defectum Capitulorum generalium in Prouinciali Concilio supplenda, prouidendaue sunt, eiusdem Concilij Tridentini decreto.

Diligentissimè quoque indaget, si quæ superiorum Prouincialium Synodorum decreta sunt, quæ in sua Diœcesi executionem non habuerint.

Id deniq; omni Christianæ disciplinæ studio perspiciat, si quæ sunt, quæ pro corrigendis moribus, pro abusibus tollendis, pro controuersijs componendis, aut aliàs pro vniuersæ Prouinciæ Ecclesiastica, & Christiana morum gubernatione sanctè instituenda, vel restituenda

tractari, aut decerni in Concilio oportet.

Quò studiosius autem id omne præstet; paucis ante diebus, quàm Synodi Prouincialis stata, & indicta dies venerit, vrbis, Diœcesisque suæ Sacerdotes aliquot, pietatis zelo flagrantes, rerumque Ecclesiasticarum peritia, atque vsu præditos, vt expedire videbitur, conuocet: quibuscum agat de ijs singulis conciliarium rerum tractationibus, ac præsertim, quæ ad vitæ Christianæ, & ad Clericalis disciplinæ instituta interesse possunt.

18 Iis omnibus Episcopus instructus, vbi ad Concilium venerit, in eo de ijs ordine referat, atque agat; & in primis de diuini cultus obseruantia, tùm de Cleri sui disciplina, spiritualibusq; eiusdem progressionibus, ac de instituti etiam seminarij rationibus; de populi præterea in studijs pietatis exercitatione, & de piorum hominum sodalitatibus; de Ecclesiæ denique, Diœcesisque suæ omni statu. Si quid verò sit, quod Episcopus vtilius tractari posse censuerit, si Metropolitano per litteras ante significandum erit, id præstet, prout expedire iudicauerit.

6. Ibidem. 19 Quod antiquæ disciplinę fuit, vt Episcopus iter faciens, duos saltem Ecclesiasticos homines, vnum Subdiaconum, alterum Diaconum in comitatu haberet: id pro sanctæ sollicitudinis suę zelo ipse ad vsum reuocare curet, cùm præsertim ad Concilium venit.

20 Episcopo ad Concilium venienti Metropolitanę Ecclesię Vicarius Generalis, & alij Prælati, Ecclesiasticique uiri, quos Archiepiscopus delegerit, duo, aut tria millia passuum obuiam prodeant.

21 Vrbem, locumuè, vbi Concilium celebratur, mula is vectus, & insigne dignitatis Episcopalis viatorium indutus, decorè ingrediatur. Cùm ingreditur sancta charitate, rogatu, & concessu Metropolitani quodammodo impulsus in via populo benedicere non recuset.

22 Primò vrbem, locumuè Concilij ingressus, ad Basilicam Metropolitanam primariamuè accedat; vbi paulisper Deum sanctè precetur.

23 Ad Basilicę valuas ei obuiam veniant, & qui dignitates obtinent, & Canonici, & Clerici quicumque illius Basilicę.

Quod si fortasse tunc diuinis officijs in Choro occupati sunt: duo tamen, quattuoruè, qui ex ordine Sacerdotum, & Diaconorum digniores sunt, è Choro mittantur, qui Episcopum ingredientem excipiant, & ad Altare maius deducant.

Dùm atrium, limenuè Ecclesię ille ingreditur, eius aduentus, & ingressus solemni campanarum sono, & nisi diuina celebrantur, organo etiam, piaque cantus modulatione excipiatur.

24 Indè à Basilica ad Metropolitanum ipse veniat, qui obuiam pro-

cedens

cedens fratrem Epm omni charitate, & osculo pacis benignè excipiat.

25.26 In Ecclesia verò, vbi Concilium celebrabitur, quæ etiam Ecclesia de more ornetur, ipsis proximis ante Concilij initium diebus, oratio quadraginta horarum instituatur, fiatque à Clero, & à populo frequentissimo pro optimo Concilij successu. 4. Ibidem.

27 Cùm verò Concilij Prouincialis dies instat, oratio sine intermissione, quæ à Clero, & à Regularibus, & à Monialibus religiosè ob eam causam fiat, in Ciuitate instituatur. 6. Ibidem.

Idem in tota Diœcesi præstetur: ità vt institutæ quadam Parochiarum regionum ⁊ viciſſitudine in primaria Ecclesia Clerus, populusque Concilij causa, Deum piè oret.

Hæc omnia, & singula de oratione, vt præstentur, in qua quisq; Ciuitate, & Diœcesi Episcopus curet.

28 Pridie etiam illius diei, quo futura est prima Sessio, Episcopi, quo religiosius rem grauissimam agant, ieiunium celebrent, & Episcoporum item familia. 4. Ibidem.

29 Eodem die sub ⁊ vesperum, solemni more campanæ in Ecclesia pulsentur: quod itidem fiat pridie illius diei, quo deinceps alia Sessio futura est.

30 Postridie, quæ stata Concilij dies est, summo mane singuli Ecclesiastici homines, qui Concilij causa ⁊ venerunt; Sacerdotes quidem Missæ sacrificium faciant, reliqui ⁊ verò Clerici, præsertim qui de Episcoporum familia sunt, singuli à suo Episcopo, Missam celebrante, sacram Communionem sumere studeant.

Hoc deinde frequentius, tùm maximè, quo die Sessiones habentur, facere salutariter procurent.

31.32 In prima Sessione, supplicandi causa pro re graui, quę geritur, processio solemnis fiat, cõuocato vniuerso Clero, Sæculari, & Regulari, post processionem Missæ sacrificium, vt à Metropolitano solet; eo impedito, ab antiquiori Prouinciæ coepiscopo solemniter celebretur; & sermo item Latinè habeatur de re Cõciliaribus actionibus, disciplinæque Ecclesiasticæ cultui accommodata. Hoc autem, & Missæ, & sermonis officium sequentibus alijs Sessionibus præstetur ab alio Prouinciæ Episcopo, qui à Metropolitano delectus, & inuitatus, id munus susceperit.

33 Singulis Dominicis, & festis diebus, dum Concilium Prouinciale habetur, manè saltem Cõciliares actiones intermittantur, vt Episcopi Ecclesiæ, & officijs diuinis eo tempore vacare possint.

34 Episcopi ad rerum, ob quas in Concilium euocati sunt, actionem tota animi cogitatione intenti, sicut illas omni pietate suscipere debent, ità salutaribus consilijs adiuuare, summaque animorum consensione, & concordissima Episcopali voluntate perficere piè studeãt,

id maximè spectantes, vt Deo, conscientiæ suæ, religioni, Ecclesiarum vtilitati, Christianæ disciplinæ, animarumque saluti satisfaciant.

35 Congregationes generales, quæ statæ in singulas hebdomadas habebuntur, significentur, tùm campanæ mediæ sono, per dimidiam horam dato, tum tabellis suo loco de more affixis.

6. Ibidem. 36 Quotidie Concilij tempore dimissa congregatione Vesperi ad Capellam inde Episcopi frequentes veniant ad orationem vespertinã.

37 Vbi primùm, operante Domino, Concilij Prouincialis initium, decreto ob eam causam promulgato, ritè factum erit, tunc hymnus, Te Deum, à Choro, cantoribusue piè concinatur.

Vbi prætereà in aliqua Sessione Constitutiones, decretaue noua de more promulgata erunt, Episcoporum assensu à Metropolitano comprobata, tum Chorus concinat etiam hymnum, Te Deum, &c.

Singulis festis diebus, dum Concilium Prouinciale habetur, solemni ritu ab aliquo Episcopo Missa celebretur; cui reliqui Episcopi, ordine considentes, intersint: & concio prætereà, Synodalibus actionibus accommodata, ab eodem, alioue Episcopo habeatur.

Festo item die, dum Concilium habetur, Episcopi frequentes ad Vesperarum diuinum officium conueniant, sacræque tractationi intersint, quam Metropolitanus, vel alius Episcopus habuerit.

38 Quo tempore Concilium Prouinciale celebratur, Clerus, populusque Mediolanensis quò frequentiori pietatis studio Prouinciales actiones adiuuet, septem stationales Ecclesias, instar Basilicarum vrbis Romę à Pontifice Gregorio XIII. indulgentiarum dono ornatas, ex certa Parochiarum vicissitudine, quam Archiepiscopus præscripserit, supplicationibus obeat. Dùm item Concilium habetur in hebdomada quotidie, aut saltem tribus ferijs sacrę conciones in Ecclesia Metropolitana, primariaue habeantur, quibus explicetur in primis omnis disciplinæ Christianæ ratio.

39 Singulis Concilij diebus, Clerus Ciuitatis in Capella ædium Archiepiscopalium Clericales aliquas studiorum exercitationes ineat, ad præscriptum Archiepiscopi.

40 De Ecclesiastica disciplina, certis partibus distincta, ordineque dispositа, orationes Latinas, & frequentes Ecclesiastici homines habeant, quos ille iusserit.

41 Disputationum etiam de Clericalibus disciplinis, studijsque cursum penè assiduum eo tempore teneat; aliasque eius generis exercitationes habeat ex præscriptis rationibus.

42 Triduo prętereà, statis scilicet illis ferijs congregationis publicę, in eadem Capella explicatio disciplinæ Clericalis, quę in certas partes distributa sit, à perito Sacerdote, quem Archiepiscopus elegerit, to-

to

Concilij tempore, quàm diligentissimè habeatur, adhibeaturque ob eam rem cohortatio eius generis grauissima: cui cohortationi, & explicationi Clerus omnis vrbanus intersit.

43 Vt autem omnis Episcoporum familia Concilij tempore studiosè, viliterque occupata sit, quo tẽpore congregatio habebitur, & manè, & vesperi à Theologo Metropolitanæ Ecclesiæ, aut ab alio, quem Archiepiscopus delegerit, psalmi, vel aliæ sacrarum litterarum partes studiosè explicentur, cui explicationi, atque interpretationi familiæ Episcopales præsentes attentè adsint.

44 A Concilio autem nè cuiquàm Episcopo abire liceat, nisi necessaria, iustaque causa, à Metropolitano cognita, & comprobata, abeundique facultate scriptis data, ac procuratore Ecclesiastico homine constituto, & relicto, qui suo nomine, quæcumque in Concilio acta, decretaue sunt, recipiat. 4. Ibidem.

45 Antequàm à Concilio discedatur, cum cętera, & ad optimos mores inducẽdos, & ad Ecclesiasticę disciplinę vim, vsumque retinendũ, atque augendum, & ad Tridentinas, Prouincialesque sanctiones omninò exequendas pertinentia, quàm diligentissimè agantur; tùm quęcumque in ipsa Tridentina Synodo ad Concilium Prouinciale referuntur, studiosè tùm lectione repetantur, tum tractatione in executionis vsum inducantur.

46 Canonicę prętereà regulę Oecumenicis Concilijs, Ecclesiasticæque disciplinę monimentis traditę, quę Episcopalis, & Sacerdotalis vitę rationem, officia, partesque maximè attingunt, de scripto legantur, vt Canonum auctoritate iàmpridem sancitum est. In ijs potissimũ sit constitutio de vita Episcoporum in Concilio Prouinciali primo edita, altera item hoc quarto Concilio promulgata.

Formula etiam promissionum ad interrogationum pręscriptum, quas pontificalis liber complexus est; ac si quę prętereà alia erunt, quę potiora pro ratione temporum Metropolitano videbuntur.

47 In vltima autem vniuscuiusque Prouincialis Concilij Sessione dies futuri Concilij, suprà præscriptus, Metropolitani iussù, denunciabitur, vt antiqui instituti, & moris est.

48 Episcopi antequàm è Concilio discedant, singuli ordine ad Altare maius accedentes, decretis, & constitutionibus, in eodem Concilio confectis, & promulgatis, postquàm Metropolitanus subscripserit, ipsi etiam assentiendo de more subscribant.

Vnusquisque item procurator Episcopi absentis, antequàm abeat, promulgata decreta, sui Episcopi nomine suscipiens, ijsdem subscribat: si non fecerit, excommunicationis pœnam incurrat.

49 Absoluto denique vt moris est, Concilio, & sanctis acclamationibus

nibus factis, tunc omnes Episcopi surgentes, cum reuerentia osculum pacis à Metropolitano accipiant, & sibi inuicem dent, cum timore, & amore Dei.

50 Quodque sancti osculi significatione ostendunt, id re ipsa præstent, vt coniunctissimus animis, concordique voluntate, & pacis, atque charitatis studio, quæcumque sancita sunt, sollicitè exequendo in eam curam incumbant, vt vniuersa Prouincia hæc salutaribus disciplinæ institutis, ad vsum inductis, in omnes benè, pièque agendi partes æquè conformetur.

6. Ibidem. 51 Concilio ritè absoluto, & dimisso, Metropolitanus vnumquemque Episcopum, qui ad se salutandum venerit, discedentem sancto osculo pacis dimittat, eiusque orationibus, & precibus sese intimè commendet.

E Concilio cum ad stationem Episcopalem Episcopus redibit, paulò ante, quàm itineri se committat, ad Ecclesiam Metropolitanam, primariamuè veniat, vbi paulisper oret.

52 Hac autem omni Constitutione, nè Metropolitani auctoritati & facultati vllo modo derogatum sit: qua licet ei omni loco intrà Prouinciæ fines Concilium Prouinciale conuocare, & habere: idemque in aliud tempus prorogare, mutare, aliauè agere, gerere, quæcumque de Synodorum Prouincialium indictione, celebratione, directione, alijsque eiusmodi ab eo agi, ius sit.

53 Quæcumque verò suprà constituta sunt, quæ ad Concilij Prouincialis habendi vim, vsum, atque rationem quouis modo pertinent, quæque ad pœnas non conuenientibus, vel abeuntibus, alijsuè propositas, spectant; ea omnia, ac singula, vt mox suprà decreta, ac sancita sunt, locum itidem habere, statuimus, decernimus, & sancimus, in omni etiam Concilio Prouinciali in posterum celebrando; si vel constitutam diem accelerari, vel prorogari, vel diem, aut locum mutari, vel alia quauis occasione, vel causa, à Metropolitano, vel antiquiore coepiscopo Concilium indici, conuocari, celebrariuè contigerit.

5. Quæ ad diuin. off. pert. Postridie illius diei, quo Sessio vltima Synodi Prouincialis habita est, pro omnibus Prouinciæ Episcopis defunctis, præsertimque pro ijs, si qui post proximum Prouinciale Concilium diem obierint, Missa solemnis à Prouinciæ Episcopo, cui id muneris Metropolitanus mandarit, canatur; & sermo item Latinus appositè habeatur: officiumque item pro illis a quattuor etiam Prouinciæ Episcopis iunioribus ritè mox peragatur ad Pontificalis libri præscriptum.

6. Ibidem. 54 Quoniam non solum ad huius Prouinciæ commodum; sed ad rectam quandam disciplinam Concilijs Prouincialibus decretę exequendæ rationem valdè interesse potest, si quæ his ipsis Concilijs constituta,

stituta, sancitaue sunt, pro subiecta materiæ ratione, certis titulis ordine distincta; cùm iam quinque libris prout quinquies itidem eorum Conciliorum celebritas acta est, varie dispersa sint; in vnum volumen colligantur: ideo Metropolitani cura, & auctoritate, vt alia editio omnium vsui accommodatior sit; illa, quę ijs quinque libris continentur, quæque in hac sexta Synodo sancita sunt, rectè, prout materiæ, quæ agitur, quæque tractatur, ratio postulat, dispositа, salua tamen vniuscuiusque Constitutionis, & decreti Prouincialis sententia, vno volumine contexantur, atque ità ordine contexta, quàm diligentissimè edantur.

Quæ potissimum ad hunc titulum pertinere possunt videantur in Tit. 5. Quæ generatim ad hæc Proulncialia decreta, & alia pertinent.

De Synodo Diœcesana.

SVMMARIVM.

1 *Synodus Diœcesana quando habenda.*
2 *Eius dies certus constituendus, denunciandus, & anniuersario Calendario inscribendus.*
3 *Diem ipsum mutare Episcopo licet.*
4 *Synodi rectè, & ordine celebrandæ ratio præscribitur.*
Ea ipsa præscripta ratio in quibus ab Episcopo augeri, mutarique possit. 43.
5 *Ad eam qui conueniant.*
6 *Ante statam illius diem, eaque durante, quæ Missæ, quibusque statis diebus, quibus in Ecclesijs, & à quibus celebrandæ: quæq; aliæ preces habendæ. & De Concilio Prouinciali, nu.* 6.
7 *Quæ item à Parochis tàm vrbanis, quàm Diœcesanis, Vicarijs foraneis, & Regionum præfectis agenda.* 9. 10.
8 *Qua præparatione; quaque vitæ disciplina eò conueniendum,* nu. 11. *ibique versandum.* 12. 13.
14 *Synodo durante à Sacerdotibus, qui conuenerunt, quotidie Missa celebranda; ab alijs communio sumenda, & quoties, quæque preces aliæ agendæ.*
15 *Synodales qui ministri.*
16 *Decreta à quo legenda.*
17 *Pridie diei Synodus in Ecclesijs campanæ pulsandæ.*
18 *Prima Synodi die mane Clerus conuocandus ad Synodalem Sessionem: quodque ea in re magistri cæremoniarum officium.*

Ipseque

19 *Ipseque Clerus quo amictu, & quomodo conueniat; vtque in Sessione maneat.*
20 *Sessio Synodi quotuplex.*
21 *Sessione prima, processio agenda, Missa ab Episcopo celebranda, Canonicis pluuialibus indutis, nume.36. Sermoque & qualis habendus.21.*
22 *Quæque alia agenda, legendá, publicanda.26.*
23 *Examinatores* } *deligendi, & qualiter.*
24 *Indicesque causarum* }
25 *Iidem examinatores,* } *etiam si longius, q̃ vnius anni spatium Synodi actio differatur, suum munus exerceant.*
Indicesque }
27 *Punctatores quoque* } *designandi, & quomodo: & quando, atque*
28 *Testesque Synodales* } *vbi iuramentum præstent.*
29 *Iuramentum vbi, & qua ratione præstandum.*
Ecclesiastici item in Ciuitate certi à Diœcesano Clero eligendi, qui vrbanæ Congregationis deliberationibus intersint. Quæ pert. ad bonorum, & iur. &c. nu.37.
Sequentibus Sessionibus à quibus Missa celebranda, pluuialia induenda, sermoque habendus.35.36.37.
30 *Sessione secunda, quæ alia agenda.*
31 *Sessione tertia, quæ item promulganda.*
32 *Quæque monitiones ad Ecclesiasticos pertinentes, legendæ.*
Sessione à prandio dilata, ea campanæ sono significanda, vtque ab Episcopo ibi induendum, & quid à Clero vesperi agendum. 38.39.40.
Sessionis vniuscuiusque acta à Cancellario notanda, & in libro referenda.41.
Eadem absoluta, ab Episcopo benedicendum.42.
33 *Indictio Synodi sequentis.*
34 *Cærimoniæ, & alia in dimissione Synodi.*

4. De Synod. Diœces. Sess. 24. c. 2. de reform.

1 EPiscopus ad Tridentini Concilij præscriptũ singulis annis, ac item semper sex post Prouinciale Concilium mensibus Diœcesanam Synodum habeat, pœna proposita, Canonum iure, & Tridentino Concilio renouata.

2 Quare quod in nonnullis huius Prouinciæ Ecclesijs moris fuit, in prima proxima Diœcesana Synodo, certum diem Synodalem constituat, quo Clerus ad illam conueniat. Hic autem dies in singulos etiam annos, Cathedrali in Ecclesia de suggestu, die Epiphaniorum, vel Kalendis Ianuarij, vt alios solemnes dies denunciari cõsuetudinis est, indictus, Calendario etiam adscri-

adscribatur, quod in singulos annos confici solet.

3 Certum autem illum diem, prout causa postulabit, modo prorogare, modo accelerare, ac mutare Episcopo liceat, arbitratu suo. Ità tamen, vt neque sex mensium spacium post celebratum Concilium Prouinciale, nec rursùs vllus annus prætereat, quo Synodum non habeat.

4 Adea verò, quæ in Concilio Prouinciali quarto de Synodi Diœcesanæ, ad Tridentini Concilij præscriptum quotannis celebrandæ, perpetua indictione decreta sunt, hæc etiam, quæ sequuntur, addenda censuimus, vt cum vsui, tum rationi illius, rectè, ordineque habendæ prospectum, & consultum sit. 5. Quæ ad Syn. &c.

5 Synodo Diœcesanæ vniuersi, & singuli Sacerdotes, & Clerici cuiuscumque ordinis intersint, quicumque Canonum iure, vel Ecclesiasticis Sanctionibus, vel Tridentino decreto, vel consuetudine, aliauè ratione interesse possunt, aut planè debent. Sess. 24. c. 2.

Adsint verò inter cæteros quicumque beneficium Ecclesiasticum, cuius causa, de iure, aut consuetudine adesse debent, in ea Diœcesi obtinent, cuius Synodus celebratur, quàmuis in alia domicilium habeãt. Atque in ijs quidem, quę ad beneficium illud pertinent, eiusdem Synodalibus decretis, iussisque obtemperent.

Regulares, quicumque sint, qui in quauis Ecclesia Parochiali etiam quæ in suo Monasterio existit, quæuè eidem adiuncta est, curam animarum gerunt, Synodo Diœcesanæ intersint; ad statas illas congregationes, lectionesuè, quibus Parochos interesse iussum est, conueniãt; menstruos item illos Parochorum conuentus, quos in Diœcesi haberi decreto cauimus, tùm ipsi adeant; tùm in Ecclesijs, vbi animarum curam gerunt, Monasterij sumptu habeant; & omnia denique munera, onerauè Parochialia, quæ cęteris Parochis imposita sunt, præstent omninò. Ibid. c. fi.

6 Ante statam Synodi diem per mensem, quinta quaq; feria in Missæ sacrificio, si quadragesima est, oratio de Spiritu sancto dicatur: alio autem tempore, die eodem Missa celebretur, cæteraque præstentur, prout secundo Prouinciali Concilio sancitum est. 2. Conc.

7 Synodalis hæc actio aliquot ante diebus per Parochos populo denuncietur, eorumque vniuscuiusque officium sit, Parochialis suæ Ecclesiæ homines docere, tùm quàm sanctum, salutareque sit, Synodalis Diœcesanæ actionis institutum: tùm quam ob causam quotannis ea actio suscipiatur.

Quo de genere editas ab Episcopo litteras, Parochus suo quisque populo cùm in Missæ Parochialis sacrificio is frequens adest, accuratè legat: cui muneri adiungat hoc etiam paternæ cohortationis officium,

quo

quo non modo illum excitet ad frequentius orationis studium Synodalibus illis diebus adhibendum; sed etiam ad id singulos inflãmet, vt die Dominico, statam Synodalem diem antecedente, verè pœnitentes, & confessi, sacram Communionem sumant; hoc præcipuè precantes, vt quæ ad eorum salutem pertinent, Dei auxiliante misericordia per Episcopum in Synodo diligenter, sanctèq; agantur.

8 Quò puriores autem Ecclesiastici ordinis homines, qui in Synodo adesse debent, ad eam actionem, quæ religiosam animi præparationem ab illis deposcit, conueniant; omnes, & singuli Dominico illo die, Synodum præcedente, peccata primùm confessi, non solum Sacerdotes Missæ sacrum faciant; sed reliqui singuli cuiusuis ordinis Clerici, sanctissimam Eucharistiam sumant.

9 Antequàm stata Synodi dies veniat, & in Ciuitate ij, quibus id curæ Episcopus dederit, & in Diœcesi Vicarij foranei, & Parochi præterea, tùm vrbani, tùm Diœcesani, vt ipsi Episcopo adiumentum afferant, diligenti aliqua earum rerum indagatione, ac relatione quibus per eum consuli, aut prouideri in Synodo præsertim oportebit, hæc quæ infrà generatim, vel vniuersè mox præscribentur, sedulò videant, ac notent, vt ea omnia ad præscriptam ab eo rationem, & normam tùm litteris, tùm coram constituto tempore deferant. Idque omne, præter diligentiam, quam de hoc genere toto, testes Synodales ex decreto prouinciali adhibere, & præstare debent.

Pgimò igitur ij omnes pro suorum quique munerum, officiorumue ratione & cura dispiciant, quæ Cleri sit in Clericalis vitæ moribus progressio: quæ in vita spirituali disciplina, & quam sollicitum in diuinorum officiorum cultu studium: quàm diligens in Ecclesiasticis functionibus obeundis sollicitudo; quæ etiam, & quàm frequens in litterarum exercitationibus curà; qui in earum studijs progressus item.

Vicarij autem foranei, & regionarij in Ciuitate præfecti, alijuè Ecclesiastici homines, quos ob eam causam Episcopus delegerit, exquirant, qui præterea Parochorum in primis, zelus in animarum salutè procuranda, quæ in sacramentis ministrandis sedula diligentia, quàm frequens in pascendis verbo Dei fidelibus officium, quæ denique in omnibus Parochialis muneris partibus vigilantia, quæue assiduitas.

Deinde ij omnes, & singuli pro sui officij munere inuestigent, quæ populi in Christianæ charitatis operibus exercitatio, quàm religiosa festorum dierum cultus, quàm pia in Ecclesijs conuersatio, quæ in Doctrinæ Christianæ scholis frequentia: tùm de alijs pijs sodalitatibus disquirant, tùm denique de reliqua omni eiusdem populi disciplina, & in via Domini progressu.

Post videant, qui singularum Ecclesiarum, præsertim Parochialiũ, status;

status; an si quæ instaurationem desiderant; an debito cultu fraudantur; an sacris vestibus, ornamentis, supellectiliq; Ecclesiastica ad cultū necessaria, instructæ sint; an denique vlla ex parte incultæ.

Postremò an si aliqua sunt Prouincialium, Diœcesanarumq; Synodorum decreta, edicta, visitationum præscripta, aliaue Episcopalia iussa, quæ executionem non habeant: quid item impedimēti, aut difficultatis, aut denique causæ sit, quamobrem eorum executioni nō sit locus.

Id autem omne, quod ad executionem attinet, notent, tum ijdem, vel præfecti, vel delecti Ecclesiastici homines; tùm Vicarij foranei, tùm Parochi, alijque qui Ecclesiastica beneficia obtinent, prout eorum vniuscuiusque in illis exequendis partes sunt.

10 Cùm autem Synodalis dies propè adest, Vicarij foranei pridie illius diei adsint summo mane in ædibus Episcopalibus: eoque ipso die quàm primùm Episcopo nomina, & cognomina tradant, eaq; ordine descripta, Sacerdotum, & Clericorum singulorum, qui ad Synodū conueniunt, ac rursùs absentium, causis sigillatim item descriptis, quamobrem Synodo non adsint. Idq; præter officiū legitimæ excusationis, quā, qui absunt, Episcopo afferre, & probare debent. Hoc ipsum triduo, vel biduo ante eum Synodalem diem, qui ab Episcopo in vrbe regionibus sunt præfecti, aut delecti præstent, de suæ quique regionis Clericis.

11 Singuli autem Sacerdotes, cæteriq; Clerici, qui Canonicarū horarum officium præstare debent; Breuiarium, cùm ad Synodū veniunt, afferant; quod initio notatum sit nomine, & cognomine possidentis.

Iidem vero, ne in itinere quidem, quod Synodi causa ad Ciuitatem facturi sunt, à Clericalis vitæ disciplina, Sacerdotali morum grauitate, nostris decretis præscripta, discedant.

12 Vbi in Ciuitatem venerint, nè ad cauponas, sed ad amicorum, si quos habent, præsertim Ecclesiasticos homines, necessitudine, familiaritate, aut aliquo hospitij iure coniunctos, domicilia diuertant; tum; deinceps statim ad eum se cōferant, quē, occasione Synodalis illius actionis, Clericalis hospitij præfectum cōstituerit Eps; eique chirographū dent, quo suum quique nomen inscribant, notentque hospitij locum & hospitem, apud quem diuerterint. Si verò quis neminem certum hominem habet, apud quem diuersetur; primùm eundem præfectum adeat, qui certum Ecclesiastici hospitij locum assignabit.

13 Cùm porrò Clericalis ordinis homines omni tempore alios vitę exemplo ad virtutem inflammare debeant, tùm maximè cùm Synodales actiones habentur, ità se gerant in verbo, in conuersatione in charitate, quemadmodum Apostolus monet, vt, cùm eos posuerit Deus in acquisitione salutis, atque in ędificationem, officij sui memor, ambulent dignè Deo, sanctèque sicut decet, ministros mysteriorum Dei, vi-

uant. Nec verò, vt plerique solent, cùm in Ciuitate sunt, per plateas vagentur, aut præ curiositate hac atque illac circumcurrent; sed ad causam, ob quam conuocati sunt, tota animi cogitatione, tunc attenti, in eo versentur, vt & Episcopo in ea actione puris, castisque precibus auxilium, & sibi, & populis salutarem inde fructum ferant.

14 Qui Sacerdotes sunt, singulis diebus, quibus Synodalis conuentus habetur, vt iussum est, Missę sacrificiũ celebrent; reliqui Clerici saltem primo die Synodi sacram Cõmunionem sumant; idq; summo mane: facientes obsecrationes, orationes, & gratiarũ actiones, postulationes pro sancta Ecclesia Dei, pro Sũmo Põtifice, pro Principibus Christianis, pro vberrimo Synodalium, & aliarũ pastoraliũ actionũ fructu.

15 Vt autem Episcopus, Synodalium actionum officijs, & curis multis tunc occupatus, aliorum ministrorum studio, & opera adiuuetur; tri duo, aut biduo ante Synodi diem, Ecclesiasticum hominem, iuris peritum statuat, qui promotoris munus obeat; & vnum, duosue ecclesiastici item ordinis, qui eorum, qui à Synodo, cui interesse debent, absunt, causam rationemque absentiæ eius nomine cognoscant: qui præterea querelas, controuersias, & accusationes eodem nomine audiant, & ipsi Episcopo referant: cui liberum, integrumq; sit, etiam dùm Synodus habetur, quandocumque libuerit, illas sibi aduocare, & alijs etiam delegare.

16 Quæcumque porrò, vel decreta, vel constitutiones, vel edicta, vel scripta cuiusuis generis in Synodo legi, promulgariue oportebit: ijs legendis uel Archidiaconum, uel Canonicum Diaconum suę Cathedralis Ecclesiæ constituat, qui id muneris rectè obire possit: si modo is, qui Cancellariæ Episcopalis officium gerat, Canonicus illius Ecclesiæ non sit, aut in ea dignitatem non obtineat. Ad illum enim potius hoc officium pertinere decernimus; quo tunc impedito, ad alium Canonicum, quem Episcopus, vt suprà delegerit.

17 Pridie item illius diei, quo futura est Synodus, sub primam horam noctis in omni Ecclesia Ciuitatis solemni campanarum sono significatio detur, Synodi postero die inchoandæ.

18 Postridie, quæ stata Synodi dies est, summo mane, & cęteris deinceps Synodalibus diebus, in Cathedrali Ecclesia certis campanæ ictibus ad Synodum Clerus conuocetur: cuius etiam rei significatio fiat tabella, cura Magistri Cęremoniarum publicè loco suo affixa, qua Synodalis Sessionis certa hora indicetur.

19 Qua hora uniuersi, & singuli, qui in Synodo interesse debent, in Ecclesia Cathedrali, non raptim, sed graui incessu conueniant: ubi conuenerint, loco constituto, superpellicea, quę munda, ac decentia sint, & almutias, cappasue pro Ecclesię instituto, & usu induant, quicumq; dignitates, Canonicatusue in Ecclesia Cathedrali obtinent, & qui Collegiatis.

legiatis Ecclesijs quocumque nomine præpositi sunt: quibus rectè, & decenter induti, inde ad statũ sessionalem locum, non turbulenter, sed quietè, & quò ad eius fieri potest, bini ueniant, atque ordine consideãt.

Nec uerò quisquam mane, priusquam conueniat, cibum capiat, sed ieiunus adsit.

In loco igitur benedictionis considentes Domini, Sacerdotes, & reliqui interiorum ordinum Clerici, nè uocibus obstrepant, nè tumultibus rem Synodalem perturbent, ne confabulationibus operã dent; sed hæc omnia, cęteraq; maximè caueant, quæ Ecclesiasticæ disciplinę, Synodalis actionis dignitati, & loci ueneratioñi non conueniunt.

20 Synodali celebritati triduum ueteri ritu præstitutũ est: at pro rerũ, quę gerendę sunt, ratione, Episcopus non solũm breuiori, sed etiam lõgiori tempore Synodum agat, & Synodales actiones tradat licet.

21 Primo Synodi die Episcopus, processione solemni primùm peracta, Missę sacrificium celebret: tum precibus statis, & cęremonijs, ad eiusdem Synodi inchoationem è libro Pontificali ritè adhibitis, sermonem Clero habeat eo de genere, quod Synodalibus tractationibus, & sanctę disciplinę accommodatum sit. Quo sermone peracto, Archidiaconus, vel alius Episcopi iussu indicat silentium.

22 Deinde idem Archidiaconus, uel Canonicus Diaconus decreta lecturus, ad Episcopum accedat, à quo illa, quæ legendæ sunt, cùm acceperit, de suggestu alta voce pronunciet.

Decreta, quę initio Synodi legat, hæc sunt.

Vnum, monitiones complectens, quæ ex hoc ipso decreto, atque alijs Prouincialium Conciliorum Cõstitutionibus, ac Patrum regulis, prout Episcopus maluerit, confectæ ad viuendi modum, celebrandæq; Synodi rectam rationem pertineant. In ijs verò monitionibus illa cohortatio etiã sit, ut triduano ieiunio, quemadmodum institutum olim fuit, Synodalis triduana actio à Clero celebretur.

Alterum, quo Synodi ministrorum, & iudicum, querelarum, itemq; excusationibus absentiæ vniuscuiusque audiendis ab Episcopo constitutorum nomina promulgentur.

Tertium, quo caueatur eorum, qui Synodo interesse debent, nomina, rectè, ordinèque scripta ad Cancellarium Episcopalem deferri.

Quartum, quo caueatur item si cui in ea Synodo cõtigerit, suo loco nõ sedere, aut incedere, aut aliud quicq̃ agere, p id ꝓptereà nemini ius acquiri, acquisitumue esse, neq; quicq̃ de cuiusq̃ iure, possessioneue detrahi: sed omnia in eo statu permanere, quo antea fuisse compertũ erit.

Quintum, quo excommunicationis proposita pœna prohibeatur, nè quo tempore Synodus habetur, cuiquàm Sacerdoti, Clericoue à Ciuitate discedere liceat, nisi missione ab Episcopo impetrata.

Sextum, quo iubeatur, si quę publica calamitas, uel Ciuitati, uel Diœcesi, cuius Synodus habetur, uel uniuerso populo Christiano imminet, aut instat, orationem, in Missæ sacrificio, ab omnibus, singulisque sacerdotibus fieri, precesque à reliquo Clero adhiberi: cùm institutis sit, & ritus in eiusmodi Synodali conuentu pro publicis rebus supplicationes publicas agi.

His de more promulgatis decretis, nominatim, decorèque vocentur, qui Synodo præsentes adesse debent, sicque vocati, singuli respondeant. Adsum.

Vocationis ratio ea sit, vt primo Ciuitatis, deinde Diœcesis Clerus vocetur.

Idque distinctè, sigillatim, & ordine præstetur.

In hac actione primò hæc legantur.

Decretum Tridentinum professionis fidei in Sess. 25. adscriptum, capite 2. cuius initium est. Cogit temporum calamitas, &c.

Decretum Concilij Prouincialis primi de professione fidei, quod decretum incipit, sacri, &c.

Tum formula professionis fidei ex Constitutione Pij IIII. Pontif. Max. legatur.

Qua lecta, & fidei professione præstita, eorum nomina, qui præstiterunt, à Cancellario scribantur, & in Codicem distinctum referantur.

Decretum Tridentinum de Examinatoribus in beneficiorum Parochialium cura committenda adhibendis Sess. 24. cap. 18. Conscriptum in hæc verba, Examinatores, &c.

Conc. Trid. Sess. 24. c. 18. de reform.

23 Deinde ab Episcopo proponantur Examinatores nominatim.

De ijs probandis suffragia rectè ferantur.

Decretum itidem Tridentinum de ijs designandis, quibus causæ delegentur, pronuncietur Sess. 25. cap. 10. quod incipit. Quoniam ob malitiosam, &c.

Post eo de genere constitutio Bonifacij VIII. cuius initium est. Statutum, &c.

Sess. 25. c. 10. de reform.

24 His lectis illi ab Episcopo designentur, ac demùm pronuncientur.

In suffragijs autem ferendis singuli spectent, vt non humanis affectibus obsequantur, sed Deo, & conscientiæ satisfaciant, religioni, Ecclesiæ vtilitati, animarumque saluti consulant.

6. Quę ad Synod. & cõgr. Syn. pert.

25 Iudices, & examinatores in Synodo Diœcesana constituti, etiam si quando longius, quàm vnius anni spacium Synodi actio differatur, suum munus exequantur.

26 Tùm hæc promulgentur.

5. Ibidem.

Constitutio Pij II. contrà Clericos edita, qui sine Canonica dispensatione, extra stata tempora, ante legitimam ætatem, vel absque dimissoriis

sorijs Ordinarij sui litteris, se ad aliquem ordinẽ promoueri fecerint, ex Concilio Prouinciali tertio. 3. De ijs, quę partim ad ordin. sacr. &c.

Constitutio item Pij V. de confidentijs, ex eodem Concilio, & illa etiam de Canonicarum horarum officio recitando, per eundem edita.

Decretum Tridentinum de residentia item Sess. 23. cap. 1.

Decretum alterum de residentia item Sess. 23. cap. 1.

Decreta Prouincialis Concilij primi de vita, & honest. Clericorum.

Decreta Concilij Prouincialis primi de vita, & hon. Clericorum.

Decreta Prouincialis primi Concilij de diuinis officijs.

Decreta item huius Concilij Prouincialis quinti de Chori disciplina.

Aliæ denique vel Pontificiæ sanctiones, vel Prouinciales Constitutiones, vel decreta Diœcesana, quæ Episcopus legenda censuerit.

In prima quaque Diœcesana Synodo decreta, in Prouinciali proximo Concilio edita, promulgentur. 4. De Synod. Diœces.

Quod officium, nè Episcopus negligat, vel prætermittat, eum hoc admonemus, vt pœnas meminerit, sacris Canonibus contrà eum sancitas, qui id culpæ, vel negligentiæ commiserit.

27 His lectis, Punctatores pronuncientur, ab Episcopo delecti, qui ex decreto Concilij Prouincialis quarti ibidem iurent.

28 Deinde testes item Synodales ab Episcopo delecti renuncientur, qui ad præscriptum formulæ in eo Concilio editæ, iurati, munus suum obeant. Quo in iureiurando hæc cautio sit, vt manè in Sessione per eos præstetur, qui adsunt. Si quæ verò absunt, Vicario foraneo, in cuius regione illi testes renunciati habitant, id curæ delegetur, vt ad formulæ præscriptum ab illis ius iurandum exigat, atque suscipiat.

29 Id verò ius iurandum in Altari maiori sacris Reliquijs, quæ è loco, vbi asseruantur, accensis luminibus afferantur, decorè collocatis, sanctò præstetur.

Alia præterea agantur, quæ Episcopus agi, geriuè expedire censuerit.

30 At verò neque Sessio secunda dimittatur; nisi primo, vt suprà, oratione publica perorata. Tùm tertia Sessio indicatur. 5. Quæ ad diuin. off. pert.

In Synodo quoque Diœcesana die secunda, pro Clericis Diœcesis defunctis oratio, & commemoratio solemniter fiat.

31 Quo tertiæ Sessionis die, demùm decreta, si quæ Episcopus noua conficienda censuerit, de suggestu promulgentur. 5. De Synod. Diœces.

32 Monitiones ex Concilio Prouinciali quarto legantur. Vide infrà Tit. de Monitionibus in Synodo legendis.

33 Post certa dies Synodi, quæ sequenti anno celebrabitur, decre-

to edito promulgetur.

34 Tùm Episcopus, antequàm Synodum dimittat, sermonem habeat, paternis monitionibus plenum, & dimissioni accommodatum.

Processio solemnis deinceps ab vniuerso Clero agatur.

Aqua, cùm reditum erit, Clerus vniuersus, genibus flexis, tacitus per horam dimidiam oret pro rebus publicis, quarum causa ratio Episcopi iussu indicatur.

Tùm posteà acclamationes sanctè fiant ex formula ab Episcopo præscripta.

Acclamationibus factis, omnes Sacerdotes, & Clerici surgentes, cum reuerentia osculum pacis ab Episcopo accipiant, & sibi inuicem dent, cum timore, & amore Dei. Si verò Cleri, qui conuenerit, numerus is est, vt longius hic osculi ritus ducatur, ea ratio ineatur, vt Præpositi, & Archipresbyteri solum ab Episcopo illud accipiant; qui deinceps suo quique Clero dent; isque inter se mutuò item. Quod verò sancti osculi significatione ostendunt, id re ipsa præstent, vt coniunctissimis animis, concordique voluntate, & pacis, atque charitatis studio quęcumque lecta, sancitaue sunt, sollicitè exequantur.

Demùm Episcopus Clero solemniter benedicat.

Archidiaconus verò prescriptis illis Pontificalis libri verbis Synodi dimissionem significet.

35 Post primæ Sessionis diem, reliquis deinceps diebus, à Canonico, vel ab eo, qui dignitatem obtinet, hebdomadario, Missa solemnis stata hora canatur.

36 Pluuialia item induantur, qui in Cathedrali Ecclesia dignitates, aut Canonicatus habent, & singuli Collegiatæ Ecclesię quouis nomine præfecti, peracto scilicet Missæ sacrificio, cùm initium fit Sessionis Synodalis. At in Missæ etiam solemnibus, cùm Episcopus celebrabit.

37 Manè item singulis Sessionis diebus, cùm sacræ preces libro Pontificali præscriptæ, ritè habitę erunt; Concio, Sermouè Ecclesiasticæ disciplinæ rationibus accommodatus, ab Episcopo, vel ab alio eius iussu habeatur.

38 Sessio autem, cùm ad horas pomeridianas prorogatur, detur stata hora signum campanæ ad illius significationem.

39 In qua continuata Sessione Episcopus amictum etiam, albam, stolam, pluuiale rubri coloris, pectorale, & mitram preciosam induet, duobus de more assistentibus.

Pronuncietque Episcopus initio orationem. Adsumus.

40 Vesperi autem, antequàm vnusquisque diei Sessio dimittatur, Clerus vniuersus paulum tacitus, sanctè, religiosèque oret pro re, de qua orationem fieri, in eadem, vel in prima Sessione indictum est.

Cancel-

41 Cancellarius autem, à promotore rogatus omnis quotidianę Sessionis, tùm matutinę, tùm pomeridianæ acta publica conscribat, in librumque certum referat.

42 Peracta demùm tota vniuscuiusque diei Sessione, Episcopus de more solemniter benedicat.

43 His decretis de Synodi Diœcesanæ habendæ ratione, atque vsu per nos editis, addi, atque de his mutari aliquid in ijs, quę aut ad dirigendę Synodi rationem, ordinemue, aut ad decretorum Prouincialium, aliarum sanctionum promulgationem pertinet, Episcopo ex causa liceat, prout ex Synodi suæ Diœcesanę vsu esse videbitur.

De Testibus Synodalibus Prouincialis & Diœcesanæ Synodus.

SVMMARIVM.

1 *Synodales testes deligendi.*
2 *Quique, quot, & à quibus.*
3 *Metropolitani* } *eos non eligentium pœna.*
Episcoporumq; }
4 *Iidemque præsentes, iurant; & quid; quaque formula.* 10. *Quando item, & vbi. De Synodo Diœcesana, nu.* 28. *&* 29.
5 *Eisdem à Synodo absentibus, quid à Metropolitano, & quid ab Episcopo præstandum.* 6.
7 *Eorundem nomina à Cancellario Episcopali notanda.*
8 *Eorumque aliquo defuncto, quid ab Episcopo curandum.*
9 *Id testis Synodalis officium suscipere, vel iurare recusans, vt compellendus.*
11 *Testium ipsorum quod munus.*
12 *Quæ ad Metropolitanum, vel Episcopum referant, & quando.* 13.
14 *Ad Prouincialem Synodum eorum quis accedat, & quæ ibi præstet, & quando discedere liceat.* 15.
16 *Viatici, & victus sumptum quis illi suppeditet.*
17 *Ad Diœcesanam verò Synodum, locauè alia proficiscenti, an aliquid viatici, sumptusque dandum, & à quibus.*

4. De Test. Synod.

1 VT testium Synodalium munus, sicubi intermissum est, restituatur; atque non nomine solum; sed certis officij partibus, rectè per eos geratur: quibus in Synodo, vel Prouinciali, vel Diœcesana committetur, hæc de illis, eorumque officio statuimus.

2 Primò viri Ecclesiastici ętate, moribusque graues, prudentes, ac virtutum Christianarum studiosi, & spiritualis vitæ amantes, in Concilio Prouinciali à Metropolitano ex vnaquaq; Diœcesi duo saltem in Synodo Diœcesana; ab Episcopo è Diœcesi sua septem, pluresuè, prout expedire viderit, testes Synodales deligantur.

3 Quo in officio meminerit & Metropolitanus, & Episcopus pœnę, in Concilio Lateranensi ab Innocentio III. sancitæ, si vel illæ in Concilio Prouinciali, vel hic in Diœcesana Synodo nullos Synodales testes nominarit.

4 Qui à Metropolitano delecti, & nominati sunt, in eodem Prouinciali Concilio; qui ab Episcopo in ipsa Diœcesana Synodo iurati, allatis sanctorum pignoribus, sanctè spondeant, ex formula verborum infrà præscripta, muneris sui partes, infrà constitutas, se executuros esse.

5 Si verò à Concilio Prouinciali abest, qui à Metropolitano nominatus est, tunc Episcopus, pro cuius Ciuitate, vel Diœcesi ille electus est, vnius mensis à fine Concilij spacio, eum ad se litteris accersat; eundemque ex ipsa præscripta formula iureiurando obstringat, ac iurandi præstiti testimonium, publica auctoritate munitum, intrà alium mensem, ad Metropolitanum omninò mittat.

6. De Concilio Prouinciali.

6 Synodalium testium, qui constituto Concilij tempore, à Metropolitano in vnaquaq; Prouinciæ Diœcesi, de more electi pronunciabuntur, si qui absunt, nomina litteris edantur, & confignentur: quibus litteris ipse Metropolitanus Episcopo, cuius Diœcesis causa nominati, ac delecti sunt, potestatem faciat astringendi illos iureiurando, quod certis cõceptis verbis ex decreto Concilij Prouincialis quarti ab ijs præstari oportet. Id Episcopus vbi è Concilio ad stationem Episcopalem redierit, duorum mensium spacio exequatur: deque re ea accuratè præstita Metropolitanum per litteras, eo tantum nomine scriptas certiorem faciat.

7 Testium verò, qui vel Metropolitano in Synodo Prouinciali, in Episcopo ex illius auctoritate delegata ius iurandum præstiterunt, nomina à Cancellario fori Episcopalis certo libro, eius iussu notentur.

8 Si quando testis Synodalis à Metropolitano in Synodo Prouinciali delectus, qui iuratus in aliqua Prouinciæ Diœcesi officium illius suscepti muneris gerat; antequàm Concilij proximè futuri dies indicta

venerit,

venerit, diem suum obierit, Episcopi cura sit de illius obitu Metropolitanum certiorem facere, qui alium in illius locum eligat, qui ex verborum formula cõcepta etiam iuratus, illius muneris partes in illa diœcesi testis Synodalis officio, charitatis zelo, sinceroque debitæ sollicitudinis studio, strenuè in Domino prosequatur.

9 Quicumque siuè absit, siuè præsens adsit, testis nominatus, id vel officium suscipere, vel ius iurandum præstare recusarit id, vt præstet, si Prouincialis Synodi testis est, à Metropolitano; si Diœcesanæ, ab Episcopo compellatur; ac propterea si opus videbitur, cum eo mulctis etiam, & pœnis, cẽsurisuè agatur. 4. Ibidem.

10 Ius iurandi autem formula, ex antiquo Canone excerpta, quam præstabunt, hęc est. 35.q.6.c.6.

Ego N. testis Synodalis à Reuerendissimo Metropolitano vel, Si in Diœcesana Synodo electus est, à Reuerendissimo Episcopo nominatus, promitto, spondeo, & iuro, quòd amodo in anteà quicquid noui, aut audiui, aut post modum inquisiturus sum, quod contrà voluntatem Dei, & rectam Christianitatem in Diœcesi, vel regione mihi commissa, factum sit, vel futurum erit, si in diebus meis euenerit, tantum, vt ad meam cognitionem quocumque modo si sciuero, aut indicatum fuerit mihi, Synodalem causam esse, & ad ministerium Reuerendissimi Metropolitani, aut si Diœcesanæ Synodi est, Reuerendissimi Episcopi pertinere, quod ego nec propter timorem, nec propter præmium, nec propter parentelam vllatenus celabo Reuerendissimo Metropolitano, aut si Synodi est, Reuerendissimo Episcopo, aut eius misso, cui hoc inquirere iusserit, quandocumque ex hoc me interrogauerit, sic me Deus adiuuet, & hæ sanctorum Reliquię.

11 Iurati testes hoc perpetuò meminerint se non amore, non odio, non inuidia, non spe, non metu, non pœna, non pręmio, non cognatione, non vlla denique re commoueri, aut impediri debere, quominùs liberè, & integrè munus suum pro ratione infrà pręscripta pręstẽt. Quo igitur tempore hoc munus gesserint personas discretas interrogando simpliciter, & de plano, absque vlla iurisdictione sollicitè inuestigent, hæc quę sequuntur. Idque singuli aut in vniuersa Ciuitate, & Diœcesi, aut in regione, vnicuique eorum potissimùm, nominatimq; commissa.

An Parochi, Canonici, & alij quicumq; Ecclesiastici homines, quos residere oportet, pręsentes in Ecclesijs suis adsint; anq; rursùs si pręsentes in Parochialibus, vel Canonicalibus, Clericalibusq, ędibus habitẽt.

An Parochi prętereà, alijque animarum curatores sollicitè, vt debent, fidelium sibi commissorum, saluti inuigilent.

An in sacramentis sanctè ministrandis, in verbi Dei prædicatione, in salutaribus monitis, in rudium, & puerorum ad Doctrinam Christianam

stianam institutione, & in cæteris omnibus curæ Parochialis officijs diligentis muneris partes præstent.

An reliqui, quicumque sint, Ecclesiastici ordinis homines, Ecclesiæ, si quam obtinent, aut in qua dignitatem, vel Canonicatum, vel Capellam, vel Ecclesiasticum aliquod munus habent, aut in qua adscripti sunt, oneribus satisfaciant, & præscriptas sibi functiones obeant.

An Ecclesiæ sarctæ, tectæ sint; an ornamentis, & supellectili Ecclesiastica necessaria & congrua instructæ: an in illis, aut earum cœmiterijs atrijsuè aliquid incultum sit, quodque sordibus obsolescat; annè aliquid à religioso cultu, & pietate alienum.

Videant item, an populus in via Domini ambulet; frequensque adsit diuinis officijs, & sacris concionibus; & in Ecclesia piè, religioseq; ~verſetur; atque dies festos colat.

An ieiunium quadragesimæ, quattuor temporum, stataque reliqua Ecclesię ieiunia, obseruet.

An eisdem decimas, primitias, aliaque debita emolumenta, adimentauè præstare, aut soluere recuset.

An in populo sacrilegi, blasphemi, concubinarij, adulteri, incestuosi, ~virginum raptores, an excommunicati, an hæresis, & magiæ, superstitionumuè nomine suspecti sint.

An denique aliæ in eodem morum corruptelę, quę correctionem, emendationemuè requirant.

Dispiciant item, an quę Romanorum Pontificum Constitutionibus, Oecumenicis, Prouincialibus, Diœcesanisque Synodis, Episcoporumque edictis quouis de genere decreta, sancitaue sunt, ab ijs seruentur, quorum interest, siuè Ecclesiastici, siuè laici homines sint.

12 Quæcumque verò animaduerterint, quæ iam decreta, sancitaue, nullam adhuc, aut non perfectam executionem habuerint; tùm quæ rursùs deprauata, correctionem, vel reformationem desiderent; ea omnia, & singula ordine ad Metropolitanum in Concilio Prouinciali: si verò Diœcesanę Synodi testes sunt, ad Episcopum in ipsa Synodo referant. Quod officium, vt & prędtent vtilius, & rursùs ea de causa nullus patiatur impensam, quę necessaria non sit, ratio nęc omninò seruetur.

13 Qui Prouinciali Concilio à Metropolitano nominati, & constituti sunt testes Synodales, ij tribus ante mensibus, quàm Concilij proximè futuri stata dies venerit; quęcumque in ~vrbe, Diœcesiuè, ~vbi id officium prędtare debent; animaduerterint, quę reformationem, aut correctionem requirant, ea in scriptum relata, ad Metropolitanum mittant: testes ~verò Diœcesanę Synodi mense saltem, antequàm dies Synodalis venerit, idipsum Episcopo prędtent.

Cùm

14 Cùm verò Prouincialis Concilij dies inſtabit; in vnaquaque Diœceſi, eo nomine electi inter ſe conuenient, vt eorum vnus, quam Metropolitanus maluerit, ſi tamen id illis, vel cùm conſtituit ad hoc munus, vel poſteà litteris ſignificauit; alioquin is, de quo inter ſe conuenerint, accedat: qui conſtituta die Concilio pręſens adſit; ac ſi quę interroganda, examinanda, aut cognoſcenda ab ipſo de ijs, quę pręſcripta ſunt, aut de alijs, quę Metropolitanus cenſuerit, coram fideliter reſpondeat, ſummaque integritate, prout iureiurando ſanctè adſtrictus eſt.

Prima verò, vel ſequenti, ſi poteſt, proxima, poſt Synodum inchoatam congregatione, aut certè, quàm primum poteſt, referet, & interrogatus reſpondebit.

15 Quod vbi planè pręſtiterit, diſcedat licet: neque poſt illud tempus, niſi Metropolitanus aliter cenſuerit, ſumptus illi pro victu ſuppeditetur; ſed ſolum tantum pro viatico detur, quantum ad redeundum ſatis ſit.

16 Viaticum autem teſti Synodali, ad Synodum Prouincialem proficiſcenti, & ſumptus pro victu neceſſarius, quamdiù pro munere cõmorabitur, ſuppeditetur aliqua pecunię contributione, quę ſatis ſit, à Clero eius Diœceſis facta: quę Epiſcopus efficiat, vt ſine mora, impedimentouè ei omninò perſoluatur.

Epiſcopus teſti Synodali ad Concilium Prouinciale venienti viaticum, ſumptusque victui neceſſarios à Clero aliquod ante conſtitutum Concilij tempus contribui, ex Synodi Prouincialis quartę pręſcripto, iubeat; aut alia ratione, quam potiorem cenſuerit pecuniam eo nomine neceſſariam: quę poſteà, vt ex illa contributione, mutuanti reſtituatur, quàm primùm curet, ne viatici difficultate impeditus vllam veniendi moram interponat, ſed ad conſtitutum tempus in Concilio prę ſens adeſſe poſſit. 6. De Concilio Prouinc.

17 Ad Diœceſanam verò Synodum teſtibus Synodalibus venientibus, nihil neque ſumptus, neq; viatici contribuatur; niſi ſint, qui Diœceſanę Synodo intereſſe non debent; atque ijs quidem ſuppeditetur, ad pręſcriptam Prouincialibus teſtibus rationem. 4. Ibidem.

Si teſtis Synodi, vel Prouincialis, vel Diœceſanę à ſuo domicilio ad aliquem locum pro ſui muneris functione inueſtigaturus acceſſerit; victus expenſa, viaticumque ab ijs detur, quorum cauſa venerit, ad idque dandum Epiſcopus compellat.

De Monitionibus in Synodo legendis.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Monitionum in Synodo legendarum vetus institutum retinendum.*
2 *Monitionibus præscriptis addendi, detrahendique Episcopis concessa facultas.*
3 *Ecclesiasticis omnibus quæ generatim proponuntur. 7. 15.*
4 *Quæ speciatim Sacerdotibus. 12.*
5 *Quæ Diaconis, Subdiaconis, & cæteris Clericis. 8. 13.*
6 *Quæ beneficiatis, & bonorum Ecclesiasticorum administratoribus.*
9 *Quæ Canonicis Cathedralis, & Collegiatæ Ecclesiæ.*
10 *Quæ dignitatem in eisdem obtinentibus.*
11 *Quæ Parochis, & animarum curatoribus.*
14 *Quæ visitatoribus, Regionum præfectis, Vicarijs foraneis.*

4. Verbo Monitiones.

1 PEruetus illud institutum est, tùm sanctorum patrum vsu, tùm Ecclesiæ auctoritate comprobatum, vt quæ sacerdotalem, Clericalemque disciplinam officia, ac partes eius maximè attingant, ea certis monitionibus comprehensa, ab Episcopo in Synodis Clero proponantur.

2 Cuius instituti ratione, atque exemplo nos adducti, de Episcoporum nostrorum Concilio, atque assensu, monitiones, infrà ordine prescriptas, edendas censuimus: quibus prohibito suo vnusquisq; Episcopus addat, & detrahat, prout Ecclesiæ suæ Clero pro temporum ratione vtile esse viderit: tùm illas in vnaquaque Diœcesana Synodo, Sessione publica, vniuerso Clero de libro accuratè legi, grauiterque pronunciari, mandet; vt, quò sæpius repetitæ, frequentiorique studio illæ traditæ, atque expositæ sunt, eò diligentius, ac religiosius sanctis Ecclesiasticæ disciplinæ, vitæque officijs vniuersus Clerus in omnes sese partes conformet.

3 Primò, fratres, & filij in Christo charissimi, memores perpetuò estote vocationis, qua vos dignatus est Dominus noster.

Qua assidua recordatione, memoriaque excitati eam vos virtutem induite, vt videant alij, quasi lumen aliquod vestram sanctitatem elucere. Quę si magna in alijs vitæ Christianæ institutis requiritur, certe in vobis, qui misteriorum Dei ministri, diuinæque gratiæ dispensatores estis, maior inesse debet.

Et sicut sacro ordine à reliquis hominibus seiuncti estis, ità à communis fidelium vitæ vsu seiuncti, præcipuum quoddam, atque hoc præstantius viuendi genus sequimini, quo ordinis dignitate præcellitis.

Cœlestem

Cœlestem in terris vitam, tamquam Angeli Dei, moribus vestris exprimere vsque adeò studete, vt à vobis diuinarum virtutum exempla ad cæteros emanent.

Vna animi consensione, vnoque spiritu in ijs elaborate, vt & diuino cultui, & cœlestium rerum meditationibus, & orationi, & sacrarum, ecclesiasticarumque litterarum studijs vacetis: tùm depositis sæcularibus, vanisque sollicitudinibus ab omni vitio alieni, in via Domini rectè ambuletis

Charitatem in primis, quę Seminarium est omnium virtutum, omni studio amplectimini.

Humilitatem, Mansuetudinem, Patientiam, Iustitiam, Temperantiam, officiaque Christianæ pietatis reliqua colite. Quæcumque denique sunt vera, quęcumque pudica, quæcumque sancta ac religiosa, ea cogitate, eaque agite.

Virtutes sanctorum Patrum, quas prępcipuas, & quasi hęreditarias nobis ad imitationem reliquerunt, non adumbrare solum; sed omni nò exprimere certatim contendite.

Vtque illi, sic vos abstinentiæ, & ieiunijs dediti, clericalis disciplinæ, ac vitæ castissimę studiosi, tùm patrię cœlestis sitientes, Deo seruite assiduis diuinarum laudum officijs, & in Ecclesia, quasi in perpetua vestra Sacerdotali, Clericalique statione, continenter versamini.

Quæcumque demùm de muneris vestri partibus, de vitę modo, vel Pontificum sanctionibus, vel Oecumenicis Concilijs, vel Prouincialibus, Diœcesanisque Synodis, vel alia ratione prescripta sunt, ea vos seruate, ac præstate diligenter.

Omnes, qui Canonicarum horarum officijs deuincti estis, statas eas preces horarias recitate ad præscriptam Calendarij anniuersarij rationem, ac ritum.

Nec verò negligenter, sed attentè, piè, decorè, supplicique mente illas dicite.

Studiosè propterea legite, quæ præsertim à beato Antonino Archiepiscopo conscripta sunt de negligentia in persoluendis horis Canonicis, vt quæ eo nomine errata sunt, omninò caueatis.

Expletis Canonicarum horarum officijs, si quid in illis aut negligentia, aut alia culpa commiseritis, paululum colligentes vos, veniam à Deo petitè.

4 Qui Sacerdotes estis, Missę sacrificium sępiùs facite sanctè ac religiosè.

Ad illud faciendum parate vos omni pietate in tàm alti mysterij meditatione toto animo defixi; & quò purius id faciatis, propriam cõscientiam diligenti, accurato, frequentique examine discutite; tùm singulis

gulis saltem hebdomadis, atque adeò sæpius & omninò semper, cùm peccati mortalis conscij estis, vni è confessarijs Sacerdotibus, ad Cleri confessiones audiendas constitutis, confiteamini.

In ea sanctissimi sacrificij actione ab erroribus ~vel leuissimis omninò cauete.

Quę de illo piè, ritèque celebrando præscripta sunt, ea vos studiosè, diligenterque seruate.

5 Diaconi, Subdiaconi, & Clerici inferiorum ordinum, quicumque estis, quę de confitendis sæpè peccatis, de Communione frequenter sumenda ~vobis iussa sunt, integrè, & sanctè omnia, vt debetis, præstate.

Confessarios Sacerdotes, per nos vobis constitutos, quos etiam tanquàm ~vitæ ~vestræ duces, ac magistros elegimus, adite.

Ecclesiasticæ militiæ omnes vos adscripti estis; ad pietatis, religionisque exercitationes vos vocatos esse cognoscite.

In omni in primis sancta oratione ~vos assiduè exercete; tùm in meditationis, tacitęque pię orationis studio singulis diebus, certo temporis spacio, toto castissimi animi sensu incumbite.

Hæc sanctis precibus, præter cętera, supplices, præsertim afflictis rei Christianę temporibus, orate patrem misericordiarum, & Deum totius consolationis.

Vt misereatur populi sui.

Vt fidelium animos ad ~vitia fugienda, ad virtutesque amplectendas sancti Spiritus sui ardore inflammet.

Vt è Principum, Regumque animis euellantur, si quę sunt discordię semina.

Vt ij vna animi consensione Christi regnum propagare studeant, ~vnamque Dei gloriam, atque Ecclesię matris defensionem propositam habeant.

Quicquid ~verò temporis à diuinis officijs, ab orationis, contemplationisque exercitatione, ab Ecclesiasticis functionibus, & ab alijs necessarijs actionibus ~vacuum habetis, non in otio, neque in desidia, nec ~verò in rerum nouarum curiositatibus illud conterite: sed cùm in sorte Domini vocati sitis, in eius lege die, ac nocte meditemini.

Sacrarum igitur litterarum studia diligentius colite, quę vsque adeò complecti debetis, vt qui aspernetur, contrà eum dicat Dominus.

Quia tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.

Frequentes ad statas lectiones, & ad litterarum tractationes ~vobis præscriptas conuenite.

Attento animo in ijs adeste, atque in dies ad vberiorem sacrorum studiorum fructum progessionem aliquam habete, vt ad Episcopatum ali-

aliquando vocati,& diligentię, & doctrinę testimonium detis.

Si qui estis, qui vel tarditate ingenij, vel ingraueſcente ætate magnum in litteris progressum habere non potestis, ne desistite tamen primùm oratione frequenti intelligentiam vobis necessariam à Deo petere; tùm eò diligentius, ad pietatis, modestiæque studium, ac sanctorum morum disciplinam incumbite; tùm sępius Sacerdotes peritiores consulite; & ad Clericales, Sacerdotalesque exercitationes conuenite,& libentius,& frequentius.

Concionibus etiam,atque lectionibus sacris, quę in Ecclesia constitutis diebus,habentur,cùm omnes,quicumque estis, tùm maximè quibus potissimùm conciliaribus decretis iussum est, quo decet, habitu, frequentissimi adeste.

Lectione librorum spiritualium,& clericalium,qui probati sint,animos, mentesque vestras pascite.

Quattuor præsertim locos,ex Catechismi Romani doctrina, de duodecim fidei articulis, de septem sacramentis, de decem prędceptis, de oratione Dominica,in promptu, atque explicatè habere, omni studio contendite.

Cum ijs,& præceptorum Ecclesię cognitionem, & preces horarias recitandi peritiam,& Ecclesiasticorum rituum, cęremoniarumque notitiam coniungite.

Pauculos libros,quorum necessarius delectus vobis,decretis,vel Prouincialibus, vel Diœcesanis prędscriptus est, habere ne ommittite, aut negligite.

Qui pro facultatibus, proque studiorum ratione plures habere possunt,eorum optamus,& laudamus in ijs comparandis diligentiam.

At libros de rebus iocosis,ridiculis,obscœnis,inanibus,ad poesisque profanę studium pertinentibus, vulgari, aut latino sermone conscriptos,procul abijcite.

Nec verò musicas cantiones ridiculè,voluptuosè,parumque pudicè exaratas adhibete.

Quotidie aliquid ex sacris Biblijs legite; ac, si per ecclesiasticas occupationes licet, qui apti estis, aliquid item ex sanctorum Patrum opusculis Gregorij Magni Pontificis,Cypriani,Ambrosij,Augustini,Chrysostomi, Bernardi, & aliorum, qui sanctitatis & doctrinæ laude in Ecclesia celebrantur.

In ijs ad legendum, sanctissimum patrem Ambrosium Episcopum vobis potissimùm proponite.

Illius præcipuè librum de Sacerdotali dignitate legite, quo libro Ecclesiasticos homines commonuit de perfectę vitę institutione.

Libros item officiorum, quos vbi primùm Episcopus is factus est,

Cleri

Cleri Mediolanensis potissimum causa edidit, in manibus assiduis habebit.

Hos, atque alios præterea libros de Sacerdotalis, Clericalisque vitæ rationibus, & officijs, de animarum cura, de Christianæ pietatis studijs, & exercitationibus, deque alijs eiusdem generis piè confectos, ità legite, vt quæcumque ad vitæ sanctæ normam accommodata ex illis animaduertistis, ac didicistis, moribus exprimatis.

Conciliorum item Prouincialium, & Diœcesanorum Constitutiones, & decreta non percurrite solum; sed vsque adeò studiosè legite, vt, quæ legeritis post etiam taciti vobiscum aliquando mente reputetis, ac videatis simul non solum si quicquam est, quod contrà illorum præscriptum egeritis, verùm si quid etiam aliud est, quod ex eisdem exequi, præstariuè omiseritis, aut neglexeritis. Quod vt præstetis, curate omninò, atque efficite.

Estis, diuina misericordia in Ecclesiastico ordine constituti, ad gloriam Dei conseruandam, propagandamque: ideò tùm ordinis vestri ministerium, quod explere debetis, videte; tùm illius dignitatem, ac decorum seruate.

In incessu, statu, gestu, ità vos prebete, vt ab ordinis, quem suscepistis, nomine, & ratione, nullo sanè modo discrepetis, proposito vobis beati patris Ambrosij iudicio, qui Clero adscribi hominem recusauit, propterea quòd eius gestus, & incessus dedeceret.

Habitu non exquisito, non delicato nimis, non serico, ne ornamento quidem: rursùs non sordido, non neglecto, sed graui, & talari, atq; eiusmodi tùm domi, tum foris pro vniuscuiusque vestrum ordinis, gradusque ratione vtimini, vt à decretis eo de genere editis, nulla in re, vel minima, discedatis.

Coronam, quod insigne est ordinis Clericalis, pro ratione ordinis, quo vos singuli initiati estis, latam, & conspicuam deferte.

Parca, & frugali mensa contenti sitis, & supellectili etiam modesta, ac tenui potius.

Ab omni splendido apparatu, pompaque sæculari abstinete.

Quæcumque acu picta, variè intexta, aulæa item, peristromata reijcite.

Imagines domi non profanas, sed eas habete, quæ pietatis, ac religionis argumentum, & adiumentum præbeant.

In omni vita à fastu, luxu, ambitu, ambitioneuè, & à vanitate longè refugite.

Nec verbis quidem præscriptum vitæ modum peruertite.

Nihil scurriliter, nihil iocosè, nihil indecorè, nihil turpiter loquamini.

Absint

Absint à vobis maledicta, obtrectationes, curiositas, leuitas, assentationes, ac nugæ.

Temperantiæ Clericalis disciplinam vobis præscriptam in reliquis etiam omninò tenete.

Comessationes, compotationes, conuiuia publica, laicaliaue tùm maximè in quibus mulieres intersunt, euitate.

Hospites excipite: at illis excipiendis intrà parsimoniæ fines vos continete; ità vt Clericalis frugalitatis, non sumptuosi conuiuij testes illos habeatis.

A ludis, spectaculis, circulatorumque atque id genus vilium hominum præstigijs procul estote.

Arma abijcite.

Sic denique cor vestrum corroborate, vt inania spectacula non appetat, à mundi ludis, atque ineptijs abhorreat.

Sensus autem vestros ità dirigite, vt cùm à Deo vtiliter dati sint tamquàm rationis ministri, nè eos perperam adhibeatis, sicut satellites cupiditatum.

Sit igitur vester oculorum aspectus simplex, & pudicus.

Aurium sensus, castus, & prudens; casta mens, casti omnes sensus.

Vitæ, & morum consuetudo casta, & spiritualis.

Ad eorum Sacerdotum, qui in eiusmodi vitæ studijs, ac disciplina exercitati sunt, familiaritatem vos adiungite, ex qua vobis vestræ ad sanctè agendum progressiones constent.

Ad castitatem autem conseruandam munite omnem viam.

Legite propterea sæpè illum beati Cypriani martyris de singularitate Clericorum librum, qui vos in hac, vt in alijs instruet virtutibus.

Suspectarum autem mulierum consortium omninò vitate.

Cum alijs verò quibusuis mulieribus, quamuis vel arctissimo consanguinitatis, vel affinitatis vinculo vobis illæ coniunctæ sint, nè in eisdem domicilijs, ædibusue simul habitate, nisi cùm ex causa alicui vestrum aliquando Episcopalibus litteris permissum sit.

In famulatu laicorum nè sitis, multò minùs fœminarum, quamuis nobilium.

Ne verò illas Musicam, litterasue docete, nisi scripta nominatim facultate ab Episcopo permissum cuiquam sit.

Ædes Ecclesiasticas nè laicis locate, nisi concessu Episcopali.

Ac nè ipsas quidem patrimoniales locationi ijs date, quorum vita, moresue suspecti sint.

Sæcularibus verò negotijs, vt est sancti Pauli Apostoli documẽtum, nè vos implicate.

A cuiusuis generis mercatura quæstuosa, omni negotiatione, prædiorum conductione, tùm alijs, vt Prouinciali decreto vobis interdictum est, prorsùs cauete.

Ne pecuniæ, lucriuè auidi sitis: nemo potest seruire Deo, & mammonæ: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget; aut unum sustinebit, & alterum contemnet, inquit Christus Dominus.

Si qui pauperes estis, nè cupiatis diuites fieri, ut nè incidatis in tentationes multas, & in laqueum diaboli.

Paupertatem uestram, nè molestè ferte: paupertatem dilexit, & docuit cœlestis magister Christus, qui nascens in præsepio ponitur, & nudus in cruce moritur.

Scitote paupertati socias adiungi, sobrietatem, abstinentiam, & reliquas virtutes, quibus prælucere oportet ministros Dei.

Præponite uobis sanctorum veterum patrum vitam, qui lucrum non spectabant, temporalia non quærebant; & nihil ijs tamen deerat; imò in paupertate illis aliquando abundabat, quod alijs erogarent.

Nè igitur quia tenuem redditum habetis, lucrum quærite, nec quæstum uos appetendo, iniuriam uestro ordini facite, auaritiæ sordibus volutati.

Non sæculi uos mercatores, non mammonæ ministri estis, sed Christi mercatores, nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, sed bonorum operum abundantia, cum charitate coniuncta, facite thesauros in cœlis.

Studete uos lucrari animas Deo, & cœleste horreum augere.

Exemplo sanctorum, uos paupertate, sobrietate, ac parsimonia ità agite, ut non modo à superuacaneorum rerum usibus abstinentes, sed vestro etiam defraudantes victu, Ecclesias vestras, & Altaria exornetis, sarcta, tecta habeatis, sacra supellectili instruatis. Alienis item necessitatibus subueniatis, & pauperibus opitulemini.

6 Qui uberiores Ecclesiasticos redditus habetis, Ecclesias è quarum prædijs fructus percipitis, eò magnificentius, & augustius, quò amplioribus donis, bonisuè, augustiorique liberalitate illę dotatę sunt, illustri structura, præclaro opere reficite, egregijs muneribus exornate, tùm omni Ecclesiasticæ supellectilis apparatu instruite.

Christi visceribus substantiam Ecclesiasticam erogate, pauperibus scilicet peregrinis, viduis, pupillis, ægrotis, in vincula coniectis, captiuis; quibus egentibus, & esurientibus cum subuenire possitis, si alimenta necessaria denegatis, violatæ charitatis rei estis in cõspectu Domini.

Memores estote eius, quod à sanctissimo Patre Ambrosio scriptum est, sua fideles eo animo obtulisse Ecclesiæ ministris, vt per eorum manus

aus, quorum fidei, atque integritati summa omnia tribuebant, ad pauperes peruenirent.

Vos item alij, quicumque estis, quorum fidei Christi patrimonium propriè ad diuini cultus, pauperumq; vsum commissum est, cauete, ne ambitione, aut cupiditate prolapsi, in alium, quàm cui addictum est, cõuertatis: idq; propterea sacrilegij rei, damnationem eternam subeatis.

7 Vniuersi autẽ vos, & singuli Ecclesiastici ordinis homines, vt summatim complectamur, quæ muneris vestri sunt, vobiscum frequenter recolite, ministerium vestrum explere studete, sanctissima studia religionis, & officij vestri rebus alijs potiora ducite. In rerum diuinarum, sacrarumque cognitionem omni cura incumbite: quæ diuina, quæ sempiterna sunt, diuitiarum, & honorum, & terrenarum rerum cogitationibus abiectis, amplectamini: restincto cupiditatum ardore integros, castosque vos seruate: mundi voluptates, quę à diuinis præceptis detorquent, declinate: prędiorum Ecclesiasticorum, quæ non auaritiæ præda, sed instrumenta charitati relicta sunt, redditu, & fructibus nõ abutamini; humilitati studete, charitatis opera præstate, induimini Dominum Iesum Christum: sanctorumque eius facta imitamini, vt & horum imitatione, & illius in primis diuinis præceptis, institutisque conformati, in vocatione, qua vocati estis, dignè Deo ambuletis, tùm vitę vestræ splendore laicis hominibus lumen præferatis ad vitam sanctè instituendum, tùm vos repositam vobis institię coronã demũ percipiatis. Conc. Trid. sessio. 13. in proœm.

Omnes præterea, & singuli, qui huius Ecclesię ministerio adscripti aliquo modo estis, & Diœcesim, & Ecclesias, quas in ea obtinetis, quibusque adscripti estis, stationes vestras, in quibus manendum vobis sit, putate.

In illis ipsi residete.

Ecclesiasticas ipsas ędes habitate; ibique domicilium vestrum verè constituite, & habete.

Debitis muneribus, atque oneribus satisfacite.

Alia item agite, ac præstate ex præscripta Conciliaribus decretis fructuosę, salutarisque residentię ratione.

8 Quicumque item Clerici minorum ordinum estis in Ecclesijs, quibus adscripti estis, singuli ordinis, qua initiati estis, functiones tali pietate obite, vt digni habeamini, qui deinceps altiorem gradum assecuti, sanctæ Dei Ecclesię inseruiatis.

Nemo autem vestrum, quicumq; estis, si alicui functioni estis deputati, ab ecclesiastica statione, personalisq; residentię munere discedat, nisi causis per Episcopum probatis, & etiam concessu litteris expresso.

Hęc, quę communiter, atque vniuersè vos moniti estis, singuli seruate, studiosè ac diligenter.

9 At præterea sigillatim, nominatimque vos, qui in Cathedrali Ecclesia dignitates obtinetis, Canonici item tùm eiusdem Ecclesiæ, tùm reliquarum quarumuis Ecclesiarum Collegiatarum, vel vrbanarum, vel diœcesanarum, quicumque sitis in omni Canonicalis disciplinæ officio ità agite, vt Canonicè, nempè Canonum legibus, ad vitæ vestræ institutum pertinentibus, & Constitutionum Prouincialium, Diœcesanarumque rationi congruenter viuatis. Idque primò maximè studete, vt in conspectu Dei Omnipotentis puro corde, & casto corpore ministretis.

Tùm singuli vos, ordinis dignitati, aut Canonicatui annexi functiones explete: Canonicalisque muneris partes præstate omnes in choro statis horis assistite, & ad Deum pro fidelibus, pias, religiosasque fundite precationes.

Dùm eo loco estis, memores estote adesse Christum Iesum Dominum, cui seruite cum timore, & tremore.

Non pigri, non somnolenti, non oscitantes adestote; non mente vaga, non vagis oculis, non indecenti corporis statu.

Attentè, studiosè, ritè, piè, religiosè, diuinas laudes concelebrate: & psallite Deo in conspectu angelorũ, cantantes in cordibus vestris Dño.

In Choro nemo priuatim, nemo tacitè officium recitet; sed omnes pariter, quicumque adestis, senes cum iunioribus, laudate nomen Domini in psalmis, hymnis, & canticis.

A quibuscumque colloquijs, & à litterarum, librorum lectionibus, atque omni vagatione abstinete.

Pro temporis autem, & officij ratione sedete, state, genua flectite, caput aperite, & inclinate.

Accuratè demum omnia obseruate, quæ eo de genere vobis præscripta sunt, ità vt vestro exemplo alijs Sacerdotibus, Clericisque, & rectè, ritèque psallendi, & sanctè orandi, & piè agendi animum addatis.

In psalmorum autem, canticorum, & hymnorum, intelligentiam studiosè incumbite: vt, dùm psallitis, pro sensuum sanctissimorum, quos mente concepistis, ratione, vos ad omnem pietatis, deuotionisque affectum excitetis.

Non ordinariæ distributionis lucro adducti; sed Dei charitate, religionisque cultu commoti, diuinis officijs adeste, vt verè, ex animoque psalmi verba illa concinnatis. Voluntariè sacrificabo tibi, & confitebor nomini tuo Domine, quoniam bonum est.

Diuinis officijs absolutis, paululum omnes in Choro piè orate, inde abeundi signo per præfectum dato, consurgentes, quo ordine ad Chorum accessistis, eodem in Sacristiam redite, vbi cappas, qui illas induistis, & superpellicea sine strepitu vllo, vt susurratione deponite.

Can-

Canonicales uestros conuentus statis hebdomadę diebus capitulariter habete.

Omnes, qui debetis, ad illos conuenite.

Inde nè discedite, nisi missione à Capituli præfecto impetrata.

Singuli ordine, & loco sedete.

Sententiam modestè dicite, & suo quisque loco, non præposterè.

A verbis scurrilibus abstinete.

In rebus consultandis rixas, iurgia, & contumelias cauete.

In initio, & fine vniuscuiusque Capituli statas orationes dicite.

Priori loco tractanda proponite, quæ ad diuinum cultum, ad spiritualis vitæ progressionem, ad Ecclesiasticam disciplinam tuendam, tùm quæ ad rerum temporalium gubernationem pertinent, nè negligite.

Cætera hoc de genere toto seruate, quæ Prouincialibus constitutionibus vobis præscripta sunt.

Omnia in primis agite pace mutua, concordi voluntate & charitate fraterna vos inuicem diligite. Canonici enim estis, qui sicut pro collegij ratione ex antiquo instituto vna in Collegiata Ecclesia, vnoque item in Canonicali domicilio collocati fuistis, ità vno pacis, & charitatis fœdere, vnaque animorum consensione coniunctissimi, sicut nascentis Ecclesiæ ministri, quorum erat cor vnum, & anima vna, experiendo videte, sicut in Psalmo scriptum est, quàm bonum, & quàm iucundum sit, habitare fratres in vnum.

10 Quicumque verò estis, qui inter Canonicos, Præpositi, aut Archipresbyteri, aut alterius dignitatis nomen, gradumue obtinetis, sicut honore, & dignitate præstatis, ità virtutum exemplis, vigilantique in vestri muneris, curæue partibus obeundis sollicitudine prælucete.

11 Parochi præterea, & cæteri quicumque estis, etiam præpositi, Archipresbyteri, alijue, qui animarum curam geritis, præter ea, quæ vos cum reliquo Clero communia vniuersè monuimus, illa etiam, quæ præcipuè de vobis decreta sunt, præstate omni sollicitudine.

In primis oues, vobis creditæ, cognoscendæ sunt, & appellandæ nominatim, pascendæ, & custodiendæ item.

Animarum igitur numerum in Catalogum redigite ad præscriptam normam.

Eorum, qui baptizantur, qui item confirmantur, & compatrum etiam, qui adhibentur, nomina describite.

Matrimonia in Codicem referte.

Parochiæ vestræ incolarum vitam, & mores inuestigate.

Indagate omni studio, si qui hęresi contaminati sint, aut suspecti; aut si qui sint, qui hęreticorum libros habeant, vendant, emant, importent, vel legant, eosque statim denunciate.

Monete etiam populum, vt id ipsum etiam pręstet, ad nostri edicti pręscriptum, quod statis temporibus de more promulgate.

Perquirite de dictis, & factis eorum, qui ex hæreticorum finibus veniunt.

Dispicite, si qui è Parochiæ vestrę finibus ad loca proficiscantur, vbi impunè prædicatur, quod à Catholica fide alienum est; tùm etiam an ij profectionis facultate impetrata agant ad præscriptum decreti in Concilio Prouinciali tertio promulgati.

Inuestigate pręterea de ijs, qui in vestra Parochia docent, eorundemque mores, vitam, & fidem obseruate, ac reliqua de ijs ipsis præstate, quæ Concilijs Prouincialibus præscripta, iussaue sunt.

Videte, & cauete, nè superstitiones, magicę cantiones, & eiusmodi diabolicæ superstitiones in populo vestro sint.

Cognoscite publicos peccatores, corruptores aliorum, concubinarios, adulteros, vsurarios, blasphęmos, & denunciate.

Cognoscite etiam alios populorum corruptores, qui festis diebus non Deo, sed aleis, ludis, choreis, diabolo seruiunt, quique festorum dierum cultum quouis modo violant, quales, quales sint: neque obseruant Pontificias, neque Prouinciales de diebus festis colendis constitutiones; aut Edicta Episcopalia.

Istos ab ea malè agendi corruptela reuocare, ac deterrere, omni pietatis officio studete, tùm Episcopo etiam, sicut opus erit, significate, vt pro curę Episcopalis officio salutare remedium afferatur.

Rursus agnoscite etiam pauperes, viduas, pupillos, cęterosque alieno ope egentes, quibus, & salutari consilio, & consolatione, & re subuente; aut si minùs re potestis, cohortatione alios accendite ad eos subleuandos.

Sique illorum grauior inopia deposcit, festis etiam diebus à pia fidelium liberalitate aliqui d in Ecclesia colligendum curate, vt ab Episcopo præscribetur, quod ipsis in eleemosynam conferatur.

Seorsum etiam locupletes Parochię incolas conuenite, quibus pauperum egestates proponite, & ostendite eis diuitias à Deo propterea etiam esse tributas, vt inopibus succurrant.

Si qui autem potentiorum opibus in causa aliqua oppressi sunt, illos vnicè, atque intimè eorum patrocinio comendate, qui vel ex suscepto officio id præstare debent, vel quibus Episcopus hanc curam dederit.

Pascite in primis populum vobis commissum prędicatione verbi Dei,

Dei, salutaribus monitis administratione item sacramentorum exemplo, & oratione.

In verbo Dei exponendo planè obseruate quę Constitutione Prouinciali, & alijs concionatoribus, & vobis prędscripta sunt.

Pueros festis, Dominicisque diebus, in Doctrinæ Christianæ rudimentis instruite.

Prouectioris ætatis homines ad eadem intelligenda inuitate.

Patres, matresque familias monete, vt filios, filias, cęterosque quos in familia habent, ad statas Doctrinæ Christianæ scholas ipsi conducant.

Confratrum, qui ijs scholis adscripti sunt, operam ad hoc institutum adhibete, curateque, vt mutua inter eos charitas, morumque disciplina conseruetur.

Alios etiam ad tàm pium opus amplectendum alacriores reddite, atque excitate tùm assiduis vestris cohortationibus, tùm promulgatione thesauri spiritualis indulgentiarum, ijs concessi, qui ijs scholis ascribuntur, in illisque operam nauant.

Ne omittite diebus festis inter Missarum solemnia aliquid ex ijs, quę in Missa leguntur, fidelibus exponere, & sanctissimi illius sacrificij mysterium aliquod explanare, & aliquando sanctiores illius sacrarum cęremoniarum, rituumque rationes, & significationes explicare, quò diligentius instructi in dies sacrosancto illi sacrificio religiosius intersint.

Docete item, quomodo fideles signo Missæ celebrandæ dato se corde contrito ad eam sanctè audiendam parent.

Curate, atque efficite perpetuis vestris monitionum officijs, vt in illa viri aperto capite, mulieres velato, & in omni eius parte vtroque genu flexo, prętquàm in Euangelio adsint.

Instruite etiam eos, quàm religiosè nõ solùm in Missę sacro, verum etiam in diuinis alijs officijs versandum.

Quando standum, quando genua flectenda, quando assurgendum.

Quàm valdè, dùm illa fiunt, celebranturuè, fugiendæ confabulationes, colloquia, deambulationes, strepitus, clamores, imò verò inanes cogitationes, quibus à pia meditatione, & mysteriorum, quę aguntur, contemplatione, religiosaque oratione animus distrahitur: quàm denique studiosè vitanda reliqua omnia ab eorum officiorum sanctitate, & cultu aliena.

Rursùs quàm sanctè item, quàm religiosè, & quàm demisso, humilique habitu in supplicationibus, litanijs, & stationibus versandum sit.

Qua reuerentia, quouè pietatis studio in Ecclesijs, locisuè sacris manendum sit, quęuè ab alijs procul abesse debeant, idque ex sanctioni-

ius Pontificijs, Constitutionibus Conciliaribus, Episcopalibus præterea edictis.

Qua etiam nõ solum intima religiosi animi præparatione, sed externa etiam cultus, uestitusq; modestia, humili genuflexione & armis depositis, ad sanctissimam Communionem; tùm etiam ad cætera sacramenta accedendum sit.

Tùm docete, ac monete quomodo dies festi colendi, & sanctificandi sint.

Ostendite indignissimum esse, sacris illis diebus non modo à nefarijs operibus, illicitisque negotijs non abstinere; uerùm etiam religionis, ac pietatis opera non præstare omni diligentia.

Ac præterea nefas esse sacros dies ad maxima Dei beneficia colenda, summasque ei laudes persoluendas, ac debitum sanctis honorem tribuendum institutos, ad illa traduci, quę ab eo cultu abhorrent: qualia sunt tripudia, ludi, choreę, spectacula, quibus ad turpes illecebras incitantibus, salutis humanę hostis, diabolus oblectatur.

Denunciate item stata sacrorum temporum ieiunia; docete quomodo ieiunandum, quę peccati grauitas in uiolandis sacris ieiunijs.

Quę præterea Christianę pietatis officia in sanctorum vigilijs.

Quàm sanctè obseruandum quadragesimale ieiunium: statis autem solemnibus, uel aduentus, uel Septuagesimę, uel aliorum temporum celebritatibus præmonete fideles, atque diligenter ex pastoralium etiam litterarum præscripta recitatione ac ratione instruite ad sacra illorum temporum mysteria, sanctis pietatis officijs religiosè colenda.

Vtque ijs omnibus pro temporum, solemnitatumque ratione illi instrui possint, sæpè monete, vt Dominicis, alijsque festis diebus, quemadmodum sacra Tridentina Synodus optat, ad Parochialem Ecclesiam conueniant.

Qua in re sæpius monitionem pastoralem eo de genere frequenti populo legite.

Sæpe autem, ac diligenter eosdem docete, quam assiduè orandum sit.

Quomodo & tacita supplicis mentis meditatione, & pijs statis orationibus precandum.

Quàm studiosè, ac religiosè suscipiendum vespertinę communis orationis institutum, quàm diligenter illud semel susceptum piè retinendum.

Ideòque cùm alias sæpè in anno eam orandi rationem, cum indulgentijs concessis per summa capita explicate; tùm præcipuè diebus Concilio Prouinciali tertio constitutis in maxima populi frequentia de ipso pronunciate, atque euulgate.

Dominicis

Dominicis diebus instituite populum, & monete, pro quibus oret, vt est in eodem Prouinciali Concilio decretum.

Tùm pretereà quas, singulis hebdomadę ferijs, pręcipuas precationes, Christianasque meditationes, atque in orando exercitationes sibi propositas in promptu habere possit.

Quàm sępissimè uerò sermonibus uestris populo proponite locos perpetuæ Christianę meditationis de morte, de iudicio, de inferno, de gloria, & de prędmio paradisi.

Monete pręterea sedulo, ac frequentissimè patres, matresque familias, ut liberos, familiamque suam ad pietatis, Christianorumque uirtutum disciplinam religiosè instituant.

Ad hoc propterea patres familias inducite, ut de uitę spiritualis ratione, & pijs exercitationibus libros probatos domi suę habeāt; in quorum lectione uersentur; seseq; ac familiā instituant ad sanctè agenda.

De patrum familias officio, familięque institutione, editam in Concilio tertio Prouinciali Constitutionem in Parochiali conuentu legite, singulasque eius partes explicate.

Tùm alia pretereà docete, quę opportuna existimaueritis, quibus illi se, suamque familiam in Christianę uitę institutis, atque exercitationibus cooforment.

In officinis etiam, & tabernis disciplinę, uitęque Christianę rationes obseruate: si quid autem, uel ab artificibus, uel ab institoribus operarijsuè committi animaduerteritis, quod dissolutę disciplinę sit, id officinarum, tabernarumuè dominos grauiter monete, ostenditeque ea in re officij sui partes.

Estis participes, & socij laborum, curęque Episcopalis, & in messe Episcopo commissa, operarij estis, elaborate unà cum eo, & contendite, ut populus, cuius cura geritur, tamquàm purum triticum, auxiliante diuina misericordia, congregetur in horrea cœlestia.

Depositum custodi, inquit Apostolus Paulus, id quod uobis singulis dictum esse putate, ut in grege, tamquàm depositō fidei, curęq; uestrę commisso diligenter custodiendo, ab omnique peccati labe conseruando, cogitationem, sollicitudinem, curam, studiumque omne collocetis.

Parochię igitur, unicuique uestrum concreditæ uiciniam, cùm à cęteris uitijs omnibus uos singuli sollicite custodite; tùm curate etiam, nè odia, simultates, inimicitię, factiones, temerè iurandi maledicendi, imprecandi, prauę consuetudines, ac nè detractiones quidem in ea sint.

At uitia in primis, & peccata, ad quę populum procliuiorem esse animaduertitis; reprehendite, atque exagitate.

Nec uerò dissimulate peccata: sed annūciate populo scelera eius: publicè peccantes coram omnibus arguite, ut & alij timorem habeant.

Idque

Idque agite spiritu fortitudinis Domini, &, vt strenui eius milites, bonam militiam militate, nihil planè trepidantes.

Si ab increpatione, vos monet S. Gregorius, reticueritis, quia contra vos odia insurgere reformidatis, non iam Dei lucra, sed vestra quæritis.

Non maledictis, non vexationibus, non calumnijs, non alicuius generis contumelijs illud, vel increpandi, vel palàm arguendi officium deserire, modo Christi, & animarum saluti seruiatis.

Rursùs non aucupandæ hominum gratiæ studio id agere desistite: seruus Dei non essem, si hominibus placerem, inquit Apostolus.

Væ vobis tacentibus, aut dissimulantibus, si grex curæ vestræ commissus perierit, sanguinem eius de manibus vestris requiret iustus, & omnipotens Deus.

Si igitur peccatur, nè in increpationibus verba vestra blandientia sint; sed, vt à Spiritu sancto scriptum est, stimuli sint, & quasi clani, in altum defixi.

Instate opportunè, importunè, priuatis etiam admonitionibus, consilijs, correptionibus, obiurgationibus, vt peccantes, adiutrice diuina gratia, in viam salutis reuocetis.

In vsum etiam sanctè ità reuocate fraternam correctionem, vt non modo mutua Christiana charitate vos ipsos corripiatis; sed reliquos item, præsertim Parochiæ incolas id charitatis & correctionis officium rectè doceatis.

Ad sermonum verò, admonitionum, correctionum partes explendas, locos vobis comparate, præcipuè ex doctrina Catechismi Romani, in quo magna cum populorum vestrorum salutari vtilitate versari diligenter potestis.

Neque ad hoc multiplicis vestræ Ecclesiasticæ tractationis genus negligite adiumenta, quæ aliunde vtiliter capere potestis.

Cætera autem officia, quæ in sacramentorum administratione, in assidua ad frequentem eorum vsum cohortatione, in ægrorum cura, in alijs Parochialis muneris functionibus, vobis Prouincialibus Diœcesanisque Concilijs præscripta sunt, præstate, atque exequimini accuratè: ad eorumq; Conciliarium Cõstitutionum, decretorumuè normam, omni obseruantiæ, atque obedientiæ studio vos planè conformate.

Quæ verò decretorum Prouincialium, vel Diœcesanarum partes ad laicos, eorumq; Christianam disciplinam attinent, quò sæpius congregatæ, atque inculcatæ, seruentur diligentius; illas, summatim vulgari sermone expressas, crebrò, prout vsu venerit, populis vestris proponite, denunciate, explicate, atque in consuetudinem inducite.

Quæcumque denique vel ad vos, vel ad laicos curæ vestræ commis-

sos

sos pertinent, ea decreta, quo maximo potestis studio, in omnem exe-
cutionem, disciplinæque vsum introducite. Videteque in primis ac
perpendite, quæ sint, & quàm religiosæ muneris vestri partes: cauete-
que vt in officijs, & curæ vestræ functionibus non modo quicquàm
vos non committatis, sed nè omittatis quidem; cùm in sacerdotali vi-
ta, pro muneris, quod sustinetis, ratione, tùm grauiores, tùm longè plu-
res, quàm in cęteris hominibus esse possint, omissionis culpæ.

12 Vos præterea reliqui Sacerdotes, quicumque estis, quibus anima-
rum cura non incumbit, cùm alia omnia, quę Ecclesiastici ordinis ho-
minibus de diuinorum officiorum cultu, de vitę honestate; de studijs,
& vitæ spiritualis exercitationibus, pręscripta, aut monita generatim
sunt, tùm quæ nominatim, sigillatimque ad præcipuam vestram exe-
cutionem attinent, prestate omninò.

13 Vos item reliqui Clerici inferiorum ordinum, quęcumque ad
vos, vel nominatim, vel generatim spectant, agite omnia, sicut Cleri-
calis vitę ratio, Canonum, & Conciliorum decretis prescripta,
postulat.

Christi estis, nempè de sorte Domini, & ipse Dominus sors, pars
scilicet vestra, tales prębete vos, vt & ipsi possideatis Dominum, & pos-
sideamini à Domino, verèque dicatis, Dominus pars hęreditatis meę.
Filij mei nolite negligere: uos elegit Dominus, ut stetis coram eo, &
ministretis illi.

Videte igitur, quàm ualdè intentos vos esse oporteat ministerijs ve-
stris, & quàm magna uitę, morumque castitate.

Proborum hominum tantum, pręcipuè Sacerdotum, uitæ spiritua-
lis laude prestantium, familiaritate vtamini: ex quorum consuetudine
tùm fructus uos capiatis, tùm Episcopus meliorem in dies de vobis opi
nionem concipiat.

Maiores ueremini, & obseruate: eisdemque rectè monentibus ob-
temperate.

Prętер latinę linguę, & litterarum studia, Ecclesiasticę in primis
disciplinę institutionibus diligenter incumbite.

Sic demùm uos moribus, & uitę modestia probate, vt & à Parochis,
& à pręceptoribus vestris, tùm etiam à populo bonum testimonium
Episcopus habeat, uosque dignos iudicet, quos maioribus ordinibus
adscribat.

14 Vos uerò, qui uel visitationis munus geritis, vel Clericalis disci-
plinæ curę quouis nomine prefecti estis, vel in Diœcesi Vicarij foranei
constituti, in explendis numeris atque officijs, uobis commissi, partibus
sedulò inuigilate, atque elaborate.

Onus, quod sustinetis, quàm graue sit, quàm plenum curis perpen-
dite;

dite ; tùm quam in eo uobis committendo ſpem, fiduciamque Epiſcopus habuit, videte : tùm efficite, ut eius expectationi reſpondeatis, uigilantum ueſtrarum, ſtudijs, aſſiduaque ſollicitudine.

Eccleſias, quę in uniuſcuiusque ꝟ veſtrum regione ſunt, ſedulò uiſitate : earumque partes ſingulas inſpicite.

Peruestigate in uniuſcuiusque Parochię finibus, an aliqua publicorum peccatorum labes ; an flagitia, quibus Epiſcopali cura Epiſcopus medeatur, neceſſe ſit.

Vniuerſo Clero, pro regione commiſſa, inuigilate diligenter ; illudque in primis uidete, ut in diſciplinę Eccleſiaſticę moribus, atque officijs ſe contineat, Clericalisque moderationis legibus congruenter ꝟ uiuat.

Indecentem eius habitum omninò reijcite ; morum ſanctę ꝟ uitę, ſacrarumque litterarum, & inſtitutionis Eccleſiaſticę ſtudia, ſi quę in eo langueſcunt, excitate.

Clerici autem minorum ordinum, in hoc maximè uobis commendati ſint, ꝟ ut illorum omnes, tùm in uitę moribus, tùm in litterarum, eccleſiaſticęque doctrinę ſtudijs progreſſiones accuratè exploretis, atq; ꝟ ut maximè poteſtis, paternis cohortationibus, atque obiurgationibus ijsque aſſiduis adiuuetis.

Eccleſiarum item cultum, nitorem, cęteraque eius generis omnia curate ueſtra diligentia, quę totis in Chriſto ꝟ viſceribus ab unoquoq; ꝟ veſtrum expetitur.

Quæcumque uerò, uel Prouincialium, Diœceſanarumque Synodorum decretis, uel præcipuis inſtructionibus, uel uiſitationum iuſſis præſcripta ſunt, ea omnia, ꝟ ut re ipſa pręſtentur, ſtudioſè perpetuò agite.

15 Hęc omnia, & ſingula his monitionibus nominatim, ſigillatimque expreſſa, tùm cuncta item reliqua, uel Concilijs Prouincialibus, Diœceſanisque ſancita, uel alio modo uobis pręſcripta, uos omnes, ac ſinguli, quorum intereſt, quanto poteſtis amore, & pietate non amplectimini ſolum, & legite ; ſed mente, animoque compręhendite, ſeruate, omnique ſollicita executione pręſtate ; totosque uos ad cohortationum, admonitionum, decretorum, & Conſtitutionum rationem accómodate. Quod omne, ut faciatis, ſicut nos pro Epiſcopalis noſtri officij munere uos in hoc Diœceſano conuentu ex Concilij Prouincialis pręſcripto commonefecimus : ità etiam unumquemque ueſtrum, per ꝟ unigeniti filij Dei aduentum, per eius Crucem, perque animarum ueſtrarum ſalutem obſecramus, obteſtamur, diuinaque conteſtatione monemus. Rurſusque uobis ipſis uniuerſis, & ſingulis edicimus, ſi quis ꝟ veſtrum Conſtitutionibus, decretisque uel Prouincialibus, uel Diœceſanis,

cesanis, vestra causa editis, non paruerit, contra eum nos actores esse Ecclesiasticis, Canonicisque sanctionibus.

Cauete igitur nè quem vobiscum paternè modo agentem, sollicitèque monentem, & in conspectu Dei vos hoc sacro deprecantem, auditis, eundem rursùs in hac vita solum culpas vestras animaduertentem, sed in diuino prætereà iudicio easdem accusantem audiatis.

At ipse Deus, & Pater noster, & Dominus Iesus Christus dirigat vias vestras in omni sancta obedientia; exhortetur corda vestra, & confirmet in omni opere, & sermone bono; ità vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, per omnia ei placentes; sicque sanctis vestrarum virtutum progressionibus probati, appareatis ante Deum, & patrem nostrum, in Aduentu Domini nostri Iesu Christi, cum omnibus sanctis eius. Amen.

De Iudiciali foro Episcopi, Episcopalique iurisdictione.

De Foro Episcopali, deque iudicijs & expeditionibus quæ in ipso Ecclesiastico foro aguntur.

SVMMARIVM.

1 *Episcopali foro leges præscriptæ.*
2 *De iudicijs, deque sententia causæ ferenda, cùm congregatio habebitur, illius initio oratio de Spiritu sancto recitanda, eaque oratio vbi proponenda.*
3 *Calumniæ iuramentum à quibus, quaque litis parte exigi possit.*
4 *Iusiurandi relaxatio ad agendum tantummodo detur; & quando neque ad agendum.*
Ius iurandum, qua forma ab Episcopis, & alijs Ecclesiasticis præstandum. De vita & hon. Ep. nu. . . . & de vit. & hon. Cler. nu.
5 *Vbi in foro seculari Clericum examinari petatur, quid curandum.*
6 *Causæ decem aureorum summariè decidendæ.*
Causis, & litibus dirimendis cura Episcopi; à quo vt compescendi causarum ministri. Ibidem.
7 *Earum defensio, & commendatio quibus prohibetur.*
8 *Matrimonij causam quando inferior Episcopo cognoscere possit.*
9 *Abbates quando de ipsis matrimoniorum causis cognoscere possint.*
10 *Acta causarum in Codicem referenda. Idem de processibus criminalibus.*

Testium

11 *Testium dicta in ciuilibus à quibus scribenda.*
12 *A quibus etiam acta, quibus decretum iudicis & Episcopi adscribitur.*
13 *De seruitutibus agrorum Clericalium quid Episcopus statuere possit.*
14 *Formula iudiciorum, expeditionumque Episcopalium, emittenda.*
15 *Formulæ aliæ emissæ, seruandæ.*
16 *Expeditiones, quo sigillo imprimendæ.*
17 *Hebdomadæ dies feriarum nomine appellandi.*
18 *Dierum vtilium liber, Episcopi cura conficiendus.*
19 *Pœnæ, & mulctæ locis pijs applicandæ.*
20 *Liber mulctarum: earumque quis particeps non sit.*
21 *Appellatio à sententia Episcopi, vti delegati Apostolici ad Metropolitanum deuoluitur.*
22 *Appellationi ab interlocutoria in causis visitationis non deferendū.*
23 *Litteræ Monitoriales quomodo, 26. & à quibus concedendæ. 24.*
25 *Quando ad sententiam excommunicationis deueniendum.*

1. De Iudic. foro Episc.

1 VT à foro Episcopali, quantùm fieri potest, auaritiæ labes amoueatur; & quàm minimis possint incommodis, atque sumptibus causæ in eo agantur; nos præter eam diligentiam, quam in ea re maximam Episcopi, in sua quisque Diœcesi adhibere debent; hæc statuenda censuimus. Vide in Tit. de Cancellario, Notarijs, & Scribis.

6. Quæ ad for. pert.

2 Stata illa oratio, quam in Synodis de Spiritu sancto dici solemne est, illa scilicet, cuius initium est; Adsumus Domine, ritè, sanctèque vt liber Pontificalis vetus ostendit, congregationum initio recitetur quæ de sanctæ Inquisitionis officio, de iudicijs, de sententia causæ ferenda, habebuntur.

Itidem fiat in omni conuentu, vbi de Clericalibus examinibus de electione institutioneue eius agetur, aut deliberabitur, in quem alicuius beneficij Ecclesiastici cura, administratioue conferatur. Quam ob causam ea oratio rectè in tabula litteris consignetur, certoque congregationum loco affixa, cùm vsu venit, in promptu sit, vnà cum alia stata oratione, quam in initio, & in fine aliarum actionum, congregationum ue ex officio Beatæ Mariæ adhiberi, instituti, morisque est.

5. De Episcopo Epali iur. & foro.

3 Vt apud iudicem Ecclesiasticum omni sinceritate iudicia exerceantur; statuimus, atque edicimus, illum non solum litis principio, sed in omni eius parte, cum expedire censuerit, atque ex officij sui munere, tàm ab actore, quàm à reo calumniæ ius iurandum exigere posse.

4 Iusiurandum, sicut vinculum iniquitatis esse non debet; ità eius relaxa-

relaxatio, absolutioue æquum nullum modo est, vt cuiq; præiudicium afferat. Quamobrem nè cuiquàm in posterum ius iurandi, quo astrictus est, relaxatio, absolutioue vmquàm detur; nisi ad agendum tantum; aliàs ex sacrorum Canonum præscripto, at verò nullo modo ad excipiendum; ac præterea, nè ad agendum quidem posteaquàm quis periurium admisit à quo crimine Episcopus absoluat neminem.

6. Quę ad forum pert.

5 Vt frequentibus Clericorum cuiuscumque gradus, & ordinis, quos in foro seculari, concessu Episcopi examinati sæpè contingit, periculis occurratur, Episcopus, eiusque Vicarius, anteaquàm eius examinis facultatem concedat, rerum de quibus in eo foro interrogationes, quæstionesue instituendæ erunt, capita, diligenter, & matura deliberatione perpendat. Clericum præterea, de cuius examine agitur ad se si libuerit accersat, ac de ijsdem rerum capitibus extrà iudicium interroget. Illud autem magnoperè caueat, nè dùm vnius defendendi causa, quæstiones, examenue de Clerico haberi permittit, alteri aliquam vel rei familiaris, vel pecuniæ, vel corporis, vel status honorisue offensionem, aut diminutionem afferat: vnde cum sæpenumero simultates, & cædes existunt; tùm Clericus etiam aliquando irregularitatis pœnam, maculamue contrahit. Quarum rerum si aliquam Episcopus suspicionem ex ijs ipsis capitibus cognouerit, de quibus quæstio instituenda est, nullam Clerici examinandi facultatem vllo modo permittat. Vbi verò illam aliquando dandam esse iudicauerit: tunc certis capitibus nominatimque explicatis iudicio suo præscriptam, litterisque comprehensam concedat, permittatue. At verò semper Clerico à Sacerdote iusiurandum deferri iubeat.

3. De ijs quæ ad for. Episc. pert.

6 Causæ, quæ decem aureorum nummum summam non excedunt, summariè, simpliciter, ac de plano, sola rei veritate perspecta, sine forma iudicij cognoscantur: id quod ab huius Prouinciæ Episcopis agi licet ex facultate à Pio V. Pont. Maximo eisdem Episcopis concessa.

6. Ibidem. Conc. Trid. sess. 25. c. 10. de refor. c. finem & c. fi. de dolo & cõt. c. 2. de re Iud. c. constitut. de pœn.

Quoniam sæpè fit, vt in causarum controuersijs, id quod uir, & sanctitate, & iuris scientia celebris Iuo pluribus exponit, inimicitiæ oriuntur, simultates, odia, rixæ, cæteraque id generis, quæ maximè fideles cauere debent valdè exerceantur: & multa eaque grauia crimina inde aliquando consequantur, aut negligantur: ideò in foro Ecclesiastico, in quo concordiæ potissimum, paci, litium transactionibus, atque sedationibus controuersiarum planè cõsulendum est, Episcopus eam ineat rationem: vt Vicarij, aut Iudices fori sui, aut alij Ecclesiastici homines, quos eicuræ præfecerit, anteaquàm litis, reiuè alicuius iudicium constituatur, studeant omni æquitatis officio, paternoque consilio lites dirimere, controuersias sedare, & transactionibus litigantes reconciliare, atque ad eam rem facilius conficiendam, factum, de quo controuertitur,

cur, ab ipsis litigantibus, seorsum singulis ad se vocatis, studeant planè intelligere, quantum quidem commodè fieri poterit, etiam remotis vtriusque partis aduocatis, & procuratoribus; sin autem id assequi nó poterint, id saltem curent, vt lites breuius, quàm in foro laicali mos est, definiantur.

Locum verò nullum patronis, Aduocatis, Procuratoribus, cæterisque litium ministris dent, aut relinquant, qui quæstus forensis auidi, atque appetentes, causas prætexunt, calumniasque adhibent, tùm ad causarum transactionem impediendo, tùm ad exulcerandos litigantium animos.

Istorum etiam malitiam Episcopus pœna priuationis, suspensionisue officij, postulandi, & procurandi in suo foro; alijsuè pœnis suo arbitratu, pro sua conscientia coerceat, etiam sine vlla iudiciali causæ cognitione.

5. Ibidem. 7 Nemo quisquàm, neque Vicarius, etiam foraneus, neque procurator, aduocatusue iisci Episcopalis, neque auditor, nec verò alius, quiin familia, famulatuue Episcopi sit, causarum, quæ in Episcopali foro agantur, procurationem, defensionem, ac patrocinium nec nomine, nec re ipsa suscipiat, agatue, præter illas, quas debet, pro suscipti officij munere, & quas prætereà pias causas Episcopus, ab illo susceptas, agiue iusserit. Nec verò quispiam eorum patiatur famulos suos in eo Episcopali foro causas non modo agere; sed nè commendare quidem: minùs verò quicquam vel minimum operæ, quo præiudicium, damnumue cuiquàm inferatur.

Neque prætereà ipsi, vel fori Episcopalis ministri, vel Episcopi familiares in causarum commendatione auctoritatem suam interponant: nisi ij sint, quibus pro muneris sui ratione diligenter curandum est, vt lites, controuersiæ, & causæ præsertim miserabilium hominum, quàm celerrimè, & rectissimè in primis definiantur.

6. Ibidem. 8 Quicumque in dignitate Ecclesiastica constituti, etiam exempti; qui intrà fines Diœcesis sunt, & reliqui prætereà inferiores Episcopo, nè priuilegiorum, consuetudinisue prætextu matrimoniorum, & criminum item causas, etiam visitando cognoscant; sed Episcopi iurisdictioni, iudicioue relinquant, ad præscriptum Concilij Tridentini.

Sess. 24. c. 20. de refor.

9 Non tamen Abbates, quibus aliàs legitimè talis iurisdictio competit, alijue inferiores si de immemorabili consuetudine eiusmodi legitimè doceant, quominus de his etiam causis cognoscant, prohibeantur.

3. Ibidem. 10 Acta omnia notarij in Codicem, non in pagellas referat, quamuis eas cordula imnigant; idque præstent, mense saltem, postquam rogati illa confecerint.

Fori

Fori Episcopalis Cancellarius, ac Notarij certos libros habeant; in quibus causarum Criminalium actiones, quæstiones, ac, quos vocant processis, rectè, ordineque describant, nec verò in folijs. 4. De foro Episcopali, Ecclesiastico uè.

11 Testium dicta, & attestationes, in causis Ciuilibus nè scribantur ab alio, quàm ab ipso causæ Notario, siuè actuario, vel ab alio eius nomine. Quæ attestationes ipsi Notario causæ, siue actuario consignentur, & asseruentur; vt post in Archiuio vnà cum toto processu recondantur, vbi custodiuntur aliorum actorum monimenta. 3. Ibidem.

12 Idem decernitur de instrumentis, actisuè dictæ causæ; quibus decretum iudicis adscribi contigerit.

In alijs verò omnibus, quibus auctoritas, decretumuè Episcopi sit interponendum, Cancellarius tantum Notarius adhibeatur.

13 Sæpenumero accidit de seruitute aquæ per alienos agros deducendæ, de orizis intrà certos fines non serendis, atque de alijs eius generis rebus, & causis, controuersias, litesque inter homines Ecclesiasticos, & laicos excitari. Quamobrem Episcopus cuius etiam præter cęteros munus est, litium occasiones præcidere, & in commune etiam vtilitatibus publicis consulere quæ ad Ecclesiastici ordinis homines pertinere ex Canonum sanctionibus cognouerit, ea edicto etiam Episcopali, sicà expedire censuerit, æquo iure statuat, & decernat. Videat tamen anteà diligenter, si qua in causa Sedes Apostolica consulenda sit; neq; verò tunc ea inconsulta quicquam agat; deliberetve. 6. De Episcopo, &c.

14 Iudiciorum, causarumque forensium, tùm etiam omnium litterarum, expeditionum formula, quæ ad fori Episcopalis rationem, rectè instituendam, & tuendam, quæque ad deprauatos vsus tollendos pertineat, Concilij huius auctoritate per nos conscripta, cum in lucem emittetur, in omni Epali Prouinciæ tribunali accuratè diligęterq; seruetur. 5. Ibidem.

15 Formulæ certis verbis conceptæ, atq; explicatæ Conciliari nostra auctoritate, ad huius Prouinciæ vsum in lucem emissæ, ab omnibus, & singulis, quorum interest, pro concepta, constitutaq; ratione seruętur. 4. Ibidem.

16 In omni, & scripto, & actione, quæ sigilli Episcopalis impressionem requirat, Episcopus sigillo sancti Patroni Ecclesiæ, cui præest, imagine aliqua certa expressa, vtatur: quod cùm ad illius sancti viri memoriam, imitationemque excitandam, atque ad Ecclesiæ ornatum, & splendorem insigne est; tùm pietatis rationi conueniens, & cum Ecclesiarum benè institutarum vsu, consuetudineque consentaneum.

Eius verò sigillo certa forma, imagine, vel pro antiquo illius Ecclesiæ instituto, si id constat, vel, prout Episcopus semel statuerit, perpetuò adhibeatur.

17 Hebdomadæ dies, antiquato gentium à fide abhorrentium mo- 5 De Cãcell. & Not.

re, non Stellarum errantium, Lunæ, Martis, Mercurij, Iouis, Veneris, & Saturni nominibus, sed feriæ appellatione, & distinctione nominari, sanctissimus Pontifex Syluester decreto sanciuit.

Quod cùm non sine multiplici ratione ab eo institutum sit; id Prouinciæ nostræ Episcopi curent, vt omnis Ecclesiastica actio, qualis qualis sit, quæ, vel in Synodis Diœcesanis, vel Sacerdotalibus, Clericalibus uè Conuentibus, vel in Canonicalibus Capitulis, vel in foro Episcopali, vel vllo alio loco, temporeve celebretur, non dierum, qui illarum stellarum appellationem, adhuc etiam vulgò retinent, nomine, sed feriæ distinctione, & ordine rectè notetur.

6. Quę ad for. pert.

18 Dierum vtilium librum, quibus à fori sui Ecclesiastici iudicijs feriari liceat, Episcopus conficiendum, edendumque pro fori sui ratione curet.

4. Ibidem.

19 Pœnæ, & mulctæ omnes, ac singulę cuiusuis generis sint, siuè Clericorum, siuè aliorum quorumcumque etiam quas ex superiorum Conciliorum sanctionibus irrogare contigerit, deinceps, piorum locorum, operumve vsui verè, atq; omninò attribuentur, nulla prorsùs parte reseruata, aut alij vsui attributa.

20 Rursusque vt attributionis, solutionisque certa, atque explorata ratio constet; Episcopus certum Codicem, in quem eæ explicatè referantur, confici, in Archiuioque Episcopali asseruari diligenter mandet.

Nec verò Vicario, alijve Episcopalis fori iudici vllam omninò pœnarum mulctarumque partem consequi, habereque vllo quouis colore liceat.

Ibid. sess. 13. cap. 2.

21 Quoties Episcopus, etiam tamquàm Sedis Apostolicę ex decretis Concilij Tridentini delegatus, sententiam in ijs causis tulerit, in quibus ante Concilium, tamquàm ordinarius, eadem iurisdictione, potestateuè vti poterat; si ab illius sententia ad Metropolitanum appellabitur, nó propterea, quia sententia, tamquàm à Sedis Apostolicæ delegato pronunciata est, à Metropolitani iurisdictione subterfugiatur; sed appellationis causæ cognitio omnis liberè eidem permittatur.

Sess. 13. ca. 1. Sess. 22. ca. 1. Sess. 24. c. 20. de refor.

22 Quod Concilij Tridentini decretis sancitum est, vt in visitationis, correctionis, habilitatis, inhabilitatis, & criminum causis ab interlocutoria ante diffinitiuam sententiam, aut ab alio quocumque grauamine nè appelletur; ità omnes, ad quos pertinent, id exequantur, vt non modo appellationi non deferatur: sed neque Metropolitanus, ad quem appellatum est, ante diffinitiuam sententiam cognitionem grauaminis suscipiat, adhibeatuè: ità vt nè simpliciter quidem mandet, acta causæ sumptibus appellantis mitti. Vbi verò sententia diffiniens lata est, quæ ad causas visitationis, & correctionis pertinent, appellari liceat; ità tamen, vt illius executionem non retardet, impediatuè appellatio. Quòd si de

grauamine

grauamine agitur, quod per appellationem à diffinitiua reparari nequeat, quale eſt grauamẽ indebitæ carcerationis, tunc appelletur, licet, & appellationi planè deferatur. Nec verò prohibeatur, quominùs acta cauſæ ad iudicem appellationis deferantur. Intereà verò idem, cuius cauſa agitur, in carcere permaneat, quò ad cauſa cognita Iudex, ad quem appellatum eſt, aliter iuſſerit, decreueritue. Si verò cauſa correctionis eſt, vtpotè, cùm quis iniquè in carcerem ſe coniectum eſſe, aut diutius in eo fuiſſe conqueratur, & ad Metropolitanum propterea appellet; de prætenſo exceſſu is cognoſcat licet, dummodò quæ ordinarius iudex decreuerit, eorum executio intereà non impediatur.

23 Excommuuicationum, quæ certis monitionibus primùm adhibi- 4. Ibidem.
tis, ad finem reuelationis, vt aiunt, pro deperditis, ſubtractisue rebus ferri ſolent, litteræ nè cuiquàm, niſi ijs concedantur, qui ob eam cauſam ſupplicationis libellum Epiſcopo obtulerint, eorumque ipſorum tantũ rogatu, quorum ciuiliter intereſt. Qui ſupplicationis libellus eiuſmodi ſit, quo & res ipſa, de qua agitur, & eius precium item nominatim, ſpeciatimque exprimatur; niſi Eccleſiæ, loci pij, communitatis, vniuerſitatis, Collegij, vniuerſalisue ſucceſſoris res ſit, cuius certam notitiam illũ, illamve non habere veriſimile eſt, tunc enim ſupplicantis qualitate in libello expreſſa, rei, de qua quæritur, deſcriptio quædam generatim fieri poterit, modo nè ſit incerta nimis, aut non veriſimilis, ſed eiuſmodi, quæ ſaltem oſtendat rem ipſam, ut eſt Tridentini Concilij præſcriptũ, Seſſ. 25. ca. 3. de refor.
non vulgarem eſſe: id quod Epiſcopi concedentis religioſæ conſcientiæ, iudicioque pro ratione rei, & perſonæ relinquitur.

Porrò eiuſmodi excommunicationum litteræ non concedantur, vt infrà ſancitum eſt.

Pro re criminoſa, quæve infamiæ notam inurat.

Pro re non occulta omninò.

Pro re, quæ ità iam diù amiſſa, aut ſubtracta eſt, vt illius memoriam amplius non haberi veriſimile ſit.

Neque rursùs cuiquàm excommunicato, aut manifeſtè, ac notoriè criminoſo.

Neque verò contrà aliquem, quem pro rebus, quæ in monitorij litteris exprimantur, ſatisfacere non poſſe conſtet.

Neque præterea in loco, vbi eas veriſimile ſit negligi, contemnive.

Cùm verò pro ratione præſcripta aliquando conceduntur, nè tamen in ſanctiſſimis his diebus, in Natiuitate ſcilicet Domini, Paſcha Reſurrectionis, Aſcenſione, Pentecoſte, in celebritate ſacri Corporis Domini; alijsque anniuerſarijs ſolemnioribus diebus, ullo modo promulgentur; niſi Epiſcopus aliter cenſuerit.

Si item nihil, quod ſuprà ſancitum eſt, neque aliud quicquã obſtat,

quominùs concedi possint, nè semper tamen dentur, concedantur, sed tantùm cùm Episcopus, seruata forma Concilij Tridentini, expedire censuerit.

Sess. 2. c. 3.

24 Cui Episcopo soli, neque verò eius Vicario, etiam generali, si modo Episcopus non longius absit, eiusmodi monitoriarum litterarum concessio hoc decreto reseruata sit.

25 Iis verò litteris monitorijs aliquando datis, ne excommunicationis sententiam Episcopus ferat; nisi de earum promulgatione locis, & temporibus congruis facta, relationem acceperit, & iterum de re ipsa diligentius, accuratiusque deliberarit, ac grauem præterea causam censuerit, quamobrem illam ferat.

4. Ibidem.

26 Litteræ monitionum de rebus surreptis, ablatisue, nè deinceps dentur, nisi præscriptis rationibus, quæ partim in Concilio Prouinciali quarto explicatę sunt, partim in hoc enucleatius, vt infrà prscribuntur.

Cætera, quæ huic Titulo aliqua ratione congruere possunt, videantur in Titulo de Cancellario, Notarijs, & Scribis Episcopalis Curiæ: & de Archiuio Episcopali.

De Ferijs.

SVMMARIVM.

Quadragesimæ tempore ius non dicendum, manè: & quibus alijs diebus. De obseruandis à Christi fidelibus in Aduentu, &c. 33.

1 *Rei festis diebus non torquendi.*
2 *Testes, neque etiam testificentur.*
3 *Id in vtroque foro seruandum Episcopo curante.*
Dierum vtilium liber Episcopi cura conficiendus. De foro Episc. 18.

4. De ferijs. 1 REi, ne festis diebus, diuino cultui dicatis, torqueantur; Si modo criminis atrocitas aliud non postulet.

2 Ac ne testes quidem, ijs diebus testimonium dicant, etiam si feriali die iurati id sint nisi in causis, in quibus licet eisdem diebus iusiurandum illis deferri.

3 Id omne sanè Episcopus, cùm in Episcopali foro; tùm in sæcularibus iudicijs caueat, vt seruetur.

De Vicario Episcopali, aliisque Iudicibus ordinarijs & Delegatis, Conseruatoribusque, & Iudicibus laicis.

SVM.

SVMMARIVM.

1 Vicarius Episcopalis sit alienæ Diœcesis.
2 Non tamen personalis residentiæ onere adstrictus.
3 Iuret antequàm officium suscipiat.
4 Sacris initiatus existat.
Vicarij Episcopales, iudicesque alij quid præstent, vt causæ celerius dirimantur. De foro Episcop.
Causarum defensionem, in Episcopali foro non suscipiant: neque commendent. Ibid. 7.
5 Nullum munus, etiam minimum accipiant ab ijs qui causas in Episcopali foro agunt, neque pro executione dispensationum matrimonialium. De Sacram. Matr. 57.
6 Pecuniam etiam pro scripturarum visione non capiant.
7 Sportularum nomine in causis ordinarijs nihil etiam accipiant.
In causis ordinarijs & delegatis à præscripta illis, & iudicibus alijs taxa ne, discedant. De Legibus, & Taxa, &c. nu. 5.
Contrà facientes, vt puniuntur. Ibid. nu. 6.
Litteras monitoriales quando concedere possint: remittereque denunciationes matrimoniales. De foro Episcopali, nume. 24. Et de Sacram. Matr. 22.
Mulctarum partem non habeant. De foro Episc. 20.
Quæ facultas illis concessa in Conciliorum Prouincialium decretis. Quæ generatim ad hæc decreta pert. nu. 1.
8 Facultas ipsa gratis danda.
Taxam Iudicibus ordinarijs præscriptam, qui alij Iudices seruent. De Legibus & Taxa, nu. 5.
Vicarius Metropolitanus quos Episcopos Comprouinciales admoneat de Metropolitani inualetudinis periculo. De vita & hon. Episc. 59.

5. De Episcopo, Epali Iurisd. & foro.

1 ILlud maximè expedit, cum omniq; ratione consentiens admodum est, vt Vicarij Episcopales, quò ad eius fieri potest, alienæ potius Diœcesis, quàm illius sint, ubi commissum Vicariæ curæ, officij munus obire, atque exequi debent. Sæpè enim fit, ut cùm iustitiæ quasi oculis tenebras cognatorum, affiniumuè illa innata uis effundat; tùm gratia, metuque eorum, quibuscum vixerunt, viuendumq; deinceps est, etiam boni, constantesque uiri ab æquitatis norma, rectaque via facilius deflectant.

2 Si præterea id Vicarij officium eis committitur, qui in aliqua Ecclesia personalis residentiæ munus sustinet, id incommodi, quod permulti interest, manifestò existit, vt non facilè, neque cumulatè, vti par est, vtriusque muneris partes expleat, atque exequatur.

Quare Episcopus, cùm alia via, rationeque in eo vicario munere sibi, suęque Ecclesiæ rectè consulere potest; videat, vt nè illius generis viros ad illud adhibeat.

Nè vel ad seminarij quidem curam &c. Tit. de Residentia nu. . .

3 Nè Episcopi Vicarius, ministeruè, iudicandi officium, partesque ab eo commissas, antea aggrediatur, suscipiatuè, quàm eidem ius iurandum præstiterit ad formulæ conceptæ præscriptum.

6. Quæ ad forum pert.

4 Aquissimum est, & Canone Concilij Parisiensis traditum, eum, qui vicariam Episcopi personam, & munus Vicarium sustinet, sacris initiatum esse. Quamobrem curet Episcopus Vicarium generalem sibi constituere, qui præter cætera, quæ in Vicarij eiusmodi persona requiruntur, saltem subdiaconus sit.

3. De ijs, quę ad Ep. forum pert.

5 Nullum neque munus, neque donum, neque cuiusuis generis xenia ne esculenta quidem, poculentaue Vicarij ab ijs accipiant, qui coram eis causas, vel habent, vel agunt.

6 Nè pecuniæ item quicquam ordinarius, delegatusue Iudex accipiat pro recognitione, aut, vt vocant, visione scripturarum ad causas, quæ apud se aguntur, pertinentium.

5. Ibidem.

7 Illud præter cætera munus Episcopi est, vt in suo Episcopali foro, vniuersis, & singulis ius gratis reddatur. Quamobrem, præter id, quod alio Concilio Prouinciali de muneribus, & donis cauimus, hoc decreto statuimus, in ordinarijs causis nihil quicquàm vel minimum, nè sportularum quidem nomine, nec à sponte etiam dantibus, aut vllo quouis modo à iudice illius fori accipi licere. Si quis acceperit, pœnam, lege Iulia repetundarum sancitam, ipso facto subeat.

4. De foro Episcopali.

8 Quicquid consensus, approbationis, facultatis, licentięue, vel alio huiusmodi nomine ex huius, vel superiorum Conciliorum Prouincialium decretis ab Episcopo impetrandum est, eiusue auctoritate concedendum, id, & ab ipso, & ab eius Cancellario, & quibusuis ministris gratis omninò semper detur, etiam quò ad scriptum attinet.

Quæ fortè desiderabuntur in hoc Titulo, videantur in Titulis aljs, ad Episcopale forum pertinentibus.

De Causidicis, Procuratoribus, Aduocatis, tam causarum, quàm Fisci Episcopalis: Deque Procuratore, Patronouè piarum causarum.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Causidici*
Aduocati. } *non admittendi antequàm iurent, & quid.*
Fiscales.
2 *Iidem inquam causam defendentes; concubinarij, adulteri, criminosi à foro Episcopali repellendi.*
A patrocinio causarum, earumq; commendatione, tàm ipsi quàm sui familiares abstineant. De foro Episcopali, nu. 7.
Causarum expeditionem calumnijs impedientes, malitiãque in ijsdem adhibentes, à quo, & qualiter coercendi, puniendique. Ibid. nu. 6.
3 *Procurator,*
Aduocatusuè } *ne causam præbeat calumnijs.*
Fiscalis
4 *Neque ipse calumniosam causam suscipiat.*
5 *Euigilet nè collateralis, & satellites quicquàm extorqueant.*
6 *Testes pro informatione Curiæ solus excipere potest: quæque alia agere liceat.*
7 *Renunciationum de rebus legatis indicem habeat.*
8 *Procurator ab Episcopo constituendus, qui pupillorum, viduarum, miserabiliumque personarum patrocinium suscipiat: quod vt etiam à Magistratibus fiat, Concilium primum hortatur.*
9 *Alius item, & qualis, qui piarum voluntatum executioni, bonorumque Ecclesiasticorum defensioni incumbat.*
10 *Quo in munere is quid præstet.*

1 CAusidici, Aduocati, Fiscales, ad causas in foro Episcopi nè adhibeantur, prius quàm iureiurando Episcopo se obstrinxerint; se nullam causam suscepturos, quam à iustitia, & æquitate alienam existimauerint. 1. De Causidicis, Aduocatis, & Fiscalibus.

Hortamur etiam Principes, & Magistratus, vt idem in laicorum causis seruandum curent.

2 Procurator, qui causam iniquam in foro Ecclesiastico sciens defenderit: quive quicquàm negauerit, quod verum scierit, fori Ecclesiastici auditorio, adituve interdicatur, nisi is legitimè se purgarit. Qui præterea in publico concubinatu, aut adulterio viuunt, alijque publicè criminosi, à foro Episcopali ità arceantur; vt nec Notarij, nec Procuratoris, nec Aduocati officium, nè in vllo quidem causarum genere, gerant. Inferiores quoque, &c Vide infrà, Tit. de Inferioribus 3. De Iis, quę ad Epale for. pert.

bus fori Episcopalis ministris, &c. nume. 5.

5. De Procuratore Fisci Episcop.

3 Eam curam, atq; adeò cogitationem Procurator, Aduocatus ve fisci Episcopalis suscipiat, vt sibi putet procurationis munus commissum esse in inquirēda veritate criminis, de quo agitur; ideò ne eo vnquàm abutatur ad innocentes opprimendos, neve item causam, aut occasionem præbeat, vt calumnijs quis vexetur, atque exagitetur.

4 Ne vllam criminis causam suscipiat, procuretve, quam calumniosam esse nouerit: sed cùm, uel de calumnia, vel rei delati innocentia constiterit, statim ab ea causa desistat.

5 Euigilet item unà cum Vicario, ac sine eo etiam, ut Collateralis, & Satellites, ne quicquàm, uel minimum, extorqueant.

6 Testes pro informatione Curię, & Sancti officij Inquisitionis ipse per se, etiam Vicario non præsente, aut de illius tamen mandato excipiat licet. ijs præterea quæ de testibus, etiam ad defensionem causæ adhibitis, instituentur, quæstionibus adesse possit: nec uetitum sit, quin & iudici quæstiones, interrogata ve quæ ad causam pertinent, in mentem reuocet, atque adeò suggerat: & testes etiam ipsos, si modo iudici placuerit, interroget: imò uerò reos item, at ipso tamen iudice presente.

7 Denunciationum quoque quę de rebus piè legatis, relictisue in dies singulos fient, indicem à Cancellario apud se habeat.

3. Ibidem.

8 Pupillorum, Viduarum, & egentium hominum cura Episcopo, communi omnium parenti sacrosanctis Canonum legibus potissimùm commendata, & commissa, negligi non debet; nè si lędantur, vociferentur ad Dominum, qui exaudiet clamorem eorum. Quamobrem pro sui muneris officio Episcopus aliquem constituat Ecclesiasticum vel alium pium hominem, Christianę charitatis operibus, atque officijs deditum, qui misericordię viscera indutus, id generis hominum patrocinium in omni causa suscipiat. Quod si aliqui iàm huic pio operi prefecti sint, id agat Episcopus, vt ij munus sibi creditum exequantur quàm diligentissimè.

1. De Carceris custodib. & reis.

Designent verò Episcopi aliquos, qui miserabilium personarum causas gratis defendant.

Magnopere autem hortamur laicos Magistratus, vt eiusmodi in re eadem ratione vtantur.

5. de Epo ep. Iur. & for.

9 Piarum voluntatum executio, bonorumque Ecclesiasticorum defensio omnis, iure Canonum, Ecclesiasticisque constitutionibus, Episcopi curę, fideique commissa est. Quamobrem is vel Cathedralis Ecclesię Canonicum, vel alium Ecclesiasticum hominem arbitratu suo constituat, qui idoneus earum piarum causarum patrocinium suscipiat, atque agat.

10 In eam curam delectus ab Episcopo protector incumbat studiò diligenti,

diligenti, vt & voluntatibus pijs satisfiat, & bona Ecclesię recuperentur, & locis, operibusuè pijs fraus nulla, vel minima, quò ad eius fieri potest, adhibeatur.

Præcipuè autem in eo vigilet, vt piarum causarum aduocati & procuratores nè officio vnquàm desint, quod earum procuratio, ac defensio, ipsis commissa, deposcit.

Singulis hebdomadis, semel ad minimum, & procuratorem Fisci Episcopalis, & illos conuocet quibuscum deliberationem rationemq; omnem, vt diligentissimè potest, ineat; tùm de pijs legatis exequendis, tùm de Ecclesię bonis recuperandis, atque tuendis.

Quę vel ab ipsis aduocatis, procuratoribusve, vel ab alijs, quorum interest, in dies singulos, prout vsu venit, exponi solent, ea studiosè, attenteque audiat: si quę verò cognouerit in eo statu versari, vt necesse habeant aliquo officio adiuuari, aut tandem ad exitum perduci, is omni studio, etiam pro officij sibi commissi munere, videat, ac procuret opportuna, ad rem adiuuandam, conficiendamve remedia.

Quamobrem, & Vicarium generalem, & aliquando Episcopum, & iudices alios, quibus cum agendum est, toties adeat, quoties adiumento opus erit ad causam.

De Cancellario, & Notarijs, ac Scribis Cancellariæ Episcopalis: deque Cancellaria ipsa, Secretarioque Episcopi.

SVMMARIVM.

Cancellarij Episcopalis, & substitutorũ, Scribarumq; 21. qualitates.

1 *Cancellariæ Episcopalis officium, ab ipso Cancellario exercendum.*
2 *Et quando alios sibi in adiutorium adhibere liceat.*
3 *Notariorum Collegium instituendum.*
4 *Statuta ab ipso Collegio conficienda; officialesque deligendi.*
5 *Formulæ Curiæ testimonium à Notarijs cũo postulantibus dandum.*
6 *Admittendi in Collegium, examine priùs probandi.*
7 *Qui non admittendi.*
8 *Probati, iusiurandum præstent.*
9 *Iusiurandi, à Notarijs præstandi, formula.*
10 *Notarij, quacumque auctoritate, etiam Regia, & Imperiali, creati, ab Episcopo examinandi.*
11 *Idonei non inuenti, ad officium exercere in spiritualibus prohibendi.*
12 *Notarij originales processus iudicibus non deferant, sed exempla.* 24.
13 *Processibus scribendis quæ obseruent, quæque vitent.*

Qua

14 Qua carta; quibusque caracteribus vtantur.
Acta omnia in Codicem referant: tùm criminales processus. De foro Episc. nu. 10.

15 Mercedem pro scriptione, editioneque scripturarum in causis quibuscumque certum in librum referant.
Codices, & scripta omnia à Cancellario, & Notarijs confecta in Archiuium reponenda. De Archiuio Episc. nu. 4.
Instrumenta in Archiuium delata, à Notario rogato exscribi licea. Ibidem. nu. 5.
Cancellario, Notarioque defuncto, vel amoto, scripta, instrumenta, & acta in Archiuium deferenda. Ibidem. nu. 6.
Notarius scripturarum rogatus in Archiuium delatarum, vbi illæ edendæ sint, ipse edat: sique abest, obijtue, quis edat. Ibid. nu. 7.
Notarius causæ, testium depositiones scribat. De foro Episcopali, nume. 11.
Cancellarius adhibendus, vbi decretum Episcopi sit interponendum. Ibid. nu. 12.

16 Notario deficiente, qui alij adhibendi in illius locum: quidque capiant.

17 Cancellarius, Notarijque } originalia acta nusquàm exhibeant, nisi in pluteo.

18 Neque scripturæ alicuius exemplum edant sine Vicarij concessu.
Actis etiam edendis delegatæ executiones litterarum Apostolicarum in forma dignum, quid seruent. Quæ ad benef. collat. attinent. nume. 38.

19 Notarijs duorum aureorum merces præscripta in conficiendis collati beneficij litteris, ex decreto Concilij primi, altero Concilij quarti decreto subtrahitur media, & ibidem, nu. 33.

20 Quæ in scribendis litteris dimissorijs testimonialibusque ordinum susceptorum, merces limitata.
Pro examine testium in executione dispensationum matrimonialium quartam partem aurei capiant. De Sacramento Matrim. 57.

21 Cancellarius, Notarij Scribæ } nullum donum, nè esculentum, poculentumue capiant: neque patrocinium in foro Episcopali suscipiant, & expeditiones prosequantur. 22.

23 Secretarius Epi.

24 Cancellario, Notarijs, aliisq; } quæ gratis expedienda, etiam quò ad scriptionem attinet.

25 Cancellarius, Notarijsque } delinquentibus pœna proposita.

26 De Notarijs sancita ad Cancellarios, & scribas extenduntur.

Can-

27 Cancellarijs Episcoporum assignatæ pensiones tolluntur.
28 Cancellariæ Episcopales vendi, locari, earumque nomine quicquàm persolui vetitum est: & quibus præcipuè. 29.
Dantes, accipientesque vt puniuntur. 28. 29.
Cancellarius librum conficiat, in quo ij describãtur, qui fidei professionem emiserunt. De profeß. fid. nu. 4.
Quæ seruet, in conficiendis litteris facultatis prædicandi. De Concionat. 49.
Quæ in litteris dimissorijs studiorum causa. De Residentia. 13. 14. & pro suscipiendis ordinibus. Quæ ad ordinis sacram. pert. 19.
Quæ in facultate celebrationis Missarum. De Missis sine cantu. 8.
Quæ in peregrinationis litteris. De Religios. peregr. 3.
Librum habeat in quo relationes promulgationum referat Apostolicarum Constitutionum. De Iurisd. Episc. 7.
30 Examinis eorum causa, quibus beneficia conferuntur, & eorum qui ad Concionandi, vel Confessionis audiendæ munus admittantur, quos libros habeat quidque in eis notet.
Acta Sessionum Synodalium scribit, decretaque Synodi legit, vbi Canonicus sit. De Synodo Diœces. nu. 16.
Testificationes eorum, qui ordines suscipiunt, in certum librum relatas asseruat. Quæ ad ordinis sacram. nu. 61.
Litterasque publicas facit testimoniales ordinis susceptis, de his attestans. Ibid. nu. 62.
31 Excommunicatos, sibi à Parocho delatos, in tabellam refert.
32 Tabellam ipsam vbi collocet.
33 Suspensos, exilioque mulctatos Clericos, in eãdem Tabellam scribit: iisque cùm absoluuntur, qua pœna afficiendi.
Indicem legatorum Aduocato Fiscali defert. De Causidicis. nu. 7.
Librum habeat, in quo descripti sint dies festi, qui in vnaquaque Parochia coluntur. De fest. dierum cultu. 38.
Isque liber qua ratione confectus sit. Ibid. 39.
Visitationis decretis subscribit; quæque alia faciat. De Visitat. 55.
Reliqua quæ conuenire aliqua ratione possunt officio Cancellarij, Notariorumque, & aliorum, videantur in Tit. de foro Episcopali.

Quibus

2. Tit. 3. dec. 12.

1. De Notarijs, & Scribis.

1 2 3 OVibus Cancellariæ Episcopalis munus commissum est, ipsimet in ea officij exercitatione versentur; si negotiorum tamen multitudo postulat, alios, Episcopi iudicio comprobatos, sibi in auxilium adhibere liceat.

Singuli Collegium notariorum Curię Episcopalis primo quoque tempore instituendum curent; quod certum numerum, pro suæ Diœcesis conditione contineat.

4 Collegium statuta, Episcopo probanda, conficiat: officiales deligat, qui iudicent de eorum inter ipsos controuersijs, quæ ad eorundem officium pertineant. In causas autem, quę inter notarios, & litigatores extiterint, se omninò non interponant, sed eas Episcopi iudicio relinquant. In alijs verò causis, si cuiquam cum eis in iudicio agere contingat, eorum iura, priuilegiaque seruentur.

5 Postulantibus testimonium formulæ Curiæ, quam stylum vocant de aliqua causa, nec detur, datum vim habeat; nisi ei maior Collegij pars subscripserit, cuius etiam formulæ exemplum ab Episcopo approbatum, & subscriptum, publicè in Collegio asseruetur.

6 Qui in Collegium notariorum adscribi voluerint, eos Episcopus diligenter examine probet: tantum idoneos recipiat.

7 Excommunicatos, infames, & omnes, qui à testimonio dicendo iure repelluntur, reijciat.

Eos, qui vigesimum quintum annum non attigerint; quique per quadriennium in Notariatus officio integrè, peritèque non sint versati, non admittat.

8 Probatos priùs non recipiat, quàm iurarint Episcopo ea iusiurandi formula, quæ infrà scripta est quam etiam ab ijs, qui in notariorum Collegium adscripti iàm sunt, ad duos menses præstari iubemus.

9 Ego N. notarius à Reuerendiss. D. N. Episcopo, vel D. N. eius Vicario delectus, nihil vel dedi, vel pollicitus sum gratia huius officij obtinendi.

Commissum mihi munus diligenter, ac fideliter exercebo.

A litigatoribus, quorum fuero notarius, vel à quocumque alio eorum nomine, quauis de causa, nihil, nè sponte quidem datum, accipiam; præter id, quod Episcopi taxatione præfinitum fuerit.

Nihil agam; neque me, aut quemquam alium interponam, quo mihi vlla causa scribenda committatur.

Non ero promotor, vel procurator in causis, quæ agentur coram Reuerendiss. D. Episcopo, seu eius R. D. Vicario generali, vel aliquo ab eis constituto, seu eorum ministro.

In causis verò in quibus sum, vel fuero notarius, omnes actus iudiciales

ciales substantialiter in manuali, seu memoriali coram Reuerendiss. D. Episcopo, seu eius Vicarijs, aut alio ab eis preposito, & etiam coram ipsis litigatoribus si expectare voluerint, conscribam.

Conscriptos eos, & instrumenta, & omnia alia, & singula in causis producta, cùm Reuerendissimus D. Episcopus, vel alij supradicti seu litigatores, vel eorum aliquis, petierint, in regestum fideliter quàm celerrimè referam, vel referenda curabo.

Litigatorum postulatu, vel alicuius eorum, in singulis terminis successiuè litigatoribus ipsis copiam dabo, cùm per Reuerendissimum D. Episcopũ, seu alios supradictos decreta fuerit, sine recusatione, & fraude, contentus mercede Episcopi taxatione præfinita.

Secreta eiusdem officij, & causarum nemini patefaciam, præsertim attestationes testium, & consilia assessorum; attestationesque & sententias, donec publicatæ, perlatæ, & sententiatæ, & per Reuerendissimum D. Episcopum, seu alios supradictos subscriptæ fuerint.

Constitutionibus, & mandatis Reuerendissimi Domini Episcopi obtemperabo.

Instituta quoque officij, & officialium Collegij honesta iussa seruabo.

Nec vllo vmquàm tempore contrà faciam: & omnia, & singula suprà scripta, omni dolo, & fraude omninò remotis, inuiolatè pstabo: & ità promitto, & iuro; sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euãgelia.

10 Vtnè ex Notariorum imperitia detrimenta, & litium occasiones existant, quod de ijs ipsis etiam Apostolica, Imperiali, aut Regia auctoritate creatis, Tridentina Sanctione decretum est, id Episcopi studiosè exequantur, vt eorum peritiam, vsumque etiam examinatione adhibita, perquirant. 4. De foro Episc. Sess. 22. c. 10.

11 Quicumque verò Notarij, ea per examen disquisitione facta, probati non sint, officij sui in negotijs, litibus, causisque Ecclesiasticis, & Spiritualibus exercitatione, atque vsu per illos, vel perpetuò, vel ad tempus prohibeantur, ad eiusdem Concilij præscriptum.

12 Nullus Notarius iudicibus, ordinarijs, delegatis, arbitris, nec arbitratoribus originales processus deferat; sed eorum tantum exempla, & regesta fideliter collata; nisi alicuius inopia aliud aliquando Episcopo suaderet. 1. De Notarijs, & Scribis.

13 In huiusmodi exemplis, seu regestis nihil superuacaneũ scribant. Quare nec dies festos, ad substantiam rei non necessarios, apponãt.

Nec productarum citationum repetitiones cum inhibitione, vel sine ea, sed illarum executionem tantum, his, vel similibus verbis adscribant. Eo die, &c. repudiata fuit citatio, de qua supra, quæ fuit executa, vt suprà.

Nec

Nec dignitates iudicum, vel litigatorum repetant; sed ponant tantum his, vel huiusmodi verbis. Reuerendissimus Episcopus N. Iudex N. Actor N. Reus.

14 Nec in carta bibula scribant, nec ea littera, quæ legi facilè non possit; sin minùs, malè scripta, Episcopus notarij impensa scribi melius iubeat; vel ab ijs, qui regestum petierunt, dimidiam tantum partem taxæ, vel maiorem, vel minorem, si ei videbitur, solui iubeat.

4. Ibidem. 15 Mercedem præterea, quam ex vniuscuiusque causæ, uel ciuilis, vel criminalis scriptione, actione ue, & processu acceperint, cùm in libro certo exscribant ijs ipsis certis diebus singulis, quibus eam mercedem, aut partem acceperint, & mense, annoque notatis; tùm in ipsis causæ, processusque acti, conscriptique fine adscribant item.

3. De ijs quæ ad Episc. for. pert. 16 Vicarius foraneus, atque alij quibus Episcopus, processum aliquem aliundè, seruata iuris formula, cognoscendum, agendumque mandauerit, si in processu conficiendo, Notarium non habent, quem adhibeant, duos sibi morum, uitæque integritate homines, qui acta conscribant, ad præscriptam iuris formam asciscant, ijsque mercedis taxa maior ea ne sit, quæ Notarijs fori præscripta est; sed aut æqualis, aut minor, pro illius loci ratione.

5. De Cancellario, & Notarijs. 17 Cancellarius, & Notarij causarum tàm ciuilium, quàm criminalium acta, gesta, tabulas, instrumenta uè, & processus originales, ne ullo nomine, nè inspiciendi quidem tantum causa usquam exhibeat, nisi in proprio pluteo, aut Cancellariæ, Archiui ue loco, idq; sine ulla mercede. Illa uerò inde aliò asportari nè liceat, etiam de eorum, quorum interest, consensu: etiam si cui certo homini transferenda rectè, ac utò committi possint, præterquam iudici causæ ostendenda. Qui secus fecerit, cùm ab Episcopo plectatur graui pœna, tùm damnum resarciat etiam, si quid quisquàm eo nomine fecerit.

18 Ea cautio Cancellario, & Notarijs adhibenda est, nè cuipiam alicuius causæ actorum attestationum, sententiæ, ulliusque scripturæ exemplum edant, facultate scripta editionis à Vicario non data. Qui in eo genere deliquerit, officij amissione mulctetur, aliaque pœna puniatur, pro Episcopi arbitrio.

1. Quę pert. ad coll. benef. 19 Notarijs, scriptoribus, alijsque Episcopi ministris, pro omnium opera, sumptu, ac labore, in conficiendis litteris, quibus beneficij collatio, confirmatio, institutio, prouisio continetur, nō plus duobus aureis ad summum persoluatur. Moderatio huius decreti uidenda in Tit. Quę ad benef. &c. nu. 33.

1. De Cācell. & Not. Sess. 21. ca. 1. de refor. 20 Notarij in litteris dimissorijs, seu testimonialibus, sacri Concilij Tridentini decretum seruent: in alijs, quæ merè spirituales sunt, etiam si nullum stipendium eis constitutum sit, nihil omninò accipiant; præter

præter scripturæ mercedem, ab ordinario statuendam.

Pro singulis litteris dimissorijs, quę pro suscipiendis pluribus, omnibusuè minoribus, vel etiam maioribus ordinibus concedentur; itemque pro singulis litteris, quibus Notarius testatum faciat plures, omnesuè ordines alicui collatos esse, decimam partem aurei nūmi tantum ad summum à Cancellario accipi liceat &c. reliqua uide Tit. Quę ad ordinis sacramentum &c. nu. 100. 3. De ijs quæ ad Episc. spectant.

21 Quod in Concilio Prouinciali tertio Episcoporum Vicarijs uetitum est, ut nè esculenta quidem, poculentaue ab litigantibus, alijsuè, apud se causas agentibus; dono accipiant: idem Cancellario, & notarijs interdictum sit, ab illis saltem accipere, in quorum causis acta conscribunt, notarijuè partes agunt. 4. Ibidem.

Maximè interest, non modo eum, qui officium tanti ponderis tàmque ualde cum Episcopali cura coniunctum, gerit, quale est Cancellarię Episcopalis munus; sed illos etiam, qui uel substituti nomine, operam simul in eo ipso munere ponunt, uel in Cancellarię scriptorum numero censentur, cùm ab omni alio negotio expeditos esse, quò attentiores sint ad operam curamque susceptam, tùm maximè vacuos, ac planè liberos, ab omni, uel minima suspicione cupiditatis, praueque affectionis, nè dùm corruptelę. Quare, præter ea, quę olim hoc de genere à nobis constituta sunt, hoc decreto etiam uetamus, atque interdicimus, ne eorum quispiam ab ulla cuiusuis loci, ordinisuè uniuersitate, collegio, homineque ullo nè Diœcesis quidem alienę, qui in foro Episcopali causas, lites, & negotia, cuiuscumque generis sint, duobus antè annis habuit, aut iàm nunc habet, aliquod uel minimum donum, munusuè etiam sponte oblatum, ac nè rem quidem esculentam, quę statim consumi possit, accipere directè, aut indirectè, ullove modo possit. 5. De Cācel. & Not.

22 Nè præterea in eo foro Ecclesiastico, uel in alio, lites, causas, negotiave cuiusquam suscipiat, neque agat: nec uerò dispensationes, neque alias eius generis actiones, expeditionesuè persequatur, procuretuè; nisi officij, quod gerunt, ratio aliter, deposcit, aut Episcopus iussit. Qui contrà fecerit, à muneris exercitatione suspendatur, atque eo etiam mulctetur, alijsque pœnis plectatur, arbitratu Episcopi.

23 Nè Episcopus, quicquam, vel sponte oblatum, nè exiguum quidem à secretario scribisuè dono accipi, aut capi ullo nomine patiatur, nè occasione quidem litterarum, etiam quas pro officij munere etiam priuatim, aliquando scribunt.

24 Præter alia, quæ hoc de genere olim, & nunc sancita sunt generatim, vel sigillatim, hoc decreto statuimus, quę in frà ordine sigillatim, quasi in tabella, notantur, ea ipsa singula, tùm instrumenta, tùm litteras, scriptauè 5. De Cācel. & Not.

scriptauè à Cancellario gratis, & scribi, & confici, & edi. Id verò omne, vt præstetur, Episcopus omninò efficiat, ac de negligentia, aliauè culpa in Concilio Prouinciali rationem reddat.

5. Quę Gratis in Cancellaria conficiẽ. sunt, &c.

Acta Visitationis, eorumque exempla, quæ ijs eduntur, qui visitando ad præscriptum decreti, hoc Concilio editi.

Facultates, quarum auctoritate Vicarij, ministrique Episcopales decernuntur.

Litteræ testimoniales, dimissoriæuè de suscipiendis ordinibus.

Facultates pontificalia exercendi, quæ Episcopo, alijuè aliquando conceduntur.

Attestatiores, quibus testatum fit, aliquem idoneum esse, cui beneficium conferatur, quiuè ad illud instituatur, siue ea collatio institutiouè Romæ facienda sit, siuè ab inferiore collatore, siuè ab Episcopo.

Rogitus cessionis beneficij liberè coram Ordinario.

Processus, & de natalibus, & ætate, alijsuè conditionibus eorum qui initiandi sunt, aut recipiendi in seminarium.

Instrumentum iusiurandi, quod ab ijs præstandum est, qui beneficia obtinent.

Instrumentum, ac testimonium professionis fidei, quæ à quouis præstanda sit.

Instrumentum fideiussionis eorum, qui in seminarium recipiuntur.

Mandatum de aliquo recipiendo in Seminarium.

Facultas, & probationum omnium, & pertinentium, ad receptionem nouitiæ, vel ad professionem præstandam.

Confirmatio Abbatissæ, seu Priorissæ.

Facultates quæcumque monialibus earumuè Monasterijs conceduntur.

Facultas ingrediendi Monasteria.

Facultas accedendi ad monialium loca, Collocutionibus præfinita.

Facultas erectionis, institutionisuè confratriæ, scholæuè.

Confirmatio regularum alicuius scholæ, confratriæuè.

Scriptum, quo scilicet certæ Ecclesiæ, scholæuè quis adscribitur.

Aprobatio ludimagistri.

Litteræ dimissoriæ, testimonialesuè.

Facultas absentiæ causa studij.

Facultas eleemosynam colligendi.

Facultas faciendi sepulchrum.

Facultas absoluendi à casibus reseruatis.

Facultas celebrandi vbique vel certo loco.

Sess. 5. c. 2. Facultas prædicandi.

Facultas

Facultas audiendi confessiones.

Litteræ indulgentiarum, vel earum summæ.

Testimonium consecrationis, reconciliationis Ecclesiæ Cœmeterij, Altarium, & Campanarum.

Constitutio coadiutoris.

Reductio Missarum, & de commutatione piarum operarum.

Facultas abeundi extrà fines Diœcesis, vel peregrinandi.

Litteræ, quæ pro officij munere, quauis de causa ad Parochos, Vicarios foraneos, aliosue scribuntur.

Executio litterarum gratiosarum protonotariatus, & equitum: harum tamen litterarum causa scripturæ merces capiatur, & si quid præterea Ep. scopus concesserit.

Processus, & acta omnia, quæ conficiuntur ad miraculorum veritatem perquirendam.

Itidem de ijs, quæ conscribuntur ad sacrarum reliquiarum veritatem indagandam.

Facultas asportandi cadauer de loco ad locum.

Exempla, editionesue decretorum, ordinationum, statutorum, præceptorumue, quæ Episcopus, aut eius Vicarius ex officio confecerit, seruarique mandarit.

Constitutio Vicarij in quauis Ecclesia ad tempus.

Dispensationes, & processus de defectu natalium, irregularitate, vitio, aut defectu corporis, etiam auctoritate ordinaria.

Instrumenta, & scripta quæcumque pro mensa Episcopali; & Capitulo conficiuntur: quæ item Seminarij causa fiunt; ità tamen, vt hoc decreto, solutionis immunitate, Capitulum, & Seminarium dumtaxat fruantur: Clerici uerò, alijuè, ad quorum causam, commodumue illa scripta, instrumentaue interfunt, quiue earum exempla sibi edi petunt, a solutione immunes nè sint.

Litteræ, & expeditiones quæcumque conficiuntur nomine rerum merè spiritualium.

Expeditiones quęcumque pro pauperibus, uel miserabilibus hominibus, de quorũ egestate, aut necessitate Epi, aut Vicarij iudicio cõstet.

Litterę pręterea, & expeditiones omnes alię, quas gratis dandas Epi scopus censuerit.

Dispensationes, & facultates, quęcumque ex decretis, vel Prouincialibus, uel Diœcesanis, aut eorum occasione dantur.

25 Qui notarij contrà hęc decreta peccarint, uel alioqui in officio suo deliquerint, eos Episcopi ab officij usu submoueant ad tempus, uel etiam in perpetuum; si id delicti grauitas postularit; & alijs pœnis suo arbitratu coerceant. 1. De Notarijs, & Scribis.

26 Quæcumque de notarijs sancita sunt, ijs etiam scribas, & Cancellarios teneri volumus.

27 Pensiones, in Cancellarijs Episcoporum assignatas, vel, quę cuicumque soluantur, irritas, & nullas decernimus; nisi quę iure tolli non possint.

28 Cancellarias verò deinceps uendi, locari, uel earum nomine, uel occasione, quouis ptextu cuiusuis personę, quidquā solui prohibemus.

Notarij, &, si qui prętereà in hoc deliquerint, plectantur amissione officij; & alijs prętereà pœnis Episcopi arbitratu.

5. Quæ gratis in Cancellaria cōficiē. &c.

29 De emolumentis Cancellariæ Episcopalis, quam Concilio Prou. primo uendi, locari, earumuè nomine quicquàm persolui, uetitum est, nihil prorsus utilitatis priuatę ad Episcopum, eiusuè mensam, aut Vicarium, neque ad alios, prętерquàm ad Cancellariam, Cancellariumuè, cęterosque eiusdem Cancellarię ministros, perueniat. Qui aliquid etiam à sponte dantibus perceperit; tùm in conscientię foro nè suum faciat; sed pauperibus loci, erogare omninò debet; tùm quadruplo mulctetur, quod uel in Ecclesię instaurationem, uel in Sacristię usum erogetur.

5. De Examinatione.

30 In omni hac examinandi ratione Cancellarius pro sui officij munere hęc prestet.

Certum librum habeat prouisionum Ecclesiarum Parochialium, aliorumque beneficiorum, quę examine adhibito, etiam ex litteris Apostolicis, conferenda sunt.

Quo in libro rectè, atque ordinè ab eo notentur hęc.

Acta examinis, quę in singulos dies, prout examinandi occasio tulerit, fiunt.

Dies uacationis certi beneficij, & modus item uacationis, aliaque id generis.

Dies etiam promulgationis, aut prorogationis edicti, quod de concursu proponi solet; cùm beneficij uacationis ratio id postulet, & reliqua etiam, quę ad promulgationem pertinent.

Nomina quoque examinatorum, quos Episcopus certi illius beneficij uacantis nomine ad examen conficiendum nominatim delegerit.

Nomina etiam eorum, qui eo nomine examinandi proponuntur.

Dies prætereà, quo quisque examen subijt.

Nomina etiam examinatorum, qui interfuerint.

Approbatio, aut reiectio, quam eorum iudicio singuli tulerint.

Nomen item, & cognomen eius, quem Episcopus, tamquàm aptiorem, magisque idoneum delegerit, cui beneficium ab eo conferatur, ad quem spectat.

Cui libro alia prætereà ascribat, quæ Episcopus censuerit.

Librum alterum conficiat, in quo omnes, & singulos, quos vel concionandi, uel confessionis audiendæ, vel sacræ lectionis interpretandæ causa Episcopus adhibito examine, vel probat, vel improbat.

In hoc ipso libro notet etiam, & nomina Examinatorum, & diē quo examen confecerint, & causas item repulsæ, si quam aliquis tulerit.

Idipsum de certo die, examine, probatione, aut reiectione eorum seruet, quorum experimentum sacræ ordinationis causa fit.

Tertium librum habeat, in quem examina referat, quæ generatim instituuntur, atque adeò conficiuntur ad Cleri progressionem in litterarum studijs inuestigandam, atque explorandam.

31 Parochus cùm aliquos, uel excommunicatos, vel interdictos pronunciarit, eorū nomina, cognomina, & diem, quo excōmunicati interdictiuè sunt, quàm primùm ad fori Episcopalis Cancellarium deferat. 5. De Episcopo. Epali Iur. & foro.

Hic verò in tabella, eo potissimum nomine confecta, rectè ex scribat, quę à Parocho acceperit.

32 Ei prętereà tabellæ, quam in Cancellaria diligenter certo loco asseruet, addat, detrahat, quicquid in dies singulos addi, detrahi, mutariuè acciderit.

33 Item de Clericis, qui vel suspensionis cęnsura affecti, vel exilio mulctati sunt, accuratè etiam seruet Cancellarius, notato tempore, quo in ea suspensionis censura, aut in exilio permanere decretum est.

Quò diutius in excōmunicationis, interdictiuè cęnsura aliquis permanserit; cùm absoluitur, eò grauiori pœnitentia afficiatur. Conc. Trid. Sess. 25. ca. 3. de reform.

De Legibus & Taxa Iudicibus quibuscumque, Notariis, Scribis, aliisque inferioribus ministris præscriptis, ac præscribendis.

SVMMARIVM.

1 *Taxa Notarijs, & Scribis, iudicijsque & causis ab Episcopo præscribenda. 2.*

2 *Iudicibus item, & Aduocatis, Procuratoribus, & alijs certæ statuendæ leges.*

3 *Eæ leges, taxæq; in Cancellaria Epali publicè semper propositæ. Executoribus, carceris custodibus, ministrisque alijs, taxa etiam præfigenda. De Inferioribus fori Episc. Ministris, nu. 1.*

4 *Taxa ipsa, vbi adhuc præscripta non sit, infrà quod tempus præscribenda, & à quo comprobanda.*

5 *Taxa à Metropolitano confecta, & à sanctiss. Gregorio Papa XIII. confirmata, à quibus seruanda.*

6 *Contrà facientes, vt puniuntur.*

Constitutio Pontificia confirmatoria Taxæ à Metropolitano Mediolanensi confectæ. De Constit. nu. 40.

1. De Notarijs, & Scribis.

1 Episcopi intrà sex menses omnibus Notarijs, & Scribis sui fori, tàm Ciuitatis, quàm Diœcesis communem taxam præfiniant, quam pro opere, & officij sui mercede ab vnoquoque in singulis causarum generibus pro loci, & cuiuscumq; rei, ac personæ conditione exigi liceat, qui non obtẽperarit, in eũ uehementer animaducrtant.

3. De ijs quæ ad Episc. for. pert.

2 Episcopus anni spacio ad summum, fori sui iudicijs, causis & iudicibus, Aduocatis, Procuratoribus, Notarijs, & Ministris quibuscumq; etiam infimis, quibus in rebus opus fuerit, certas constituat leges, ad vrbis, Diœcesisque suæ vsum accommodatas.

Illisque omnibus certam etiam taxam præscribat, quam pro sui, vel operis, vel officij, vel laboris mercede, proque causarum, & iudiciarum ratione exigi ab vnoquoque liceat.

3 Quæ fori præscriptæ leges, atque taxæ, in Cancellaria publicè propositæ semper sint, vt notæ sint, & peruulgatæ omnibus.

4. De Cancellar. & Notar.

4 De certa taxæ ratione, forensibus tribunalis Ecclesiastici actionibus præscribenda, in Concilio etiam Prouinciali tertio cauimus: sed quoniam nondùm quicquàm præstitum est, quod omnibus partibus perfectum sit; sex mensium spacium post Synodi huius Prouincialis editionem præstituimus, quo tempore singuli Episcopi prouinciæ causis, negotijs, rebus & actionibus singulis fori sui, certas taxæ rationes, quæ Metropolitano probentur, quàm rectissimè præstituant; vt nulla auaritiæ, cupiditatisue suspicio inde existat.

Si qui non fecerint Metropolitani ipsius cura sit, intrà annum totum id præstare.

5. Quę ad for. pert.

5 Constitutio decretorum, & Taxarum à Metropolitano confecta & Apostolicis litteris sanctissimi P. N. Gregorij Papæ XIII. confirmata, & renouata, quæ per iudices Synodales & Conseruatores Regularium, exemptorumue quorumcumque, & per Ordinarios etiã in causis delegatis, ac per eorum omnium, & singulorum Notarios seruanda, atque ad executionis vsum inducenda est, ab vniuersis, & eorum vnoquoque cuius interest, seruetur diligenter, inuiolateque, ità tamen, vt si quibus in rebus, causis, negotijsve, aliquo statuto, aut consuetudine laudabili, nihil, vel minus, quàm ea taxa præscribitur, per iudices à Synodo deputatos, ac Regularium, exemptorumve quorumcumque Conseruatores exigi deberet, consuetudo illa, statutumve omninò retinea-

tur,

tur, seruetur que ad eiusdem Constitutionis præscriptum.

Quam item Constitutionem, seu taxam Iudicibus Synodalibus, & Conseruatoribus prescriptam, seruet etiam Ordinarius: nisi quibus in rebus consuetudine, decretis, vel Constitutionibus, taxisue Episcopalibus, taxa minor ei seruanda proposita esset, quam omninò seruet.

6 Si Vicarius, Iudexue ordinarius in causis ordinarijs, vel delegatis, aut Conseruator Regularium, & exemptorum quorumcumque suis in causis; aut Iudex in Synodo deputatus pro causis commissarij, eorumue Notarij, aut ministri, quicumque contrà præscriptum sanctionis illius Pontificiæ quicquam commiserit, deliquerituè, cum eo, quicumque sit ad prescriptum eiusdem Constitutionis agatur.

Aliqua alia specialia de Taxa, vide in Tit. de Cancell. & Not.

De Præfecto Reformationis Tribunalis & Taxarum.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesiasticus vir ab Episcopo quotannis deputandus, qui Tribunalis, & Taxæ legibus exequendis præsit.*
2 *Præfectus is, quæ ipso in officio gerendo, præstet.*

1 EPiscopus singulis annis, aut secundo quoque anno Ecclesiasticum virum decernat, qui certis illis legibus exequendis prę sit; tùm Prouincialibus, tùm Episcopalibus, quæ ad rectum fori Ecclesiastici vsum, rectamque forensium causarum normam, tùm ad certam taxę rationem, omnemque denique iudiciorum conformandam disciplinam pertinent. 5. De Prę-fecto Refor. Trib. & Taxar.

2 Is, quęcumque de omni eo genere sancita sunt, omni cautione videat, vt ab ijs, quorum interest, planè seruentur, & in morem, quàm diligentissimè fieri potest, inducantur.

Causarum acta, & Codices item, in quos solutiones sigillatim relatæ sunt, de improuiso inspectet, quò facilius comperiat, si quid culpæ in taxæ præscriptæ ratione contrahatur.

Si verò præ quæstus cupiditate Cancellarius, Notariusue plus pecu-

niæ, quàm præfinita taxæ ratio postulat, eiusque tabella ostendit, ab vllo vmquàm exegerit, id totum eidem restituì iubeat. Et verò qui in eo genere deliquerint pœnis etiam illos affici ab Episcopo, Vicarioue procuret. Ad Episcopum præterea illorum nomina deferat, quos in illis exequendis, quę sibi præscripta sunt, muneri suo deesse aliquo modo animaduerterit.

De inferioribus fori Episcopalis Ministris, carceris Custodibus, & Reis.

SVMMARIVM.

1 *Carceris custodibus taxa præscribenda.*
2 *Carceri inclusi res, vbi seruandæ, & quibus restituendæ.*
3 *Carcerati singula hebdomada visitandi: & quid propterea curandum.*
4 *Deputandi qui miserabilium personarum patrocinium suscipiant.*
5 *Inferiores fori Episcopalis ministri quales sint; & à quibus abstineant.*

1. De Carceris Custodib. & Re. 3.

1 PRęscribant Episcopi taxam executoribus, vel ministris, & carceris custodibus, vt ab ijs, qui capti, & in carcerem inclusi sunt, pro comprehensione, & carceris commoratione, & victu id tantummodò exigatur, quod ęquitas, & ciborum precium postulet. Si qui carcere tenentur, sibi, quę ad victum pertinent, ab alijs, quàm à custodibus, & ministris carceris, suppeditari voluerint, id eis facere liceat: neque propterea asperius tractentur; aut in deteriora loca compellantur.

2 Mandent præterea, vt quamcumque pecuniam, vestes, arma atiasuè res secum habeant ij, qui in carcere includuntur, tuto loco collocentur, & asseruentur, qui locus duabus claudatur clauibus, quarum altera apud ianitorem carceris sit, altera apud pauperum procuratorem.

Ex illis autem rebus, quęcumque & quotcumque sint, nihil vel ianitori, vel executori, vel cęteris ministris attingere liceat: sed eis, si inde exierint, vel eorum hęredibus, vel illis, quibus à Iudice attributę fuerunt, integrę, & intactę asseruentur. Qui contrà fecerit, duplo mulctetur, quę mulcta ei, cui damnum datum sit, attribuatur.

Curent

3 Curent etiam per certos homines, ab eis deligendos, semel in hebdomada visitandos eos, qui in carcere tenentur; qui si illos indignius, & accerbius tractare cõpererint; referant ad Episcopum, qui pro sua prudentia, ac pietate, nè quid iniquius fiat, omninò prouideat.

4 Designent verò Episcopi aliquos, qui miserabilium personarum causas gratis defendant.

5 Inferiores quoque ministri in Christianę vitę officijs contineantur: curentque Episcopi, vt à ganeis, & meretricibus, à ludo cuiusuis generis, ab improbatis quęstibus abstineant; nè blasphemi sint, nec vitę moribus reprehendendis. Si quos deliquisse, compertum erit, in eos animaduertatur.

De Carceris Protectore.

SVMMARIVM.

1 *Carceris Protector, Ecclesiasticus, & quis: & quanto tempore perseueret.*
2 *Eius officium quale.*
3 *Cum carceris custodibus quid agat.*
4 *Carceratos monitione, correctioneque egentes, moneat, corripiatque.*
5 *Et quos Episcopo deferat.*

1 SIt etiam fori Episcopalis carceris protector vnus è Canonicis Ecclesię Cathedralis, vel alius Ecclesiastici ordinis vir: quem secundo quoque anno, aut breuiori temporis spacio, prout maluerit Episcopus ei curę, protectioniuè pręficiat: rursusque ab illo munere liberè amoueat, etiam ante pręfinitum tempus pro arbitratu suo. 5. de Epo epi scop. Iur. & foro.

2 Eius officium erit, exquirere diligenter, ac simul curare, vt Aduocatus, Procuratoruè pauperum, satellites, & custodes carceris muneri suo nè in aliqua re desint, neque quicquàm committant, quod ijs, qui in custodia sunt, fraudi, damnouè esse possit.

Inuestiget prętereà sollicito, diligentique studio, quę illorum cura adhibeatur, cùm in primis ad animę salutem, tùm etiam ad corporis sustentationem: & quę verò de toto eo genere in Concilio Prouinciali primo, & tertio cauta sunt, an pręstentur quàm rectissimè: & quid denique officij erga ipsos singuli ij pręstent, quibus commissum est.

Causę item eorundem, & quàm celleri mè fieri potest, rectè, cum æquitatisque ratione congruenter diffiniantur, etiam atque etiam studiosè videat, ac procuret.

Singulis hebdomadis sępè, vel minimum bis vnumquemque, qui in carcere est, inuisat. At si qui sunt, qui arctiori secretioriuè custodia inclusi tenentur, eos item visitatum eat: sed hoc omne officium, Vicario consentiente, eodemque præsente, aut Procuratore Fisci Episcopalis, alioquè, quem idem Vicarius maluerit; si ità magis expedire censuerit, ipse præstet, nec verò aliàs.

3 Carceris item custodes sępiùs per hebdomadam adhibeat, quibuscum agat, quęcumque non solum ad mores corrigendos, sed ad vitam sustentandam, necessitatesque subleuandas eorum pertinent, qui in vinculis, custodiauè sunt. Ac proinde libenter, benignèque audiat, quę quotidie sibi eo de genere ab illis exponentur: & quibus opus esse viderit, vt consulatur, ac prouideatur; in ijs omnes curę, sollicitudinisque partes, vt oportebit, quàm diligentissimè præstet.

4 Si porrò vel vniuersos, vel singulos, qui in carcere sunt, ità se malè gerere perspexerit, vt correctione, monitioneuè opus habeant ad morum disciplinam, eos, prout oportunitas tulerit, & monere, & hortari, & obiurgare; & corripere nè desistat.

5 Si verò alios muneri suo deesse, aut in eo peccare animaduerterit, cùm illos sui officij, atque adeò errati moneat in primis; tùm si opus erit, ob eam causam Episcopum, aut Vicarium generalem adeat, cuius auctoritate malorum pertinacię occuratur.

De Visitatione ab Episcopo facienda Tribunalis, & Carceris.

SVMMARIVM.

1 Tribunal Episcopale ab Episcopo quotannis visitandum.
2 Carcer etiam ab Episcopo aliquando visitandus.
3 Visitatio Carceris quo fine peragenda: quæque curanda.
Carcerati à Carceris Protectore singula hebdomada pariter inuisendi. De Carceris Protectore, nu. 2.

Quòd

1 OVotannis fori sui tribunal Episcopus uisitet; inquiratque an prescripta fori ratio, an prefinita taxa seruetur: tùm pretereà, an si quę corruptelę, si quiuè abusus irrepserint; an si quid denique uel institui, vel emendari, oportet: idque sollicitè in primis curet, ut eripiantur abusus, tùm restituantur quæcumque ad rectam iudiciorum formam attinent. 3. De ijs, quæ ad for. Episc. pert.

2 Episcopus non solùm per certos homines, vt primùm à nobis constitutum est; sed etiam ipse aliquãdo in anno carcerem uisitet: in eoq; inclusos paterna charitate consoletur, pièq; in Domino adhortetur.

3 Videat item, ut eis ad corporis sustentationem, & ad iustum patrocinium non desit quicquàm: tùm in primis non libri spiritualis lectio, non crebræ religiosorum hominum cohortationes, tùm nè denique aliquid ad animę salutem.

Curet etiam, ut qui in liberiori custodia sunt; festis saltem, & Dominicis diebus Missæ sacrum audiant, aliquo, vbi fieri potest, exędificato propè carcerem sacello, tùm Doctrinæ Christianæ rudimentis instituantur. Idque officium ijs præterea præstetur, qui in laicalis fori liberiori carcere sunt.

Vt omnes in Pascha confessi, sacram Eucharistiam piè, & salutariter sumant. Quod vt die Natali Domini, & alijs anniuersarijs redemptionis nostrę solemnitatibus indictisque publicè Iubileis, ac Indulgentijs, faciant, eosdem cohortetur.

De Iurisdictione Episcopali, Apostolicis Constitutionibus, edictisque, & alijs Institutionibus Episcopalibus publicandis, & asseruandis, & Episcoporum gestis memoriæ comendandis.

SVMMARIVM.

Legato Pontificio, Visitatori, Nuncioque Apostolico, Metropolitanoue in Prouinciæ Diœcesim aduentanti, Episcopus Diœcesanus, rocheto contecto obuiam prodeat. De vita, & hon. Episc. nu. 12.

Oeconomus ab Episcopo deligendus, qui bona Cathedralis Ecclesiæ administret, & qualis. Que pert. ad honor. Eccl. nu 22.

1 *Prælatus exemptus, licet Episcopus sit, in aliena Diœcesi, vbi Ecclesiam exemptam obtinet, absque Episopi Diœcesani consensu, Pontificalia non exerceat.*

Neque

2 *Neque alteri Episcopo potestatem faciat Pontificaliter exercendi.*
3 *Conseruatores à Regularibus electi mutari nequeunt, eorumque nomina Episcopo Diœcesano significanda.*
4 *Capituli, Cleriuè consilium Episcopus sequi minimè tenetur.*
Episcopus ad aliam Prouinciæ Ciuitatem, locumuè accedens, vt excipiendus. De vita, & hon. Ep. nu. 62.
Reliqua ad Episcopum, Episcopalemque iurisdictionem quoquomodo spectãtia, in quinto, & sexto Concilijs Prouincialibus contenta, vbi videnda. Ibid. nu. 48. 49. 50. 51. 52. & à 57. vsque ad fi.
5 *Bullæ Pontificiæ, Romæ quotannis editæ, Episcoporũ cura in suis Diœcesibus, quæque aliæ promulgandæ, eæque vbi asseruandæ.*
6 *Iis promulgandis, qui modus seruandus.*
7 *Promulgationis relatio, à quo, & cui fiat; vbique notanda.*
8 *Edicta etiam Episcopalia, scriptauè alia, vbi, & quomodo promulganda.*
9 *Certi dies Parochis præfigendi, quibus Pontificias sanctiones, decreta Tridentina, Prouincialia, Synodalia, & alia pronuncient.*
10 *Eaque in promulgatione quod Concionatorum, & Parochorum officium.*
11 *Diplomata Pontificia, & Principum quæ in Codicem certum referenda.*
12 *Episcoporum nomina, genus, & Pastorales actiones certo libro notandæ.*
13 *Viri aliquot ab Episcopo deligendi, quibus vtatur in instituendis Ciuitatis, & Diœcesis moribus.*

5. De Episcopo Epali Iuris. & foro.

1 NE prælatus exemptus, etiam si Episcopus sit, in alienam Diœcesim, intrà cuius fines Ecclesiam quomodocumque exemptam obtinet, quæ iam inde etiam ab immemorabili vsque tempore iurisdictionem spiritualem habet, alium Episcopum inducat, neque ad sacrum oleum conficiendum, neque ad chrisma ministrandum, neque ad consecrandam Ecclesiam, neque ad alia pontificalia munera obeunda, exercendauè: nec verò ipse illa ipsa officia, muneraue ministret, aut exerceat, sine Episcopi Diœcesani concessu.

2 Nè item prælatus inferior, etiam exemptus in Ecclesia, locoue, vbi iurisdictione spirituali vtitur, Episcopo extraneo potestatem faciat ministrandi pontificalia munera.

3 Regulares, quibus ex priuilegio ius competit conseruatores eligendi, ad quos in iudicium vocentur, quos semel delegerint, nè mã-

tent:

tent: eorumque præterea nomina, mensis spacio, Episcopo Diœcesano significent: alioquin ad Episcopale forum in ius illos vocari liceat.

4 Quibus in actionibus, aut deliberationibus Oecumenica Synodo Tridentina, aut Prouincialibus Concilijs constitutum est de Capituli Cleriue Concilio aliquid agendum esse; non propterea tamen illud sequendi necessitatem sibi impositam esse, Episcopus existimet; nisi in ijs tantum, de quibus id speciatim, nominatimque cautum est.

5 Summorum Pontificium Bullas, quæ quotannis de quauis causa abillis edentur, Episcopus duobus saltem post mensibus, quàm illas Romæ editas cognouerit, in sua Diœcesi eas potissimum promulgandas curet, quas promulgari in ijs ipsis iussum erit, tum illas item, quas ad Ecclesiæ suæ gubernationem pertinere aliqua ratione posse iudicabit. Quarum omnium Bullarum librum confici, & in Episcopali Archiuio asseruari iubeat. 2. Tit. 1. dec. 5.

Metropolitani autem cura sit, eas omnes, cùm primùm acceperit, ad singulos Prouinciæ Episcopos mittere.

6 Summorum Pontificum constitutionibus promulgandis hæc ratio seruetur, vt, si earum peruulgationi præfinitus in illis est modus, is adhibeatur; si verò nullus, ad peruulgationem satis sit affixio; quæ, vt moris est, fiat certis publicis locis. 3. De ijs quæ ad Episc. for. pert.

7 Cuius affixionis, & peruulgationis relatio, testificatioque ab eo, qui affixerit, fiat Cancellario fori Episcopalis, cuius sit illam in librum referre.

8 Quod de Pontificiarum constitutionum promulgationis modo & loco, vel in hoc, vel in alijs Concilijs Prouincialibus præscriptum est; id non solum in pontificijs constitutionibus; sed etiam in edictis Episcopalibus, alijsue scriptis, quæ promulgari contigerit, locum habeat, planèque seruetur. 4 De foro Episc.

Quò autem studiosius tradantur, & inculcentur, quecumque illis, vel constitutionibus vel edictis, scriptisue continentur; Episcopus, si ità expedire censuerit, illas ipsas tum constitutiones, tùm edicta, vel scripta eiusmodi in Cathedrali Ecclesia saltem populo frequenti, de scripto primùm ità legi curet, vt nè verbum quidem, ne dùm pars vlla omittatur. In alijs deinde Ecclesijs, ac locis, ubi euulgandas censuerit, illæ per capita summatim, vulgarique sermone, prout ille maluerit, explicentur.

9 Certos, statosque dies singulis mensibus, Calendarij instar notatos, quibus vel pontificias sanctiones, vel Tridentina decreta, vel Prouinciales, Diœcesanasque constitutiones, aut pastorales litteras populo euulgari, de scriptoque pronunciari iussum est, Episcopus Parochis præstituat, vt ordine omnia, pro temporum ratione, diligenter promulgata,

gata, sæpiusque suis certis diebus repetita, accuratius in executionis vsum inducantur, ac retineantur.

10 Cùm vel sanctiones pontificias, vel decreta Conciliaria, vel literas, constitutionesuè Episcopales, vel aliquid eiusdem generis promulgari, aut populo enunciari, de scriptoque legi iussum est, vt vberiorem fructum ferant, ac studiosius ad executionis vsum illæ introducantur; Episcopus, concionatores, qui in vrbe sunt, Parochi verò Diœcesani, si quos in suæ Parochialis Ecclesiæ finibus habent, eos diligenter hoc præmonere studeant, vt quod fidelibus enunciandum est, idem illi inter concionandum cohortationibus adiuuent.

Hoc verò cohortandi munus ipsi etiam Parochi studiosè semper præstent.

11 Liber fiat, in quo singula diplomata, siue Summorum Pontificum siue Imperatorum, siue Regum, Principumuè sint, quæ ad Ecclesiæ illius priuilegia, iura, aliauè id generis quouis modo pertinent, rectè, atque ordinè describantur.

Qui liber in Armario, certo archiuij loco, diligenter asseruetur.

12 Episcopus, id quod vel ab initio nascentis Ecclesiæ institutum fuit, vt rerum Episcopali studio, curaque gestarum monimenta existerét, conquiri diligentissimè curet; tùm singulorum Episcoporum, qui præcesserunt nomina, genus, & pastorales eorundem actiones. Quæ omnia litteris consignati, ordineque conscripta, in librum certum referri curet, vt eorum memoria conseruetur; & quæ ab ijsdem, vel acta, vel instituta sunt, ad aliquam Ecclesiasticæ disciplinæ normam perpetuò vsui esse possint, atque adiumento in illa Ecclesia benè gerenda.

3. De ijs, quę ad Episc. for. pert.

13 Episcopus in vrbe sua viros aliquos, auctoritate præstantes, spiritualis vitę studiosos deligat, quorum adiumento, & opera vti possit, & in ijs cognoscendis, quæ ad Ciuitatis, Diœcesisque suæ morum institutionem pertinent, & in adiuuandis Christianarum virtutum exercitationibus, & in alijs denique quibus populi sibi commissi progressio, fiat ad sanctè agendi studium.

De Archiuio Episcopali.

SVMMARIVM.

1 *Archiuium, quod Episcopo, & Capitulo Cathedralis Ecclesiæ commune sit, instituendum.*

2 *Illud clauibus duabus occludendum: & à quibus illæ custodiendæ.*

Cuique

3 Cuique illæ, sede Episcopali vacante, tradendæ.
4 Archiuio in ipso certus constituendus locus, vbi causarum Codices, & alia recondantur: isque locus quot clauibus claudendus, & à quibus illæ tenendæ. 5.
6 In illud scripta, & instrumenta, actaque omnia à Cancellario Notarioue amoto, defunctoue confecta, deferenda: dictaque testium, & quæ alia consignanda. 8. De foro Episc. nu. 11. 12.
7 A quo exscribenda ipsa Archiuij exemplaria.]
Inuentaria bonorum & iurium Ecclesiarum, piorumque locorum, in eo retinendum, librique, Codices, & monimenta, vt infrà sequitur, asseruanda, 43. Quæ pert. ad bonorum, nu. 1. & 2.
Monimenta festorum dierum. De fest. dier. cultu. 30.
Liber eorum, qui fidei professionem emiserunt in Diœcesana Synodo, emittentque. De fidei profess. nu. 4.
Liber Reliquiarum recognitarum. De sanctorum Reliquijs. 4.
Scripta, monimentaque ad eas pertinentia. Ibid. 34.
Liber Indulgentiarum perpetuò, vel ad tempus Ecclesijs concessarum. De Indulgentijs, nu. 7.
Liber Altarium, onerum, iuriumque ad ea pertinendum. De Eccl. fab. 76.
Liber Consecrationum Ecclesiarum, Altarium, Cœmiteriorum, & Campanarum. De Eccl. Consecrat. 6.
Liber Diœcesanorum beneficiorum, isque qualiter confectus. Quæ ad benef. collat. 35.
Liber ordinatorum. Ibidem.
Alter, in quo testificationes ordinandorum summatim relatæ sint, Quæ ad ordinis sacr. &c. 61.
Liber pœnarum, & mulctarum, solutionisque earundem. De foro Episc. 20.
Liber diplomatum Pontificiorum, & Imperatorum, Regumque & quorum. De Iurisd. Episc. 11.
Liber legatorum annuorum cum oneribus adiunctis. De piorum locorum. &c. 19.
Libri impressi, & recogniti. De edit. & vsu sac. lib. 8.
Attestatio promulgationis decreti Concilij Tridentini, de Matrimonijs clandestinis. Quæ ad sacr. Matrim. pert. 30. in fi.
Testimonium professionis emissæ. Quæ ad ord. sacr. 26.

1 AT verò in quibus Ecclesijs, vel Cathedralibus, vel Collegiatis Archiuium eiusmodi non sit, ab Episcopo instituatur. initium huius decreti videatur Quæ ad bonorum &c. nu. 2.

1. Quæ pert. ad bonorū & iurium, &c.

Archiuia singula duabus clauibus occludátur.

2. Tit. 2. dec. 14.

Cùm primùm aliquis huius prouinciæ Episcopus mortem obierit, Archiuij Episcopalis clauis Notarij publici fide, vna Capituli Vicario, altera vni de Capitulo, ad quem, vel officij ratione, vel consuetudine pertinet, siquem talis est, alij antiquiori residenti tradatur; ab eisdemque vna, & item altera asseruetur, quò ad alius Episcopus creabitur, cui illas restituant, & rationem de scriptis in inuentario notatis, eorumque custodiæ commissis, eidem reddant.

3. De ijs, quę ad Episc. for. pert.

4 Certus in Archiuio Episcopali locus constituatur; vbi causarum ac iudiciorum Codices, instrumenta, acta, scriptauè alia, à Cancellario, & Notarijs fori Episcopalis, ad ipsum forum pertinentia singulis annis confecta, quotannis recondantur; ità vt inde, cùm vsu venerit, promi possit, quicquid in Ecclesiastico foro vmquam agitatum erit.

5 Is certus Archiuij locus duabus clauibus claudatur; quarum vnā Episcopus, alteram eius Cancellarius habeat.

Notario autem instrumentorum, quæ confecit, exemplum, idque sumptibus suis habere, aut retinere liceat.

6 Si Cancellarius, Notariusuè aliquis decesserit, vel ab officio se abdicarit, amotusuè sit, quæcumque ille, vel instrumenta, vel scripta, vel acta eiusmodi confecit, statim Episcopi iussu in eundem locum deferantur. Quod si processus alicuius causæ nondum sit completus, & causam, ob quam confectus est, partes prosequantur, eius in Archiuium delatio deferri poterit, quò ad causa sit peracta.

7 Ex Archiuij tabellis, exemplaribusuè, si quęcumque acta, aut instrumenta, quę Notarij manu, signoque munita, fidem faciant, exscribi contigerit; is, qui rogatus Notarius illa confecit, si uiuit, vt operis sui emolumenta consequatur, eorum exemplum, modo edi liceat, ipse conficiat, si præsens est; si verò abest, id seruetur, quod iure cautum est: sin autem obijt, id Episcopalis Cancellarius præstet: mercedem autem inde capiant notarij hæredes; nisi aliter inter Episcopum, & Notarios conueniatur.

Quæ desunt huic titulo, videantur in Tit. de Archiuio Capitulari de foro Episcopali, De Cancellario, &c.

Quæ ad sacramentum matrimonii pertinent.

SVM-

SVMMARIVM.

1 Matrimonio contrahendo, regula à Concilio Tridentino tradita, seruanda.
2 Matrimonij libertas nullis legibus sæcularibus violanda.
3 Libertatem ipsam impedientes, puniuntur.
4 De puellæ minus libera voluntate, vbi Episcopo constet, quid agendum.
5 Matrimonij denunciationes quibus diebus, quibusque in locis fiant. 9.
6 Eæ non procrastinandæ.
7 Quomodo faciendæ, matrimoniumque celebrandum, vbi contrahendum sit à Catholicis in hæreticorum finibus, locisuè finitimis commorantibus.
8 Qui modus item præscriptus in matrimonijs, quæ cum vagabundis iniri solent.
9 Matrimonij denunciationes ad cuius instantiam fiant.
10 Denunciationibus faciendis, quid seruandum vbi contrahentes diuersarum sint Parochiarum.
11 Quid item in contrahendo matrimonio; præcipuè cum contrahentes sunt diuersarum Diœcesum.
12 Eas denunciationes facturus Parochus quæ priùs inuestiget.
13 Quæ à sponsis perquirat.
14 Quæque ea in inuestigatione caueat; quæ item cùm sponsalibus interest.
15 Ad quæ sponsos ipsos cohortetur. 17.
16 Quæque eosdem moneat.
18 Populus docendus, religiosa animi præparatione sacramentum hoc suscipiendum.
19 Denunciationes, Episcopi concessu, & causa, remittendæ.
20 Non tamen facilè; & quid agendum, vbi ante matrimonium remittantur.
21 Earum remittendarum, quæ causæ legitimæ.
22 Vicario Generali quando eas remittere liceat.
23 Denunciationes semel factæ, quando iterandæ.
24 Vltimæ denunciationis die matrimonium non celebrandum. 39.
25 Sponsorum ante solemnem matrimonij celebrationem, cocuntium, absolutio Episcopo reseruata.
26 Id etiam eorum matrimonium futurum nullum, ab Episcopo declaretur.

Quique

27 Quique ità contraxerint, puniendi.
28 Huic corruptelæ, quomodo Episcopi cura prospiciendum.
29 Matrimonium falsò, & scienter impedire tentans, excommunicãdus.
30 Matrimoniũ clandestinè attentans contrahere à Parocho repellendus.
Tridentini decreti de matrimonijs clandestinis promulgatio an facta sit, ab Episcopo inquirendum.
Promulgationeque non facta, quibus adhibitis, & vbi facienda. Ibidem.
31 Doctrinæ Christianæ rudes, matrimonium contrahere prohibendi priusquàm eam didicerint.
32 Matrimonium sine Parocho, alioue Sacerdote contractum, nullum: qualiter tamen intelligendum.
Nullum item celebratum à non proprio Parocho. 36.
33 Quarto, & quinto gradibus affinitatis, consanguinitatisue iuncti, matrimonium sine dispensatione contrahere non prohibentur.
34 Contrahentes à Parocho monendi, excommunicationis proposita scienter matrimonia contrahentibus in gradibus prohibitis.
35 Matrimonia prohibita contrahere presumentes, sub spe dispensationis consequendæ, ab Episcopo puniendi; & separati, excommunicati denunciandi.
37 Matrimonium in Ecclesia Parochiali celebrandum.
38 Idque manè, non autem à prandio.
39 Postridieque diei vltimæ denunciationis.
40 Benedictio celebrata Missa facienda.
41 Musica instrumenta non adhibenda in matrimonio contrahendo benedictioneque impertienda.
42 Admoniti id facere contemnentes, matrimonio non coniungendi.
43 Annulo quis sponsæ digitus induendus.
44 Bibendi vsus in Ecclesia, frangendique cyathi contrahendo matrimonio tollendus.
45 Quæ alia in nuptijs emendanda.
46 Matrimonia, fascinationibus & veneficijs impedientes, aut dirimendi occasionem præbentes, eisque in soluendis improbata verba adhibentes excommunicatione feriuntur.
47 Consilium, mandatumue ad id dantes, eandem censuram subeunt.
48 Temporibus ab Ecclesia prohibitis domum sponsam traducentes, interdicti pœnam incurrunt.
Matrimonia contracta, vnà cum testibus adhibitis, in certum librum describenda.
49 In eundem librum referendæ facultates Sacerdoti alij concessæ, vt suprà matrimonio contrahendo interfit.

Quæque

Quæque aliæ attestationes referendæ. 50.
Eæ facultates quibus tantum Sacerdotibus concedendæ. 52.
51 *Sacerdotis coadiutoris opera, vbi vtatur Parochus ad matrimonia contrahenda, quid de eo coadiutore in eundem librum notandum.*
53 *Decreta Tridentina, & Prouincialia de matrimonij sacramento communi lingua, & quando euulganda.*
54 *Apostolicæ Constitutiones, litteræue decretales ad Tridentinorum de matrimonij impedimentis decretorum declarationem editæ, & vbi videndæ.*
55 *Delegati ad dispensandum in matrimonio irrito, dispensatos iterum contrahere cogant.*
56 *Matrimonialibus in dispensationibus dotis non competentis, causa concessis, vt agendum.*
57 *Pro executione matrimonialium dispensationum ab Episcopo, Vicarioue nihil omninò capiendum: à Notario verò quantum.*

1 DIligentissimi sint Episcopi in ea obseruatione, nè quisquam à regula, quam in celebrando matrimonio seruandam statuit Tridentina Synodus, vlla ex parte discedat. 1. Quæ ad sacr. Matrim. pert. Sess. 24. c. 1. de ref. matr.

2 Matrimonium, cùm sacramentum sit, & maximè liberum; si quæ municipales leges, statuta, decretaue sunt, quibus huic sacramento, sanctęque illius libertati, contrà sacrorum Canonum, & Conciliorum præscriptum vllo quouis pacto impedimentum afferatur; eas irritas, rescissas, ac planè nullas decernimus, ac declaramus. 5. Quæ ad Matr. pert.

3 Omnibus verò, quacumque etiam dignitate, potestateque præditis, interdictum iam nunc perpetuò sit, nè earum etiam legum, statutorum, decretorumue auctoritate, nec verò alia quauis ratione quicquam statuant, decernant, iubeant, agantuè, quo matrimonij libertas vllo pacto, neque directè, nec verò indirectè, lædatur.

Qui contrà fecerit, pœnas, & censures Conciliorum & Canonum iure sancitas, ipso facto subeat. Sess. 24. c. 9.

4 Episcopus verò, vbi probabilem pro sua conscientia suspicionem habeat de puellæ minus libera voluntate, tùm exquirat rem diligentissimè; tùm præterea, si opus esse censuerit, illam certo loco tuto, ac honesto collocet, vbi illa eidem proferat, & explicet liberius suam voluntatem, qualis verè sit.

5 Denunciationes, q̃ matrimoniũ antecedere debẽt, festis illis diebus fiant, qui Ecclesiæ præcepto seruantur, media ea Missa, ad quã frequentior populus conuenire solet, quò id facilius notũ omnibus esse possit. 1. Ibidem. Sess. 24. c. 1.

6 Si Parochus in matrimonio denunciationes, vel benedictionem sine probabili causa procrastinarit, cuius iudicium deinde sit Episcopi, ab eo plectetur.

2. Tit. 1. dec. 25.

7 Illud maximè Episcopus interdicat, ne aminarum curatores, qui in hæreticorum finibus, vel in locis finitimis habitant, vbi vnicuique liberum est publicè, & impunè hæreticorum more viuere, matrimonij, quod inter Parochiæ suæ, & illorum locorum incolas contrahendum est, secundam denunciationem faciant; neque eos matrimonio coniungant; aut denunciationum, quæ de matrimonio celebrando factæ erunt, fidem, ac testimonium ad ea ipsa loca, vbi illud ineundum est, mittat, nisi priùs eius, qui in locis hæreticorum, aut hæresis nomine suspectis habitat, nomen, & cognomen Episcopo denunciarint: ab eoque impetrarint facultatem, alias denunciationes faciendi, matrimonijque celebrandi, vel fidem denunciationum illuc mittendi, quæ eo nomine factæ sunt. Quam facultatem Episcopus nè det, nisi prius de fide Catholica illius hominis cognouerit, qui ea loca incolit; aut, nisi item sibi omninò exploratum sit, matrimonium eiusmodi non contrahi cum hæreticis.

Ibid. dec 26. Sess. 24. c. 7.

8 Tridentina Constitutio de matrimonijs, quæ cum vagabundis hominibus iniri quandoque solent, seruetur à Parochis vel diligentissimè. Nec verò ipsis Parochis facultatem, vt illos vagos homines matrimonio iungant, Episcopus ante det, quàm norit, eos, & solutos esse, & à catholica communione non alienos.

9 Matrimonij denunciationes à Parochis tùm demùm fiant, cùm vir, & mulier, eorumue parentes, vel ij, qui puellæ curam habent, id postularint; sique ambo diuersis in Parochijs habitant; tùm in vnius, & alterius item Parochia fiant.

3. De ijs, quę ad Matr. sacr. pert.

Matrimonij denunciationes in posterum à Parocho nè fiant, nisi ijs ipsis petentibus, aut consentientibus, de quorum matrimonio contrahendo agitur.

10 Quòd si diuersis in Parochijs illi habitant, vtriusque item Parochus hoc ipsum seruet. Neque matrimonium alter Parochus denunciet, nisi ab altero Parocho certior factus sit de postulatu, aut consensu illius, qui suæ est curæ subiectus.

2. Tit. 1. dec. 26.

11 Caueant autem Parochi, nè alienæ Parochiæ sponsum sponsamue antè matrimonio iungant, quàm testimonium ab illius, qui intrà Parochiæ suæ fines habitat, Parocho, si eiusdem, vel finitimę, aut non nimis longinquæ Diœcesis ille sit, scriptum acceperit; cuius testimonij fide sibi testatum fiat, ex Tridentini Concilij præscripto denunciationes, quæ necessarię sunt, aut Ordinarij sui voluntate omissas esse, aut factas quidem, nullumque legitimum impedimentum ab vllo homine signifi-

ſignificatum, quo minùs tale matrimonium contrahi liceat. Illud verò teſtimonium ſi à Parocho alienę Diœceſis fiet; ab Ordinario loci, aut ab eo, cui hoc ille delegarit, ſubſcriptione, ac ſigillo comprobatum ſit.

12 Inueſtiget etiam ipſe Parochus diligenter, aut alius Sacerdos, cui facultas data eſt, in matrimonium iungendi ſponſos, an quod denunciaturus eſt matrimonium, in eo aliquod ſubſit impedimentum, quo minùs contrahi liceat: quod ſi in aliqua probabili coniectura extiterit, qua exiſtimet illud inire non licere; Epiſcopum ante conſulat, quàm vlterius in denunciationibus progrediatur, ſponſosuè iungat, quos dubitat matrimonio non licere copulari. 3. Ibidem.

13 Parochus ſtatas matrimonij denunciationes facturus, prętер notitiam de illis faciendis ſibi datam ab agnatis curatoribus illorum, de quorum matrimonio agitur; primùm à mari, tùm à fœmina exquirat, an matrimonij, quod inter eos tractatur, denunciationes fieri placeat. 4. Quæ ad Matr. pert.

14 Qua in re caueat, nè dùm matrimonij denunciandi voluntatem eorum notam, exploratamque inueſtigando habere vult, ea inueſtigatione matrimonij iſtius, aut ſponſalium conſenſum exquirat. Itaque de ſtatis ſolum denunciationibus explicatè, ac diſtinctè, ſeparatimque ab vtroque perquirat; idque à fœmina loco honeſto, & in propinquorum conſpectu; ità tamen, vt nè quiſquam audiat; neque ità propè ſit, vt præ pudore, vel alia cauſa, minùs liberè animi ſui voluntatem exprimere audeat.

Caueat Parochus, ſi quando ſponſalibus intererit, vt nè de prętenti, ſed de futuro matrimonio illa contrahantur: ſicque propterea verborum formula dilucidè concipiatur, vt de eorum ſenſu nulla deinde quæſtio, difficultasuè oriatur. 5. Quæ ad Matr. pert.

15 Parochus, quorum matrimonium ex Concilij Tridentini prętерſcripto publicè ter denunciaturus eſt, eos primùm graui cohortatione diligenter moneat, vt cùm ad illud ineundum, ieiunijs, orationibusque ſe parent; tùm etiam, vt eo ritè celebrato, Sacerdotalique benedictione à proprio Parocho accepta, orationi frequentiori interim vacantes, triduo abſtineant pro reuerentia: ſicque contrà ſpirituales nequitias, & carnis procacitatem ſanctè muniti, ſalutem, & gratiam Dei ex eo ſacramento vberiorem ſibi comparare ſtudeant. 5. Ibidem. Seſſ. 24. c. 1.

16 Matrimonium futurum Parochus, antequàm in Eccleſia denuncie t, prętер id, quod ex Concilio Prouinciali quarto perquirere à ſponſis debe, illos etiam ſeorſum moneat; vt uideant, nùm matrimonio, quod inter ſe contrahere volunt, aliquod impedimentum obſtet, quod mox infrà explicatum eſt; neuè alia, quę ipſe pro ſuo iudicio, & prudentia patefacere, exprimereque debebit. 6. Quæ ad Matr. pert.

Viderint igitur an alteri fidem adstrinxerint, aut iureiurando spoponderint.

An castitatis, religionisuè votum ediderint.

An aliquod impedimentum inter eos intercedat cognationis, etiam spiritualis, aut affinitatis, vsque ad gradum, iure, Tridentinoque Concilio prohibitum.

Sess. 24. c. 1. de refor.

17 Si verò filijfamiliàs sint, hos Parochus valdè cohortetur; vt parentibus, in quorum potestate sunt, eum honorem tribuant, vt illis nè inscijs quidem, nè dùm inuitis, rem tanti momenti ineant.

Id præterea studiosè, paternèque etiam utrumque hortetur, ut singulari quadam animi pietate, & oratione in primis frequentiori, in re tam graui ad Deum confugiat.

Quo in genere Thobiæ adolescentis, cùm uxorẽ duxit, commemorabile exemplum, imitationeque dignum proponat.

3. De ijs, quę ad Matr. sacr. pert.

18 Religiosam animi præparationem requirit matrimonij ratio & sanctitas; quam cùm minùs intelligant laici homines, fit, vt sæpè grauiter in re peccent, quam sanctè inire debent. Crebrò igitur, cùm vbi venerit, Parochus, hoc ipsum populum doceat; ad idque adhibeat Catechismi Romani locos; & doctrinam.

2. Tit. 1. dec. 26.

19 Eas autem denunciationes, nè vlla quidem ex parte remittere eis liceat, nisi proprij Episcopi concessu idque causis iure permissis.

Sess. 24. c. 1. 4. Quæ pert. ad Matr.

20 Statas illas matrimonij denunciationes, Tridentina sanctione præscriptas, Episcopus nè facilè remittat. Si verò pro sua pietate, ac prudentia earum aliquam quandoque antequam matrimonium contractum est, omittì censuerit, ac posteà, antè consumationem illas planè omnes, aut si minùs omnes, saltem duas, aut minimum, vnam fieri curet omninò.

Ibidem. 5.

21 Matrimonij denunciationes, quas aliquando ab Episcopo remitti constitutione Tridentina permissum est, is videat, nè ob aliam causam, quàm ea ipsa Constitutione cauetur, remittat; cùm scilicet Ordinarij iudicio verisimilis suspicio est, matrimonium malitiosè impediri posse. At verò si hæc causa non subest, quamobrem illas remittat, ea certè sola, quod instat sacri Aduentus, Quadragesimæue tempus, neque necessaria est, nec uerò cum ratione consentiens, cùm præsertim eo sacro tempore, qui iàm matrimonio iuncti sunt, ab illius vsu abstinere potius conueniens sit, nè dum sponsos vnà coniungi.

22 Illas uerò ab Episcopo, cùm præsens in urbe, uel Diœcesi adest, solum remitti deinceps liceat, ab alio præterea nemine, ac ne à Vicario quidem generali.

23 Matrimonij futuri denunciationibus in Ecclesia de more factis, si forte

si fortè hoc accidit, vt illud duorum mensium spacio post non contrahatur, nè idem anteà Parochus celebret, quàm iterum denunciationes ex Concilij Tridentini præscripto, fecerit; edixerituè, si modò illud Episcopus non concesserit.

24 Quo die de matrimonio contrahendo denunciatio vltima facta est, nè eo ipso die, nisi impetrata ab Episcopo facultate, illud celebretur; id autem præterquam si postrema ea denunciatio facta sit pridie illius diei, quo initium est Quadragesimæ, vel Aduentus; ac nisi item Parochus populo, antecedente denunciatione, significarit, eo die, quo postrema denunciatio fiet, matrimonium esse contrahendum. 3. Ibidem.

25 Qui sponsalia contraxerint, si vnà ante coierint, quàm coram Parocho, & testibus matrimonium inter eos celebratum sit, illius peccati, quoniam in eo sæpè delinquitur, absolutionem Episcopo reseruatam esse volumus; grauemque illis pœnitentiam imponi. 2. Tit. 1. dec. 27.

26 Si qui ætate etiam legitima, & Parocho præsente, testibus duobus adhibitis, & Notario item, iurati spoponderunt, se matrimonium inituros; ac deinde non contracto legitimè per verba de præsenti matrimonio, copulationem inter se inierunt, eorum matrimonium nullum ab Episcopo declaretur, ac decernatur. Id verò nè accidat, Parochus quàm sæpissimè populum, vt opus erit, moneat, ad præscriptum Concilij Tridentini. 5. Ibidem. Sess. 24. c. 1.

27 Eos prætereà, qui ità contraxerint, grauiter pro arbitratu suo Episcopus. Quod si ijdem posteà de præsenti matrimonium contrahere velint, nè prohibeantur; modo seruentur quæ ad Tridentini Concilij præscriptum seruari oportet, si nullum aliud insit legitimum impedimentum. Sess. 24. c. 1.

28 Magnam in eo diligentiam adhibuimus, vt corruptelam, atque adeò peccatum tolleremus, atque radicitus extirparemus quod passim in Prouincia nostra à sponsis committitur, qui mutua copulatione anteà vtuntur, quàm matrimonium per verba de præsenti ritè confectum, celebratumque sit. 6. Quę ad Matr. pert.

Verùm cum nihil fermè in hoc genere hactenus profeciſſe animaduertamus; pro officij pastoralis munere pernicioſæ isti corruptelæ, peccatoque graui nos diligentius, accuratiusque prouidendum, & consulendum esse statuimus. Itaque Episcopi cura sit, pœnis, & censuris, quas arbitratu suo constituerit, sancire, nè sponsi, prius quàm matrimonium in Ecclesia per verba de præsenti, ex ritu celebrauerint, nō modo simul non habitent; sed nè vllo quidem modo mutua consuetudine, commercioue vtantur. Sess. 24. c. 1.

29 Qui falsum aliquod impedimentum malitiosè attulerit, quo futurum legitimè matrimonium impediat, si prudens, sciensque hoc 3. Ibidem.

fecerit, præter alias iuris pœnas, excommunicationis etiam pœna afficiatur.

30 Nè Parochus matrimonio quempiam iungat, qui illud clàm contrahere attentarit, sine Episcopi concessu; vt de eo debitas ante
Sess. 24. c. 1. possit sumere pœnas ex Concilij Tridentini decreto: id autem, nisi delictum hoc ità est occultè admissum, vt nullum eius rei indicium legitimum extet.

3. Ibidem. Sess. 24. c. 1. Episcopus diligenter perquirat, an in singulis suæ Ciuitatis, & Diœcesis Parochialibus Ecclesijs Tridentini decreti de matrimonijs clandestinis promulgatio facta sit; &, vbi factam esse intellexerit, eius, quæ primo in quacumque Parochiali Ecclesia facta sit, si scripto testata esse potest, exemplum, manu Notarij signatum, ad se deferri iubeat.

Quod si minùs scripto, sed solum testibus probari potest, eo Notario adhibito, examinari mandet. Si verò de promulgatione facilè constare non potest, aut illa omninò facta non est: illud decretum duorum mensium spacio in singulis eorum Parochialibus Ecclesijs, Notario, & testibus adhibitis, promulgari omninò iubeat, & quicquid ad illius decreti promulgati probationem pertineat, id Notarij testimonio munitum, in Episcopali Archiuio asseruetur.

5. Ibidem. 31 Parochus, quos sponsos experiundo viderit, Doctrinæ Christianæ rudimenta planè ignorare, nè matrimonio illos antè iungat, quàm ea item ratione cognorit, didicisse, quæ eo de genere illos planè scire oportet.

Sess. 24. c. 1. 32 Qui testibus adhibitis, at sine Parocho, alioue Sacerdote, cui is, vel Ordinarius facultatem dederit, matrimonium de facto contraxerint, nè eos cogi liceat, vt denuò inter se contrahant; nec rursùs eo nomine impediri, quominùs eorum vnusquisque cum alijs liberè contrahat, cùm illud eorum factum nè sponsalium quidem, ne dùm matrimonij vim habeat.

6. Quæ ad Matr. pert. 32 Quod Concilio Prouinciali Quinto cautum est, matrimonium verbis de præsenti, sine Parocho, testibusque contractum nullum esse, ac ne sponsalium quidem vim, roburque habere, id ità intelligendum est, eos, qui ità contraxerint, posse tamen Concilij Tridentini conditionibus adhibitis, denuò matrimonium contrahere, dummodò intrà Parochiæ fines, & coram Parocho proprio, testibusque illud contrahatur, celebreturue.

33 Qui quarto, & quinto affinitatis, consanguinitatisue gradu iuncti sunt, cùm inter se matrimonium, non impetrato dispensationis beneficio, liberè inire contraheresue possint, nè à Parocho, aut ab alio quopiam in posterum impediantur, quo minùs liberè contrahant, seruatis

regulis,

regulis, Tridentina sanctione præscriptis.

34 Parochus, cum matrimonium celebrare voluerit, moneat contrahentes, propositam esse pœnam excommunicationis latæ sententiæ, vltrà alias pœnas à iure inflictas, in eos, qui in gradu prohibito eon sanguinitatis, vel affinitatis matrimonium contrahere scienter præsumpserint, ac eos omni spe consequendæ dispensationis carere ex præscripto Concilij Tridentini. c. fi. § pen. de cland. desp. Clem. vnic. de conf. aff. Sess. 24. c. 5.

35 Episcopus verò seuerè animaduertat in eos, qui diuino timore postposito in suarum periculum animarum, scienter huiusmodi coniugia prohibita, etiam ex causa fornicationis, quod frequentius accidere solet, inire, sub spe forsan futuræ dispensationis præsumpserint; ac statim illos, quos ei constiterit taliter contraxisse, adhibita separatione ex Concilij Viẽnensis præscripto, excommuuicatos publicè tamdiù denunciari iubeat, donec suum humiliter recognoscentes errorem, absolutionis obtinere beneficium mereantur. Sess. 24. c. 4.

36 Irritum, nullumque ab Episcopo matrimonium declaratur, quod à Parocho loci, vbi illud fit, non ab eo, qui Parochus proprius est contrahentium, celebratur.

37 Ne Parochus vllo alio loco, quàm in Ecclesia ipsa, quæ sacramentorum proprius locus est, sponsos matrimonio iungat; nisi ex facultate ab Episcopo permissa. 2. Tit. 1. dec. 28. Sess. 24. c. 1. de refor.

Matrimonium, quod in Ecclesia celebrari debere sancitum est, altera Prouinciali Synodo; in ea tantùm Ecclesia celebretur, quæ Parochialis est. 3. Ibidem.

38 Celebretur verò manè, non à prandio. Idque omne nisi cùm Episcopus alio vel loco, vel tempore fieri concesserit.

39 Ne solemnes nuptias liceat celebrare, nisi post diluculum postridie illius diei, qui postremus est temporis, quo Tridentina Constitutione nuptiarum celebritas interdicta est.

40 Parochi, cùm sponsis benedicendum erit, id celebrata Missa, cui illi interfint, semper faciant. 1. Ibidem. Sess. 24. c. 1. de refor.

41 Sponsi autem, cùm in Ecclesiam conueniunt, vel ad matrimoniũ contrahendum, vel ad accipiendam benedictionem, nè Parochus vlla cuiusuis generis musica instrumenta adferri patiatur. 2. Tit. 1. dec. 28.

42 Quod si ab ipso moniti, id facere contempserint; tamdiù eis matrimonij celebrationem, aut benedictionem differat, quò ad sanctè, vti debent, ob id ad Ecclesiam accesserint.

43 Annulo nuptiali non dexteræ, sed sinistrę manus sponsæ digitus, qui annularis dicitur, induatur; dumque induitur, nè à sponso, sed à Sacerdote, cuius est benedicere, illa verba proferantur: In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. 4. Ibidem.

1. Ibidem. 44 Vsum autem illum in Ecclesia bibendi, & frangendi cyathi, & alia id generis, quæ indecorè fiunt, cùm aliqui matrimonio iunguntur, amplius nè adhiberi patiantur.

4. Ibidem. 45 Quæ in nuptijs indecorè fiunt, ea ab Episcopis omninò eripi Concilio Prouinciali primo iussum est. In ijs porrò ipsis cùm potissimùm minimè ferendæ sint illæ duæ, deprauato morum vsu introductæ corruptelę; vna scilicet, cùm certa quædam pecunia ab ijs extorquetur, qui ex alieno solo, alienauè Parochia vxorem ducunt; altera, cùm per uicos, & plateas, qua iterum nupta ducitur, clamores, tumultuosæque voces, à profano gentilium more non abhorrentes, ac strepitus hominum, quasi exagitandis secundis nuptijs eduntur; eas sanè à Christianæ pietatis institutis, atque moribus, & à matrimonij, quod celebratur, sanctitate, alienas, Episcopus, cùm omni alia pastoralis officij sui ratione, tùm propositis etiam pœnis, cænsurisque extirpari, ac planè funditus tolli curet.

5. Ibidem. 46 Tridentina Oecumenica Synodus, illud Episcopali diligentiæ quàm diligentissimè commendauit, vt si quæ, vel hominum vitio, vel temporum iniuria corruptelæ in nuptijs celebrandis irrepserint, illæ radicitus extirpentur. Atque eo quidem vehementius in eiusmodi curam incumbendum est, quò grauius, atque adeò sæpius in illis peccatur. Quare ad nuptias, matrimoniaque impedienda, vel dirimenda eò cum uentum sit, vt veneficia, fascinationesuè homines adhibeant, atque vsque adeò frequenter id sceleris committant, vt res plena impietatis, ac propterea grauius detestanda. Itaque vt à tanto, tamque nefario crimine, pœnæ grauitate deterreantur; excommunicationis latę sententiæ vinculo fascinantes, & venefici id generis irretiti sint.

Quam ipsam pœnam etiam illos subire decernimus, si qui in illis soluendis verba improbata, superstitiosa, atque adeò alia, quàm quæ Episcopo primum probata sunt, adhibuerint; cùm id non sine diuini cultus offensione maximè faciant.

47 Quo etiam genere pœnæ afficiantur, quicumque vel suaserint, vel mandarint, vel consenserint.

Sess. 24. c. 10. 48 Ne quis cuiuscumque gradus, conditionisuè sit, statis temporibus quibus nuptiarum solemnitates celebrari interdictum est, domum sponsam traducat, aut nuptialia conuiuia celebret, aliaue eius generis vetita agat.

Qui autem, vel per se, vel alium contrà fecerit, aut eius culpæ quouis modo particeps fuerit; is pœnam interdicti ab ingressu Ecclesiæ ipso facto incurrat; eamque pœnam illum tamdiù sustinere volumus, quò ad sponsi Episcopi iussu separati, meritas pœnas, pro eorum condi-

conditione dederint, arbitrio eiusdem Episcopi, & interdicto liberari eiusdem iudicio meruerint.

49 Ne autem matrimoniorum, quæ contrahentur, memoria facilè pereat, si quam facultatem Episcopi, aut Parochi cuiquàm alij Sacerdoti, vt in contrahendo matrimonio interfit, concedendam aliquando duxerint, id scripto tantum faciant, eiusque exemplum Episcopi in aliquo libro descriptum diligenter asseruent. 1. Ibidem.

50 Parochi autem in eum librum referant, in quo coniugum, & testium nomina ex præscripto Tridentini Concilij scribere debent. Quicquid verò eo libro Parochi singulis annis scripserint, id in fine anni Episcopo describendum tradant. Sess. 24 c. 1. de refor. Matr.

51 Si Parochus Sacerdotem alium coadiutorem habet, cuius etiam ministerio, facultate eidem Sacerdoti concessa, vtitur ad matrimonia contrahenda inter Parochiæ suæ incolas; is illam cautionem adhibeat; vt in libro, qui est de matrimonijs, illius nomen, & cognomen; tùm prætereà diem, & mensem, & annum notet, quo ille Parochialis curæ socius, atque coadiutor adiunctus, facultatem à se, vel ab Episcopo consecutus est, matrimonia celebrandi. 3. Ibidem.

52 Nè autem matrimonij celebrandi potestatem Parochus faciat alij Sacerdoti, qui Episcopi iudicio nondum probatus est, vt sacramenta ministret.

53 Episcopi ea, quæ de matrimonio Tridentina Synodo in reformatione matrimonij, & his nostris constitutionibus decreta sunt, communi lingua diuulganda curent; & omnibus suæ Diœcesis Parochis eorum exempla distribuant: vt illi singulis quibusuis tribus mensibus frequentissimo populo in Ecclesijs recitent, nisi aliud Episcopo videatur. 1. Ibidem.

54 Quæ à Summis Pontificibus constitutiones, litteræue decretales ad Tridentinorum de matrimonij impedimentis decretorum declarationem editæ sunt, eas cùm à cæteris, tùm à Parochis præcipuè non ignorari oportet. Cui rei vt occurramus, illas typis impressas, vnà cum hoc libro Concilij Prouincialis Quarti, in vltima parte edi censuimus. 4. Ibidem.

55 Quibus matrimonij contracti in vno aliquo ex impedimentis, quibus illud contractũ dirimitur, dispensatio à sancta Sede Apostolica, aut in foro conscientiæ, aut in vtroque foro delegata est; ij caueant, vt ad litterarum Apostolicarum præscriptum, illos, cum quibus dispensari concessum est, matrimonium iterum contrahere cogant. Ibidem.

56 In dispensationibus matrimonialibus, dotis non competentis causa concessis, si modo eo loci, vbi mulier, de cuius matrimonio agitur, habitat, virum pari, æqualique conditione non inueniri verè constet, 5. Ibidem.

ſtet, qui ſibi cognationis, affinitatisuè vinculo conuinctus non ſit, progrediatur Epiſcopus ad exequendam eius generis diſpenſationem, etiam ſi in locis finitimis aliqui eſſent, qui nullo gradu cognationis, affinitatisuè iuncti, eam cum exigua dote in matrimonium ducerent. Satis enim eſt, in eo municipio, locouè, vbi mulier eſt, diligentiam matrimonij contrahendi adhibitam eſſe.

57 Pro diſpenſationum matrimonialium executione, nihil quicquàm prorſus muneris, præmijuè, etiam ſponte oblati, ac ne pro labore quidem, qui in teſtibus ea cauſa examinandis, alijsuè teſtificationibus excipiendis, ponitur, Epiſcopus, aut Vicarius eius capiat. Notarij verò pro examine teſtium, quartam dumtaxat partem aurei ad ſummum capiant licet.

Quæ Titulo huic deſunt ex ordine Conciliorum Prouincialium videntur in titulo ſeq. & de Meretricibus. De Hiſtrionibus, &c. De Immoderatis ſumptibus. De Patribus familias, & Ludimagiſtris.

De Adulteris, Concubinarijs, Fornicarijs, eouè nomine ſuſpectis: deque occaſionibus eodem in genere peccandi tollendis.

SVMMARIVM.

Concubinarij publici quando ad pœnitentiam, & communionem, admittendi.

1 *Iidem legitimè admoniti, ſe non emendantes, vt plectendi.*

2 *Vtque contrà eos ab Epiſcopo procedatur.*

Clericorum Concubinariorum quæ pœnæ. De Vita & hon. Cler. 106.

Fornicarij notorij, quibus etiam pœnis ſubijciuntur. Ibid. 108.

Concubinariorum nomina viſitationis tempore à Parocho exhibenda. De Viſitatione, nu. 39.

A Viſitatoribus etiam inquirendum an ijdem in Parochijs ſint. Ibid. 25.

3 *Ignotus homo, qui mulierem, ſub aſſerto coniugis nomine ſecum duxerit, quo teſtimonio permittendus à Parocho in ſua Parochia habitare.*

4 *Cohabitatio ſuſpecta maris, & fœminæ ab Epiſcopo, & Parocho prohibenda.*

5 *Peccandi occaſionibus, & nocturnis excubijs ab eiſdem proſpiciendum.*

L Concu-

1 CONcubinarij, legitimè admoniti, si concubinas non eiecerint, abduxerintque se omninò ab earum consuetudine; contrà eos Episcopus, etiam Tridentini Concilij auctoritate, excommunicatione, tùm alijs præterea pœnis seuerè agat. 2. Tit. 1. dec. 29. Sess. 24. ca. 8. de refor. 6. Qnę ad Matr. pert.

2 Graue concubinatus crimen est: propterea- De Constit. nu. 11.
que quàm ingens in eo funditus conuellendo sollicitudo, & quàm longè omnium deligentissima cura Episcopi esse debeat, cùm Canonum leges, sacrique Oecumenici Concilij Tridentini decreta iubeant; tum verò Pij Quinti Pontificis Maximi Apostolica sanctio iàm pridem edita perspicuè ostendit.

Qua sanctione sanctæ obedientiæ virtute illud iussum est, vt quæ contra Concubinarios eiusdem Concilij Tridentini decretis constituta sunt, in ijs ipsis omninò, inuiolatèque exequendis, Episcopi in sua quisque Diœcesi diligenter, sanctèque inuigilent: Deo, Romanoque Pontifici rationem reddituri, si in eo turpi crimine radicitus extirpando negligenter, aut remisse se gesserint. Quamobrem Episcopus, nemine etiam postulante, aut accusante, ex officio, sine strepitu, & forma iudicij, solaque facti veritate inspecta, contrà istiusmodi Concubinarios, cuiuscumque status, ordinis, dignitatisque illi sint, seuerè, agat: proindeque pœnis sacrorum Canonum iure, Summorum Pontificum Constitutionibus, Conciliorumque auctoritate sancitis, & alijs præterea etiam pecuniarijs, arbitrio suo, grauiter puniat. Quos autem ter admonitos in contumacia persistere animaduerterit, eos non solum alijs pœnis; sed excommunicatione etiam ex eodem decreto Tridentino afficiat. Conc. Rom. sub. Nic. 1. in fi. Conc. Lateranen. sub Leone X. ses. 9. de ref. curię, & aliorũ, vers. Concubinarij.

3 Ne patiatur Parochus, quempiam cuiusuis gradus, & conditionis hominem, qui sibi ignotus, in suam Parochiam ab aliena Diœcesi cõmigrat, cum muliere, quam secum coniugis nomine duxerit, in ea habitare, si modo vel ex infamia, vel alia legitima suspicione conijcere possit, illam habere in Concubinam: nisi Parochi, à cuius Parochia discessit, litteris, certo præscripto tempore, testatum ille fecerit, sibi illam legitimo matrimonio iunctam esse. Quod testimonium scriptum vbi attulerit, id in vrbe Episcopo, in Diœcesi Vicario foraneo exhibeat: qui si probandi vim illud habere perspexerit, à Parocho, in cuius Parochiæ fines is venit habitatum, illud, eiusuè exemplum in matrimoniorum Codice asseruari iubeat. 3. De ijs, quæ ad Matr. sacr. pert.

Si verò Vicarius foraneus de eo scripto aliquid habet, quod sibi difficultatem, ancipitemque deliberandi curam afferat; illud ad Episcopum quàm diligentissimè mittat, vt eius iudicio declaretur, an illi fides adhi-

adhibenda sit.

6. Quæ ad Matr. pert.

4 Pastoribus non solum pericula propellenda sunt; sed etiam omnis periculosa peccandi occasio pro Pastoralis officij munere eripienda est. Quamobrem, cùm quæ facile existere possent fornicationes, incestus, & flagitia, vniuersaque carnis vitia, re alia planè nulla facilius, quàm fuga, adiutrice in primis diuina gratia, superatur: Parochus, vt diligentissimè poterit, & Episcopus in primis, tùm auctoritate sua, tùm etiam si opus erit sæcularis magistratus ope implorata, id maximoperè curet, vt nè cum fœmina, quocumque vel arctissimæ propinquitatis gradu coniuncta, mas simul cubet, etiam si ambo puerili ætate sunt; ità tamen grandiusculi, vt aliqua inde suspicio, periculum, occasioue impuri flagitij committendi existere possit.

Nec verò proprietatis, angustæue habitationis excusationi locus facilè relinquatur, quo minùs istiusmodi impuritatum occasio omnis præcidatur, cùm humi potius, atque adeò subdio iacere satius esset. Parochi autem tota hac de re officium intercedat, qui & consilium det, & opem præsentem, vt accuratissimè potest, tantæ impuritatis periculo præstet.

5 Eam ipsam curam Episcopus, & Parochus ponant in eripiendis morum corruptelis, flagitijs, peccatis, peccandive occasionibus, quæ grauissima cum Dei offensione existunt ex nocturnis illis excubijs, quę rusticorum concursu, iuuenili turpium verborum licentia, & promiscua marium, fœminarumque turba hyeme in stabulis passim fieri solent.

De Meretricibus, & Lenonibus.

SVMMARIVM.

1 *Meretricum qualis amictus.*
2 *Tabernis meritorijs, quibusque cauponis illis interdicitur.*
3 *Iis certus, & remotus locus assignandus.*
Quo assignato, illis domum locans, excommunicandus. 6.
Eas item in cauponis alens ad quæstum, vt puniatur. 7.
4 *Ornatus omnis illis prohibetur.*
5 *Lenones exterminandi.*

Vt

1 VT meretrices ab honestis mulieribus omninò internoscantur, curent Episcopi, vt aliquem amictum palam indutæ sint, quo earum turpem cõditionem, & vitam omnes notam habeant. 1. De Meret. & Len.

Neve eisdem liceat, etiam si aduenæ sint, in meritorijs tabernis, vel publicis cauponis pernoctare, vel commorari, nisi itineris causa, idque vnum diem tantum.

3 Curent etiam in vnaquaque Ciuitate locum eis adsignandum, ab hominum frequentia, & à maioribus Ecclesijs remotum, vbi omnes habitent ea lege; vt, si extrà eius loci fines domum, eiusve partem conduxerint, vel in quacumq; domo quauis de causa amplius vnum diem habitauerint, & ipsæ, & domini; seu locatores seuerius puniantur. Quam rem quàm primùm efficiendam Principes, & magistratus pro sua pietate suscipient.

4 Ab ijs etiam petimus, vt huiusmodi impudicis mulieribus omni gemmarum, auri, argenti, & serici vsu interdicant.

5 Omnesque qui lenocinio quæstum faciunt, ex suis finibus exterminent.

6 Vbi certus locus meretricum habitationi præfinitus, constitutusq; est, cum extrà eius fines eas habitare non liceat, si quis cuiquàm earum alio, quàm præstituto eo loco, domum, domiciliumve, locarit, excommunicationis pœna contrà eum agatur. 5. Quæ ad Matr. pert.

7 Prostitutas fœminas, meretricesve in cauponis, diuersorijs, ganeisque ad quęstum alere, cùm id & graui Dei offensione, & magno animarum detrimento, & disciplinæ Christianę iniuria fiat, hoc decreto prohibendum censuimus. Quare nè quisquam vel caupo, vel tabernarius, vel qui cœnaculariam facit, illas in ipsis cauponis, ac diuersorijs habeat, alatve ad turpem quęstum.

Qui contrà fecerit, post huius decreti promulgationem in eius Parochiali Ecclesia factam, tamquam is, qui in statu damnationis notoriè versatur; præmissa monitione, interdicti pœna afficiatur, & alijs præterea etiam grauioribus arbitratu Episcopi.

De Histrionibus, Mimis, Circulatoribus, Tabernis meritorijs, & aleatoribus.

SVMMARIVM.

1 *Histriones, Mimi, Circulatores* } *eiciendi: & eos recipientes puniendi.* 2.

Circula-

Circulatores non permittendi in foris Ecclesiarum diuinorum officiorum tempore versari. De festorum dierum cultu, 13.

2 *Ganeæ* } *tollendæ.*
Tabernæ meritoriæ }
Aleatores publici
3 *Illisq; domum exponentes* } *grauiter puniendi.*
Præsentes.
4 *Horum nomina, Visitationis tempore, deferenda.*
5 *Otia, vt tollenda.*

1. De Histrionib. &c.

1 DE his etiam Principes, & Magistratus commonendos esse duximus.

Vt histriones, & mimos, cæterosque circulatores, & eius generis perditos homines è suis finibus eijciant; & in caupones, & alios, quicumque eos receperint, acriter animaduertant.

2 Vt ganeas, & tabernas meritorias, omnis nequitiæ sentinas, e Prouincia tollendas curent.

Quod, si quæ ferendæ videbuntur, iubeant neminem in eis hospitio recipi; sed tantùm vinum, & edulia venalia proponi.

3 Et, quoniam vsu compertum est, ex aleæ ludo sæpè furta, rapinas, fraudes, blasphemias, aliaque id generis flagitia proficisci, prohibeant taxillis, aut alea ludi: & grauiter in publicos aleatores, & in eos, qui huiusmodi ludis intersunt, quiuè domum ad recipiendos ludentes expositam habent, animaduertant.

4. De Visit. 4 Talis, aleauè ludentium, aut istis domicilia exponentium.

1. Ibidem. 5 Maximè verò efficiant, vt bonis artibus, vel instituendis, vel renouandis, otia, quantum fieri poterit, è Ciuitatibus tollantur.

De Cauponis, & Hospitatoribus.

SVMMARIVM.

1 *Episcopus* } *has monitiones cauponi faciat.*
Parochus }
2 *Vt blasphemos, concubinarios, aleatores, nebulones, impudicos eiiciat, quosque eorum loco admittat.*
3 *Vti in cauponæ vestibulo, & cubiculis, sacra imago ponatur, & prohibita tollatur.*
4 *Nè lenones, meretrices, histriones, mimos, &c. diutius hospitari patiatur.*

Vt

5 *Vt Ecclesiastici separatim excipiantur ab alijs.*
6 *Vt hæreticos denunciet; & diebus ieiuniorum illis cibos vetitos non præbeat.*
7 *Vt mensæ benedici curet.*
8 *Ne virum, & mulierem simul cubare sinat.*
9 *Vt Parochum certiorem faciat ægroti in hospitio existentis.*
10 *Vt in reliquis Christianè se gerat.*

1 OFfensionibus, & peccatis, quæ in cauponis committi solent, Pastorali etiam cura, & officio occurrendum est; vt ereptis corruptelis, salutariter consulatur vitæ Christianæ moribus. Quamobrem, cùm Episcopus, cuius officium est in omnium cuiusuis generis hominum curam incumbere; tùm Parochus etiam, si quas, vel cauponas, vel tabernas intrà Parochiæ suæ fines habet, quàm sæpissimè ijs, qui cauponariam, tabernariamvè exercent monita proponat, quæ infrà eorum vitæ Christianæ, Christianisque moribus præscribuntur ad eorum salutem procurandam. 6. Quę ad Matr. pert.

2 Primùm igitur caupo non solùm familiæ suę, sed etiam hospitibus peregrinis, alijsuè, quos hospitio exceperit, & verbis, & vitæ exemplis, & humanitatis officijs prodesse studeat; ità vt eius familia, quiq; in famulatu ipsius sunt, cęteris pietatis, castitatis, modestiæque specimẽ, atque indicium dent. Proinde impudicos homines, eiusve infamiæ nota inquinatos, blasphemos, concubinarios, eiusve nomine suspectos, aleatores, publicosve lusores, & id generis nebulones, qui aduenas, atque hospites dolis, fallacijsque decipere solent, è familia, domoque sua eijciat: quorum loco in familia, famulatuque pios homines discipli næ Christianę studiosos habeat, qui aduenas ad orationem vesperti-nam inuitent: quam is domi suæ curet nullo vmquàm pacto stata hora prętermitti.

3 In cauponę vestibulo, porticuve, & in singulis prętereà cubiculis sacram imaginem apponere nè omittat: profana autem omnia, ac turpiter, obscœnèque inscripta, pictave, inde amoueat omninò.

4 Ne lenones, meretrices, histriones, mimos, & cęteros malę conditionis homines, nugatoresve, apud se diutius hospitari patiatur.

5 Religiosos, & Ecclesiasticos homines ad se diuertentes separato, si commodè poterit, pręsertim à fœminis hospitio, mensaque excipiat: in honore habeat, nec verbis, pactisve violari patiatur. Pauperibus item se talem prębeat, qualem se prębere Christianum hospitem decet.

6 Hęreticos verò, si quos diuertisse animaduertet, illicò denunciet,

nec

nec vllo pacto, feria sexta, & Sabbatho, alijs item præscriptis diebus vlli vetitos cibos, quouis prætextu præbeat.

7 Mensę initio ab hospite, vel ab aliquo familiari benedici curet, adhibita in fine etiam gratiarum actione.

8 Ne virum simul, & mulierem cubare sinat, quos suspiceatur matrimonio copulatos non esse.

9 Si quem, dùm in caupona versatur, in febrim, morbumue incidere contigerit, de eius ęgritudine statim Parochum certiorem faciat, qui illũ inuisat, & spiritualia remedia eidem quàm primùm adhibeat.

10 Caupo denique Christianus, ità in hospitij munere agat, vt æquitate, sinceritate, & charitate vtatur, & per opera iustitiæ progrediens, damnationẽ æternã fugiat, ac in æterna tabernacula recipi mereatur.

De immoderatis sumptibus, luxuque, ac vano & superfluo ornatu coercendis.

SVMMARIVM.

1 *Sumptus immoderati, quibus in rebus, magistratus opera, coercendi.*

2 *Fucus*
Cincinni
Inaures
Caudatæ vestes } *Parochorum persuasionibus deponenda.*

1. De Immoder. sumpt. coerc.

1 Opiosis, & locupletibus illud semper propositum esse debet sancti Ioannis Apostoli, si quis habuerit substantiam mundi huius, & viderit fratrem suum necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in illo? Vnde facilè intelligunt, quam facultates suas ad pauperum difficultates, & necessitatem subleuandam conferre debeant. Quamobrem magnopere cauendum est, nè subsidia pauperum in superuacaneos sumptus, & inanes delitias effundantur. Proinde admonemus, & enixè hortamur Principes, & Magistratus, vt effusam impensam, & omnem intemperantiam, certis legibus coercentes, modum statuant non solum quotidianis epulis, atque conuiuijs, verùm etiam vestibus, equis, rhedis, famulis, alijsque non necessarijs apparatibus; & denique omni, & domestico, & externo ornamento,

ornamento, & instrumento moderationem adhibeant. Qua pecuniæ effusione sublata, innumerabilibus malis, quæ inde ortum habent, occurretur. Quod facilius etiam fiet, si principes ipsi, quorum mores, & viuendi rationem populi plerumque imitari solent, non modo leges proposuerint; sed etiam, quemadmodum legibus parendum sit, exemplo docuerint.

2 Parochi singuli, quàm maximam possunt, in eo sollicitudinem, persuadendique studium adhibeant, vt omnem luxum, cincinnorum ornatum, inaures, quod signum diaboli sanctus Augustinus nominat, fucum, & vestes in primis, quas caudatas dicunt, Parochiæ suæ mulieres omninò deponant. Qua in re persuadenda argumentorum vim, rationumque momenta sibi comparent, cùm ex sancti Ambrosij, Patris nostri, illarum luxum grauiter exagitantis, libris, tùm ex sancti Chrysostomi, aliorumq; Patrum monimentis, in primisque ex Homelia, quam eo de genere grauissimam vir doctissimus, idemque religiosissimus, Iacobus Vitriacus S. R. E. Cardinalis olim habuit. 5. Quæ ad Matr. pert.

Hoc autem omne vsque adeò ab Ecclesia vetitum esse, ille ipse affirmat, vt si caudatæ ad Ecclesiam accederent, sacra communia interdicerentur.

De Patribus familias, & Famulorum Dominis.

SVMMARIVM.

1 *Patres familias Dominiq; quæ curent in sua familia optimè regenda.*

2 *Domesticæ institutionis regulæ populo à Parocho aliquando explicandæ: quidque ab eodem cum officinarum dominis agendum.* 4.

3 *Eo in officio quid item à Concionatoribus, & Confessarijs præstandum.*

Patres familias hora ab Episcopo præscripta, domi cum sua familia orent. De oratione. 4.

5 *Idem quando à Parocho in Ecclesiæ Parochialem conuocandi: quæque illi tunc ab ipso edocendi.* 6.

7 *Patres familias Dominique* } *quid à sua familia, famulisue præstari curent.*

Puerorum licentiæ, qua ratione ab Episcopo occurrendum. De ludimagistris. 14.

Famuli, filiique à parentibus & Dominis permittendi festis diebus Missæ sacro interesse. De Missis sine cantu. 72.

3. De ijs, quę ad Matr. sacr. pert.

SIcut vberrimum ab optima institutione præmiũ paterfamilias capiet, quicumque liberos, familiamque suam ad Dei cultum, & ad pietatis, Christianarumque virtutum disciplinam erudierit: ità quicumque debitum hoc paternæ curæ officium neglexerit, vel prætermiserit, is expectet, vt in die Domini sibi durissimum iudicium fiat.

De familiæ igitur suæ salute in primis sollicitus, tum bonorum operum exemplo, tum crebris cohortationibus se ei magistrum præbeat, ac ducem ad piè, sanctèque agendum.

Curet autem, vt nemo quisquam de familia sua sit, qui Christianæ fidei rudimentis instructus non sit, siue filij, filiæque sint, siue serui, & ancillæ, siue alij in famulatu suo. Quam ob causam ad illius scholas, quos de familia sua rudes norit, conuenire iubeat; sique eam ampliorem habet, domi etiam instrui studeat; idque ad præscriptas interrogationes paruuli libri, eo nomine editi ad Prouinciæ vsum.

Vt statâ hora, datis institutæ orationis communis signis campanarum sono, illa omnis certo loco congregata, ad præscriptum temporis spacium, sanctè oret, & precetur.

Vt frequenter illa vniuersa confiteatur, & sacram Eucharistiam sumat.

Vt singulis diebus Missæ sacrificio intersit; aut saltem in vigilijs, statis ieiuniorum temporibus, Quadragesimæ diebus id præstet; festis autem diebus vt nè quis de sua familia interesse vllo modo omittat.

Vt festis præterea diebus ad sacras Conciones, lectiones, supplicationes, diuina officia, aliasque pietatis Christianæ exercitationes conueniat.

Vt nè quis, ijs sacris diebus opus seruile faciat.

Vt vigilias, & quatuor Temporum, & Quadragesimæ, & alia statâ ieiunia illi in familia seruent, quibus Ecclesiæ præcepto iussum est.

Quo autem tempore, vel Iubilea celebrantur, vel supplicationes publicæ processionibus fiunt, familiam sępè moneat, illis sanctis actionibus piè interesse.

Certis item piorum hominum institutis sodalitatibus vnumquemque de familia sua adscribi admoneat; quo se quisque ardentiori studio exerceat in operibus pietatis.

Nè patiatur in familia esse quempiam, qui blasphemus sit, qui periurus; qui item corruptis moribus vtatur, qui obscœnè quicquam, vel loquatur, vel agat, qui aleis ludat, qui denique cæteris turpis vitæ exemplum præbeat.

De

De vitę prętereà spiritualis ratione, & pijs exercitationibus, aut de vitis sanctorum probatos, Sacerdotis Confessarij iudicio libros, in quorum lectione familia aliquãdo versetur, domum suam introducat, exclusis obscœnè, turpiter, iocosè conscriptis, alijsque id generis libris, vnde morum, institutionisque corruptela existere possit.

Vt autem in domesticæ disciplinę, institutionisque officijs illa omnis accuratius se contineat, eam aliquando paterfamilias recognoscat, inspiciatque in primis, quę vniuersę suę domus Christiana institutio, qui singulorum mores, quę ad pietatis, vitęque spiritualis progressio.

Quicumque verò mercaturam, artemque aliquam exercent, non domi solum; sed in suis officinis, & tabernis Christianę vitę rationes has operarijs, institoribusve suis constituant.

2 Has domesticę institutionis regulas Parochus per annum aliquando, prout è re esse viderit, frequenti populo explicet: tùm sępissimè, & publicis sermonibus, & priuatis colloquijs, patresfamilias, Parochię suę incolas, id moneat, atque hortetur, vt quę eorum propria officia sunt, & munera, in familię institutione ea prestare velint paternę curę studio.

3 Quod cohortationis officium etiam Concionatores, & Confessarij Sacerdotes quàm frequentissimè, prout opportunum esse censuerint, charitatis zelo prestent.

4 Parochus prętereà, vbi aliquando in artificum, mercatorumve officinis, quę intrà fines Parochię suę sunt, ab operarijs, alijsve, qui illic artem exercent, aliquid committi intellexerit, quod deprauatę, dissolutęque disciplinę sit, quod offensionem in Parochia prębeat; quodque à Christianę institutionis moribus alienum, id officinarum dominos admoneat, vt quicquid illis locis corruptelarum est, inde eripiatur.

5 Quò studiosius populus in officijs Christianę pietatis instituatur; ex diuinęque legis prœceptis institutum vitę genus sequatur; id Parochus prestet, vt aliquando incunte prœsertim Aduentu, & Quadragesima, patresfamilias, suæ Parochiæ omnes, ad Ecclesiam Parochialem conuocet, hora, quam commodam is censuerit. 4. Quæ pert. ad Matr.

6 Qui in patrum familias conuentu, tum Constitutionem in Concilio tertio Prouinciali de patrum familias officio, familięque institutione editam, de scripto legat, singulasque eius partes explicet; tùm alia prętereà doceat, quę opportuna existimauerit, quibus illi se, familiamque suam in Christianę vitę disciplina conforment, ex prescripto etiam regularum, & institutionum, quę eo nomine auctoritate nostra edentur.

7 Nulla est amplior hereditas, nec prœclarius patrimonium, quod 5. Quæ ad Matr. pert.

parentes suis liberis relinquere, neque maius precium, honestiorem q; mercedem, quam domini ijs, qui sibi in seruitute operam dant, pro fideli eorum famulatu tribuere, ac persoluere possunt, quàm si effecerint, vt boni Christiani euadant, quæ virtus omni terreno thesauro multo preciosior est censenda. Quamobrem qui in aliqua domo, atque familia duces sunt, curabunt diligenter, vt omnes, quicumque suo sub imperio, & ditione viuunt, ieiunia colant, diuini verbi prædicationem crebrò audiant, sacramentis frequenter vtantur; & omnia demum veri Christiani officia exerceãt: famulorum autem domini non solum diebus festis tantum eis liberi temporis concedere curent, vt eiusmodi officijs vacare possint, sed crebris item eos, ac paternis hortationibus excitare non desistant, nè in studio eiusmodi tam salutari, segniores, neque negligentiores existant: in quo si parentes ipsi, aut domini suo officio in his defuerint; proculdubio expectent fore, sibi vt ante seueriſſimum Christi Domini tribunal culpæ tribuantur omnia, quæ liberi, vel famuli non cõmisissent, si suas illi partes, in hoc, alijsque eiusmodi decretis præscriptas, sibique maximè debitas, præstitissent. Atque id quidem multò magis timendum illis erit, qui aliquo modo impedierint, quo minùs pia suprà scripta, & alia huiusmodi officia persoluantur: contrà quos agat Episcopus pro culpæ ratione. Quod sequitur, vide in Tit. de Ludimag. Ibi. His temporibus.

De disciplina Christiana militum.

SVMMARIVM.

1 *Militum Christianorum vitæ disciplina qualis: eaque in re quod Episcopi officium, cum illorum præfectis. 5.*
2 *Imago sacra in eorum stationis loco ponenda.*
3 *Sacerdos deligendus, cuius monitis, in militia spirituali se exerceant.*
4 *Ab obscænorum librorum lectione abstinentes, in quibus se occupent.*
6 *A quibus alijs abstineant.*
7 *Confratriæ inter ipsos milites instituendæ.*
Milites à fide dissidentes, nè in hæc loca veniant Principum officium.
De Hæreticis. 12.
Vbi venerint, quid ab Episcopo curandum. Ibid. 13.

Chri-

1 CHristianorum militum disciplina his temporibus eò prolapsa est, vt in multis Dei offensionibus, quæ à militum corruptelis existunt, operæpretium etiam sit inuigilari Episcopalibus monitis. 6. De disciplina Christ. Militum.

¶Vbi igitur militum præsidium constitutum est, illud cum eorum ducibus, præfectisue Episcopus studiosè, paternaque charitate agat, vt illi in militari statione constituti, piæ, Christianæque vitæ institutis congruenter viuant; cùm præsertim in militum Christianorum laude positum sit, vt pietatem in primis, & religionem erga Deum obseruent, atq; colãt.

Quod ergo ad pietatis vsum, atque officium attinet, id omne maximè curetur.

Vt Doctrinæ Christianæ rudimentis milites rectè instituantur.

Vt frequenti Sacræ, & Confessionis, & Communionis vsu se ad benè viuendum communiant.

Vt quotidie & manè, & vesperi certa statà hora Deum precentur.

Vt Rosario quotidiano Beatæ Mariæ Virginis, quod militibus bello contrà Turcas susceptò olim præscriptum fuit, religiosè vtantur.

Vt singulis diebus manè in statione communi collecti litanias recitent.

2 Vt stationis loco sacram imaginem Beatæ Mariæ Virginis, aut Sancti alicuius, quem Patronum sibi, atque intercessorem in cœlis delegerint, ob oculos propositum habeant.

3 Vt Sacerdotem item habeant spiritualis vitæ amantem Episcopi iudicio delectum, cuius monitis in militiæ spiritualis exercitationibus cursum teneant.

4 Vt in otio militari à librorum obscœnorum, quique Christianos viros non decent, lectione abstineant; sed martyrum vitis legendis, in quibus fortitudo, ac virtus verè militaris elucet, totos sese occupent, cùm per occupationes militares possunt.

5 Illud verò etiam maximè Episcopus cum militum præfectis valdè agat, vt ieiunia, & ciborum delectum ex præcepto Ecclesiæ seruent; à blasphemijs omninò abstineant, quas radicitùs extirpare ille omninò conetur, cùm militis Christiani officium proprium sit, etiam sanguinis profusione tueri gloriam Dei, sine cuius diuina ope nihil reliquum militi Christiano est, quod gloriosum esse possit.

6 Vt à furto, rapinisue abstineant, idque planè eis persuadeat, eius generis criminibus perpetuam infamiam inuri militi.

Vt denique detractiones, mendacia, ingluuiem, aleam, luxuriam, pompamque abhorreant; sed omnes virtutum Christianarum partes exequantur, quę cùm in omni disciplina, tùm in re militari splende-

ſcunt, vtilitatesque vberrimas ſalutariter afferunt.

7 Atque ob has quidem cauſas inter illos pias Confratrias inſtituere Epiſcopus curet.

De Vſuris, & Vſurariis.

SVMMARIVM.

1 *Vſuræ delictum reprimitur.*
2 *Vſura in mutuo*
& Depoſito. 5.
3 *In Cambijs*
4 *In venditione, & emptione*
5 *In pignore*
6 *In ſocietate*
7 *In ſoccidis animalium*
8 *In locationibus animalium*
9 *In contractibus libellarijs*
vt committitur.
10 *Hi omnes vſurarij contractus irritantur.*
11 *Principes, Magiſtratusque ad compeſcendas vſuras, hortantur.*
Vſurarij quando ad communionem non admittendi. De ſanctæ Euch. in Eccl. adminiſt. nu. 11.
Quando non abſoluendi. De Confeſſario. nu. 16.
12 *Vſura ficto meri depoſiti, & liberæ emptionis nomine, vetatur.*
13 *Vſurarius manifeſtus Eccleſiaſticæ ſepulturæ minimè tradendus.*
14 *Quæ ſodalitates, & pia loca mutuò dare prohibentur.*
A montibus pietatis quid capi poſſit ratione mutui. De piorum locorum admin. nu. 68.
15 *Vſuras à montibus pietatis exigere vetitum.*
Decreta ad Montes pietatis ſpectantia obſeruari mandatur.
Vſurarei an adſint à Viſitatoribus inquirendum: eorumque nomina à Parocho eidem ſignificanda. De Viſitatione. nu. 25.

1. De Vſur. 1 VSuram ad perniciem populorum latius manantem pro noſtri muneris cura reprimere cupientes, quædam huius generis delicta ex ſacrorum Canonum, & probatorum Patrum ſententijs delegimus: quæ quoniam frequentius in hac Prouincia committi animaduertimus, ea præcipuè, ac nominatim prohibenda duximus, eo conſilio, vt, ſi quis in alijs etiam eiuſdem generis vetitis contractibus deliquerit, pœnas à iure conſtitutas ſibi ſubeundas eſſe intelligat.

Ex

2 Ex mutuo vel depositis, etiam apud Iudæum factis, nihil præter sortem à quouis homine percipi ex conuento, vel principaliter sperari possit; tam etsi pecuniæ ipsæ sint pupillorum, aut viduarum, aut locorum piorum, vel etiam dotales; nisi quatenuis id iure nominatim permittatur. Cap. salubriter de vsur.

Si quis oblatas re ipsa, loco, & tempore pecunias, etiam dotales, sibi debitas, accipere recusauerit; nihil præter sortem, etiam ratione dãni emergentis; vel lucri cessantis, vel ex quacũq; alia causa accipere possit.

3 Ne fiant cambia, cùm litteræ ad destinatum locum verè non mittuntur, & ibi non fit solutio; sed vno, & eodem loco pecunia datur, & recipitur; vel quando dantur, & accipiuntur pecuniæ cum eo pacto, vt habeatur recursus ad domum, vel ad respondentem dantis, aut accipientis, quod pactum vulgò vocatur *la ricorsa*: atque ità impensæ, aut alterius rei onus imponitur.

4 Nè cui liceat cum altero ità contrahere, vt is totam pecuniæ summam ei, qui dederit, soluat; cùm ille partim pecunia dederit, partim nominibus, quæ difficilè exigi possint, vel in rebus pluris quàm valeant, æstimatis.

Ne cui, præsentem pecuniam quærenti quidquam carius vendatur, vt statim ab venditore per se, vel per interpositam personam vilius ematur.

Nè quis rem aliquam, ob dilatam solutionem carius vendat iusto pretio.

Ne ob anticipatam solutionem res minoris ematur iusto pretio, uel soluatur minus, quàm debeatur.

Ne res uendatur, dilata in tempus solutione, ità, ut pretium quod interim rei accreuerit, venditori soluatur, si eiusdem periculo non sit diminutio.

5 Nè res modico pretio pignori detur, vel vendatur pacto redimendi intrà certum tempus; vt si ad dictum tempus res redempta non sit, res libera sit emptoris uel eius, qui pignori accepit.

Ne frumentum, uinum, oleum, aliudue detur, ut eo, quod datum est, aliquid amplius exigatur, siue eiusdem generis, siue alterius quomodocumque etiam, si operæ sint.

Ne quis mutuo det frumentum, uel id genus aliud corruptum, ut tantumdem integri carioris reddatur; etiam si restitutio differatur in quodcumque tempus debitori commodum.

6 Ne in societate, in quam alter pecuniam confert, alter operas; lucri distributio constituatur, nisi, per quotas partes.

Nec ultra eas, certa pecuniarum summam, uel quid aliud conferenti pecuniam, persoluatur.

Neque fiat pactio, ut sors salua sit; fructus uerò communiter diuidantur.

7 In societate animalium, quæ inæstimata alicui dantur ad custodiam, siuè ut operas præstet, omnes casus etiam fortuiti, semper sint periculo eius, qui dederit; nisi id alterius socij dolo, vel magna negligentia accidisse constiterit.

Nec fiat pactum, ut sors sit semper salua, etiam ex primis fœtibus. Neuè quidpiam certum, præter sortem, ex fructibus animalium quotannis soluatur.

8 Et in locationibus animalium, quæ fiunt certo pretio, si illa absque dolo, aut negligentia eius, qui conduxit, deteriora fiant, id semper sit damno eius, qui locarit.

Si autem animalia dentur æstimata, ità, ut sors danti salua sit, nihil omninò percipi possit.

9 Nè fiant contractus, qui libellarij, seu ficti libellarij dicuntur, ubi non antecedat emptio certæ rei immobilis pretio iusto uel ubi uenditor redimere cogatur; uel vbi non possit redimere; nisi post certum tempus.

Vel ubi annuus census, ad cuius solutionem res obligatur superet æstimationem fructuum, quos ex ipsa re dominus solet, aut potest percipere.

Et si loco pecuniæ uinum, frumentum, uel quid aliud in singulos annos promittatur; illud ad pecuniæ, & iusti pretij rationem redigatur pro consuetudine locorum.

10 Si qui autem in aliquo ex his casibus, aut alijs, qui usuram sapiũt, & à iure, vt iniqui, prohibentur, contraxerint, ipsi contractus etiam iureiurando muniti, nulli, irriti, & inanes sint.

Contrahentes uerò, tabelliones, qui instrumenta confecerint, proxenetæ usuratum, aut lucri participes, ministrique omnes horum scelerum & pœnis, iure statutis, & Ecclesiasticis censuris puniantur.

11 Hortamur verò Principes, & magistratus, vt ipsi etiam huic pesti, quibus maximè poterunt, remedijs occurrant.

2: Tit. 1. dec. 19. 12 Superioris Prouincialis Concilij constitutione, etsi contractus depositi, ex quibus aliquid ultrà sortem percipitur, tum reuenditionis, quæ modico pretio fit, adhibita redimendi pactione, tum alios præterea quosdam contractus ex sacrorum Canonum iure, & probatorum patrum sententijs, tamquam manifestè usurarios improbauimus: tamẽ quoniam sæpe, ficto meri depositi, & liberæ emptionis nomine, quasi liciti contractus speciem, usuræ occultantur; idcircò, & cum eis qui eiusmodi contractuum, aliorumue specie, qui uetiti sunt, usuram commiserint, & cum Notarijs, qui scientes rogati conscripserint,

prout

prout iuris est; agatur.

13 Ne Parochi vsurarium manifestum, vt Gregorij X. Constitutione sancitum est, etiam si in testamento, aliaue quadam vltima voluntate ipse mandarit ea restitui, quæcumque vsuræ nomine acceperit, in sepulturam Ecclesiasticam tradant; nisi pro eorum facultatibus, re ipsa illis satisfactum fit, à quibus vsuras exegerit; aut si ij absunt, Episcopo, Vicariouè eius, vel Parocho, intrà cuius Parochiæ fines ille, dum vixerat, habitarat, vel Notario publico de restitutione cautum sit pignoribus, aut idonea sponsione facta. Qui verò Parochus id generis hominem sciens sepelierit; is nouerit se excommunicationis pœna affectum esse, ex Clementis V. Cõstitutione, in Concilio Viennensi edita. Ibidem. Dec. 18. c. fin. de Vsur. in 6.

14 Episcopus id sedulò prohibeat, vt quæ fabricæ, Hospitalia, sodalitates, & quæ alia cuiusuis generis pia loca instituta non sunt ad pecuniam mutuò dandã; eorum administratores nè vlla causæ specie cui quàm homini, nec etiam vniuersitati loci, aut vicinijs dent mutuo. 2. Tit. 3. dec. 20.

Quod si ipsi administratores mutuo, vel dederint, vel quod grauius est, ab ijs locis sumpserint, ab earum administratione statim amoti sint, indignique censeantur, qui per sex annos illorum, aliorumuè piorum locorum administrationem gerant. Tùm etiam illorum Præfectus, quouis nomine vocetur, qui huic rei consenserit, excommunicationis pœnam subeat.

15 Nè quisquam, pecuniam apud Montes pietatis deponat, vel eidem mutuo det, vt inde aliquid, nè minimum quidem lucri, aut eius, quod interest, nomine percipiat. Qui verò eo pacto quidquam ea causa perceperit, quod Montis pietatis pecuniam vel mutui, vel depositi nomine dederit; cum eo, tamquàm cum vsurario homine agatur ad iuris præscriptum. Ibid. dec. 21.

Quæ præterea de Montibus pietatis decreta superiori Concilio sunt, ea Episcopus obseruari curet, vel diligentissimè: compellatque illorum institutiones sibi ab administratoribus ostendi, atque exhiberi.

De piorum locorum administratione.

SVMMARIVM.

1 *Hospitalia, aliaque loca pia, qua ratione administranda.*
2 *Administratores ædificia ruinosa sarcienda curent.*
3 *Onus impositum obeant.*
4 *Hospitalitatem exerceant. Fructusq; veris pauperibus distribuãt. 9. Et nè ea in re fraus fiat, quæ ratio ineunda, 10. 55.*

Quæque

5 Quæque alia ab eisdem præstanda. & nu. 6. post primum decretum.
6 Vtque compellendi, si suo muneri defuerint.
7 Administratores, esse non possint illorum debitores.
8 Iidem, antequàm munus suum exequantur, quod iuramentum præstent.
11 Malè administrantes, vt puniendi.
Quanto tempore eo in munere perseuerent. 13.
12 Administrationis rationem Episcopo reddant.
Rationis eiusdem Codicum cõficiendorum præscribenda formula. 14.
15 Et quando ratio ipsa Episcopo reddenda.
16 Et à quibus eorum liberatio facienda.
17 Liber parandus in quo decreta in Capitulo confecta, referantur.
18 Liber alter, in quo, eodem in Capitulo proposita, tàm deliberata, quàm reiecta, notentur.
19 Liber alius, in quo legata, relicta, donataue quæcumque ad pios vsus registrentur, cum oneribus illis adiunctis. 62.
Ad quorum onerum satisfactionem ab Episcopo compellendi. 21.
20 Libri eiusdem exemplum in Archiuium deferendum.
22 Libri eiusdem exemplum in Archiuium deferendum.
22 Legatorum, & onerum eorundem tabella in loco Capitulari proponenda, & qualiter concipienda.
23 Administratores ipsi bona ipsorum piorum locorũ nõ alienent. n. 21.
Ab alijs alienata, & occupata, recuperent. 2. & Quæ pert. ad bonorum, &c. nu 12.
Recuperata ad longum tempus non locent. Ibid. nu. 14.
Neque ipsi, per se, vel interpositas personas conducant. Ibid. nu. 26.
24 Quomodo quaque cautione illa locanda. 25. in fi.
25 Quibus minimè locentur.
Locatione ad longum tempus inita, qui modus seruandus, vt ipsorum bonorum memoria conseruetur. Quæ pert. ad bonorum, &c. nu. 15.
Eaque facta pactionibus de prædijs melioribus reddendis, quam vim habeat. Ibid. nu. 16.
Eorundem bonorum omnium, tàm mobilium, quàm immobilium, iuriumque & reddituum inuentarium conficiendum. Ibid. nu. 1. & 2.
Inuentarij ipsius exempla tria conscribenda, & vbi custodienda. Ibid. nu. 2.
Bona iurauè piorum locorum vsurpantes, excommunicantur. De benef. Iurisp. 10.
26 Hospitalia, piaque alia loca, præsertim in quibus hospitalitas, muneraque alia non exercentur, Episcopo per Parochum deferenda.
27 Episcopi contra contumaces agentes, à Magistratibus nõ impediendi.

Hospi-

28 Hospitalium nomine, cum eleemosyna quæritur, quæ seruanda.
29 In hospitalibus mares à fœminis separatim hospitent.
30 Hospitalia quibus mendicis non pateant.
31 Mendici verè ægroti, certo in loco eleemosynis sustentandi.
32 In hospitalibus, locisque pijs, Doctrinæ Christianæ institutum introducendum.
Hospitalium, piorumuè locorum sumptibus qui aluntur curatorib. instantibus quales se præstent, suprà nu. 6.
33 Hospitalarius qualis item sit.
34 Quæ cauebit in hospitalitate.
35 Quæ item curabit, inuestigabitque.
36 Hospitalium, in quibus infantes expositi aluntur, Curatores, quæ curent, vt lac infantibus non desit.
37 Hospitalis, pijuè, loci, origo, titulus, institutum, in tabella marmorea incidantur, eaque, vbi ad perpetuitatem collocanda.
38 Institutio ad determinatum vsum facta, ne vsum in alium vertatur.
Hospitalia, aliaque pia loca, non instituta ad pecuniam mutuò dandam, ne mutuent. De Vsuris, nu. 14.
39 Eleemosynis debitis erogandis consilium Parochi adhibendum.
40 Certi quoque viri ab Episcopo deligendi, quorum testimonio constet de paupertate illorum, quibus eleemosynæ erogandæ sunt.
41 In pauperum delectu, quæ ratio habenda.
42 Eleemosynæ in quem alium vsum non conuertendæ.
43 Reliquæ ad pios vsus relicta, in alios etiam similes vsus non auertantur, sine Episcopi facultate.
44 Eleemosynæ per capita, familiasuè distribui solitæ, veris pauperibus distribuendæ: nisi mens alia fuerit testatoris.
45 Pœna contrafacientium.
Eleemosynam dantes, quæ accipientes moneant. suprà nu. 6. in fi.
46 Distributioni eleemosynarũ, vt cõstet satisfactum, quæ ratio ineunda.
47 Distributionis tẽpus, & ratio in certũ Codicem à Parocho referenda.
48 Distribuisse non ostendentes, ad satisfaciendum compellendi.
49 Parochi, quod officium in perquirendis eleemosynarum erogandarum oneribus, in inquirendoque an erogatio ipsa integrè, sincerèque facta sit.
50 Comessationes publicæ in eleemosynis faciendis tollendæ.
51 Eleemosynarum oblationibus faciendis Musica instrumenta non adhibenda.
Eleemosynæ à puellis quorum more minimè quærendæ.
Eleemosyna ciborum, processionis tempore non distribuenda. De procession. nu. 30.

Elee-

52 Eleemosynæ tecta facie non quærendæ sine licentia, illaque qualiter concedendæ.

53 Eleemosynæ pro ijs, qui ostiatim mendicare erubescunt, quo tempore, & quibus in Ecclesijs colligendæ.

54 Collecta eleemosynarum, quando, & vbi indicenda.

55 Eleemosynarum collectas denunciandi quæ formula.

Mendici vagantes, morbum simulantes, vt admittendi, & quando ejiciendi. suprà nu. 30.

Mendici verè ægroti, certo in loco eleemosynis sustentandi, suprà. 31.

De eorum vita ab Episcopo inquirendum. De sanctæ Euchar. in Eccl. admin. nu. 4.

56 Mendici vagantes in certum librum à Parocho describendi.

57 Quæque ab eisdem Parochis circa illorum vitam obseruanda, & instructionem Doctrinæ Christianæ.

58 Legata pia non denunciantes Notarij quando excommunicati.

59 Decretum de Notarijs pia legata non denunciantibus, quando publicandum.

60 Hæredes, executoresue vltimarum voluntatum, piam testatoris voluntatem non explentes, per Episcopum cogendi.

61 Viri duo in Parochijs deligendi, qui iura piarum causarum persequantur.

62 Legata ad pios vsus in certum librum referenda. 19.

63 Legata alicui, vt pauperibus in eleemosynam conferantur, quibus non distribuenda.

64 Legata ad certum vsum, in quem alium non dispensanda.

Piarum voluntatum executio Episcopo commissa; isque quid propterea curet. De Causidicis, nu. 9.

Legatorum inquirendorum, præstandorumue, quæ Episcopi cura. Quæ pert. ad bonorum, &c. nu. 33.

Legata præstare debentium nomina in tabella redigenda. ibid.

Eaque vbi retinenda. Ibidem.

65 Fabricis Ecclesiarum bona, censusue pertinentia, in alios vsus non conuertenda.

Fabricæ ne mutuò dent: quaque pœna mutuo dantur, vbi illarum institutum non permittat. De Vsuris, nu. 14.

66 Montes pietatis instituendi.

67 Ad quam rem adiuuandam Principes, & Magistratus hortantur.

68 Ab ijsdem quid præter sortem capi possit.

Montibus pietatis mutuo ne detur, nihilque deponatur, pacto aliquid percipiendi. De Vsuris, nu. 15.

Decreta ad montes pietatis pertinentia obseruari præcipiuntur. Ibid.

Vt

1 VT pia loca omnia fideliter, diligenterque administrentur, quæ sacrum Tridentinum Concilium Episcoporum curæ, ac studio maximè commendauit, hæc mandamus, quæ illi ab omnibus seruanda curabunt. 1. de Piorum locorum admin. Sess. 7. c. 15, Sess. 25. c. 8.

Qui hospitalia, seu alia pia loca ad peregrinorum, infirmorum, senum, pauperumue vsũ præcipuè instituta, in commendam, administrationem, aut quẽcumque titulum, aut Ecclesijs suis vnita, obtinent; domos, & ædificia horum locorum ruinosa, vel disiecta sarciant, & restituant.

Quæ ab alijs occupata, aut amissa, iniustèue alienata sunt, recuperent.

3 Impositum illis onus, & officium omninò obeant.

4 Hospitalitatemque ex fructibus, illi muneri attributis, re ipsa exerceant.

5 Cæteraque omnia præstent, quæ à Viennensi, & Tridentino Concilio præscribuntur. Clem. Quia d relig. dom. Sess. 25. ca. 8. & sess. 7. c. vlt.

6 Quod officium si moniti ab ordinario non fecerint, vel per Ecclesiasticas censuras, & alia iuris remedia ad sui muneris functionẽ compellantur; vel eiusdem Tridentini Concilij præscripto eos Episcopi ab illa administratione, curauè in perpetuum amoueant.

Quibus nullo modo condonent, aut remittant eos fructus, quos contra Hospitalium institutionem perceptos, in foro conscientiæ restituere tenentur.

6 Præfectis, rectoribus ministris, aut alijs quocumque nomine nuncupatis, fabricæ Ecclesiarum, sodalitatum, scholarum, & hospitalium, piorumque cuiusuis generis aliorum locorum curatoribus, etiam laicis hæc, præter illa superioribus Concilijs edita, de ijs ipsis decreta præscribenda, & decernenda etiam censuimus. 4. Quæ ad loca pia pert.

Quicumque piorum locorum administrationem, procurationemuè suscipiunt, geruntuè, illud in primis sæpè meminisse debent, se pauperum, pupillorum, viduarum, senum, egestate, aut egritudine laborantium, peregrinorum, & aliorum id generis hominum, aliena ope egentium, prout propria vniuscuiusque loci instituta ratio est, curam sustinere, & illam quidem tanti esse, vt, cum potissimum Episcopo, tamquàm communi omnium, & eorum præcipuè miserabilium hominũ parenti, ea sacrosanctis Canonum legibus commissa sit; cùm quicquid in illos, vel misericordiæ, vel beneficij, vel operæ, vel opis, vel officij confertur; quicquid vè rursus damni, detrimenti, iniuriæue infertur; id omne Christus Dominus sæpè in Euangelio demonstret, in se collatum, aut illatum esse; ac propterea se in die iudicij, prout benè illis

factum,

factum, aut neglectum, ommissumuè in eorum necessitatibus subleuandis erit, retributurum. Quare primò ij valdè curent, vt omnibus susceptì muneris partibus satisfaciant: deinde videant, vt nihil quicquã à curæ, quam gerunt, ratione alienum, vllo modo, pactouè admittant: tùm id sollicitè studeant, vt quæ officia illis pro administrationis susceptæ munere debent, ea obeant, atque adeò præstent omni piæ charitatis affectu, ob oculos maximè in ijs ipsis proposito semper Christo Domino, cui illis, & alendis, & vestiendis cibum, potum, vestitum, aliamuè curam, atque operam ministrant.

Conc. Trid. Sess. 25. ca. 8. de refor.

Non suis, sed eorum, quorum curam susceperunt, commodis atque vtilitatibus seruiant.

Omnibus piè consulant, nec vllam partem pro susceptæ curationis, procurationisuè officio negligant.

Munus quod gerunt, sæpè sibi proponant eiusmodi esse, in quo nõ profanæ cuiusquam administrationis, negotijuè, sed sanctæ, spiritualisque actionis partes, atque officia, & Deo gratissima charitatis opera exequantur piè, religiosè, & quàm diligentissimè.

Cum capitula, congregationesuè habent, tum initio, tùm in fine sanctis precibus, & orationibus in libro officij beatissimæ Mariæ virginis, eo nomine præscriptis, vtantur.

Cùm verò aliquid aggrediuntur, quod ad curæ suæ rationes pertineat, initium à pià oratione faciant, vt quod inchoatur, benè, salutariterque succedat.

Omni denique morum grauitate, vitæ integritate, pietatis religione, & spiritualium exercitationum, Episcopo probatarum quas inter se collegiatim præstent, studijs tales se præbeant, vt eorum locorum rectam administrationem, piamque institutionem non solum conseruent; sed optimis progressionibus, Deo auctore, adiuuent, atque amplificent.

Qui locorum piorum sumptibus gratis aluntur, curanturuè, aut ad litterarum, aliarumuè artium disciplinam instituuntur, ratio postulat, pietatis studijs, atque exercitationibus eos præ cæteris deditos esse, eorumque precibus animas illorum adiuuari, à quibus illud subsidij relictum est, ad eiusmodi pij instituti sustentationem.

Quare illud eorum locorum curatores, vel præfectos, ac Sacerdotes, præsertim, qui in ijs spiritualem curam gerunt monemus, vt ab ijs, qui ibi aluntur, si legere nortint, statas de beata Maria Virgine preces horarias; si uerò rudes sint, saltem institutam illam certis salutationis angelicæ calculis, orandi rationem, scilicet de beata eadem virgine coronam in singulos dies piè præstari sedulò curent.

Qui præterea eleemosynam dant; hoc illos, qui accipiunt, sæpè nonneant;

neant; vt pro ijs, qui bona reliquerunt, piè precentur.

Id vero præstetur, cùm in locis pijs, tùm vbicumque eleemosynarũ distributio fit. Hoc sanè & Episcopo curæ sit item.

7 Qui pecuniam Ecclesijs, confraternitatibus, aut quibuscumque pijs locis debent, illorum procuratores, syndici, ministri esse, aut vllam denique eis officij, aut negotij partem administrare non possint. 1. Ibidem.

8 Administratores Ecclesiastici, vel laici piorum locorum, siuè Hospitalia, Montes pietatis, Confraternitates, Misericordiæ, Charitates, Consortia, Disciplinæ, siuè alio quocumque nomine nuncupata sint, qui nunc sunt, intrà tres menses; qui de inceps diligentur, antequam ad administrationem accedant, iurent se fideliter, & accuratè munus suũ exequuturos.

9 Fructus, qui pauperibus addicti fuerint, veris pauperibus tantum distribuant, quemadmodum cuiusque inopia, & eius voluntas, à quo bona illa profecta sunt, postularit.

10 Qua in re, nè vlla fraus fieri possit, ineatur aliqua ratio, Episcopo probanda, qua ei constare possit, in quas personas fructus illi erogati fuerint.

11 Quos autem compererit Episcopus, vel iniquè distribuendo, vel in suum commodum vertendo, vel inutilibus, & superuacaneis sumptibus faciendis malè in administratione versari; eos pro modo culpæ puniat; & ad restitutionem legitimè compellat; & ab officio etiam, si ei videbitur amoueat.

12 Quod si contrà, quam à Tridentino Concilio decretum est, nè rationem administrationis reddant, tribunal Episcopi declinare voluerint; Ecclesiasticis pœnis ab eodem coerceantur. Sess. 22. c. 9.

13 Piorum locorum procuratores, ministriuè etiam inferiores, cauendum est valde, nè diutius, quàm par est, in curatione, administrationeuè, sibi commissa, perseuerantes, rerum sibi arrogent imperium. Porrò si aliàs idonei sunt ad alia munera eorũdem locorum gerenda, eosdem transferri licebit, nisi ex illis sint, quos superioribus Concilijs certo tempore quibusdam muneribus vacare iussum est. 4. Ibidem. Sess. 25. ca. 8. de refor.

At hoc curetur omninò, vt gestæ procurationis, administratiuè muneris rationes, sæpè, diligenterque reddant.

14 Quamobrem formula præscribatur, qua, & diaria, & codices rationum non coniectos, sed in ordinem, rectèque confectos teneant; vt inde facile ducatur omnis explicata ratio, tùm accepti; tùm expẽsi.

15 Episcopus verò, etiam ex Tridentini Concilij decreto, semel saltem in anno à quibuscumque hospitalium, confratriarum, & aliorum quorumcumque piorum locorum, etiam quæ merè laicalia, & priuata sunt, præfectis, curatoribusuè retiones administrationis, curæuè repetere Sess. 22. c. 9.

tere nè omittant vllo modo.

16 Episcopus non solum, vt superioribus Concilijs cautum est, locorum piorum administrationis rationibus interfit; sed etiam liberationi illius administrationis. Quæ liberatio ab eorum locorum præfectis solùm nè fiat, sed præsente, consentiente ve Epo, aliqui si secùs fiet, rescissa sit, planèque nulla, ad Tridentini Concilij præscriptum.

6. Quæ ad Constr. pianè loca pert. Sess. 2. cap. 9.

17 Decreta, vel, quas vocant, ordinationes, in Capitulo confecta, in librum præcipuum, Capitularium ordinationum nomine inscriptum; omnes, ac singulæ à Cancellario diligenter, ordineque referantur. Quibus ordinationibus manu, quorum id muneris est, ante Capitulũ proximè futurum subscribatur.

4. Ibidem.

Tùm præterea in hoc ipso Capitulo illæ ab eodem Cancellario de libro ad verbum recitentur.

18 Codex item alius paretur: in quo præcipuè notatis singulis diebus, ordine exscribantur, quæ in vnoquoque præfectorum, administratorumue conuentu, Capitulouè proponuntur, aut aguntur: quæque rursùs proposita, ac suffragijs permissa, reiecta sunt: vt quæ deliberata, queuè repulsa sint, facile omni tempore ex illius codicis monimentis constent.

19 Librum item prȩcipuum conficiant, & habeant, in quo cùm omnia, singulaque annua legata, tum onera illis adiuncta, ordinè, distinctè, enucleatèque perscripta omninò sint.

20 Cuius libri exemplum, publici notarij manu signo, auctoritateque munitum, in Archiuium Episcopale, vbi asseruetur, eodem spacio deferant. Quod sanè omne deinceps, singulis annis perpetuò prȩtent quod ad ea legata, onerave attinet, quę ijs deinceps annis fieri contigerit, aut facta locum habere.

21 Episcopus autem omnes administratores piorum locorum, etiam quouis nomine exemptorum, ac merè laicalium, & priuatorum compellat omnibus iuris remedijs, ad singulorum onerum satisfactionẽ ijs ipsis locis incumbendo: neque vllo prȩtextu patiantur, eorum prȩdia, bonaue alienari contra summorũ pontificium litteras, & sacros Canones, & Concilia etiam Prouincialia nostra, aut contrà piam testatorum voluntatem, qui ea bona, ad certum illum pium vsum destinarunt.

22 Tabellam item publicè propositam, quo loco in Capitulum conuenire solent, perpetuò habeant, in qua pro mensium ratione, proque rerum genere, ex norma prȩscripta, ea ipsa & legata, & onera breuiter dilucideque notata sint.

1. Ibidem.

23 Ijs, qui bona piorum locorum administrant, ea si mobilia sint, vel pretiosa mobilia, vendere, permutare, in emphyteusim dare, aut quouis modo alienare; nisi ijs seruatis, quę à sacris Canonibus requiruntur,

runtur,& ex consense, atque auctoritate Episcopi, nullo modo liceat. Qui contràfecerint, Episcopi arbitrio puniantur; &, quod actum est, irritum, ac nullum sit.

24 Piorum locorum bona administratorũ arbitrio nè locẽtur; sed publicè locanda proponantur, facta omnibus conducendi potestate. 1. Ibidem.

25 Quos pijs locis aliquid debere constiterit,ijs eorum locorum bona locari nè liceat.

Qui piorum locorum bona conducere voluerit, det idoneum fideiussorem, cũ quo iure agi possit æquè, atque cũ ipso principali conductore. Aliter facta locatio, & conductio irrita, ac nulla sit.

26 Vt autem hæc, cæteraque omnia, quæ Tridentina Synodus de Hospitalibus,& alijs pijs locis statuit,facilius Episcopi præstare possint; præcipimus Parochis, ut diligenter singula, quæ in Parochijs suis sint Hospitalia,& pia loca,eaque præsertim, in quibus re ipsa hospitalitas, cæteraue administratorum munera non exerceantur; ad Episcopum quàm primùm deferant, cuius arbitrio Parochi huius officij prętermissi pœnas dabunt. 1. Ibidem.

27 Rogamus autem principes, & magistratus omnes, ne Episcopos suo officio fungentes, & contrà contumaces iure agentes impediant; sed ea,qua decet,pietate,eos omni ope, & auxilio iuuent. Ibidem.

28 In petendis eleemosynis,Hospitalium,& aliorum locorum piorũ nomine, hæc præcipuè seruari iubemus.

Vt in illis Hospitalibus,& pijs locis re ipsa,quę debetur hospitalitas, & opera exerceantur.

Vt ea loca sint in illa Diœcesi, in qua eleemosyna petenda sit; neq; ea ad utilitatem eiusmodi locorum alienæ Diœcesis conuertatur.

Vt,qui petet, sit eiusdem Diœcesis.

Sit bonæ existimationis.

Non fuerit ex numero quæstorum,quos damnauit sancta Tridentina Synodus.

Illud officium gratis, uel constituta certa mercede præstet, necullo modo particeps sit eleemosynarum.

Ab Episcopo eiusdem Diœcesis scriptam licentiam, quotannis renouandam, impetrarit.

Qui contrà, quàm hoc decreto sancitum est, petierit, ab Episcopo grauiter puniatur.

Cui etiam curæ erit, ut quæ eleemosynæ collectæ fuerint, uerè in pium tantummodo eorum locorum vsum, quorum nomine petitę fuerint, conferantur.

29.30 In Hospitalibus, pijsq; diuersorijs, vbi hospitalitas exercetur, mares cum fœminis, etiam specie matrimonij, nisi id certissimè con-

stet, versari nè liceat: neuè ea loca, quæ bonorum subsidio sunt addicta, circulatoribus, aleatoribus, nebulonibus, & istiusmodi nequissimis hominibus pateant.

Mendici, morbum simulantes, moneantur, vt se in aliqua arte potius exercentes, inde sibi honestum vitæ subsidium comparent, quàm ignauiæ, ac desidiæ dediti, ostiatim in triuijs, & in templis miserrimè mendicent.

Si id recusauerint, curent Episcopi, vt eijciantur; neque illis domorum hospitalium prætereà aditus pateat.

31 Summoperè verò hortamur principes, & magistratus, reliquosque omnes Christi fideles, vt mendicos, verè ęgrotos, vnum in locum conducendos, ibique eleemosynis sustentandos, studiosissimè curent.

3. De Scholis Doctrin. Christ.

32 Episcopus pretereà eam ineat rationem, vt & in hospitalibus, & in alijs pijs locis, vbi plures, vel mares, vel fœminæ curantur, aut alantur, hoc tradendæ Doctrinæ Christianæ institutum introducant: quo illi pascantur hoc prætereà spirituali cibo.

5. Quæ ad Scholas, &c.

33 Charitatis, beneficentiæque omnibus officijs, quæ in proximos conferuntur, magnam cœlestis gloriæ mercedem propositam esse, sacræ litterę ostendunt; sed illa maximè Deo grata, atque accepta opera sunt, quibus benignè fit, ac succurritur egentissimis hominibus, ægrotis, ac peregrinis. Itaque vt quæ ad eam rationem pertinent, legibus, & sanctionibus communita, rectè obseruentur, hæc pro pastoralis curæ nostræ munere decernimus.

Primò hospitalarius, isuè, cui hospitalium ædium custodia committitur, vir sit, cuius fides, pietas, vitæ innocentia, sedulitas, charitas grauium virorum testimonio commendata sit.

34 Caueat nè à quoquam, cùm hospitium ingreditur, aut, cùm inde discedit, quicquam, uel minimum, ac nè sponte quidem oblatum, exigat, petat, accipiatue.

Nè cum mendicis, qui ad quæstum omni simulandi arte utuntur, aliquam turpis lucri pactionem, pro ijs recipiendis ineat.

35 Curet item nè quid peregrini, aduenæ, pauperes hospitio excepti, contrà Christianam pietatem, bonosque mores admittant.

Quinimò certam horam, tùm manè, tùm uesperi præscribet, qua, ictibus paruulæ campanæ datis, omnes simul aliquantisper orent.

Doctrinæ Christianæ institutionem introducat, qua præfinito aliquo temporis spacio erudiantur.

Si enim ijs ad corporis victum, curamque benignè suppeditatur, illud etiam maximè curandum est, vt spiritale Doctrinæ Christianæ pabulum eisdem tribuatur.

Ne pueros vnà cum adolescentibus, maioribusque natu in eodem lecto

lecto cubare permittat.

Neque item eos, qui integra ~valetudine sunt, cum ægrotis, aliquo morbo laborantibus.

Qui autem integra sunt ~valetudine, nè diutius triduo in hospitio morentur; nisi aliter ex ipsius hospitalis instituto permittatur.

At, cum eosdem paucis post diebus redire animaduerterit, inuestiget diligenter, quousque iter fecerint: ac sedulò uideat, nè ij modo adhoc, modo ad illud hospitale domicilium diuertentes, se peregrinos fingant, de urbe, oppidove tamen uerè non exeant, turpi quæstui, atque etiam aleis, multisque alijs flagitijs operam dantes, quod aliquando euenire compertum est, studiosè Episcopus curet, ut in ædibus hospitalibus, quæ unionis, ~vt uocant, iure, alij domui hospitali adiunctæ sunt, ubi longo temporis spacio hospitalitas intermissa est, quàm primùm restituatur, ~vt iuris est.

36 Hospitalium locorum, ~vbi infantes expositi aluntur, curatores, præfective caueant, ut illos lactentes nutricibus, quas eo nomine conduxerint, plures non assignent, quàm earum unaquaque lacte suo alere possit, nè ob hanc culpam plerosque illorum fame necari contingat. Quamobrem, quot ad lactandi usum nutricibus opus habent, totidem sanè sollicitè conquirant, & conducant. Si hæc non possunt alia omni ratione prospiciant, ut lactentium puerorum uitæ succuratur. 4. Ibidem.

37 Cùm ad pia instituta perpetuò retinenda, rectèque exequenda plurimum prosit eorum monimentum, ad posteritatem firmiter proditum; Episcopi ea cura sit, ut cùm vel in vrbe, uel in Diœcesi locus aliquis pius exædificatur, aut instituitur; illius origo, institutum, titulus, & alia eiusdem generis, quæ opportuna censuerit, in marmore, lapide ve solido, aut in tabula ænea inciſa, loco eiusdem ædificationis illustri collocata, ad perpetuitatem prodita extent, sicut in nonnullis huius Prouinciæ locis aliqua huius generis adhuc cernuntur: idque ipsum præterea in locis pijs, iam exædificatis, institutisve, ubi commodè potest, effici, ac præstari curet.

38 Vbi ~vel fundationis iure, ~vel alio probato instituto hospitales ædes, locave pia aliqua ad pauperes, aut peregrinos, aut senes certosve alios id generis homines hospitio excipiendos, alendosve extant, Episcopus, cuius potissimum est curare, atque adeo efficere ut piè hominũ uoluntates ad eorum præscriptum rectam executionem habeant, ~videat, agatque, ut ne ab ijs locis per illorum curatores, præfectos, ministrosve, ij, quorum causa illa exædificata, institutave sunt, repellantur, si illos recipi per facultates licet: ac nè rursus alij hospitio excipiantur, qui excipi non deberent: utque in cæteris etiam ab hospitalium, piorumve locorum institutionẽ discedatur, neque contrà fiat, quàm de il-

lorum curatione, administrationeve à testatoribus, aut ab alijs, qui illas instituerunt, præscriptum est.

4. Ibidem. 39 Illud interdum, prout vsu venerit, ab Episcopo moneantur, qui eleemosynam erogare, quouis modo, aut nomine debent, vt sibi in ea erogatione Parochi in primis testimonium, consiliumque adhibere studeant, quò melius consultum sit, ac prospectum conscientiæ suæ, cùm ille pauperum, & egentium notitiam magis explora-tam habeat.

40 Tùm verò quibus locis ità opus esse Episcopus censuerit, præsertim vbi compererint in distributionibus eleemosynarum quicquàm peccatum esse, vel quia non uerè pauperibus distributio fit, uel aliàs minùs fideliter, uel non ad præscriptum piæ testatorum uoluntatis; constituat etiam, vel Parochum, uel pios aliquos ex uicinia illa, uel Parochia laicos, quorum testimonio de paupertate illorum, quibus erogandæ sunt eleemosynæ, constet, antequàm ab illis, quorum id curæ est, distribuantur, uel aliàs id generis certas regulas, quibus caueatur ab eiusmodi erroribus, in posterum præscribat in distributione seruandas ab illis locis pijs, etiam quæ merè laicalia sint, ac priuata, aut quauis ratione ab Episcopo exempta.

41 In pauperum delectu non egestatis, inopiæq; solum, sed morum etiã, ac uitę probitatis ratio habeatur. Quo in genere hæc prętereà de illis inuestigentur, an scilicet Doctrinę Christianę scholas frequentent; an fidei rudimenta teneant; anq; religiosè, & piè uiuant.

42 Quæ porrò eleemosynę pauperibus, aut singulis etiam suè hominibus, suè familijs quauis ratione debeantur, nè in alium cuiuscumq; rei usum, ac nè in Ecclesię quidem instaurationem, ornatumve eas erogari liceat, nisi, & eorum, quorum interest, consensu, & Episcopi prætereà concessu, eoque litteris exarato.

Sess. 25. c. 4. & 8. de ref. 43 Quæcumq; item, quę ad certos pios usus relicta ab alijs etiam, q̃ à piorum locorum administratoribus persolui, aut pręstari debent, in alios etiam similes usus, nè necessitatis quidem prætextu, etiam si testatoris hęredes, quicumque sint, ei rei assentiantur; nisi Episcopus re perspecta, eam pręstiterit facultatem, quę iure permittendi ab eo dari poterit, illius permutationis causa.

Sess. 22. c. 6. 44 Quæcumq; eleemosynę nomine indistinctè per capita, familiasve, distribuuntur, eæ deinceps in illos tantùm, qui in ijs uerè pauperes sunt, conferantur; nisi ex testamento, fundationis ve tabulis, aut aliunde legitimè Episcopo constiterit, illis etiam, paupertate non laborantibus, indistinctè distribuenda esse.

45 Qui aliter distribuerit, ei pœna sit, dupli restitutio, grauiorve arbitrio Episcopi.

46 Vt pijs uniuscuiusque generis distributionibus, quas in urbe, & in Diœcesi, uel ex ultima uoluntate, uel ex consuetudine, aliauè ratione quis præstare debet, satisfactum esse Episcopo constet, prout Concilio primo Prouinciali per nos decretum est; eam rationem is adhibeat, ubi expedire censuerit, ut quod, uel ab uniuersitatibus, uel à sodalitijs, pijsuè locis quibuscumque etiam merè laicalibus, & priuatis quouis modo, uel à quouis homine eleemosynæ nomine, aut aliàs piè erogandum, distribuendumque est, quicquid illud sit, adhibitis etiam duobus iuris, per uniuersitates delectis, suo, uel in Diœcesi Vicarij foranei iudicio probatis, & Parocho item in opera pietatis prescripta, erogetur, & conferatur.

47 Parochus autem in Codicem certũ referat, quę eiusmodi distributiones, quo die, & quibus adhibitis factæ sint: eorumque & testium subscriptionem adhibere curet.

48 Si uerò, uel uniuersitas, uel quispiam se neque hac, neque alia ratione distribuisse, Episcopo legitimè ostenderit, ad satisfaciendum ab eodem compellatur.

49 Parochus, tamquàm Parochię suę pauperum pater, sępè paternè, diligenterque perquirat, primùm, an si quę in Parochialis suę uicinię finibus eleemosynę sint, quę, uel à piorum locorum curatoribus, uel ab aliquo Collegio, uniuersitateuè, uel ab ulla familia, uel à singulis hominibus in pauperum usum aut sustentationem erogari quouis nomine debeant: prętereà uideat an illarum errogatio fiat, in eos ipsos, qui uerè egentes, pauperesque sunt; anq; & illud, quod, qualeve eleemosynę nomine in illos conferri debet, integrè, sincereque totum conferatur, erogetur, ac distribuatur.

Si quid uerò animaduerterit, cui cautionem, remediumve adhiberi oporteat, ad Episcopum quam primum deferat.

50 Curent Episcopi, ut retento pie eleemosynę instituto, tollantur publicę illę commessationes, cęteraque huius generis, quę à sodalitatibus, quas confratrias, uel confraternitates uocant; pręsertim intrà ambitum Ecclesiarum die Pentecostes, & die Cœnę Domini, ac certis alijs solemnibus festis diebus, pietatis specie fieri solent, non sine bonorum offensione, proposita pœna suo arbitratu. 1. Ibidem.

51 Illud interdicat Episcopus nè in ullis eleemosynarum oblationibus quę cuiuis Ecclesię fiunt, musica instrumenta, organo excepto, in Ecclesia adhibeantur; neuè alia fiant, uel gerantur, que domo Dei indigna sint. Nè item puellę eleemosynas Ecclesiarum, aut Ecclesiasticorum hominum nomine quęritent, id quod non sine earum pudicitię discrimine quibusdam in locis introductum erat. 2. Tit. 2. dec. 24.

52 Nemo aperta, obuolutaque præ pudore facie eleemosynam sine 4. Ibidem.

Episcopi, aut si in Diœcesi, saltem Vicarij foranei, concessu, eoque scriptis exarato, quæritet. Nec verò eam facultatem cui quam Episcopus, Vicariusue det, nisi illius & egestatem, & morum, vitæque rationem, antè planè notam exploratamque habuerit.

53 Primo quoque dominico mensis, alioue die, quem Episcopus statuerit, in omni Ecclesia Cathedrali, & Parochiali, etiam si regularis sit, vt egentium, qui præsertim præ pudore ostiatim mendicare, eleemosynamve quæritare non audent, necessitati, pia fidelium liberalitate succurratur à locupletibus Parochiæ incolis, cæterisque, vt antiquę consuetudinis est, aliquid per eos colligatur, quos huic curæ Episcopus præposuerit.

Quæ eleemosynarum collectio, singulis etiam statis quattuor anni temporibus, quibus in hoc opere misericordię promptius, impensusque incumbendum est, per eosdem fiat.

54 Dominica verò proximè præcedenti quo fideles, & in' dando effusiores sint, & paratiores ad Parochialem Ecclesiam cum voluntarijs oblationibus veniant, eleemosynarum collecta intra Missarum solemnia indicatur, sequenti verborum formula ex Sanctissimi Leonis Pontificis sermonibus desumpta.

In eandem verò sententiam Parochus, prout vsu venerit, vberius cum populo aget.

4 Formula denunciandi collectas eleemosynarum.

55 Ventura Dominica dies, vel feria quarta quattuor temporum, dilectissimi, Collectarum futura est. Hortor, & moneo charitatem vestram, vt omnes ad Ecclesiam Parochialem cum voluntarijs oblationibus eleemosynarum conueniatis: in quo opere, etsi non est omnium æqualis facultas, debet esse par pietas. Itaque & animę vestrę, & pauperum memores, promptam exhibete largitatem, & pro possibilitate virium vestrarum, spontaneas Collectas vestras sollicitè preparate, vt quicquid vobis de temporalibus facultatibus dempseritis, id multiplicatum in ęterna retributione sumatis, in egentibus pascentes Christum, qui nobis illos tantoperè commendauit, vt se in ipsis, & pasci, & vestiri, & suscipi testaretur idem Christus Dominus, qui cum patre, & spiritu sancto viuit, & regnat in ęcula ęculorum Amen.

4. Ibidem.

56 Vbi mendicorum uagantium, & curę spirituali, & uictui necessario ità consultum non est, ut certo scilicet quodam pio loco collecti, non mendicatim victum sibi quęritent, sed ex aliena misericordia ibi habeant, unde se sustentent: Episcopus, quod Concilio Prouinciali secundo de eorundem vita, moribusque prescriptum est, in eo exequendo illam mirè rationem curet, vt certo prędicipuo libro per singulos Parochos illi, si qui eiusmodi intrà Parochię fines sunt; tum alij etiam, alia ratione accuratè, ordinèque describantur.

Hæc

57 Hæc verò sedulò ab ijsdem Parochis obseruari mandet.
Quò, aut vnde illi migrent.
Quod uitæ Christianæ institutum teneant.
An fidei rudimenta norint.
An diebus festis saltem Missæ sacrificio interſint.
An sæpè confessi, crebrò, & per annum, aut certè saltem constituto Paschæ tempore, sacram eucharistiam sumant.

Quos neque libro descriptos, neque in Pascha confessos communicasse ex eo animaduerterint, quòd certum chirographum non ostendant, quo se confessos, & sacram communionem sumpsisse testatum faciant, nè pro Parochialis Ecclesiæ suæ foribus, nec intrà Parochiæ fines eos mendicare Parochi permittant, omnemque propterea cautionem, quantum in se est, adhibeant.

Quos doctrinæ Christianæ rudes, mendicos vagantes uiderint, festis diebus stata hora ad eiusdem doctrinæ scholas conuenire diligenter curent, eosdemque instruant.

58 Pœnam excommunicationis eo ipso habendam proponimus notarijs, scribisque omnibus, qui testamenta, codicillos, aliasve tabulas de legatis ad pias causas, de rebus, quæ pro malè partis, vel furto ablatis relictę sunt, quas ipsi rogati conscripserint, aut ab alijs scriptas apud se habeāt: nisi ad tres mēses Episcopo id significauerint; ijs uerò, qui post hac eius generis negotia scripserint, nisi intrà mensem, cuius initium fiat à morte testatoris, eidem Episcopo rem notam fecerint; eamque particulam de legatis, uel relictis rebus descriptam, & auctoritate publica munitam, debita mercede accepta, illi tradiderint. Quæ omnia sic agantur, nisi iustum interceſſerit impedimentum; quo sublato, ea, quæ suprà scripta sunt, notarij exequantur. 1. Ibidem.

Decretum autem hoc nostrum bis quotannis ab omnibus Parochis populo sibi commisso, recitari uolumus.

Ne notarij, qui testamenta, codicillos, aliasuè tabulas de rebus quæ piarum causarū nomine legatæ, relictęuè sunt, uel ipsi rogati conscripserint, uel ab alijs conscriptas apud se habent, magnos nimis labores in ijs omnibus conquirendis sustineant; neuè si id quod ipsis superiori Concilio prescriptum est, cōmiserint, excommunicationem eodem Concilio propositam subeant; idcircò illam sanctionem, piarū causarum nomine à nobis editam, ità interpretamur, ac moderamur, quò faciliorem etiam executionem illa habeat. 2. Tit. 3. dec. 17.

Quicumque Notarij sciunt se rogatos, testamenta, aliasuè ultimę uoluntatis tabulas, de rebus piarum causarum nomine relictis, confeciſſe; nisi sex mensium spacio, postquam testatoris mortem scierint, illa Episcopo significarint, quæcumque in ipsis tabulis à se conscri-

ptis legata pia facta sint; ij excommunicationis pœnam ipso iure incurrant.

Qui verò in posterum eius generis tabulas, testamentaue scripserint, eandem pœnam ipso facto subeant; nisi tribus post mensibus, quam testatoris mortem cognouerint, pia legata, relictaue, Episcopo denunciarint. Hoc autem de sex, & trium mensium spacio decretum, vim tantum habere statuimus, cùm primùm Cõcilium hoc in lucem emissum erit, ac promulgatum.

Vt autem Notariorum, qui iam mortem obierunt, exemplaria, & quæuis alia scripta, quibus res piarum causarum nomine relictæ, aut legatæ, notatæ, ac descriptæ sunt, conquiri possint; Episcopus propositis etiam pœnis, & censuris, eam, quæ sibi facilior videbitur, ineat rei perficiendæ rationem.

Qui Notarij præterea ex superioris Concilij decreto excommunicationem subierint, Episcopus eos absolutionem humiliter petentes, à censuris absoluat; si modo ipsius Episcopi arbitratu ante satisfecerint, ad decreti huius præscriptum.

3. De ijs, quę ad bon. Eccl. pert.

59 De Notarijs legata pia non denunciantibus, decretum in altera Prouinciali Synodo editum, quotannis die Dominico Aduentus vltimo, & Quadragesimæ secundo, in unaquaque Parochiali Ecclesia promulgetur.

2. Tit. 3. dec. 16. Sess. 22. ca. 8.

60 Hæres, vltimarumuè voluntatum exequutor, si quæ piarum causarum nomine legata, relictaue sunt; ea anni spacio ad summum, aut tempore ab ipso testatore præscripto, non præstiterit, ab Episcopo, vt ratio iuris postulat, pœnis ipso iure cõstitutis, omninò cogatur piam testatoris voluntatem explere.

Nec verò præscriptum illud, vel à iure, vel à testatore tempus, ab Episcopo prorogetur, nisi sibi constiterit, quæ earum causarum nomine relicta, aut legata sunt, verè præstari non potuisse.

61 Episcopus verò in Parochijs, vbi opus erit, duos probatæ vitæ homines, pietatis amantes, & auctoritate præditos deligat, quorum opera, studio, atque adiumento ad piorum locorum, piarumque causarum iura persequenda vtatur quò ad expedire visum sibi erit.

3. Ibidem.

62 Quæcumque verò ad pios vsus, vel legata, vel relicta, vel donata sunt; ea sibi iam denunciata, aut alio modo cognita, Episcopus trium mensium spacio in librum certum ordine referri curet. Quo præterea libro quàm primùm eiusdem iussu notentur, quæ deinceps quouis modo scient, ad eos vsus legata, donatave.

Sess. 22. c 8. Clem. Quia contingit, de relig. domib.

63 Testatorium piæ uoluntati nè fraus fiat, Episcopalis curæ est, quamobrem, quæcumque uel res uel pecunia, cui piam Sacerdotũ conuentui, uel alij cuipiam homini, legata eo noīe est, ut pauperibus in eleemosynam

mosynam conferatur; ea neque totà, nec verò pars cuiquam eiusdem conuentus Sacerdoti, neque vniuerso etiam illorum conuentui, nec ab illo sibi ipsi, nè paupertatis quidem causa, vel vlla egestatis specie distribuatur, nisi huic rei facultate ab Episcopo, eaque scriptis data.

64 Quæ legati nomine relicta sunt, certo pio vsui, ea nè necessitatis quidem causa, nec verò hæredum eius, qui reliquerit, consensu, ad alterius rei, quæ æquè item pia sit, vsum conuertantur: nisi Episcopus, re tota primùm cognita, illius commutationis potestatem fecerit, quæ iuris permissu ab eo fieri possit.

65 Prohibeat Episcopus, nè bona, census, prouentus, aliaque eius generis, quæ ad Ecclesiarum fabricas quauis ratione pertinent, ab earum præfectis, aut ministris ad alios vsus auertantur, quàm institutum est, aut certè debent: Idem præterea, ex Tridentini Concilij præscripto, fabricarum redditus in vsus Ecclesiæ necessarios, atque vtiles, vt expedire magis visum fuerit, erogari curet. 2. Tit. 3. dec. 18. Sess. 22. c. 9. de refor.

66 Episcopi omnem curam, & operam suam conferant ad erigenda, & instituenda ex auctoritate Summi Pontificis loca pia, quæ Montes pietatis appellantur, in singulis Ciuitatibus, & insignioribus oppidis; vnde mutuas pecunias pauperes possint accipere. Eaque, & quæ iam constituta sunt, studiosè, & fideliter administranda curent. 1. De Piorũ loc. admin.

67 Principes autem, & Magistratus obsecramus, in ea re Episcoporum studium, & diligentiam omni ope adiuuent.

68 Nec in eis quidquàm prærer sortem, nisi pro ministris, & alijs necessarijs sumptibus; idq; ex Summi Pontificis auctoritate, accipiatur.

Quæcumque huic titulo defuerint, aliqua tamen tatione pertinere poterunt, videantur in tit. Quæ pertinent ad bonorum, &c.

Quæ ad Sodalitates pertinent.

SVMMARIVM.

1 *Sodalitates disciplinatorum instituendæ; institutæque Indulgentiarum à Gregorio XIII. concessarum promulgatione adiuuandæ.*
2 *Dies certus præscribendus, quo sodales confessi communionẽ sumant.*
3 *Institutio sodalitatum Apostolica, vel ordinaria auctoritate faciẽda.*
4 *Sodalitates ab Episcopo visitandæ: quidq; in ea visitatione agendũ.*
5 *Sodales ad publicas processiones accedant.*
In priuatis processionibus Sacerdotem præeuntem adhibeant. 16.
Quas tamen noctu non obeant absque licentia: eoque in casu mulieres non intersint. 26.

Iidem

6 Iidem vtantur regula Metropolitani iussu edenda.
7 Contumaces, vt puniendi.
Nè nutuo non dent pecuniam, si suum id non tolerat institutum. De Vsur. nu. 14
Neque Indulgentias publicent. De Indulgentijs, nu. 8.
8 Neque sibi inuicem thurificationem benedictionemue adhibeant.
9 Confratriæ, qui non adscribendi: & qui adscripti, eijciendi.
10 Amictus à quo ipsis Confratribus dandus.
11 Vbi is asseruandus: & cui dimittendus.
12 Confratres de quibus non colloquantur.
13 Quæ legere prohibentur.
14 Vesperis in Ecclesia non absolutis, in suis Oratorijs officia non recitent.
15 Neque dum Christianæ Doctrinæ institutio exercetur.
17 Confratribus arma ad oratorium deferre prohibetur, & quibus conceditur.
18 Confratriarum in Oratorijs, quæ cadauera sepelire non liceat.
19 Confratribus eleemosynam quærere absque licentia interdicitur.
20 Officiales, Parocho assistente creandi: & quid iurent, quæque præstent.
Quanto tempore eo in officio perseuerent. De Piorum locorum administr. nu. 13.
Quando, & cui rationem reddant. Ibid. nu. 13. 14. 15.
A quo, rationibus redditis, liberationem obtineant. Ibid. nu. 16.
Bonorum omnium, quæ possident Inuentarium faciant. Ibid. nu 1.
Eiusdemque Inuentarij quot exempla conficiant, & vbi custodiant. Ibid. nu. 2.
Bona ipsa non alienent; & si alienata, recuperent. Ibidem, nume. 20. 21. & 23.
Nullo modo ipsi conducant. Quæ pert. ad bonorum, &c. nu. 26.
Quibus, & quomodo locent. De piorum locorum adm. nu. 23. 24. 25.
Vbi ex ipsorum bonorum oneribus ad eleemosynarum distributionem teneantur, quibus, & quorum consilio illas distribuant; & in quos alios vsus non conuertant; quæque alia eius distributionis causa seruent, & caueant. Ibid. à nu. 46. ad 52.
Legata, in certum librum referant: Eorundemque legatorum debitores in tabellam redigant. Ibid. 62.
Quæ legata in alium, quàm designatum vsum non conuertant. Ibidem. 63. 64.
Sodalitas fraternæ correctionis instituenda, certis illi præscriptis regulis.

Sodalitas

Sodalitas nominis Dei instituenda. De blasphemia nu. 9.
Sodalitates Doctrinæ Christianæ, vbi erigendæ. De fid. init. à Parocho trad. nu. 2. 4. 6.
22 *Sodalitates Virginum sanctæ Vrsulæ, & Viduarum sanctæ Annæ, erigendæ.*
23 *Sodalitas pacis, ad inimicitias tollendas, constituenda.*
24 *Confratriæ vnicuique Sacerdos ab Episcopo constituendus, & de eius vita, & officio.*
25 *Confratriæ locum digniorem, quæ obtinere debent.*
27 *Decreta Prouincialia ad sodalitates, Confratriasue pertinentia, per Episcopum executioni demandanda.*
Confratres laici, mortuo officium sepulturæ non præstent.

1 QVò maior in dies ad Christianæ pietatis studium progressus fit fidelium; id curet Episcopus, vt cùm disciplinatorum, pœnitentiumque sodalitates, aliasque eiusmodi frequentes instituat; tùm institutas omni Pastorali studio adiuuet, & ad conseruandas illas disciplinę, ac pœnitentię rationes, & ad alias excitandas spiritualium virtutum progressiones. Id quò facilius fiat, ardentiorique studio, quotannis aliquando, prout è re esse viderit, litteras promulgari iubeat, quibus Sanctissimus D. N. Gregorius XIII. pręclarum spiritualis Indulgentiæ donum liberaliter in Domino illis concessit, qui ijs sodalitatibus adscripti, sibi flagella, disciplinamque certis statutis diebus adhibuerint. 3. Quędam quæ ad sodalit. pert.

2 Præscribat item diem certum, quo in singulos annos illarum sodalitatum homines, qui in vrbe sunt, vno loco omnes; qui in Diœcesi, omnes item suo quique in oppido, locove in vnum conuenientes; primùm contriti, & confessi sacram Eucharistiam sumant; tùm solemnem processionem agant, perpetua, grataque memoria prosequentes concessi sibi spiritualis doni gratiam.

3 Nevllę cuiusuis nominis piæ Confratriæ instituantur, eriganturve, neve erectę, aut institutæ Collegij sibi habitum sumant, sine Sedis Apostolicæ, vel Episcopi auctoritate, & facultate litteris explicata. 4. Quæ ad pia loca pert.

4 Sodalitates quascumque seu Confratrias, quę Disciplinatorum nomine vocantur, Episcopus, vt Tridentino Concilio iussum est, visitet: librosque vel Constitutionum, vel Meditationum, orationumuè, si qui in eisdem extant, studiosè recognoscat, nè quid falsum, commentitiumve, aut apocryphum in illis sit; & si quę inuenerit, quę emendationem desiderent, illa vel omninò tollere, vel emendare curet. Sess. 22. c. 8. 2. Tit. 3. dec. 22.

Efficiat

5 Efficiat pręterea vt Confratres, etiam nominatim non vocati, sed statas, & solemnes Processiones accedant, easque rectè, atque ordine obeant; vtque non mercede conducti, sed pietatis gratia flagella sibi adhibeant.

6 Easdem item Confratrias in eam pristinam Disciplinatorum regulam redigere curent, quæ iussu nostro recognita, & emendata, & huius temporis rationi accommodata, ad communem earum sodalitatum vsum edetur.

7 Si quæ verò hoc decreto præcepta illi vel contempserint, vel neglexerint; aliaque non obierint, quæ ad eorum sodalitatis officium pertinent, pro rei grauitate seuerius ab Episcopo corripiantur; sin autem emendari nulla alia ratione poterunt, eorum sodalitates extinguantur eiusdem Episcopi iudicio.

4. Quę pert. ad sacr. Ord.

8 Ne verò laici, neuè Disciplinatorum Confratres, alteriusuè cuiusuis Confratriæ homines, ne moniales item, vt Canone vetitum est, benedictionem, thurificationemve, sibi mutuò, neque verò alijs, impartiantur.

5. Quæ ad Scholas Confrat. & ad loca pia pert.

9 Ne cuiusuis Confratriæ, Scholæve præfectus, in scholæ suæ numero quemquam Doctrinæ Christianæ rudem, atque ignarum ascribi permittat, cuiuscumque ætatis, aut conditionis ille sit. Id verò curæ sit Sacerdoti proprio illius scholæ, vel Parocho, in cuius finibus est.

Nè facinorosi homines, neve turpis vitæ, aut infamiæ labe notati, in Disciplinatorum, alteriusve generis Confratrijs ascribantur. Si qui verò iàm ascripti sunt, si moniti, honestæ vitæ rationibus se non conformarint, à Confratrum numero, Episcopali auctoritate, & cura amoueantur.

10 Nè à Disciplinatorum, Confratrumve alterius generis præfecto cuiquam, qui in Confratria ascribendus sit, amictum, quod insigne Confratriæ est, dari liceat, nisi præsente Parocho, aliove Sacerdote, qui amictum illum statis precibus benedicat.

11 Quem amictum Confratres nè vmquàm domi, aliove loco; sed in schola asseruent, Qui verò è Confratria aut abibunt, aut eijcientur, illum Cõfratriæ ipsi dimittant, præfectoq; sine vlla exceptione tradãt.

12 Laici Confratres cuiuscumque Confratriæ de fidei dogmatibus nè disceptationes, colloquia, sermonesve habeant. Videat præterea Episcopus diligenter, vt in Oratorijs suis collocutiones de ijs tantum rebus instituant, quarum tractatio, & collocutio, laicalis ordinis hominibus conueniat.

13 Ne quicquàm, quod vulgari sermone conscriptum sit, in vlla cuiusuis generis Confratria, Scholave legi, recitarive liceat; nisi primùm ab Episcopo, vel ab eo, cui ille mandarit, recognitum sit, & subscri-

subscriptione comprobatum.

14 Quo tempore in Basilica Cathedrali, Ecclesiave Parochiali officium vesperarum celebratur, tunc, nè in vllis Confratriæ, Scholæve Oratorijs Ciuitatis, aut loci illius ab eisdem Confratribus recitari liceat officia; sed vel antè, vel post, recitentur; ità tamen, vt non solum eiusmodi officiorum occasione non diuertantur illi à diuinis officijs publicis: sed nec etiam à scholis Doctrinæ Christianæ, in quibus eiusmodi Confratres vtiles adiutores, & operarij esse solent.

16 Disciplinati, Confratresve cuiuscumque Scholæ, cùm processiones, supplicationesve Collegiatim ipsi agunt, Capellanum, Sacerdotemve alium adhibeant: cuius sit, eam religiosam actionem dirigere; nisi cùm aliquando sine Sacerdote processionis, supplicationisuè agendæ facultatem à Parocho, aut ab Episcopo impetrarint.

17 Nè Confratri cuiquam ad Confratriæ Ecclesiam, Oratoriumve arma vllius generis ferre liceat; nisi pro dignitatis suæ, aut officij, quod gerit, ratione, hoc alicui conueniens sit.

Nemini autem vmquàm, cum Confratriæ amictu indutus est, id liceat.

18 Ne in Confratriarum, Scholarumve Oratorijs, Ecclesijsuè cadauera, etiam sodalium sepeliri liceat; nisi id licere ex certis priuilegij tabulis, aut probatæ consuetudinis immemorabili vsu constet Episcopo. Vbi verò Confratribus ius sepulturæ tantum concessum est, alij nemini, neque electionis etiam iure ibi sepeliri liceat, sed nè Confratribus quidem ipsis, nisi per sex menses ante obitum in sodalitio ritè adscriptus sit.

19 Ne cuiquam Confratriæ vsquam eleemosynam quęritare liceat; nisi facultate, quę litteris exarata sit, ab Episcopo impetrata.

20 Nè in vllo disciplinatorum, aliarumvè Scholarum Confratria, Officiales, Ministrosve creari, aut eligi liceat; nisi vel Parocho, vel alio Sacerdote ab Episcopo constituto, præsente; si modo aliud Episcopo non videatur.

21 Multa mala existunt ex prætermisso, & valde his temporibus neglecto, fraternę correctionis officio, debito ac necessario. Quamobrem curent Episcopi, in sua quisque non solum vrbe; sed in Diœcesi etiam, aliquam hominum, qui moribus, vitęque innocentia grauiores sint, Sodalitatem constituere, quę in hoc fraternę correctionis officiũ Christiana charitate incumbat: aut hoc ipsum officij munus alteri sodalitati adscribi studeant, quę id rectè pręstare possit. 3. Quædam, quæ ad sodalit pert.

Cui sodalitati certas fraternè corrigendi regulas prescribant, studio, & opera probatorum Theologorum.

22 Sodalitates illę duę, vna virginum, sanctæ Vrsulæ, altera viduarum, 4. Quę ad loca pia pert.

rum sanctæ Annę nomine in aliquot Prouincię huius vrbibus piè instituę, ac Religiosis spiritualis disciplinę regulis conformatę, vberrimos, adiutrice Dei gratia, fructus, & populis, & familijs attulerunt, non modo ad retinendum, sed ad excitandum vehementius in fœmineo sexu innocentis vitę omnis Christianę pietatis, & charitatis studium.

Quare unusquisque Episcopus tùm in vrbe, tùm in oppidis Diœcesis suę insignibus, sodalitatem utramque ut opportunum uiderit, quàm diligentissimè erigi, instituiuè curet.

23 Vt odij, dissidijs, atque inimicitijs occurratur, rursusque paci, cuius fideles in primis amantissimi esse debent, tot sanctissimis vinculis inter se iuncti, consulatur, id prętер cętera Episcopi paterna sollicitudine curent, in sua quique urbe, & Diœcesi, aliquam hominum, qui morum grauitatem, spectata integritate, & auctoritate pręstantiores Confratriam, ut in huius Prouincię nonnullis vrbibus instituta iã est, instituere: cuius officium sit, discordię flammas restinguere, dissidia amouere, concordiam inire; pacemque inter omnes reconciliare; aut hoc ipsum componendę inter dissidentes pacis officium alteri Cõfratrię adiungant, quę rectè, aptèque idipsum prestare queat.

6. Quę ad Confr. pert.

24 Vnicuique Confratrię Episcopus Sacerdotem constitui studeat, vitę spiritualis usu peritum, benèque in sanctis exercitationibus uersatum, qui salutaribus consilijs monitis, documentis, alijsque officijs Confratres in omnem agendi partem, tamquàm patet, & Dux spiritualis conformet.

Conc. Trid. Sess. 25. c. 13. & reg. & mo.

25 Vt multarum controuersiarum, dissensionumuè, quę in plerisque Confratrijs, ex eo quòd priorem locum appetunt multis Prouincię locis magna cum populi offensione oriuntur, occasio tollatur: Nos decernimus eas Confratrias, earum Confratres, Scholasesuè, qui in posterum, locum in publicis processionibus, sumpto de Episcopi aut sanctę Sedis Apostolicę facultate habitu, sibi dari petierint, atque obtinuerint, debere locum digniorem alijs Confratribus cedere, qui habita antiquiores consueuerunt illas supplicationes antea obire, etiam si ipsę tempore antiquiores sint, maioribusque priuilegijs communitę. Id uerò ità decretum in omni Confratria seruetur; nisi, cùm ob causam Episcopo aliter uidebitur.

26 Quę ad sanctę pietatis institutum, atque usum salutariter instituta sunt, Pastoralis cura est, cauere, nè deprauatis moribus corrumpantur. Quoniam igitur in processionibus, quę à nonnullis Confratrijs, societatibusuè noctu fiunt, religiosè quidem illis primùm institutis, offensio aliqua inesse potest: idcircò nè illas in posterum noctu agi liceat, nisi & Episcopi concessu, & regulis certis ab eo prę-

scripus.

scriptis. Mulieres autem processiones nocturnas obire interdictum omninò sit.

5. Quæ ad Scholas, &c.

27 Quæcumque & in hoc quinto Concilio, & in alijs superioribus de disciplinatorum scholis, alijsuè Confratrijs, etiam laicalibus constituta, aut præscripta sunt, ea Episcopus ab illis inuiolatè, integrèque seruari mandet: etiam si in Ecclesijs regularium illę Scholę, Confraternitatesuè erectę sint, exerceanturuè; ità ut si quid contrà ab eisdem vsquàm factum erit, id pro culpę modo ab Episcopo grauiter puniatur arbitratu suo.

FINIS QVINTI LIBRI.

CONSTITVTIONVM, ET DECRETORVM Synodalium Prouinciæ Mediolanensis

Liber Sextus.

De Regularibus, & Exemptis.

SVMMARIVM.

1 *In Monasterijs regularium sacræ scripturæ lectio instituenda.*
2 *Quique ad id cogendi.*
3 *Monasteria, domos, & claustra virorum Regularium ingredientes fœminæ, quomodo plectendæ.*
Constitutio Pij V. eo de genere edita, quando publicanda. 7.
4 *Quorum locorum, & quando non vetitus eis ingressus.*
5 *Horti, & vineæ in claustris quatenùs censeantur.*
6 *Existente dubitatione quis illam soluat.*
Monasterijs domicilia fœminarum infamium arcenda. De religiosa in sacris locis conuers. nu. 12.
Reliquiæ nouæ à regularibus non venerandæ, nec exponendæ ante quàm sint ab Episcopo probatæ. De sanctorum Reliquijs. 5.
Indulgentiæ quoque ab eisdem non promulgandæ. De Indulgentijs 8.
Regulares nullum admittant Sacerdotem ad celebrandum in suis Ecclesijs non ostensis dimissorijs litteris. De Missis sine cantu. 31.
Regulares in suis Ecclesijs concionaturi, facultatem à suis superioribus, & ab Episcopo benedictionem obtineant; in alijs verò Ecclesijs, vltrà benedictionem licentiam quoque ab Episcopo impetrent, & Parocho exhibeant. De Concionatoribus. 39.
Episcopo concionante, nè quidem in suis Ecclesijs, concionentur. De prædic. verbi Dei. 14.
Regulares concionaturi, vbi temporalem iurisdictionem habent, ab Episcopo approbandi. De concionatorib. 41.
Iidem dissuadentibus à communione frequentanda, prædicatio interdicenda. De sanctæ Euch. in Eccl. administr. 30.
Quando pecuniæ collectam pro se, aut alijs facere possint. De Concionat. 27.

Regulares

Regulares Confessarij in quibus ab Episcopo recognoscendi. De Visitatione. 26.
Iidem ab eodem approbandi, etiam vbi temporalem iurisdictionem habent. De Confessario. 6.
Prælatus Regularis, & exemptus non se ingerat in aliena Diœcesi ad Confessarios approbandum. Ibid. nu 5.
Confessionem audientes absque licentia, excommunicati. Ibid. 1.
Idonei licet inuenti ad Confessiones audiendas, quo tamen testimonio ad id munus admittendi. Ibid. 4.
Regularium Confessariorum nomina quando à Prælato Regulari ad Episcopum defer. Ibid. 32.
Quando etiam illi ab Episcopo conuocandi, & in quo monendi Ibid. 33.
Confessionis auditæ testimonium pœnitentibus ab eisdem dandũ. Ibid. 36.
Amouendi si male eo in officio se gerant. Ibid. nu. 7.
Regulares absoluentes à casibus Episcopo reseruatis, excommunicationem incurrunt; & quando suspensionem tantum. Ibid. 24. & 26.
Ieiunia, festosque dies quos populi seruant, seruent & ipsi. De fest. dier. cultu. 36.
Regularium Ordinatorum nomina in librum referenda. Quæ ad ordinis sacram. 99.
Regulares sacris Ordinibus non adscribendi, nisi docuerint se professionem religionis fecisse. Ibid. nu. 26.
Regularium superiores quando, & ad quod tempus dimissorias concedant, tàm ob ordinationem, quàm ob morum testimonium. Ibid. 19. & 20.
Testificentur de functionibus præstitis in ordine inferiori, & quibus alijs. Ibid. 17. & 18. 20.
Iisdem Regularibus ordinandis quæ alia ratio seruanda. Ibid. 25.
Regularia beneficia Seminario contribuant. De Seminario. 3.
A Regularibus præsentati ad beneficia, ab Episcopo comprobandi. De benef. Iurispatr. nu. 2.
Beneficiorum, quorum ius collationis, institutionisuè ad exemplos, & alios inferiores Episcopo spectat, lites, & causæ à quo cognoscendę. Ibid. nu. 7.
Regulares Curati festis diebus Concionem habeant, quæque alia præstent. De Parochijs. 48.
Curati à Regularibus prouisi in suis Ecclesijs ab Episcopo residere cogendi. Ibid. nu. 4.
Regulares Curati ad Synodum Diœcesanam accedant, & congregationes obeant. De Synodo Diœces. 5.
Curatæ Ecclesiæ Monasterijs vnitæ ab Episcopo visitandæ. De Visitation. 22.
Monasteria quoque commendata visitanda. Ibid. 27.

Parochiæ nouæ, in Parochijs regularium, ab Episcopo erigenda. De Parochijs. 35.

Regulares, & exempti sacra olea à Cathedrali sumant. De sacramentalibus. 31.

Regulares Curati Episcopum admoneant de delicto in sua Ecclesia commisso. De Immunit. Eccl. 7.

Regulares ad processiones publicas vocandi. De Proces. 5.

Censurisque & pœnis ad id compellendi. Ibid. 6.

Regularibus Parochis locus in funere præscriptus. De Funerib. 18.

Regulares Conseruatorem delectum non mutent. De Iurisd. Episc. 3.

Quando causas matrimoniorum & criminum cognoscere possint. De foro Episcop. 8.

Conseruatores Regularium taxam à Metropolitano Mediol. confectam, & à Gregorio Papa XIII. confirmatam obseruent. De legib. & Taxa 5.

Contrà facientes, vt puniendi. Ibidem. nu. 6.

Interdicta ab Episcopo promulgata, à Regularibus promulganda seruandaque. De Censuris. nu. 5.

4. Quæ pert. ad reg.

QVod sacrosancti Tridentini Concilij decreto de interpretatione sacræ scripturæ in monachorũ monasterijs instituenda sancitum est, id Episcopi omninò efficiant, vt quibus in monasterijs commodè præstari potest, ea instituatur, uel si intermissa est, restituatur.

2 Qua in re præstanda Abbatem, atque alios quocumque nomine vocatos, qui monasterio præsunt, opportunis iuris remedijs compellant.

3 Si quæ fœmina, cuiusuis etiam conditionis, dignitatis, gradus, ac generis splendore illustris, virorum regularium cuiuscumque uel ordinis, uel instituti claustra ubicumque in illis, etiam prioribus monasterij conuentus, domusuè claustralis porticibus, primariæ eiusdem ianuæ exteriori proximis, contrà quàm Apostolicis Summorum Pontificum Pij V. & Gregorij XIII. Constitutionibus sancitum est, ingrediatur, pro earum sanctionum iure Episcopus pœnarum, censurarumque declaratione, & irrogatione contrà illam seuerè agat.

4 Ad priores autem illas claustri porticus, exteriorique ostio uiciniores, vt à sancta Sede Apostolica declaratum est, ingressus mulieribus non uetatur, quo tempore in ijs, cum cœmiteria, sepulcraue sint, pro mortuis fiunt, à Regularium uniuerso monasterij, domusuè illius conuentu supplicationes, processionesuè publicæ de more aguntur.

5. 6 In claustrorum autem finibus censeãtur horti etiam, ac uiridaria, vineæ,

vineæ, & eiusmodi loci, quæ monasterijs, domibusuè Regularium ita continenter sunt adiuncta, ut ab illis domibus, uel monasterijs ab eos hortos, locauè aditus sit, nulla uia, locouè publico interiecto. Sin autem de claustrorum finibus, circumscriptionemuè dubitatio, aut difficultas aliquando existat, per loci ordinarium, adhibitis Regularium superioribus, illa explicetur; certaque demum ipsis limitibus claustralibus definitio, circumscriptiouè statuatur; vt nè ob uarias eorum superiorum Regularium interpretationes occasio præbeatur, quamobrem censurarum uinculis fidelium animæ irretiantur.

7 Constitutio illa, qua à Pio V. Summo Pontifice interdictum est, omnes cuiusuis ordinis mulieres etiam generis splendore, aut dignitate illustres, Monasteria ingredi, quotannis semel, atque adeò sepius certis festis diebus, arbitrio Episcopi promulgetur. 3. De Mon. & Reg. De Constit. 13.

Quæ alia hoc Tit. fortasse desiderantur, vide Tit. de Confessarijs, & Concionatoribus, & prædicatione verbi Dei, & copiosius in Indice.

De Monialibus.

De Ecclesia exteriori, & interiori Monialium, tàm ex decretis Prouincialibus quam instruct. Eccl. fabr.

SVMMARIVM.

1 *Ecclesia monialium exterior qualis.*
2 *Amplitudo illius quanta; tectumque cuiusmodi.*
3 *Transuerso pariete ab interiori diuidenda.*
4 *Altare maius præscriptæ formæ, vbi innitendum.*
Quo integumento operiendum. 10.
In ipso sanctissimum sacramentum asseruandum. 11.
5 *Gradibus quot, quibusque præcingendum.*
Quotque alij paulò distantiùs accommodandi. 23.
6 *Fenestra ipso in Altari, & vbi construenda.*
Qua tamen cautione constituenda. 27.
7 *Fenestræ huius, quæ forma, tàm ex institutionibus fabricæ, quàm decretis Prouincialibus.*
8 *Ea lineo panno contecta, valuis, clauque munienda, & à qua moniali clauis ipsa asseruanda. 7. in fi.*

Eadem à latere ædificata, obstruenda.

12 Fenestella ad vsum exponendi sacras vestes, vbi, & qualiter exstruenda, & munienda. 14.

13 Qualisque rota inserenda.

15 Fenestella ad vsum ministrandæ sacræ Communionis vbi, & qualiter ædificanda ex Inst. fab. & decretis Prouinc. 17. in fi.

16 Ea quibus valuis munienda: & à quo clauis asseruanda. 17. in fi.

17 Scabellum, sub ipsa fenestella collocandum, quale, tàm in exteriori, quàm interiori Ecclesia.

18 Fenestella Reliquiarum sacrarum vbi, & qua ratione conficienda, & ornanda, ex Inst. fab. & decretis Prouincialib. 19. in fi.

19 Quotque clauibus munienda; & à quibus illæ asseruandæ.

20 Fenestella sacri olei, olei infirmorum, vbi, & quo modo ædificanda.

Fenestella Confessionum, qua forma exstruenda. De Monasterio Monialium, nu. 31.

21 Ostia } aliæ omnes, præter suprà scriptà in Ecclesiam, Sacri-
22 Fenestræq; } stiamuè spectantes inædificandæ.

24 Sacristia, vbi, & qua forma ædificanda: quæque in illius exstructione cauenda.

25 Oratorium, Altare, Lauacrum, Armarium } in ea existant.

26 Capellæ duæ, vbi, & quando, in hac Ecclesia permittendæ.

Hac in Ecclesia nullus celebret absque licentia. De Missis sine cantu. 36. & 37.

Noctu ad orandum nullus intromittatur, cùm oratio quadraginta horarum exponitur. De oratione 40. hor. nu. 21.

28 Festus dies Ecclesiæ monialium, non magnifico apparatu celebrandus.

Cantusque figuratus, ad musica instrumenta, non adhibendus. Ibid.

29 Ecclesia Monialium interior qualis. & Tit. de Monast. Mon. nu. 36.

30 Vbi illa non ædificanda.

31 Campanile, qua Ecclesiæ parte, quaque ratione exædificandum.

32 Organum non permittendum, nisi locus ante probatus fuerit.

33 Musica instrumenta, quæ monialibus sonare prohibentur.

Sonandi artem discendi causa accessus ad monialium monasteria omnibus prohibetur remissiuè. De Clausura monialium, nu. 35.

1 DEmonstrata forma aliarum Ecclesiarum, sequitur institutio Ecclesiæ monialium. Inst. fab. Eccl. lib. 1. c. 31.

Hæc igitur exstrui potest, quæ vna tantum naui constet; in orientemque versùs, si pro monasterij situ fieri potest, spectet.

2 Ampla sit pro situs rõne: tecto fornicato, aut laqueato, cæterisq; reb. instructa ad præscriptũ.

3 Capella maior nulla in ea insit: sed paries in transuerso fiat, quo interior Ecclesia ab exteriori, vbi Sacerdos sacrum facit, diuidatur. Ibid. De Altari maiori.

4 Parieti illi in transuersum ducto, Altare innitatur, in eius medio exædificatum: quod latitudine, longitudine, & altitudine sit, Altari maiori suprà præscripta.

5 Gradus in ascensu Altaris tres sint, vnà cum eo, quem scabellum constituit: singuli autem gradus forma, & modo, supra præfinito. Scabellum verò, seu bradella eiusmodi item, suprà in Altaris maioris exstructione constituta.

6 E conspectu Altaris in transuerso eo pariete fenestra fiat: vnde moniales Missæ sacrum spectent, & audiant. Ibid. De fenestra in Alt. mai. constit.

7 Quæ fenestra ità, sicut Altare, late patens sit, altè ducta cubitis circiter duobus: cuius ima pars à superficie Altaris, pariete altè exstructa sit cubito vno, & vncijs saltem decem.

Munita sit opere clathrato ferreo, eoque duplici, ac simili, & inter se vncijs circiter duodecim distanti.

Vniuscuiusque autem clathrati operis cancelli, ità tamen compacti sint, vt vnius ab altero interuallum sit non amplius vncijs tribus: atque ità benè septi, vt vnus ab altero diuelli, disiungiuè nullo modo facilè queat. Intrinsecus autem valuas habeat, pessulo, & claue munitas: quæ aut à lateribus aperiantur, aut trochlæa, funiculoque tractili sursum ducantur.

Fenestra, qua sanctissimæ Eucharistiæ eleuatio prospicitur, altius nè pateat cubitis duobus, & vncijs duodecim, latè verò, vt Altaris latitudo est. 4. De Moni.

In qua fenestra, clathra ferrea duo, palmi spacio inter se distantia firmiter configantur. Virgæ autem ferreæ, quibus clathra compacta sunt, singulæ inter se distent non amplius vncijs tribus.

Sint autem inter se insertę, ità, vt loco suo dimoueri non queant.

Claudantur autem fenestræ ab interiori parte firmis valuis, sera, & claui, quæ apud prefectam asseruetur.

Ea fenestra perpetuò lineo panno contecta sit, qui tantummodo cũ sustollitur sacrosancta Eucharistia, amoueatur. Fenestrę autem ratio sit eiusmodi, vt Sacerdos ex Altari moniales intueri nequeat. 5. De clausu. ractę.

4. De Monialibus.

9 Vbi autem illa è latere Altaris, Ecclesiæuè, aut alio loco, etiam superiori, est, vnde moniales eos, qui in Ecclesia exteriore sunt, spectare possunt, efficiat Episcopus quàm primùm, vt super Altari, vnde Missæ sacrificium moniales intuentur, ad institutionum præscriptum exstruatur, laterali illa, aliauè, quęcumque sit penitus obstructa.

Inst fab. lib. j. cap. 31.

10 *Altare concamerato opere contegi poterit, pariete crassiori fronti, aut columellis binis, pilisuè paulum ab ipso pariete distantibus, erectis: quibus opus fornicatum, cameratumuè nitatur.*

Quæ columellæ ab Altaris vtroque cornu distent cubitis duobus.

Si fornix non fit, integumento ligneo, vel ex panno serico, telauè confecto, eoque aptè ornato, quod capocelum vocant, operiatur.

1. De diu. off. pcat. & lect. Monial. Sess. 25 c. 10. de reg. & M. 4. Ibidem. Sess. 25. c. 10. de reg.

11 Quoniam verò à Tridentina sancta Synodo prohibetur, nè in Choro, uel Monasterij septis, sed in Ecclesia publica sanctissimũ Christi Corpus conseruetur; efficiant Superiores, ut eiusmodi decreto ubique obtemperetur.

Sanctissimum sacramentum nè alibi, quàm in Altari maiori asseruetur, cui lampas in Ecclesia interiori semper pręluceat, & in exteriori; cùm illius fores patebunt.

Inst fab. Ibid. De fenest. ad vsum exp. vest. sa.

12 *In pariete transuerso inter vnam, & alteram Ecclesiam interiectò, à parte quæ monialium Sacristiæ commodior sit, fenestra fiat, rota aptè constituta, vnde sacræ vestes ad Missæ sacri vsum exponantur.*

13 *Quæ rota, fenestraue à solo pauimenti altè extructa sit tribus circiter cubitis. Hæc ipsa rota eiusmodi sit, vt tota penè sita inhæreat in crassitudine parietis, qui aliquo ministrationis opere crassior propterea fiat.*

14 *Munietur valuis ab vno, & altero latere, quæ binæ sint, vnæ ab interiori monialium parte, alteræ extrinsecùs: & ambæ aptè claudantur clauibus: quarũ interior à præfecta, exterior à Capellano teneatur.*

Vide infr. de Rotis ex 4. Ibid. de fenestell. ad vsum minist. sacræ comm.

In huius fenestræ, & rotæ structura, seruentur cætera, infrà communiter præscripta rotis conficiendis.

15 *Ab altera parte Altaris, in eodem transuerso pariete, fenestellula alia, sculptorio, inauratoque opere piè ornata, exstruatur, vnde monialibus sacra Communio ministretur.*

Cuius fenestellulæ planum æquale sit, & à pauimento Ecclesiæ altè exædificatum cubitis duobus, vncijs sexdecim. Hæc fenestellula latè pateat extrinsecùs cubitum, vnum; & vncias duodecim, altè extructa cubitum itidem vnum, & vncias xviij. ità vt in primo aspectu latioris, intrinsecùs autem angustioris formæ speciem præ se ferat.

Tota autem in ipsa parietis crassitudine inerit, quæ cubitalis sit; ità tamen, vt intrinsecùs à parte monialium extremi parietis crassitudo, nè latior sit vncijs duabus, aut tribus. Intùs verò in eo extremo pariete spacium insit, cubito vno; in quo spacio fenestellula, altitudine vn-

ciarum.

ciarum octo, latitudine sex, fiat; vnde monialibus sacra Eucharistia præbeatur.

16 In fenestellula à parte interiori valuulæ ferreæ, aut æneæ sint, politè confectæ, quæ pessulo, & claue obserentur, à parte exteriori valuulæ paulò maiores, quibus tota fenestellula sæpiatur, adiunctis, sera, claue, & pessulo.

17 Sub ipsa fenestellula in pauimento Ecclesiæ paruulum scabellum collocetur, altitudine vnciarum octo, quod tapeto sterni possit: vbi stans Sacerdos sacram Communionem monialibus ministret. Hoc autem scabellum modo altius, modo humilius exstrui poterit pro statura Sacerdotis ministrantis.

A parte verò interiori, vbi moniales sunt, scabellum alterum non minus duobus cubitis, ab omni parte patens, ad quod aliquod gradibus ascendatur, exstrui poterit; ità, vt ibi genibus flexis illæ facilè fenestellulam, vnde sacram Communionem sumunt ore attingant. In ipsius autem fenestellulæ pariete nihil impedimenti subtus ex assibus exstruetur, quo propius monialis, sacramentum sumens, ipsi fenestellulæ hæreat.

Fenestella, ad Ecclesiam versus spectans, per quam moniales sacram Eucharistiam sumunt, ità altè, aptèque struatur, vt Sacerdos illam ministrando commodè stet, non genua flectat. Cui fenestellæ extrinsecùs valuulæ ligneæ præter illas, quæ modo sunt, apponantur, quæ parietem æquent; earum clauis apud Confessarium perpetuò sit. 4. Ibidem.

18 Fenestra præterea alia fiat, quæ à parte superiori fenestellulæ, vnde sacra Eucharistia sumitur, in Ecclesia exteriori sit: vbi sacræ Reliquiæ, si quæ sunt, rectè, atque ordine recondantur. Inst. fab. Ibid. de fenestra sacr. reliq.

Quæ fenestra ab interiori parte altitudinis sit vnciarum sexdecim, latitudinis duodecim: munita verò clathris ferreis, adiuncto opere vitreo pellucido, pannoque serico obducto, & valuis præterea clausis; ità vt sacras Reliquias inspicere, nec verò tangere vllo modo queant.

19 A parte verò exteriori, quæ in Ecclesiam spectat, eiusmodi sit; vbi loculi, vasculaue Reliquiarum aptè collocentur: valuasque habeat benè firmas, seris, & pessulis tribus munitas: quæ tribus etiam clauibus, & vnaquæque fabrili opere diuerso distincta, claudantur.

Reliquiæ sacræ in fenestella recondantur, quæ ad institutionum nostrarum præscriptum, in pariete Ecclesiæ interioris exædificata, ab ea tantum parte, quæ ad exteriorem Ecclesiam spectat, aperiri possit. Claudatur autem hæc fenestella tribus clauibus, diuerso opere confectis; quarum vna apud Episcopum, altera apud Confessarium, tertia apud monasterij præfectam sit. 4. Ibidem.

20 In superiori præterea parte fenestræ, vbi rota collocata est, fenestellula pro præscriptæ formulæ ratione exstruatur: in qua sacrum oleum Inst. fab. Ibid. de fenestra sacri olei infir.

infirmorum aſseruetur. Hæc verò feneſtellula à parte tantum exterioris Eccleſiæ patefieri queat, adhibitis firmis valuulis, ſera, & claue. Sin autem nullæ in ea Eccleſia Reliquiæ extrà Altare aſseruandæ ſunt; hoc in ſuperiori parte feneſtra fiat, vnde ſacra Communio miniſtratur.

1. De clauſura, &c. Bulla Greg. XIII. 1572.

21 Oſtia, per quæ à ſeptis monaſterij in exteriorem Eccleſiam patet aditus, ad menſem muro obſtruantur. Si quid in hoc præfectæ culpa, vel negligentia commiſſum fuerit, ea & officio, & velo ſuperioris arbitrio priuetur.

22 Omnes feneſtræ, & cancelli, & quicumque locus, per quem moniales externam Eccleſiam introſpicere poſſint, inædificentur, præter feneſtram, in qua collocata eſt rota; & feneſtellulam ad ſolum ſacroſanctæ Euchariſtiæ ſumendæ vſum conſtitutam, ac illam feneſtram, per quam Corpus, & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, à Sacerdote celebrante elatum, aſpicere poſſint.

4. Ibidem.

Nulla feneſtra, præter illas, primo Concilio Prouinciali nominatim præſcriptas, è monaſterio in Eccleſiam, Sacriſtiamuè exteriorem ſpectet, ac nè rima quidem, ne dum foramen vllum in ea extet, vnde aſpectus, aut collocutio fieri poſſit.

Inſt Ibid. De Grad. Altaris,

23 *A gradu vltimo ſcabelli Altaris, diſtantes ſex cubitis, tres alij gradus, aut plures, pro ſitus ratione, de Architecti conſilio fiant: per quos ad gremium Eccleſiæ deſcendatur. Quod aliquanto humilius pauimento erit: vbi Altare exædificatum eſt.*

In ſummo gradu clathra ferrea ad præſcriptum ſuffigantur.

Gradus ij ſinguli nè altiores ſint vncijs octo, nè latiores viginti quatuor, in tranſuerſumque Eccleſiæ ducti; aut tàm longè patentes, quantum ſpacij oſtium in clathris ferreis capit.

24 *In capite Eccleſiæ paruula Sacriſtia, cuius ianua intrà clathrorum fines ſit, aptè exſtruatur; quæ ſacerdotibus, ſacras veſtes exuētibus, vſui ſit.*

25 *Qua in ædificatione illud caueatur, nè quicquàm operis, ſiue feneſtra ſit, ſiue rota, aliudue eiuſmodi fiat; vnde in monaſterium monialium proſpectus, aut auditus ſit. Idque propterea, labrum aquarium, quod in Sacriſtia exteriori ad vſum lauationis manuum exſtruetur, nullum omninò tubulum, canalemuè habeat, per quem ex interiori monaſterij Sacriſtia aquam excipiat, quæ eò aliundè importetur, aut infundatur. Neue quicquam ædificij in ſuperiori parte fiat; quò ipſis monialibus aditus vllo modo eſſe poſſit.*

Fiat in ea, & Oratorium, & Altare vnum, quod vſui ſit, cùm Sacerdotes ſacris ſe veſtibus induunt, & vaſculum præſcripta forma ad abluendas manus: idque nè in pariete, inter monaſterium, & Sacriſtiam interiecto; & armarium item, in quo ſacra indumenta aſſeruentur; & aliud prætereà nihil.

Ne

16 *In monialium Ecclesia Capellæ duæ, vna à dextro, altera à sinistro latere fiant, forma præscripta, eæq; in gremio Ecclesiæ, si ibi ob aliquam causam plures Missas eodem tempore aliquando celebrari necesse est.* Inst. Ibid. De Capellis.

27 *Cautio sit, vt fenestra Altaris clathrata ità constituetur, nè inde in viam publicam, præsertim vbi spectacula aguntur, aut multitudinis frequens transitus est, prospici possit.* Ibid. de fenestra Altaris.

Cui rei, vt occurratur, atrium paruulum pro foribus Ecclesiæ extruendum est: cuius atrij ianua ab aliquo latere sit, quod ipsis foribus Ecclesiæ recta non respondeat; aut certè, si aliud fieri non possit, ipsius Ecclesiæ aditus è latere sit: idque Architecti iudicio pro situs ratione.

28 Ne magnifici, & sumptuosi apparatus fiant, cùm dies festus Ecclesiæ monialium celebratur: sed pij, ac modesti, & qui Religionem, non inanem aliquam speciem præ se ferant. 1. De Concion. Cõfess. &c. Monial.

Quo non admittantur musici, figuratum cantum, aut quoduis musicum instrumentum adhibentes.

Quod de cantu figurato, & musico quouis instrumento, & musicis item die festo Ecclesiæ monialium, in exteriori Ecclesia non adhibendis, Concilio Prouinciali primo sancitum per nos est; id etiam omni alio die, & tempore illis vetitum esse decernimus. 4. Ibidem.

Nec verò quicquàm aliud præter Missam in exteriori illarum Ecclesia ab alijs canatur; cùm vesperarum, & reliquarum Canonicarum horarum officia ab ipsis monialibus cani possint.

29 *Ecclesia interior, vna tantum naui constet, sine vllis Capellis: pauimento vndique æquali sit, neque ab vlla parte gradibus paulò altior.* Inst. fab. Ibid. de Eccl. interiori.

Illud verò pauimentum cubito vno, aut vno, & dimidio humilius sit, quàm pauimentum, vbi Altare extrinsecùs collocatum est.

30 *Illud, vbi maximè potest, cauendum est, nè monialium Ecclesia interior propè vias publicas extruatur: quæ si pro situs ratione exædificetur, aliquando necesse est: nè à pariete, qui ad vias publicas vergit, fenestræ fiant; sed lumen excipiatur à parte, quæ monasterium attingit: contràque fiat in Ecclesia exteriori, cuius fenestræ non à monasterio, sed à via publica sint.*

31 *Turris Campanilis, Ecclesiæ interiori monialium coniuncta esse debet: cuius neque ostium, neque fenestra, ac nè rima quidem vlla in Ecclesiam exteriorem aliqua ex parte spectet. Altè extruatur pro Ecclesiæ ratione; ità tamen, vt humilior, ac deprèssior existat, quam structuræ forma, modusque postulet.*

Primum eius tabulatum fornice benè firma constet: in qua, vel ab aliquo latere inesse potest ostiolum angustum, per quod, cùm necesse erit, ad summam turrim ascensus detur: neque aliunde aditus pateat. At foramina exigua sint, per quæ tractorij campanarum funes tantum ducantur.

Ostiolum

Ostiolum verò illud ità compactum sit, vt claudatur pessulis binis, seris binis, clauibus binis, opere fabrili diuerso. Reliqua superiora tabulata ex materia lignea esse poterunt: lumen excipient ex fenestriculis exiguis, iisdemque clathratis: summum uerò fenestras, vt moris est, habebit.

1. De Clausura, &c.

32 Organum autem in posterum nè constituatur; nisi locus, in quo aptè locetur, Superioris iudicio ante probetur.

33 Prohibentur etiam moniales ipsę intus, aut per alios foris sonare musicis instrumentis, pręter Organa, & Harpicordium, quo ars Organo sonandi discitur.

Quæ ad hunc titulum pertinere possunt, videantur tit. sequenti. & De clausura, &c.

De Monasterio Monialium, & eius partibus, tàm ex decretis Prouinc. quàm instruct. fabricæ.

SVMMARIVM.

1 *Monasterium nouum Monialium, ex decretis Prouincialibus qualiter ædificandum, reconcinnandumuè. & 2.*
2 *Situs eiusdem vbi, ex instructionibus fabricæ Ecclesiasticæ deligẽdus.*
3 *Loca inferiora, quæq; superiora habeat: & quæ alia ab his distincta.*

Loca inferiora quæ.

4 *Ariolum Capitulare, & nu. 36.*
5 *Triclinium, seu Refectorium, & nu. 36.*
6 *Cella vinaria, cum loco adiuncto.*
7 *Coquina, cum cellis aliis.*
8 *Locus lauationis manuum, & nu. 36.*
9 *Locus calefactionis, & nu. 36.*
10 *Locus laborum, & nu. 36.*
11 *Porticus.*
12 *Cellæ collocutionis.*
13 *Fenestræ collocutionis.*
14 *Ianuæ.*
15 *Rotæ.*
16 *Furnus. Et De clausura, nu. 20.*
17 *Locus lauationis.*
18 *Tonstrina.*
19 *Locus Cancellariæ.*
20 *Promptuarium.*
21 *Officina aromataria.*

& qualia.

Locus

22 *Locus dormitionis, aut cellæ dormitoriæ. & nu. 36.*
23 *Latrinæ.*
24 *Locus scholæ Nouitiarum.*
25 *Vestiarium.*
26 *Horreum, Granariumuè.*

Loca superiora quæ. — *& qualia.*

27 *Valetudinarium. & nu. 36.*
28 *Locus educationis puellarum.*
29 *Viridarium.*
30 *Carcer, & locus secessionis.*
31 *Locus interior, & exterior audiendæ confessionis.*
32 *Diuersorium confessarij, & nu. 36.*
33 *Foresterię, Hospitiauè.*
34 *Diuersorium famulorum, & colonorum aduenientium.*
35 *Domicilium conuersarum.*

Loca distincta q̃. — *& qualia.*

36 *Cautiones quæ adhibendæ in tota Monasterij ædificatione.*
37 *Cautiones quædam de omni Ecclesiastica ædificatione.*

IL quando nouum monialium Monasterium constructur, hoc in primis curabitur, ut nulla fenestra, nullaue specula alio, quàm intus Monasterij septum spectet. Quod septum non simplici pariete, sed ipsis claustris, porticibusuè claudat. 4. De Monialibus.

In eius autem sepi medio uiridarium magna ex parte constitui poterit.

Ad huius formę modum Monasteria, quę iam exędificata sunt, quò ad eius fieri poterit, accommodari, reconcinnariuè, id Epo curę sit.

2 *Ecclesiæ Monialium adiunctum est illarum Monasterium: de quo demùm restat, vt institutionem aliquam breui conscribamus.* Inst. fab. lib. j. c. 32. De Monast. Monial.

Primo Monasterij huius situs deligatur, qui ex Canonis Agathensis cautione, procul, vt par est, absit cùm à Monachorum, Regulariumuè Monasterijs, tùm etiam à Canonicalibus, Clericalibusuè ędibus, Ecclesijs Collegiatis, à turribus, à mœnijs publicis, propugnaculis, vallo, arce, & à prędaltis ædificijs, vnde etiam prospectus intrò esse possit. Laicali porrò ædificio coniunctum, vbi fieri potest, nulla parte sit: sed aliquo interuallo diiunctum, ac separatum.

Longè item à plateis, emporijs, omni foro, viaque denique qua iumenta, currus, vehicula, aliaque id generis crebrius agi, duciuè solent, & à locis: item,

item, vbi multitudinis, vel concursatio, vel conuentus, vel strepitus fit.

Rursus cautio etiam sit, nè eius monasterij positio eligatur in loco abdito, occulto, valdeq; admodum remoto ab hominũ frequentia: nè præterea, quod sacra Tridentina Synodus à monasterij monialium ratione alienum censuit, extrà vrbis, oppidi, alteriusuè loci mœnia vllo sanè modo.

Sess. 25. ca. 5. de regul.

3 Loca huius monasterij, omnibus partibus absoluti, de quibus infrà sigillatim dicemus, hæc sunt, pro vario vsu distincta. Ac primo quidem inferiora.

Atriolum Capituli.
Triclinium, quod Refectorium dicunt.
Cella vinaria.
Coquina.
Locus Calefactionis.
Locus vasis aquarij ad manus abluendas.
Locus laborum.
Porticus.
Cella interior, & exterior ad collocutionis vsum.
Ianuæ.
Rotæ.
Furnus.
Locus lauationis.
Tonstrina.
Locus Cancellariæ.
Promptuarium.
Officina aromataria.

Loca superiora.

Locus Dormitionis, aut Cellæ Dormitoriæ.
Locus Scholæ Nouitiarum.
Locus Vestiarius.
Horreum.

Loca distincta.

Valetudinarium.
Locus educationis puellarum.
Viridarium.
Carcer, & locus secessionis.
Locus interior, & exterior confessionis.
Diuersorium item exterius colonorum aduenientium.
Diuersorium Confessarij Sacerdotis.

Ibi. de Atrio Capituli.

4 Atriolum, in quo capitularis monialium Conuentus habetu magnum esse debet pro monialium numero, constitutis ab omni parte sedilibus

libus. Forma sit non oblonga, nec verò augusta; sed, quò ad eius fieri potest, quadrata specie potius; vt quando à præfecta cohortatio, monitiouè fit vndique commodius exaudiatur.

Subobscurum potius esse debet, quàm illustre: tùm præterea picturis aliquot, pietatem excitantibus, ornatum; ab ea præsertim parte, in qua præfectæ sedile collocatum est.

5 Triclinium, quod refectorium vocant, loco exstruatur, qui cæteris monasterij partibus commodior sit. Ibid. De Refect. & cella vinaria.

Structura ampla fiat, quæ commodè capiat non modo moniales omnes, ab omni parte parietum sedentes, sed aliquanto etiam plures, quas deinceps in monasterium pro illius amplitudine, facultatumque ratione recipi posse verisimile est.

Habeat à capite ornatum sacrarum imaginum, piè, decorèque pictarum: ab vno etiam latere suggestum, in medio pariete exstructum, vnde sacra lectio commodè in omni parte audiatur.

Fenestras item ab vtroque latere, vnde lux hauriatur.

6 Cellam præterea vinariam subtus exædificatam; quæ fenestras itidem habeat, ordine, rectèque partitas.

Vtrique loco, Triclinio scilicet, & Cellæ Vinariæ, locus alius prope esse debet, is que vsui præfectæ cellæ vinariæ, ad lagenas, crateras testaceas, vasaque eiusmodi vinaria, & aquaria reponenda: aut, si fieri potest, ob eum ipsum vsum chors paruula cum puteo.

7 Coquinæ positio, aut maximè potest, triclinio propè sit, vt inde per fenestram, aut paruulo vestibulo interiecto, fercula, lances uè exponantur monialibus, in triclinio ministrantibus. Inst. Ibid. De Coquina.

Eius situs amplè patere debet, camino, qui illius magnitudini pro ratione respondeat, exstructo, clibano item paruo, in quo esculenta coquantur.

Huic coquinariæ structura loca hæc ad eiusdem vsum adiuncta esse debent, cella, vbi cocti cibi dimensio fit; cella promptuaria, penariaue è esculenti, obsonijue è quotidiani: locus ad lances, ollas, vasaue è escaria lauanda; & chors præterea ab alijs separata cum puteo: vnde si aqua tubulis ligneis ductilibus hauritur, adhiberi, accommodariue è poterunt canales plumbei, aut lignei, alteriusue è generis, per quos, prout opus erit, aqua in locum lauationis, & in coquinam ducatur.

Alia item chors exstruetur ad gallinarij vsum.

8 Locus vasis, labriue è aquarij, ad quem moniales, antequàm mensæ benedicant, manus abluturæ conueniunt, à triclinio, & ab atriolo capituli, non longè exstrui debet, ea porrò magnitudine, quæ monialium numero respondeat. Ibid. de loco lauat. Mon.

Quo loco malluuium, vas scilicet aquarium, vel marmoreum, vel æneũ, alte-

alterius ue generis, in pariete agglutinatum, totidem papillas habeat, quot eius longitudo requirit: subtus exædificato prætereà sinu aquario cõcauo, & accliui, vnde per foramina aqua, è malluuio effluens, aliò deriuetur.

Ibid. de loco Calef. 9 Locus calefactionis, quem hypocaustum dicunt, caminata scilicet structura, vbi, igne succenso, moniales per hyeme ad calefaciendum conueniũt, exædificari potest; non longè à triclinio & loco lauationis manuum: isque tantæ magnitudinis esse debet, quanta numerum earum capiat.

Caminum structilem, quaqua versum latè patentem habeat, aut parieti hærentẽ aut in medio extructũ; vt ab omni parte locus sit ad calescendũ.

Ibid. de loco lab. 10 Loci laborum, quò ad opera, manibus elaboranda, moniales certis horis conueniunt, situs illustris esse debet, nec ab vlla parte suboscurus, vt vndique lumen hauriatur, quod in laboribus conficiendis, & in operibus, vel contexendis, vel acu pingendis, elaborandis ue necessariò requiritur.

Sit item peramplus, & structura eiusmodi, qua locus luminosus reddatur.

4. De Monialibus. In vnoquoque monasterio, vbi neque locus communis vestium; neque alter est item, in quo operibus elaborandis moniales exercentur, vterque quàm primùm fieri potest, constituatur, construaturve. Reliqua videantur in tit. de Præfectis, & alijs ministris Mon.

Inst. Ibid. de Porticibus. 11 Porticus simplices sint, nempè è simplici columnarum, aut pilastratarum ordine constructæ: atque adeò structura omni humili potius, quàm magnifica, & sumptuosa: ab omnique parte ductæ, quadri formam præbeant. Hæ, vt aliæ suprà expositæ ædificationes, tecto laqueato, alioue ligneo opere constare possunt: at ob perpetuitatem, tùm etiam, vt periculum incendij cautius euitetur, opere fornicato potius fieri debent.

Inst. Ibid. de Cellis collocut. 12 Cella collocutionis, & interior, & exterior, loco non semoto, neque abdito, sed publico, perspicuoque exstrui debet, ac propè monasterij ostium auditorij.

Interioris Cellę fenestrę lumen à monasterio intrinsecùs excipiant; exterioris verò à parte, quæ extrinsecùs est. Portò illa cautio adhibeatur, vt præter vna, pluresue fenestras, ad collocutionem accõmodatas, in pariete, inter vtramque cellam interiecto, nulla omninò alia inlit.

1. De clausura, &c. Ostia locorum, quæ collocutioni solum, etiam intus, & foris sunt attributa, semper clausa sint: quorum claues sint apud antiquissimam earum monialium, quæ audiendis sermonibus sint præpositæ. Nec, nisi cùm opus sit longiori collocutione, aperiantur. Cæterum ianitrix ex clathrata ianuæ fenestellula, ianua tamen clausa, rotariæ ex rota respondebunt pulsantibus.

Loca autem intus, & foris collocutioni attributa, cùm ibi sint, qui loquantur, semper pateant, vt, quinàm sint, videri possint.

Inst. Ibid. de fenestris collocutionis. 13 Fenestra collocutionis benè munita sit opere clathrato ferreo duplici,

ci, vnciarum circiter duodecim interuallo inter vnum, & alterum interiecto. Opus verò clathratum eiusmodi sit, vt spissi clathri, firmiter infixi, inter se singuli, non amplius distent vncijs tribus.

Instruatur præterea lamina ferrea: quæ latius paulò, quàm fenestra, vndique patens, à parte monasterij intus parieti infixa, firmoque bitumine agglutinata, clathrato operi interiori adhæresçat. Sit verò plena aliquot foraminibus magnitudine ciceris, ijsdemque inter se distantibus spacio vnciarum circiter trium.

Habeat item fenestellulam, in medio exstructam, vncias sexdecim vndique patentem: quæ sera, vecte, & claue claudatur.

Obducatur item fenestra, intrinsecus tela, nigri coloris affixa instrumento telari, quod aperiri queat.

Quibus porrò in monasterijs illud ordinis, regulæque institutum est, vt è fenestra collocutionis nullus monialium conspectus detur, in ijs illa fenestra, simplici tantum opere clathrato instructa, & lamina ferrea, obducta sit, quæ nullam fenestellulam habeat, & tela re eiusmodi, quod non aperiatur.

Monialibus nulla quidem nimia diligentia uideri debet ad eius the sauri custodiam, cuius causa propinquis, rei familiari, ac terrenis omnibus rebus, curisque renunciantes, in septa Monasterij se incluserunt. 1. Vt supra.

Vt igitur sanctum earum propositum, ea ex parte, quæ diaboli insidijs maximè patet, communiatur, curent Episcopi, ut ad omnes fenestrellas, vbi colloquendum sit, duo ferrei clathri, seu cancelli construantur, qui saltem palmo distent, alter ab altero.

Inter virgas ferreas, quibus singuli cancelli compacti sunt, nō plus omninò, quàm uncia intersit. Sint autem virgæ ità solidæ ut neque facilè frangi, neque flecti possint.

Intimo verò cancello, quo moniales ad colloquendum accedunt, ferrea lamina appingatur, quę moueri nequeat; sitque exiguis foraminibus, ad audiendi tantum commoditatem perforata, cui lineus pannus nigri coloris, ligneis tabellis affixus, instar fenestræ, quæ aperiri possit, cùm erit colloquendum apponatur.

In ea lamina fieri possit quadrata fenestellula nouem tantummodo vnciarum, cuius clauis à præfecta custodiatur: neque eam fenestellulam aperire liceat, nisi quo tempore colloquendum sit cum Episcopo, vel ordinis superioribus, aut cum parentibus, & fratribus monialium, & alijs arcta propinquitate generis coniunctis: aut cùm instrumentum aliquod confici, uel sacrum sermonem audiri oporteat.

Quod uerò ad huius fenestellulæ concessionem attinet, excepta sint monasteria, quorum moniales, vel lege, vel consuetudine ab externis hominibus conspici numquàm solent.

Ne

4. De Monia. Ne feneſtra laminæ ferreæ, vt primo Concilio Prouinciali cautum eſt, vmquam aperiatur, niſi perrarò, & ob cauſam, quam vrgentem Epiſcopus iudicarit.

Loca collocutionum interna, parlatoria, vulgo vocata, quæ in poſterum fient, vna, eademque ſpacij circumſcriptione, nullo interiecto pariete, contineantur, & ad formæ, qua iam pleraq; exædificata ſunt, modum accommodentur, vbi id non magno incommodo fieri poterit, vt ab eiſdem auſcultatricibus omnes poſſint collocutiones exaudiri.

Inſt. fab. Ibid. *Vbi ob monialium multitudinem duabus, tribusue, aut pluribus ad collocutionem feneſtris opus eſt: eas vno in loco, cellaue, ſi commodum eſt, intus exſtrui expedit ad rationem præſcriptam: ità tamen, vt recta, ordineque longè ductæ, ſpacium inter ſe habeant quattuor, vel quinque cubitorum. Diſtingui tamen, ac ſeparari illæ poterunt pariete interiecto, ſi modo in eo feneſtra, aperturaue ſit, vnde monialis, ad clathratam collocutionis feneſtram colloquens, ab alijs, quæ in cæteris deinceps feneſtris colloquuntur, rectè conſpiciatur.*

Nec verò rota ductilis in vllo collocutionis loco imponatur, conſtituturue, niſi in vno tantum, nempè in feneſtra, ad eam rotæ collocationem potiſſimùm accommodata.

4. Ibidem. Si verò loca, vt dicunt, parlatoria complura erunt, in vno tantum, aut in altero ad ſummum, ſuperiorum indicio rota ſit.

6. Quæ ad Monial. pert. Collocutionũ loca in monialiũ monaſterij, tàm intrinſecùs, q̃ extrinſecus conſtituta claui clauſa perpetuò ſint; niſi cùm ibi quis eſt collocutionis cã ex facultate legitima. Clauis autẽ apud præfectã cuſtodiatur.

Vt aũt, quod de vetito ad monialium monaſteria acceſſu cautum eſt, certis diebus iure ſeruetur, clauis ẽt adhibeatur oſtio loci exteriore collocutionum in monaſterijs: quæ clauis, noctu præſertim ab Epo committatur Cõfeſſario, alijuè pio viro arbitratu ſuo. Is verò illis diebus nè aperiat, neuè clauẽ aperiẽdi tradat, niſi facultatẽ Epi ſcriptã exhibenti.

4. Ibidem. 14 Monaſteriũ ianuas, per quas ad illius ſepta aditus pateat, duas habeat, & alias præterea nullas. Quarũ duarũ ianuarũ, vna iumentis, curribus, vehiculisque agendis, altera alijs vſibus, & commodis neceſſarijs inſeruiat. Quò autem in monaſterio vna tantum ad omnem tùm actũ, tùm vſum ſatis eſſe videbitur, in eo illa dumtaxat vna ſit.

Ianua vtraque è duplici aſſere, eoque firmo conſtet, ac ſine vlla item ſit, nè minima quidem rimula. Limen è marmore, ſolidoue lapide habeat, quod ſtrictim ipſi portæ cohæreſcat.

Ianuæ curruũ, iumentorũue altera & aſſeribus firmis, ad cãcelli ſpeciẽ confecta, in monaſterio ipſo adiungatur, q̃ à prima ianua paululum diſtet, formaq; ſit in fabricæ Eccleſiaſticæ inſtructionibus demõſtrata.

Ad ianuam alteram, alijs vſibus accommodatam, cui rota, quem tur-

num

rium vocant, adiungetur, moniales duę semper assistant, quę ianitrices constituentur.

Singulę hæ tres ianuę clauibus duabus, fabrili opere inter se diuersis, claudantur, quarum vnam etiam die, monasterij prępfecta, alteram monialis, quę professione anterior est, apud se perpetuo habeat.

Ianuę septorum monasterij die clausę sint vna saltē claue; quę ab antiquiore ianitrice custodiatur, vt cùm opus fuerit, aperiri possint. Nequamquam autem aperiantur; nisi duabus ianitricibus prȩsētibus. At noctu duabus clauibus diuersis claudantur; quarum altera asseruetur à prȩfecta, altera verò ab eadem ianitrice antiquiore. Cùm autē ianuę aliqua necessaria causa aperiuntur, moniales non audeant eò accedere, ut externum quidquam aspiciant, vel cum vllo omninò, aut mare, aut fœmina colloquantur. Quæ id ausa fuerit, includatur in cellam, vbi tamdiù sit, quamdiù superiori videbitur, qua pœna etiam plectatur ea, quę ianuę prępposita est, si aut id permiserit, aut eiusmodi petulantiam statim ad superiorem non detulerit. 1. De Præfectis, & alijs Minist. Mon.

Quò autem sanctior huius clausurę cautio adhibeatur, Episcopus, vbi expedire censuerit, pessulum vectemuè ostijs singulis clausurę ab exteriore parte claudendum apponi mandet arbitratu suo, clauemque noctu præsertim ei committat, quem fidum, probum, aptumque esse iudicarit. 6. Vt suprà.

Ianuæ duæ tantum, vt par est, in monasterio struantur; vna, quæ auditory dicitur, vsui ad ingressus necessarios, altera ad iumenta, currus, vehiculaue agenda. Inst. fab. Ibid. De ianuis.

Illa prior loco non obscuro, neque occulto, sed conspicuo, omnibusque monasterij partibus commodo fiat; nec verò amplè pateat: valuis benè firmis, duplici assere confectis, & vectibus, pessulisuè binis, & clauibus, fabrili opere inter se differentibus, claudatur. In ijs porrò valuis ostiolum prætereà constructur; idemque firmissimis valuis, sera, aut vecte, pessulo, claueque duplici, ac diuersa, munitum; vt nè ob rem minimam ianua grandior aperiatur, patefiatuè necesse sit.

In his valuis insit exigua fenestricula, vel orbicularis, vel quadrangularis, vel alia quauis forma: nec amplius vndique pateat quinque, aut sex vncijs. Muniatur lamina ferrea, minutis foratibus, grano milij non maioribus, plena: intrinsecùs prætereà obtegatur crassa tela, aut tenui tabella; quæ reuolui possit, cum foraæ prospectatur. Situs autem ianuæ huius is esse debet, vt inde, cùm fores aliquando aperiuntur, nullus monialibus prospectus in viam publicam esse possit, sed impediatur, obstruaturuè atrio aliquo interiecto: aut ianua à latere aliquo fiat, vnde non recta eò spectetur; sed in aliquem vestibuli parietem proximum.

Ianuæ porrò limen è marmore, lapideuè solido sit, atque eiusmodi, quod stricklim illam attingat.

Antepagmenta item vtrumque ianuæ latus firmiter muniant: ab omnique parte valuis arctissimè cohæresçant.

Rimæ præterea tùm ianuæ, tùm ostioli, ità benè compactæ, commissuè esse debent, vt nullum nè tenuissimum quidem, conspicilium insit.

Huic ianuæ proxima esse, struiuè debet paruula cella: vbi ianitrices opus faciant, indeque fores pulsantibus præstò sint, vt respondeant.

Proximè item rota constituetur, quæ ad eam ianitricum cellam, aut ad locum proximum spectet.

Ianua altera vehicularis, loco item conspicuo, exstruatur, tanta sanè magnitudine, quanta vsui esse potest; ad vehicula, cista, plaustraue agenda.

Limine lapideo, vt suprà, marmoratouè constare debet, vt nè exigua quidem rei exitus relinquatur. Nullum verò ostiolum planè habeat.

Valuis duplicibus, vectibus firmissimis, clauiumque duplicium, vt opere fabrili distinctarum, firmitudine, vt altera, instructa sit. Præterea opus valuarum duplicatum in vno pariete adhiberi potest, vnum scilicet intrinsecùs à parte monialium, alterum forinsecùs à via publica.

Ianua hæc ad eam monasterij partem struatur, vbi, & lignile, & cella carbonaria ad coquinæ vsum, & apotheca vinaria commodè esse possit.

Procul ab hac ianua, quattuor, aut quinque cubitis, intus in monasterio transenna ex aßeribus querneis, roboreisuè, ijs singulis, spacio vnciarum circiter trium inter se distantibus, aut ex alia firmissima materia, eodem internallo, conficiatur: quæ vsque ad ianuæ culmen altè ducta, vectibus suis, sera, & clauibus, benè claudatur.

4. De Monia. 15 Rotæ omnes amoueantur, atque obstruantur, ac in posterum vetitæ perpetuò sint, præter illam, ianuæ communi adiunctam, & alteram in loco, quem parlatorium vocant, exstructam; & tertiã, quæ est in cellula confessionum, & quartam in Ecclesia ad sacras vestes, & ornamẽta Missæ sacro necessaria è monasterio exponenda accommodatam.

Cibus verò in omni monasterij hospitio, etiam Confessarij, è rota communi exponatur.

Singulis rotis à parte anteriori monasterij vncus firmiter impactus sit, nè pro libito verti extrinsecus queant.

Si verò loca, vt dicunt parlatoria, &c. vt suprà, nu. 13. in fi.

Rotæ, quæ in Ecclesiam spectat, valuæ ligneæ binæ apponantur, alteræ interiores, quarum clauis à præfecta teneatur, alteræ exteriores, quarum clauis apud Capellanum sit, aliumuè, qui superiori videbitur.

Rotarum altitudo nè maior sit cubito, & vncijs octo; latitudo autem cubitalis.

Rota cõfessionũ minor ab omni parte sit dimidia pscripta quãtitate.

Rota,

Rota, vel in Ecclesia, vel propè ianuam, vel alio loco ad præscriptum constituta, aut ænea sit, aut lignea, ab omni parte laminis, quas de tola dicunt, diligenter vestita. Altè pateat cubitum, & vncias octo: latè cubitum item: at ab ore nè latius vncijs sexdecim. Tota denique rectè commissa, aptèque compacta sit; vt nè rimula quidem ab vlla omninò parte sit, appareatuè, vnde foras spectetur. Inst. fab. Ibid. De Rotis.

Intrinsecùs à parte monasterij vncum ferreum, aut vectem paruulum firmiter infixum habeat, quo obsirmetur; nè forinsecùs circumagi possit, nisi à monialibus, quæ intus sunt, relaxetur.

Claudatur etiam ab interiori parte firmis valuis, vecte, sera, & claue.

16 *Furnus à loco cubiculari, quem dormitorium vocant, & vestiario, vt longissimè pro situs ratione potest, exstruatur, nè vllum incendij periculum inde creetur.* Ibid. De Furno.

Huic propè struatur farinarium, loco vel superiori, vel inferiori, vel alio quouis commodiori: alter item locus, vbi incernicula, cribra, cæteraque instrumenta farinaria reponuntur: nisi farinarium eiusmodi sit, quod hæc etiam commodè capiat: tertius prætereà locus erit panificij, vbi panis scilicet fit, & fermentatur: isque vndique benè concluſus, & constipatus. Huic panificij loco, & puteus, & paruulus furnus cum ahæno coniuncti sint.

In præfurnio foramen cubitale insit, per quod carbones candentes, omnisuè pruna furnaria in fossam, subtus fornice substructam, demittatur.

A parte superiori furni, paruulum vaporarium, vulgo la stufetta, *exstruatur, quod multiplici vsui esse poterit.*

Nec verò in exædificatione furni, negligenda ratio est loci, vbi ligna arida, aliaque materia commodè esse possit, ad furni calefaciendi vsum.

In vnoquoque. vide infrà, de Clausura. nu. 20.

17 *Locus lauationis viridario, hortisuè proximus esse debet, ob id commodi, vt quæ lota, madidauè sunt, in ijs loco aprico expandantur, solique exponantur. Si horti desunt, structura fiat, ad quam gradibus, scalisuè ascendatur: vbi à summo, porticus pensiles sint, longurijs, perticisuè rectis, ac transuersalibus distinctæ: vnde vestes, stragula, linteamina, & alia lota id generis quæcumque, soli exposita, pendeant, vt assicescant.* Inst. Ibid. De loco lauat.

Hæc porrò structura loco aprico sit, non sublimis admodum, ut nè inde aliorsum extrà monasterij fines prospectus fiat. Si quando verò is lauationis locus, præ situs angustijs, exstrui in plano monasterij non potest, subtus commodè exstruatur.

Porrò lauationis locus amplè satis patere debet, pauimento etiam latericio, aliauè materia constratus: habeat puteum, vnde tympano, quod

rotæ hausloriæ genus, la tromba dicunt, aqua hauriatur: habeat item labra aquaria lapidea, furnulos, clibanosuè cum ahenis. Huic loco substernatur fossa, lacunauè, profundè, amplèque effossa, in quam aqua diffusa descendat.

Huic etiam coniuncta sit cella carbonaria: è qua carbones promantur ad ahena calefacienda.

Ibid. de Tonstrina. 18 Lauacri loco propè esse conuenit couriceum, nempè tonstrinam, vbi moniales capita lauent.

Sit in tonstrina caminus, furnus exiguus, ahenum furno impositum, ad lixiuij conficiendi vsum, & receptaculum aquæ sordidæ.

Ibid. de loco Cancellariæ. 19 Cancellariæ situs deligatur loco monasterij commodissimo, & luminoso admodum: quo loco benè materiata cella exædificetur: vbi præfectæ monialium conueniant ad computandas, subducendasuè monasterij rationes.

Sit hæc cella, tabularum cõstructione vndique cincta, sittybis, armariis, ac forulis distincta: in quibus Codices rationum monasterij, aduersaria, volumina accepti, & expensi, scripta, instrumenta, actauè publica, ad monasterij ius quouis modo pertinentia, accuratè aseruari possint; & arcæ item nummariæ, aliaque præterea id generis.

Binis clauibus, seris totidem, vectibus etiam binis, duplicibus quoque firmissimis foribus claudatur.

Ibid. de prõptuar. 20 De cella penaria, ad esculenti quotidiani vsum accommodata, diximus: sed habenda etiam ratio est promptuarij, loci scilicet, vbi frugum, leguminum, olei, & aliarum rerum, quæ ad annonaria cibaria pertinent, annona reconditur; indeque rursùs, prout vsu venit, promitur.

Promptuarium hoc exstruatur loco semoto: opere tectorio, gypsatoue vndique dense ità incrustetur, vt nè rima quidem vsquàm appareat; quò cautius muribus, soricibusuè omnis foratus penitus præclusus sit.

Habeat capsas, cistas, fiscinas, & vasa quæque repositoria, suis locis distincta.

Claudatur duplici sera, claueque diuerso opere confecta.

Ibid. de offic. ar. 21 Monasterij vsui officina aromataria, medicamentariaue esse potest: in qua, etsi non omne medicinæ genus asseruatur; ea tamen simplicia medicamenta, quæ facilè conficiuntur, quæque ad subitanei morbi accessiones depellendas, aut mitigandas valent, ineße debent.

Huius officinæ medicamentariæ situs procul sit aliquantulum ab Ecclesia, à loco laborum, ab omni denique monasterij parte, quæ strepitibus exposita esse non debet; cùm hæc ob herbarum contusionem, medicamentorum confectionem, multiplicem mortarij situm, frequentemque conuersationem, ab illis vacua non sit.

Loco exstruatur non æstuoso, sed subalgido potius.

Distincta sit intus asseribus, parieti agglutinatis, infixisuè certo aliquo spacio

spacio singulis inter se disiunctis: inter quos transuersales tabulæ aliquot, firmis fulcimentis subnixæ, infigantur: in quibus tamquàm certis repositorijs, vasa quæque aromataria ordine collocentur.

Huic officinæ propè adiuncta sit paruula cella: vbi aquæ distillatæ, & reliqua vascula vnguentaria, medicamentariaue asseruentur. Hæc verò cella suppleat, si quando officina, tabernaue, vasa hæc non capit.

Altera prætereà subfrigida itidem, vbi herbæ, vasaque ad distillandi vsum reponuntur, & carbonum aliquantulum.

In vna ex his cellis caminus struatur.

Aquariolum item sit, unde aqua in suffossam lacunam deducatur.

Si prætereà cohortis cum puteo locus dari possit; multum afferret commoditatis: si minùs, hæc aromatariæ officinæ structura propè puteum fiat. Atque hæc quidem de inferioribus monasterij partibus: nunc ad superiores transeamus. Medicamenta, vide infrà de Clausura. nume. 53.

22 Superiores monasterij partes initio commemorauimus: in ijs potissimum cautio diligens, certaque ratio habenda est atrij cubicularis, quod Dormitorium dicunt. Primò igitur eius situs loco deligatur, qui non patiatur cœli grauitatem; sed ad eam partem vergat, vbi pro climatis ratione, aer non aduersus sit, non crassus, non concretus. Sit verò in primis nulli seruituti expositus, vt aliundè introrsum prospectus detur: aut eius luminibus extrinsecus alia parietis, ædificiuè substructione officiatur: neque rursùs inde aliorsum prospiciatur. Inst. Ibid. De super. Monast. part. &c.

Atrium cubiculare, prout structuræ inferioris ratio fert, monialiumque numerus postulat, triplex, aut quadruplex erit; ità vt in omni claustri parte vnum sit: idque tanta latitudine, & longitudine quanta est ædificatio locorum inferiorum.

Ab vnoquoque atrij capite fenestræ grandiores, vnde lux hauriatur, struantur, à pauimento prælatæ sex, aut septem cubitis. Firmiter verò clathratæ sint, & opere prætereà vitreo pellucido obductæ, opertæue: ità tamen, vt superior earum pars ad aeris concluſi euaporationem aperiri aliquādo possit. Sin autem ab atrij latere aliqua fenestricula etiam opus est; fiat ab ea parte tantum, quæ in claustrum vergit.

Atrium vnumquodque in partes diuisum, exiguis cellis distinguetur: quæ singulæ, quinque aut sex cubitis amplæ, storeis, densè contextis, aut telis, tentoriolisue expansis separabuntur.

Quod si atria dormitionis communia, sicut ità fieri debere, instituti antiqui ratio suadet, non fient; sed propriæ cubiculares cellæ separatim, distinctèque exstruentur; eæ inter se proximæ, coniunctæque esse debebunt, & ordine ab utroque latere ductæ, aditu medio interiecto, in quadrum, si

fieri potest, desinent. Hæ,nè amplæ sint,sed ab omni parte cubitorum circiter septẽ magnitudine,paruulum lectulum capiant. Simplici,humilique structura sint,nullaq; pictura. Fenestriculam vnã tantũ habeant singulæ.

Ostiolum item, quod non sera, aut uecte claudatur, sed pessulo, quod alzapiede *dicunt, valuis ità affixo,vt forinsecùs funiculo attracto facilè aperiatur. Caminum verò nullum omninò.*

4.De Monialibus. Caminus si quis in priuatis cellis exstructus est, perpetuò ita obstruatur,vt in eo ignis accendi nullo modo queat.

Inst. Ibid. *Si quãdo maiori aliquanto amplitudine eæ cellæ struendæ erunt, cautio omninò adhibeatur, vt in ijs spacium detur, quod lectulos tres saltem capiat, vel plures arbitratu Superioris; duos autem dumtaxat nullo modo.*

Cautio præterea sit, vt fenestra nulla struatur, vnde extrà monasterij fines spectetur: si quæ verò aut in vlla cella aut alio loco superiori fiat necesse est, è qua, vel in hortos, vel in loca proxima prospectus sit: huius fenestræ antis clathra ferrea vndique infigantur firmissimè: quibus forinsecùs spacio cubiti vnius, & dimidij opponatur transenna,è marmore,aut è laminis ferreis confecta, foraminibusque vncialibus plena,& totam fenestram ab omni parte complectens,parieti suffixa, cohæreat.

Nullæ porrò, nè exigua quidem fenestricula, neque in inferioribus, nec in superioribus monasterij partibus exstruatur: vnde in viam publicam prospectetur.

Atria denique dormitionis siue communia, siue cellis propriis distincta,eam structuram habere debent, vt vna scala tantum, aut duabus ad summum, eò ascendatur: sicque illarum foribus,aditibusque clausis, nullus alius prætereà aditus insit, per quem ad ipsa atria ingressus, ascensusuè fiat.

4.De Monia. Antiquus, & probatus communium dormitionis locorum vsus, vbi fieri commodè põt,restituatur,& ad pristinam cõsuetudinẽ reuocetur.

1.De Cõmunivitæ vsu. Vniuersæ moniales,si fieri possit,vno loco dormiãt, à præfecta aut à vicaria optimè concluso: cuius claues ab ipsa præfecta asseruentur.

Singulę autem in singulis lectis omninò dormiant,& in singulis etiã cellis; si tanta ibi sit copia cellarum, vt omnes capere possint.

Cellæ verò diù,noctuque apertæ sint; vt præfecta in singulas horas inspicere eas possit.

4.Ibid.c.Nec in cellulis. Quibus in cellulis, alioquè loco priuatim non reponatur quicquàm, custodiaturuè,quod eo ipso tempore necessarium non sit.

1.Ibidem. Dato autem signo eundi cubitum,locoque vbi dormitur,clauso,præfecta,aut eius vicaria,aut aliqua ex Discretis, omnes cellas visitet; vt, an omnes suis dormiant locis,animaduertat.

Inst.Ibid.De Latrinis. 23 *His dormitionis locis, situ semoto, latrinæ proximæ ità construantur, vt certa sedilia habeant; quæ singula, intermedio aliquo interiecto distincta,*

distincta, secessum exiguum præbeant, in quem monialis se conijciat, nè à cæteris conspiciatur.

Totus verò is latrinarum locus non modo concluſus, sed benè constipatus esse debet, vt neque conspectus existat, neque teter odor.

24 Situ, ab atrijs cubicularibus separato, & à monialium frequentia paululum semoto, gyneceum nouitiarum construatur; locus scilicet scholæ vbi illæ degant. Qui locus, amplè patere debet; tùm ad eam partem vergat, quæ cœli salubritatem habeat: benè verò concluſus, latrinas suas habeat, & cæteras partes, vsui necessario accommodatas. Ibid. De loco scholę Noui.

25 In vnoquoque Monasterio, &c. suprà nu. 10.

In loco vestiario indumẽta cuiusuis generis, uestesq; oẽs asseruẽtur. 4. De Moni. Inst. Ibid. De vestiario.

Loco aprico exstrui debet vestiarium commune, ab vtroque latere fenestratum: in quo vestiario lanea vestimenta tantum seruentur.

Vndique cinctum sit armarijs altitudine quinque aut sex cubitorum, ordine prætereà, rectèque distinctis: quæ singula forulos suos habeant tantæ longitudinis, quanta stata longitudo est vestitus monialis.

Pro vestiarij foribus porticus, longè ducta, & aperta sit: vbi forinsecùs instrumentis ferreis, parieti certo interuallo suffixis, collocatisque inter vnum, alterumque instrumentum longurijs, perticisuè transuersalibus vestimenta certo tempore inde pendeant, atque excutiantur.

Huic vestiario cella item vestiaria iuncta esse debet: in qua vestes linteæ, omnisque lintea suppellex, recondantur: si modo vestiarium, suprà demonstratum, ea magnitudine non sit, quæ capsas, armariauè suppellectilis lineæ distinctè capiat. At verò vbi potest, potius esse debet, vt hæc à vestiario distincta sit.

Tertia prætereà cella vestiaria adiungi debet, suis itidem armarijs vndique instructa: vbi lodices, culcitræ, cæteraque id generis obstragula, ac vestes pelliceæ, distinctè, distributèque reponantur.

At cella hæc non situ aprico, sed algido potius struenda est.

26 Granaria struantur loco, ianuæ proximo: eorum scalæ situ conspicuo sint: fores benè firmæ, duplici claue, sera, & vecte singulæ claudantur. Inst. Ibid. De Gran.

Quo in granario, neque alio monasterij loco, nè triticum, neq; aliæ fruges, præterquàm ad monasterij usum, & necessitatem asseruentur. 4. De Mon.

27 Expositis inferioribus, & superioribus monasterij partibus, reliqua etiam loca, & domicilia sunt, quę ab illis seiuncta aliquo modo esse debent. Ac primum quidem de valetudinario dicemus. Inst. fabr De Valetudin.

Porrò valetudinarium, locus is scilicet, in quo valetudinariæ, ægritudineque affectæ, vel conualescentes moniales curantur, exstrui debet in situ non interiori monasterij, sed paululo remotiori, quam proximè ianuæ auditorij, at loco in primis salubri.

Hæc valetudinarij structura partes item habebit tùm superiores, tùm

inferiores, triclinium videlicet longè patens cubitis circiter viginti; late pro ratione longitudinis; coquinam unam, cellam promptuariam vnam, cellam lauationis vnam, chortem cum suo puteo vnam, lignile unum, porticum unam, cellas binas, ternasuè inferiores, quæ mediocri magnitudine, singulæ tres lectos capiant, & caminum præterea habeant, aut singulæ, aut binæ. A superiori autem parte cellæ cubiculares sint quattuor, aut sex, moderata etiam amplitudine: eæque item, vt suprà, camino instructæ sint: habeantque secessum latrinarum paulo suprà descriptum.

Vbi præterea ad valetudinarij huius vsum, locus paruulo viridario dari potest; benè consultum esset ualetudinariæ huic structuræ: cuius totus ambitus, ostio tantum constans, foribus vnis claudatur.

4. De Monia. Communis illæ curationis ęgrotantium locus, quem infirmariam uocant, ubi adhuc exędificatus, exstructusuè non est, quàm citissimè potest, constituatur, exstruatur, edificeturuè. Extrà cuius loci fines monialis ęgrotans nè cubet; at ualetudine recuperata illic nè diutius moretur deliciarum causa.

Inst. fab. Ibi. De loco educ. puellarum. 28 *Quibus in monasterijs puellas, in monialium disciplinam traditas, educari permissum est; ibi certum ijs domicilium constituatur, ubi distinctè à monialibus alantur: omniaque ab illis, præter Ecclesiam, separata habeant. Id sanè domicilium partibus his constet, atriolo exiguo cum suo camino, cella penaria, chorte cum puteo, & parua porticu, lignili, & cubiculis inferioribus binis; à superiori parte, atrio dormitionis, aut aliquot grandioribus, quæ singula lectulos tres saltem, quattuoruè, aut plures, nec pauciores capiant.*

Huius domicilij circuitus, unis tantum foribus contineatur.

Viridarij etiam locus, vbi esse potest, commodè erit.

4. De Monia. 29 Horti, qui in monasterijs monialium ample nimis patent, quotidianaque hominum opera, atque cultura opus habent, vbi fieri potest, in angustiores fines concludantur.

Inst. fab. Ibi. de Hortis viridarioue Mon. *Horti monialium ob multa violandæ clausuræ pericula non esse debèt vasta amplitudine. Cum enim præ vastitate non facilè possint parietibus cingi; id fit vt in monasterij partes vulgò pateat, & aditus & prospectus.*

Sint igitur spacio centum cubitorum, aut paulò amplius ab omni parte. Vndique parietibus cingantur crassitudine cubiti vnius, & vnciarum octo, altitudine non minori sexdecim cubitis, eaque à superficie terræ ducta.

Nec verò, etiam si horti circumcingi commodè, facilèque possint, præscriptum cubitorum centum spacium eos excedere conueniens est; vt nè cùm præmagnitudine à monialibus conuersisuè, quæ intrà monasterij claustra degunt, coli conseriuè non queant, necesse sit, contrà clausuræ regulas, rusticos, exterosq; operarios ad eorum culturam, consitionemuè introduci.

Ne

Ne taleæ, nè plantæ aliæ, nè vites, nè arbores cuiusuis generis propè pariètes conserantur intrinsecùs, neque uerò extrinsecùs; nisi interuallo distantes cubitorum ad minimum sex.

Neque in eorum fundo arbores grandiores serantur; sed arbusta humiliora, eaque rariora.

Nec lignorum strues in ijs fiat, non paleæ, non fœni acernus.

Non prætereà tugurium vllum, non casa quæuis, vel humillima, struatur.

Nec fœnisecio, pratouè fundus eorum destinetur: sed perpetuo eiusmodi sit, in quo holera, herbæ medicæ, & coquinariæ, non uoluptariæ serantur.

Si per hortos, fossa, canalibusuè aquæ deductio fit: cautio sit, ut illæ aquæductus firmissimè operiatur aliquo lapideo, cæmentitiouè opere, ducto ab ore, quo aqua influit, longè cubitos circiter sex, & foris, & intus dimensos. Os uerò, per quod ab initio illius lapidei operis confluit aqua, & alterum, unde in illius fines effluit, cancellis ferreis, utrinque muniatur. Itidemque fiat in extrema ea hortorum parte, unde foras erumpit.

Rursus idem aquæductus sine ullis clathratis cancellis fieri poterit, si totus tanto spacio tegatur, quantus hortorum fundus est, per quem aqua fluit.

Si quam autem deductionem inde fieri opus est, uel ad hortorum irrigationem, uel ad lauationis usum; riuuli aliquot deriuari per minuta foramina poterunt, quò uolunt, rursusque ad aquæductum reduci.

30 Monasteria, ut olim etiam habuerunt, carcerem firmum habere debent, in quem si quæ monialis, aliquando à disciplina aberrans, flagitiosè egerit, pro culpæ grauitate detrudatur. Inst. fab. Ibi. De Carc. & loco secess.

Porro carcer à uia publica, & ab ædibus item uiciniæ procul erit, sed intima superioris monasterij parte, quæ à monialium etiam frequentia, & concursu remotior sit.

Benè munitus, benè materiatus, benèque fornicatus, fenestriculam cubitalem, firmiter clathratam, altè à solo exstructam habeat, unde parum lumi nis excipiatur: ostiolum item, binis munitum ualuis, in quibus interioribus fenestellula minima insit, binisque seris, ac binis uectibus clausum.

Compedes etiam, ut in antiquis etiam regulis cautum est habeat, & manicas ferreas, quibus uinciantur, cùm opus est, in carcerem coniectæ.

Nec uerò in carcere caminus, neque foramen aliud insit; nisi latrina angustis tubulis substructa.

Non longè à carcere locus secessionis sit, isque & liberior, & commodior, quàm structura carceris. Quo in loco moniales, à cæteris semotæ, aliquando salutarem pœnitentiam ob leuiores culpas peragant.

Atque

Inst. Ibid. De locò aud. sacræ confess.

31 *Atque hactenùs quidem de monasterij partibus: nunc sequitur, vt dicamus de locis adiunctis. Est igitur primùm habenda ratio loci, in quo moniales confitentur. Cuius loci situs, paululò ab Ecclesia remotior, cellam alteram forinsecùs iunctam habere debet, vbi confessarius Sacerdos earum confessiones audiat.*

Locus porrò interior, vbi moniales confitentur, à parte inferiori sit, ne scalæ ascensu opus habeant, benè verò pauimentatus sit, aut opere fornicato subtus constet, nè humidus, vliginosusuè sit; ab omni item strepitu valdè admodum semotus, atque adeò vndique accommodatus, vt nè monialis confitendo audiri à quoquam alio, quàm à confessario possit.

Ab omni denique parte spacium habeat cubitorum circiter sex, aut septem. Confessarij Sacerdotis item cella, eodem modo, & formæ extrinsecùs iuncta struatur.

In pariete vtriusque loci, cellæuè communi fiat ad confessionis vsum fenestricula altitudine cubitali ad summum; latitudine vnciarum circiter sexdecim pro altitudinis ratione. Quæ fenestricula, & clathratis ferreis, & lamina ferrea, cum suis minutis foraminibus, & tela prætereà nigra affixa, benè munita, nullo modo aperiri possit.

Idem ex 4. §. Rotæ, ver. Cibus. de Mon.

Eodem in pariete rota ineße poterit, dimidio minuscula, quàm aliæ præfinitæ: hæcque rota ad vsum exponendi confessario, si quas res necessarias habet. eademque rota, firmiter, benèque instructa extet, vt de aliis rotis demonstratum est.

1. De Cõcio. &c.

Clathri lamina, & linea tela feneſtellulę eius loci, ubi moniales confitentur, ità compactæ cohæreant, ut remoueri non posſint, & inde tantum audiri, aſpici autem nullo modo poſſint.

4. De Mona.

Feneſtella confeſſionum altè uncias ſexdecim, latè duodecim, nec verò amplius pateat; ſepta autem ſit firmis clathris ferreis ad formæ præſcriptæ rationem, & lamina item ferrea benè ſolida, pariete firmiſſimè agglutinata, & foraminum inſtar ciceris tenuium pleno, panno lineo nigro obducta: qui pannus ligneis tabellis ſic affigatur, vt non facilè amoueatur.

Ibidem.

Rota confeſſionum minor ab omni parte ſit dimidia præſcriptum quantitate.

Inst fab. Ibid. De diuers. Confess.

32 *Exædificetur prætereà diuersorium, in situ, intrà ianuam exteriorem, viæ publicæ iunctam, & illam interiorem, qua ad claustra aditus sit, interiecto, cellis duabus, vna inferiori, altera superiori, constans: quibus confessarius Sacerdos vti possit, cùm pernoctare necesse habet, vt monialicuipiam, periculosè ægrotanti, præsto sit, sanctissimorum sacramentorum ministratione. Hoc diuersorium, & caminum, & latrinam, & alia vsui necessario accommodata, habeat, at rotam nullam, nullamque fenestram omninò, vnde, vel aspectus, vel collocutio quouis vmquàm prætextu*

esse

esse possit. Nec verò plures habeat cellas, præter illas duas; vt omnis alia conuersationis, aut commercij occasio, ab eo remota, exclusaue sit: neque denique vllum prætereà locum, vel exiguum. Ità enim omninò fiet, vt minor, aut nulla commoditas, occasione relinquatur in eo commorandi, nisi necessaria de causa. Quæ ratio locum etiam habeat in diuersorij sequentis ædificatione.

33 Ne in locis, ad hospitij usum exstructis, quæ foresteriæ nominantur, ubi interdum ob urgentem necessitatem, aut cibus capitur, aut dormitur, fenestræ ullæ, nè exiguæ quidem, insint, quæ in monasterium spectent. 4. De Mon.

Cibus in omni monasterij hospitio, etiam confessarij, è rota communi exponatur.

Si in ijs locis dormitur, quæ monasterium attingunt, fenestræ aut rotæ nè sint; & si sunt, statim muro obstruantur; ut nihil à monialibus, quod in eo loco agatur, aut dicatur aspici, aut audiri possit. 1. De Cõcio. &c. Monial. § Nemini.

Tecta hospitij, & aliarum cuiusuis generis domorum, à monasterij tectis, ut separata penitus, ac ualdè disiuncta sint, curetur omninò. 4. Ibidem.

Neminem cuiusuis status, uel conditionis hominem, neque laicum, neq; ecclesiasticum in ullo quouis monasterio monialium hospitijs illis, quas foresterias dicunt, excipi, aut ad ea siue in urbe, siue in Diœcesi diuersari liceat, excepto confessario Sacerdote, cui aliquando, ob urgentem necessitatem id conceditur. In Diœcesi uerò, monasterij etiam visitatori, & curatoribus, procuratoribus uè, ubi interdum hoc ipsum concedendum necessario, Episcopus censuerit.

34 *Diuersorium in eodem intermedio situ, quod aduentatibus colonis, famulisue monialium, vsui sit, construatur. quod diuersorium cubicula bina, trinaue habeat, ac nullam nec rotæ, neque collocutionis fenestram.* Inst. fab. de diuers. ext. fam. & colon. aduen.

Neque ab re esset, vt id à monasterij ædificio disiunctum aliquo exiguo spacio sit; vt nè saltem tectis coniungatur.

35 *Domicilij, extrà clausuræ fines positi, in quo conuersæ, non professæ, habitent, ea ratio in illius ædificatione haberi debet, vt scilicet intrinsecùs à parte monialium, claudatur, aperiaturue. Id vero præstari poterit ratione, infrà demonstrata.* Inst. Ibid. De Domicil. conuers.

In illo ipso intermedio situ, extrà clausuræ fines, domicilium fiat, quod conuersas tot capiat, quot ad monasterij vsum opus esse verisimile est.

Habeat hæc domicilij habitatio, singulas partes necessarias, locum dormitionis scilicet communem, coquinam, puteum, lignile, & alia item loca, vsui necessario opportuna.

Porrò in huius domicilij exstructione hæc cautio sit, vt nè in parietibus exterioribus, ad viam publicam spectantibus, fenestra vlla, ac ne foratus quidem exiguus, conspiciliumue minimum fiat.

Vt deinde una tantum ianua constet: quæ propè clausuræ monasterij parietem, quicumque ille sit, exstruatur.

Fiat in eo clausuræ pariete foratus amplitudine unciarum circiter sex: per quem uectis ligneus eadem crassitudine trãsmissus, idemq; in transuersum actus, ac paululum in parietem, qui è regione est, iectus, firmiter illius ianuæ ualuas occludat.

In cuius uectis summa parte, quæ à monialibus est, clauis, seruque ità aptè accommodata sit, ut intrinsecùs moniales facilè aperiant, rursusque claudant.

Si uerò ea transuersarij uectis ratione confici non potest, ut ianua illa occludatur; hoc etiam fieri facile erit, ut uectis, non transuersus, sed recta ad ianuam, quæ è foratus regione est, ductus à summa parte ualuis innixus, atque oppositus, firmè occludat.

In hoc domicilio à latere monasterij fenestricula exigua quæ non amplius undiquæ pateat, quinque aut sex uncijs, munita etiam lamina ferrea, plenaque minutis foraminibus, exstruenda est, unde præfecta Conuersas euocet, ac spectet an domi sint, cùm ianua clausa est; tùm illæ foras discessuræ, benedictionem, missionemque inde ab ea petant.

Inst. fab. Ibid. Caut quędã in tota Mon. ædif.

36 *Primo in tota monasterij ædificatione diligens clausuræ ratio habeatur; ut scilicet illius situs, quantusumque est, omni ex parte, idoneis, benèque materiatis parietibus concludatur: quorum prætereà altitudo sit cubitorum ad minimum uiginti quattuor, exceptis hortorum muris, quorum altitudinem suprà demonstrauimus: crassitudo cubitalis, ac paulò etiã maior; at minor certè nullo modo. Porrò à parietibus exterioribus nullus insit caminus in ijs effossus: at eminens, è superficieque intrinsecùs extans, non uetatur; nulla prætereà fenestra, non fenestricula, non conspicilium, ac nè rimula quidem, unde etiam minutus prospectus sit.*

In singulis monasterij partibus, ad communem usum exstruendis, ut potè Refectorio, Capituli atrio, Valetudinario, Dormitorio, Calefactionis, Lauationisque manuum, & laborum item loco, atque alijs id generis, tùm in primis in Ecclesiæ interioris ædificatione, non negligenda, sed adhibenda ea cautio est, ut singula eiusmodi loca, ad quæ moniales frequentes conuenire solent, ampla structura sint, quæ commodè capiant non modò omnes, quæ iam sunt, sed aliquantò plures, quas etiam deinceps in idem monasterium recipi pro facultatum, eleemosynarumque ratione, & accessione, post verisimile est.

Illa porrò etiam cautio, uel maxima sit; vt nè in vlla colloquij exteriori cella, nec in vllo uel Confessarij Sacerdotis, uel colonorum, famulorumue aduenientium diuersorio; neque in vlla alia quauis monasterij parte exteriori, ædificationeue, extrinsecùs facta, locus superior quisquam sit, ad quē monialibus aditus detur: nec rursus in ulla monasterij parte interiori,

locus

locus item superior; quo alijs accessus, ingressusue esse vllo modo possit.

Est illud præterea cauendum, vt quicumque in monasterio sunt aditus, vestibula, angiportus, aliaque id generis, nè tenebricosa, nè suboscura sint, sed dilucida, & illustria.

In omni denique vel anguli, vel aditus, vel scalæ, vel atrij monasterij capite, sacra aliqua imago, piè expressa, extet.

37 Hæc de fabrica exteriori, & interiori Ecclesiæ, de Cœmiterijs, de Sacristia, alijsque partibus, ædificationi Ecclesiasticæ adiunctis, de Ecclesiæ simplicis, & Oratorij exstructione, ac rursùs de Ecclesiæ monasterijque monialium structura, speciatim, suprà locis suis scripsimus. Illud verò generatim ad omnem Ecclesiasticam ædificationẽ attinet, vt scilicet, neque in Ecclesiæ, Capellæ, Altaris, partisue cuiusuis alterius, quæ ipsius Ecclesiæ vsum, decoremue attingat, fabrica, ornatuque nihil operis, quale quale sit, statuatur, fiat, inscribatur, effingatur, exprimaturue, quod à Christiana pietate, & religione remotum, aut quod profanum, quod deforme, quod voluptarium, quod turpe, vel obscœnum sit, quoduè popularem magnificentiam, aut familiarum insignia ostentans, gentilicij operis speciem præbeat. Inst. fab. lib. 1. c. 33. Cautiones quædam de omni Eccl. ædificat.

Non vetatur tamen pro fabricæ firmitudine, si ità architectonicæ ratio aliquando postulat, aliqua structura generis, vel Dorici, vel Ionici, vel Corinthij, vel alterius huiusmodi operis.

Id omne cùm fabricæ Præfecti, Architectiuè, antequàm ædificationis initium fiat, consultò caueant: tùm in primis curæ Episcopalis est, videre, nè quid tale ab ijs in opere Ecclesiastico committatur.

Id denique in huiusce etiam libri conclusione ponimus, vt cùm de dote, vel Ecclesiæ, vel sacello, vel Altari certa constituenda, iure Canonum cautum sit; Episcopus priusquàm, eiusmodi Ecclesiasticæ ædificationis, aut fundationis facultatem det, eo de genere diligenter, consultoque idonea sponsione, publicisque tabulis caueat, ex eorundem Canonum præscripto.

De Monialibus, & primo de earum numero.

SVMMARIVM.

1 Formulæ rectè viuendi monialibus præscriptæ, ab eisdẽ oĩnò seruãdæ.
2 Monialium numerus ab Episcopo constituendus, quaque ratione, & quando augeri possit. 3.
3 Impedimenti Summus Pontifex admonendus.
4 Moniales duodecim alere non valentes monasteria, alijs vnienda.
5 Vnione non expediente, quid agendum.
6 Monasterij supprimendi fructus quibus attribuendi.

Monia-

Monialibus paupertate laborantibus, qualiter illis succurrendum, quæque eleemosynæ applicandæ, & quamdiu applicatio duret. De Constitut. 13. 14.

1. De Monia. 1 VT in monasterijs Regularium mulierum, quæ in religionem Deo se dicarunt, & integra conseruetur vetus disciplina; & si fortasse vlquàm deprauata est, restituatur; ad eumque sese ipsæ confortantes, in rerum diuinarum contemplatione liberius conquiescant: nos has piè, rectèque viuendi formulas, partim Concilij Tridentini decretis traditas, partim pro ratione horum temporum ad Prouinciæ nostræ vtilitatem constitutas, ab omnibus in hac Prouincia monialibus, etiam quæ Regularium curæ commissæ, vel alia quauis ratione Episcoporum iurisdictioni subiectæ nõ sunt, ex facultate à Summo Pontifice Pio IV. nobis data, seruari omninò iubemus.

1. Ibidē. De Mon. numero. Sess. 25. ca. 3. de ref. regul. Bulla Pij V. 1566. 2 Ex Tridentini Concilij iusso, vnicuique monasterio eum Superior monialium numerum constituat, qui pro modo, & facultate loci, & cõsuetis eleemosynis sustentari commodè possit; idque intrà annum facere studeat. neque eum numerum, nisi facta monasterio annua, quæ satis sit, fructuum accessione, augeri vllo modo liceat.

a. Capita q̃dam ad Mon. per. cap. 1. Sess. 25. ca. 3. de ref. reg. Bulla edita 4. Kal. Iunij 1566. 3 Quod de certo Monialium numero singulis Monasterijs constituendo Tridentina Synodus decreuit, quodque item Summus Pontifex Pius V. de Monialium, & earum, quę Conuersæ dicuntur, clausura, litteris editis sanxit; id vtrumque Episcopus, quàm diligentissimè potest, exequi curet. Quòd si aliquid obstiterit, quominùs illud à se præstari queat; ipsum Summum Pontificem sex mensium spacio consulat, idque exequatur, quod sibi ea de re ab illo rescriptum erit.

Hancque ipsam in ijs exequendis diligentiam à Regularibus præstari idem sedulo studeat. Vide Tit. de Conuersis. 3.

1. De Monialiũ numero. 4 Monasteria, in quibus duodecim nõ sunt, quæ professæ velo vtátur, quæq; eum numerũ proprijs fructibus, aut consuetis eleemosynis alere non possunt, transferre, & cũ alijs monasterijs eiusdem, aut alterius ordinis vnire studeat Eps diligenter, vocatis ad id superioribus Regularibus; si modo res agatur eius monasterij, cuius cura ad illos pertineat.

5 Si verò eiusmodi vnio minimè expedire videatur, eum numerum monialium tempore interire, & ad nihilum redigi sinat, adempta omninò illis monialibus facultate recipiendi nouitias.

6 Earum autem monialium monasteria, & monasteriorum fructus iam nunc alijs monasterijs, aut locis, quibus ex legibus ius ordinis deberi videbuntur, attribuantur.

De

De Præfectis, & alijs Ministris Monialibus.

SVMMARIVM.

1 *Præfecta monialium officium suum perpetuum esse prætendens, iura*
sua, quibus, & infrà quod tempus exhibeat.
2 *Eum honorem non ambiat: & ambientis pœna.*
3 *Qualis, cuiusque ætatis esse debeat. 4.*
5 *Præfecta ipsa, Vicaria, Discretæ, tacitis suffragijs eligendæ.*
Quæ tamen cauenda in ipsis suffragijs ferendis. 16.
Quæque moniales ad ipsa suffragia ferenda non admittendæ. 17.
6 *Præfectæ sorores quibus officijs fungi nequeant.*
7 *Officia minora, quibus monialibus, & à quibus committenda, &*
8 *Quanto tempore ea officia durent.* (qualiter.
9 *Officia ipsa non renuenda.*
10 *Præfectæ quod officium in monialibus admonendis, & alijs, ergaque*
ægrotantes. 43.
11 *Præfectæ, Vicariæ.* } *obedientia à monialibus præstanda.*
12 *Inobedientes, contumacesuè à quibus, & apud quos deferendæ, vtque*
plectendæ.
Pœnitentiam quoque suscipere renuentes, vt castigandæ. 14.
13 *Præfecta singulis hebdomadis capitulum habeat, & quamobrem.*
15 *Nihil deliberet, nisi consentientibus Discretis; & in quibus Capitu-*
18 *Discretæ quales, earumque numerus.* (lum adhibeat.
19 *Præfectæ, sermonibus audiendis, quales, eiusque officium.*
20 *Nountiarum Magistra quam curam habeat.*
21 *Quibus rebus eas maximè erudiat.*
22 *Monialis id munus temerè assumens, vt compescenda.*
Præfecta ianuæ, quid agat: quotq; ianitrices deputandæ. De Monast.
23 *Præfectæ monialium laboribus duæ.* (*Monial. nu. 14.*
24 *Earum officium quale.*
25 *Monialis nulla quidquàm elaborandum accipiat.*
26 *Nullibique quam laborum loco manibus elaboret.*
27 *In monasterio nè sint diuersa manuum opera.*
28 *A labore, sine causa abstinens, quomodo punienda.*
29 *Loco, vbi laboratur, sacra lectio adhibenda.*
30 *Quæque res ibi prohibeantur.*
31 *Laborum magistra librum habeat, in quo lucra præscribantur.*
Laborum cōis locus, vbi non est, exstruendus. De Monast. Mon. nu. 10.
32 *Præfectæ, & aliæ officiales, sui officij edoctæ, rationem administratio-*
nis, quando Capitulo, & quando superiori, vel alijs reddant.

Capsæ

53 Capsæ in singulis monialium monasterijs constituendæ ad vsum communis pecuniæ conseruandæ.
34 Earum aperiendarum quæ ratio.
35 Horrei, & farinarij ostia quot, & quibus clauibus concludenda, & à quibus custodiendæ.
36 Monasterio vnicuique ab Episcopo præscribendum quantum sit satis rerum ad anniuersariam victus sustentationem.
37 Præfecta in administratione negligens ab officio submouenda.
38 Debita aureos quinquaginta excedentia non contrahenda.
39 Præfecta, bona monasterij quando non alienet, neque ædificet.
Bonorum alienatione non legitimè facta, quid agendum. Quæ pert. ad
40 Monasterij bona, vt locanda. (bonorum, & nu. 12.
41 Eorundem Inuentarium conficiendum, & in Epale Archiuium deferendum.
42 Præfecta curæ ægrotantium monialium, qualem se illis præbeat.

1. De Præfectis, & alijs min. Mo.

1 EPiscopi ad duos menses, postea quàm hæ constitutiones in lucem editæ erunt, Abbatissas, & quascumque præfectas, quę suum præfecturę officium perpetuum esse profitętur, edicto etiam, si ità iudicarint, moneant, proposita priuationis pœna, quam ipso facto subeant; vt illæ iura, sibi à sede Apostolica concessa, ad alterum mensem ipsis, aut eorum Vicarijs, ac simul illarum superioribus, si Regularium curæ commissæ sunt, exhibeant; vt, an rectè se habent cognosci, & de ijs, si opus erit, ad Summum Pontificem referri possit. Quod si eo præscripto tępore non exhibuerint; eo dignitatis gradu illas priuatas Episcopus declaret; detque operam earum superiæ, vt aliæ in earum locum ritè sufficiantur.

2 Nulla monialis ambiat, aut vllo quouis modo siuè directè per se, aut peraliã, honore, officiauè cuiusuis generis sui monasterij quærat, hac cõstituta pœna; vt & ipsa, & quæ sibi in ea re fauerint, in Capitulo per tres sextas ferias ad pedes singulorum monialium terram deosculantes, suam accusent ambitionem. Ipsaque prętereà, si id officiũ consequuta erit, eo, cęterisque muneribus priuetur Superioris arbitratu.

3 Singulæ, propria volũtate deposita, & ad obtẽperãdũ paratę, sibique Dei gloriã, & cõem monasterij vtilitatẽ tantummodò proponẽtes, ad honores, & officia eas eligẽt, quas omni remoto humanitatis affectu spiritus sancti impulsu, ad id munus magis idoneas esse iudicauerint.

Sess. 25. ca. 7. Conc. Carthag. 3.

4 Prępecta quocumq; noĩe appelletur, ex Tridentini Concilij decreto nè minor quadraginta annis eligatur; quęuè in vitę honestę laude vixerit octo annis, postquàm professa est. Quod, si in eodem monaste-

rio

rio non eiusmodi reperiatur, ex alio eiusdem ordinis deligi possit.

Sin autem superiori, qui electioni præest, hoc etiam incommodum esse videatur, Episcopo, uel alio Superiore consentiente, eligatur ex ijs, quę in eodem monasterio triginta annis maiores natu sint: quęuè annis saltem quinque post professionem rectè uixerit. In reliquis constitutiones singulorum ordinum monasteriorum seruentur. Cõc. Agath. c. 19. c. Sãctimoniales. 20 q. 1. c. Indénitatibus, de elect. in 6.

5 Huiusmodi præfecta, & eius Vicaria, Discretę etiam, quę alio nomine matres consilij vocantur, ubi eę à capitulo eligi consueuerunt, tacitis suffragijs, corã superiore, aut eius ministro eligantur; qui extrà monasterium ad cancellos, siue clathros stet, ex decreto Tridentini Cõcilij. Sess. 25. c. 6. Sess. ead. c. 7.

Nequaquam autem ad hęc officia deligi possint, nisi præfecta duas ex tribus partibus calculorum tulerit, uel suffragijs, uel accessu. Vicaria verò, & discretę pluribus dimidia parte suffragijs creentur.

6 In quibus monasterijs plures germanę sorores sunt, si earũ unam monasterio præficitur, reliquę sorores, neque Vicarię, neque Discretę, neque ianitrices fieri; neque scribę, aut celerarię officio fungi possint.

7 Minora verò officia, veluti ianuę, rotæ, sermonibus præpositarum, earumuè, quæ nouitias docent, Sacristię præfectarũ, & quæ ijs præsunt, quæ manuum industria sese exercent; illarũ prętereà, quæ scribæ, aut ratiocinatoris munere funguntur, & quę ęgrotis ministrant, ab eo, qui electioni præest, vnà cum confessore, præfecta, Vicaria, & Discretis pro earum mentis conscientia, quibus opportunum uidebitur, tribuantur, quo decreto nihil derogatum sit ijs monasterijs, in quibus ad huiusmodi officia Capituli suffragijs moniales deligi solent.

8 Earum officia, quæ electę fuerint, sint duorũ annorum, aut, in quibus ea esset consuetudo, ad summũ trium. Illis cùm perfunctę fuerint, tantundem saltem temporis uacent ab officijs; nec in eisdem confirmari possint à monialibus, nisi grauis causa extiterit, iudicio Superioris probata. qui etiam eas ante tempus officio præfinitum, inde mouere possit, si id malè administrant.

9 Quæ delectæ fuerint, quemadmodũ earũ obedientia postulat, officia suscipiãt; & eorũ munera sine recusatione humiliter exequãtur, quæ aliter fecerint sine iusta cã, q̃ superiori ꝓbata sit, iure suffragij priuẽtur, ut neq; ipsæ alias eligere, neq; ab alijs eligi possint, arbitrio Superioris.

10 Præfecta monasterij, tamquàm communis omnium monialium mater, ipsarum & corporis, & animæ saluti diligentissimè consulat: easque studiosè admoneat; vt puro corde sint, uitæque integritate seruent; & ad perfectionem uirtutum omnium contendant. Si quidem quæ religionem susceperunt, nisi ad summum illum gradũ pro uiribus peruenire conentur minùs sanè efficiunt, quàm debent; pro uitæ & ordinis instituto, quod profitentur. Meminerit autem sibi reddendum es-

se rationem iustissimo iudici erratorum, quæcumque moniales eius negligentia, aut culpa admiserint.

In primis uerò curet, ut pax, & concordia sororum conseruetur, sublatis, quantum ab ea fieri poterit, omnibus dissidijs, ac discordię causis, ut, quemadmodum debent, unum corpus, & vnus spiritus in earum sponso Iesu Christo, perfecto charitatis vinculo colligentur.

Studeat etiam, ut singulæ suo munere rectè fungantur: neque ulla alterius officium occupet, nisi auxilij causa; idque ipsius iussu: & ut omnia ordine perficiantur, in primisque ut silentium horis, ac locis præscriptis seruetur. Si uerò alicuius importunitas, aut re, aut uerbo, sororum pace perturbata, charitatem uiolarit; acerrimè ab ipsa præfecta, & si opus erit, à Superiore etiam monialium puniatur, & eius animi elatio edometur.

11 Huic autem præfectæ, eiusue Vicariæ, quæ, illa absante, eius uim, & locum obtinet, moniales omnes omninò obedientiam, & obseruantiam præstent, quemadmodum earum uotum postulat.

12 Quæ uerò eius iussa neglexerit, neque pœnitentiam sibi impositam adhibere uoluerit, aut superbè, & iniuriosè responderit, non habita eius dignitatis ratione, aut contumaciter defendendo, vel excusando, eam impedierit, quominùs illas reprehendat, aut castiget, quæ aliquid commiserint, vt suæ contumaciæ, & insolentiæ graues pœnas pendat, apud superiorē accusetur ab ijs, quas Discretas appellauimus, que nisi id fecerint, flagella, disciplinæ nomine, sibi semel adhibere, & humi cibum capere cogantur.

13 Singulis etiam hebdomadis præfecta monialium conuentum, siuè Capitulum habeat, corrigendi causa moniales pro erratis, quæ ipsę publicè, uel in suorum officiorum munere admiserint, quorum uenia ipsæ spontè, atque humiliter coram omnibus petant, eisque pœnitentiam imponendi, aliaque adhibendi, quæ earum institutis tradita sunt ad ipsas in humilitate, & sui contemptione continendas, atque ad uirtutes omnes studiosè sectandas.

14 Caueant autem moniales, nè pœnitentiam sibi à præfecta impositam, pertinaciter recusent: neuè superioris temporis delicta sibi inuicem iniquo animo obijciant. Quæ hoc commiserit, ei hæc sit pœna, vt statim ad singularum monialium pedes terram exosculetur; sibiq; flagella nomine disciplinæ adhibeat.

15 In negotijs paulò grauioribus præfectæ nihil decernāt; nisi scientibus, & cōsentientibus maiori ex parte Discretis, seu Matribus cōsiliij.

In ijs uerò, quæ maioris sunt deliberationis, præfectæ uniuersū monialium Capitulum conuocent; idque ipsis ratum sit, quod maiori monialium parti placuerit.

In

16 In oĩbus aũt tacitis ſuffragijs caueãt moniales, nè ſuffragij pilas, uel calculos iter ſe tradãt ĩ manus, ijs, q̃ id cõmiſerint, ea pœna ſit, ut priuatę Capitulo, neq; eligere, neq, eligi ſuffragio poſſint arbitrio Superioris.

17 Ad ſuffragia aũt de quacũq, re ferenda nõ admittatur; niſi quæ trienniũ poſt emiſſam profeſſionẽ in mouaſterio fuerint commoratæ.

18 Diſcretæ probitate, & prudentia cæteris monialibus antecellant. Neque ſint pauciores quattuor, ubi moniales plures non ſine quadraginta; quod ſi plures ſint, ſaltem ſex creentur.

19 Moniales reliquarum ſermonibus audiendis eiuſmodi præponantur, quæ ętate matura, & ſpectata probitate ſint. Hę diligenter, fideliterque ſuo officio fungantur: & ità loquentibus reliquis adſiſtant, ut, quicquid tùm intus, tùm foris dictum, factumuè fuerit, ipſę audiãt; ac ſtuoioſè animaduertant, nec enim quidquam aut ità ſecretò proferri, ut eas lateat; aut, quod indignum ſit Dei ancillis, dici, aut fieri patiẽtur: in quo ſi quidquam ſecùs commiſſum fuerit earum culpa, vel negligentia, grauiſſima pœna ſui Superioris arbitrio puniantur.

20 Nouitiarum curam ſola magiſtra electa, loco à cæteris monialibus ſeparato habeat, alia prętereà nulla.

21 Hęc nouitias in timore, & cultu Dei, & in obſeruatione religionis erudiat, conetur q; & uitę exẽplo, q̃ nullã habeat anſam reprehẽſionis, aſſiduisque admonitionibus, ità eas inſtituere in ſpũalis, & ſanctę uitę rõne; vt ꝓgrediẽtes, Deo adiutore, pfectę eius ancillę poſſint euadere.

22 Quę autem ſibi id temerè aſſumpſerit, vt aliquam ex nouitijs erudiat, uis ei ſuffragij adimatur, ut neq; eligere, neq; eligi poſſit, quãdiu ſuperiori placuerit. Quod ſequitur viden. in Tit. De Clauſura.

23 Quo tempore mutantur officia; una, aut duę moniales maturę ac prudentes pręficiantur monialium laboribus.

24 Hę ad rotam recipiant, quę elaboranda ſunt; ijsque diſtribuant, quę ad id opus faciendum ſunt idoneę: quibus perfectis, ea ex eadem rota reſtituant ijs, quorum ſunt, accepta mercede, ſemper ea pręſente quę rotę eſt prępoſita.

25 Nulla prętereà quidq̃, quod elaborandũ ſit, nè cognatorũ quidẽ, aut affiniũ, accipiat, quę cõtrà fecerit, ſingulis uicibus ſibi flagella diſciplinę noie adhibeat eo loco, quo moniales operib. elaborãdis exercent.

In operibus, uel accipiẽdis, uel reſtituẽdis nulla alia monialis ſe ingerat, niſi laborũ magiſtra: cui ſecũ aliquãdo, cũ neceſſe erit, aliquam monialẽ, operis alicuius conficiẽdi uſu peritiorẽ, adhibere liceat. 4. De Moni.

26 Ne monialis, ianitricibus exceptis, alibi, quàm loco operibus elaborandis conſtituto, acu pingat, aliudue quicquam manibus elaboret.

27 Illud porro, quò ad eius fieri poteſt cauendum erit, ut in monaſterio nè ſint multiplicia, diuerſiq; generis opera manuũ, ſeu laboreria.

1. Ibid. De Præfectis.

28 Siqua uel morbo, uel iusta alia causa non impedita, pigritia, vel desidia, aut pertinacia quadã ab huiusmodi laboribus abstinuerit, obsonio priuetur totum id tempus, quo labori non incubuerit.

29 In loco item, ubi moniales in laboribus exercentur, lectio quotidie adhibeatur, qua absoluta inter se conferant, quę audierint; certatimque electis uirtutibus, ad uirtutes consequendas seipsas cohortentur.

4. Ibidem. Hoc loco laborum communi, non solum ad Concilij primi præscriptum, lectio de vita spirituali adhibeatur; uerùm etiam ab omni otioso uerbo abstineatur.

1. Ibidem. 30 Curet laborum magistra, nè sermones, aut cantus profani, aut à monialium conditione, & instituto abhorrentes inferantur.

4. Ibidem. 31 Laborum, operumuè magistra librum certum habeat, in quo quicquid ex ijs laboribus lucri, emolumentiuè capitur, enucleatè ità præscribat, ut cerni facile queat, si quid in ea re desideretur.

1. Ibidem. 32 Præfectę, etiam si earum officium sit perpetuum, scribę, ac reliquę, quę monasterij bona quocumque modo administrant, fideliter, & acuratè eorum rationem præscriptam habeant.

Singulisque tribus mensibus ad Capitulum summatim referant rationes accepti, & expensi; vt omnes, quo modo se res monasterij habeant, intelligere possint. Verum quotannis rationem rerum omniũ, quas administrarint, separatim Superiori reddant; aut eius Vicario: ac si fuerint, monasterij curatoribus deputatis. Quæ autẽ, aut sibi uindicarint, aut perperã perdiderint monasterij bona, superioris arbitratu acerimè puniantur.

33 Vt autem nulla fraudis occasio relinquatur, in singulis monasterij singulæ capsæ constituantur ad hunc vsum, vt in illis communis pecunia collocetur: quæ duabus clauibus, ijs inter se diuersis, clausæ sint; quarũ altera à præfecta monasterij, altera à maiori Discreta asseruetur.

34 Nec verò capsa aperiri, aut in ea poni pecunia, aut inde auferri possit; nisi & prefecta, & maior Discreta, & scriba monialis, quæ eius rationem ineat, interfuerint.

35 Duabus item clauibus, ijsque diuersis horrei, & eius loci, vbi farina asseruetur, ostia concludantur: quæ singulæ à singulis matribus, ei officio prępositis, custodiantur. Eę autem semper adsint, cum triticũ, vel farina importatur, vel exportatur.

4. Ibidem. 36 Singulis annis, vt primo Concilio iussum est, impẽsarũ, quę in victum, aliumq; monasterij vsum, erogatę sunt, rationes per eos, quorum interest, à prefecta repetantur. Quantum uerò, & tritici, & uini, & obsonij, & aliarum rerum ad anniuersarij victus sustentationem unicuiq; monasterio satis esse Episcopus existimarit, id ipse accuratè prescribat.

37 In ea autem præscripta dispensatione, administrationeuè, si præfecta

fecta negligentem se præstiterit, ab officij sui munere suspendatur.

38 Aes alienum, quod quinquaginta nummum aureorum summam excedat, nè in vllo monasterio contrahatur, sine suorum curatorum permissu, concessuve, qui in magni monēti rebus Episcopū consulant.

39 Præfecta, & moniales bona monasterij alienare, permutare, locare, aut contrahere nullo non possint. nisi sciente, consentiente, ac præsente rerum Superiore, aut eius Vicario: seruatis item cæteris quæ iure seruari debent; aliter contractus irritus, ac nullus sit. 1. Ibidem.

Neque item ædificare, nisi consentientibus superioribus, ac ciuibus monasterij curatoribus; qui operam dabunt, vt id quàm minimo sumptu, commodè, ac decenter fiat.

40 Ne sęcularibus negotijs moniales se implicent; vtque simul multis fraudibus, ac detrimentis occurratur, hoc sedulò Episcopus curet, vt illorum prædia locentur; idque sub hasta auctionè facta; nisi aliter quandoque expedire censuerit. 4. Ibidem.

14 Bonorum & iurium omniū ad monasterium quodcumq; etiam regularibus subiectum, pertinentium, inuentarium probabili forma conscriptum, sex mensiū spacio, ad Archiuium Episcopale ab ijs quorū interest, deferatur, nè fraus vllo modo fiat, munero monialium ab Episcopo prefinito. Quamobrem si quas etiam alienationes eorum bonorum, iuriumque fieri deinceps cōtigerit, de ijs Episcopus certior fiat.

42 Quę prępositę sunt curę ęgrotantium, pias, & misericordes se illis prębeant, quanta maxima possunt, & patientia, & diligentia: ac tales se illis prętent, quales cęteras vellent, si ipsę ęgrotarent. 1. Ibidem.

Agrotis cibus, & medicamenta opportuna à pręfecta, & ab electis ad id ministris ità adhibeantur, vt monasterij facultates tulerint.

43 Prefecta autem charitatis causa eas quotidie visitet, vt & solatio sit; & melius ab eis cognoscat, ac curet, quę ipsis sint necessaria si uerò aliqua moritur, confessor cum comite, quem superior approbarit, ingrediatur septa monasterij tunc, cùm eius corpus ad sepulturam dandum fuerit; pièque ac celeriter, quod eo tempore persoluendum sit, officio fungatur.

De Puellis ad Religionem admittendam.

SVMMARIVM.

1 *Puellis ad Religionem admittendis, quod Præfectæ, & superioris officium.* 2.
2 *Inuitæ minimè ad Religionem cogendæ: pœnaque cogentium.*
3 *Iisdem Monasterium ingredi postulantibus, quid attendendum.*
4 *Moniales ex vna familia quot in monasterio recipi possint.*

5. Eæ separatim priùs libero loco ab Episcopo examinandæ.
6. Examen ipsum præcedat inquisitio de moribus, vita, ætate, & voluntate libera, & quomodo, qualisque earum ætas.
7. Puellæ quoties & cui peccata confiteantur, communionemque quando sumant; quæque alia præstent.
8. Quibus suffragijs admittendæ; & quid eisdem latis à præfecta curandum. 9.
10. Puellæ admissæ in certum librum referendæ.
11. Admissione puellarum facta, quo vestitu abillis utendum.
12. Eisdemq; quod tempus ad induendum monialiũ habitum præscriptũ.
13. Qua hora, à quibus, & qualiter ad monasterium deducendæ.
14. Quaque cæremonia, & à quo vestiendæ.
Quò die monialem habitum induit, quæ in foresterijs, & alibi vetantur. De Nouitijs. 11.
15. Nomina gentilium fœminarum nouitijs monialibus non imponenda.
16. Neque eisdem tradendus regularis habitus, antequ confirmatæ sint.
Puellis eisdem vestiendis qui ritus adhibendus. De Nouitijs. 4.
Præfecta, aue superior regularis nouitiam habitum suscipere permittens, non explorata illius per Episcopum voluntate, seuerè puniendæ. Ibid. 5.
17. Habitu suscepto è monasterij septis egredi non liceat.
18. Nouitiæ causa quid monasterio ante professionem dandum.
19. Moniales, à puellæ regularem habitum susceptura parentibus, quæ ante professionem non sumant.
20. Impensarum, & alimentorum nomine, quid monasterio Episcopi præscripto attribuendum.
21. Pecunia eo nomine danda, apud quem deponenda.

1. De puellis ad Relig. admitten. Sess. 25. c. 18. de Regul. & Monial.

1 PVellę cùm primùm ad suscipiendum sacrum habitum offeruntur, monialium prefecta, parentes, uel eos, quorum curę commillę sunt, admoneat
2 excommunicationis, quæ proposita est à sacro Tridentino Cõcilio ijs, qui suas puellas, uel alienas inuitas eum cogunt suscipere, aut profiteri religionem. Idem ab earum superiore fiat, cum eius consensus requiretur.

4. De Monia. 3 Cùm puella Monasterium ingredi postulabit, vt locum, ubi profiteri cogitet, illa inspiciat; primò studiosè, diligenterque cognoscatur, an uerè id illius propositum sit, anque illud curiositate tentet; nec propterea per monasteria plura vagari permittatur.

1. Ibidem. 4 In ijs monasterijs, in quibus moniales pauciores sint quinquagin-

ta,

ta, duæ tantum germanę sorores, aut tres, quæ sint vnius generis, ac familiæ recipi possint.

Vbi verò plures sunt quinquaginta monialibus, ibi tres tantummodo sorores, aut quattuor eiusdem familiæ recipi liceat: si ità monialium capitulo videatur.

5 Præfecta, & moniales de puella, earum suffragijs ad suscipiendum religionem admittenda, quicquam pollicęri, aut Capitulum cogere nō audeant; prius quàm libero loco ab Episcopo, aut ab eo, cui ipse id munus delegarit, puella secretò examinata, ac probata, facultatem suscipiendi in eo monasterio religionem scripto consecuta fuerit, consentiente etiam illius monasterij superiore.

6 Ab ijs autem omnibus prius diligenter inquiratur de moribus, vita, ætate, quæ maior sit duodecim annis; ac de libera, & pia voluntate puellæ.

Quæ anno saltem, antequàm examinetur, & monialium Capitulo admittenda proponatur, propositum religionis suscipiendæ in eo monasterio, & Episcopo, & monialibus, earumque superiori patefecerit, vt interim huiusmodi inquisitio maturè fieri possit.

7 Quo etiam tempore ipsa confessori illius monasterij, aut, cui Episcopus eiusmodi munus puellas has audiendi commiserit, semel singulis mensibus peccata sua confiteatur; sacrosanctamq; sumat Eucharistiā ac persæpè moniales in locis collocutionum alloquatur: vt ab eis tùm explorari accuratius, tùm admoneri melius possit de omnibus, quæcumque illi agenda, & ferenda erunt religionis causa intrà sepța monasteriorum; nè vllo unquam tempore conqueri, & inscitiam excusare possit.

8 De puella admittenda ad suscipiendam religionem, ac mox etiam nouitia ad professionem, ferantur tacita suffragia, ut singulæ moniales, nullo affectu impeditæ, liberè suæ conscientiæ possint satisfacere.

Puellæ, cùm ad cetera, tùm ad professionem recipiantur, monialiū suffragijs occultè latis. Idque ipsum ex Concilij Prouincialis primi decreto, quod auctoritate litterarum Pij Quinti Pontificis in monasterijs, etiam eorundem regularium iuri subiectis, locum habet, in monasterijs etiam regularium iuri, curæque subiectis seruetur. 4. Ibidem.

Nec verò huiusmodi puella ad religionem, neuè nouitia ad professionem recipiatur: nisi duas ex tribus partibus suffragiorum tulerit.

Puellæ ad religionem admissio aliter facta, quàm præscriptum sit, irrita sit, & nulla. 1. Ibidem.

Præfecta verò, cuius culpa, uel negligentia id factum fuerit, ab officij administratione submota, uelo etiam ad sex menses eo ipso priuata esse intelligatur.

10 Præfecta autem statim de suffragiorum exitu superiorem admoneat: ut in librum, ad huiusmodi vsum institutum eius nomen, quę recepta sit, ab eo referatur.

11 Cùm primùm suffragijs Capituli aliqua recepta est, statim omnes uestium delitias, & inanem ornatum deponat: & nigro, uel fusco vestitu, aut albo, at non serico induatur ea modestia, & submissione; vt omnes intelligant, eam mundo renunciasse: vt Deo religiosè inseruiat, quo vestitu semper vtatur; donec in monasterium introeat; & interea à choreis, & spectaculis inanibus abstineat.

12 Quæ verò eo modo, quo diximus, recepta fuerit, monialium vestibus in monasterio indui non possit: nisi sex mensibus, postquam recepta fuerit, idque concessu Episcopi, & monialium superioris; quibus liberum sit, vel producere, vel contrahere illud semestre tempus, quemadmodum eis expedire videbitur.

13 Tumultus autem euitandi causa, deducatur mane ad monasterium ab intimis propinquis mulieribus, nulla pompa, nulloque inuitatu aliorum, & sola introducatur in Ecclesiam interiorem monasterij: Missaque audita, & sumpta Communione, cæterisque solemnibus cęremonijs adhibitis, coram reliquis monialibus, à Superiore, aut monasterij confessore: vestiatur, qui illam adeò grauem, sacramque actionē aliquo pio sermone prosequatur. Quod etiam in professione seruetur.

15 Superior, siue confessu hanc cautionem adhibeat, nè puellæ nouitiæ nomen gentilium fœminarum imponat; sed sanctarum, quæ ab Ecclesia celebrantur.

3. Quædam quæ ad Moniales & alios reg. pert.

16 Puellæ, quæ regularem habitum induere voluerint, nè eo habitu induantur; antequàm confirmationis sacramentum susceperint; si facultas sit breui illud suscipiendi.

1. Ibidem.

17 Quæ puella postquàm monialium vestē susceperit, amplius è monasterij septis exire non possit: nisi fortasse nondum professam pœniteret in monasterium introisse. Si verò semel exierit, nulla illi in posterum facultas redeundi concedatur.

Sess. 25. c. 16.

18 Nouitiæ causa ante professionem ex decreto Tridentini Concilij nihil monasterio detur, præter id, quod necessarium sit ad victum, & vestitum eius temporis, quo fuerit in nouitiatu: quod totum representari volumus, antequàm puella in monasterium ingrediatur.

2. Capitula, ędam ad Moniales pert. cap. 2.

19 Vt Tridentinæ constitutioni, quæ est de reformatione Regularium cap. 16. fraus nulla fiat; illud Episcopus, pœna anathematis, & dantibus, & recipientibus proposita, interdicat, ne moniales à puellæ, quæ regularem habitum in earum monasterio susceptura est, parentibus, vel consanguineis, vel curatoribus, nec verò ab alijs, quibus ipsi ob id sponsione caueant, pecuniam mutuò, aut depositi, aliove quouis nomine

mine sumant, antequàm illa professionem regularem confecerit.

20 Episcopus præterea tum impensas æstimet, quæ, & in religionis ingressu, & tempore professionis fieri solent pro vestitu, aut pro alijs rebus, ad ipsius puellæ, vel monasterij vsum, cõmoditatemve pertinentibus; tùm pecuniæ etiam summam præscribat, quam puella alimentorum nomine, monasterio det; nisi census, aut alia bona immobilia, quorum annui fructus, eiusdem iudicio, adea alimenta satis sint, Monasterio attribuantur.

21 Ea autem omnis pecuniæ summa, eo nomine ab Episcopo decreta, reipsa apud certum hominem, & virum bonum deponatur, qui, professione confecta, illam statim monasterio tradat, vt decretum est superiori Concilio.

De Nouitijs ad Professionem recipiendis.

SVMMARIVM.

1 *Nouitia monialis cuius ætatis ad professionem recipienda.*
2 *Nouitiæ professuræ tempus à Præfecta quando Episcopo significandum; quodque Episcopi ea in re officium.*
3 *Quo loco, quibus præsentibus, & qua ratione examinanda.*
4 *Eadem ad professionem admittenda, quo ritu vtendum, quæque cæremoniæ adhibendæ. De Puellis ad Relig. admitt. 13. 14.*
5 *Professionem facere permittens Præfecta, superioruè Regularis non explorata nouitiæ volũtate, examineuè adhibito, grauiter plectẽdi. Inuitam quoque profiteri cogens, excommunicatur. De Puellis ad Relig. admitt. 1.*
6 *Professione facta, quod à moniali Monasterio datur, apud quem deponendum.*
7 *Nouitia quomodo bonis renunciet.*
8 *Ad professionem non admittenda officium recitare nesciens, & à quo faciendum periculum. 9.*
Suffragijs tacitis nouitia ad professionem admittenda. De Puellis ad Relig. ad. 8.
10 *Professionis memoria, vt notanda.*
11 *Professionis diei in foresterijs quæ fieri vetantur.*
12 *Moniales solemniter velandi ritus reuocandus.*

1 QVoniam ex Tridentini Concilij decreto professio ante decimum sextum annum expletum, & ante annũ probationis post susceptum habitum facta, nulla est, nullãque parit obligationem; curẽt Episcopi, ne nouitia vlla ante illam ætatem, & tempus ad professionem admittatur. 1. De Nouit. ad profess. recip. Sess. 25. c. 15.

Præ-

2 Præfecta autem monasterio triginta ante diebus Episcopo significet, quo tempore nouitia professura sit; ut uel ipse, vel, si is abest, impeditusve, alius, cui ille id negotij dederit, nouitiæ voluntatem cognoscat: perspiciatque an eiusmodi conditionibus sit, quos monasterij illius, & ordinis regula postulat: an item monasterium idoneum. Ei denique demonstret, quàm grauis ea res sit, quamve multas res tria illa religionis vota requirant; vt ea antequàm ad professionem recipiatur, vinculi uim intelligat, quo se obstringi vult.

Sess. 25. c. 17. Si Præfecta id facere neglexerit, eiusdem Tridentini Concilij decreto ab eius officio tamdiu amoueatur, quò ad Episcopo videbitur.

3 Nouitia nè examinetur intrà septa monasterij, sed extrà, in publica eius monasterij Ecclesia, ut liberè, & fidenter suam voluntatem exponere possit.

5. Quæ ad Mon. pert. Sess. 25. c. 17. Cùm nouitiæ, antea quàm professionem præstet, uoluntatem Episcopus pro facultate, sibi decreto Tridentino data, explorare volet, hoc agere ei liceat, loco, ubi crates monasterij sunt; nec propterea à septis illa egrediatur: nisi causa sit, probabilisve eiusdem Episcopi iudicio suspicio, quamobrem potius esse censuerit, ut alio loco eius uoluntas perquiratur: tuncque vel in Ecclesiam monasterij exteriorem, vel in aliã proximam, prout commodius, decentiusve fieri uiderit, illam perduci iubeat. Qua in Ecclesia, præsentibus matronis duabus, ætate gratiis, honestis, & nouitiæ gradu cognationis, quantum potest propinquioribus, quas ipsa, aut moniales delegerint, eius animum, uoluntatemque Episcopus rectè indaget, loco paulò remotiori, ità ut, quæ ad sunt, matronę uidere, non tamen auribus percipere possint indagationem, responsionemve.

4 Vt & puellis, moniali uestitu induendis, & in admittendis ad professionem nouitijs, unus, idemque ritus ab prouinciæ Episcopis adhibeatur, cùm eius generis regulæ uariæ illæ quidem, ac plane inter se diuersæ, dissimilesque sint; liber de eo ritu, huius Synodi Prouincialis authoritate per nos edetur: ad cuius præscriptum omnis ea ratio ineatur, tùm puellas induendi; tùm nouitias ad professionẽ admittendi.

5 Si quę monialium prefecta, earumq; superior Regularis, urgunę aliquam, non explorata per Episcopum illius voluntate, examineve adhibito, religiosum uestitum suscipere, aut professionem conficere permiserit; ab ipso Episcopo seuera pœna afficiatur.

1. Ibidem. 6 Quod verò professione facta, eleemosynę gratia ad professam sustentandam monasterio datur, id quo tempore puella religionis habitum susciperet, apud uirum, monialibus, & earum superiori probatum, deponatur; ut nullo impedimento tùm monialibus pręsto esse possit.

Sess. 25. c. 16. 7 Nulla autem renunciato bonis à nouitia fiat; nisi, quemadmodũ

à Con-

à Concilio Tridentino iussum est, facultate ab Episcopo, uel eius Vicario permissa, ad duos proximos menses ante professionem fiat.

8 Et quoniam, quę moniales, professione facta, uelum susceperunt, quotidie suę religionis diuinum officium dicere debent; nulla ad professionem admittatur, quę congruè legere, & dicere nesciat.

9 Id autem experiri debebit is, cuius officium est eas examinandi: qui, se præsente, eam legere iubebit.

10 Professionis autem, & anni, quo facta est, in libro, ad eum usum confecto, memoria conseruetur, manu eius monialis, quę scribę officio fungitur; adhibita subscriptione eius, quę professa sit, si modo scribere sciuerit; & superioris, qui eam admiserit.

11 Quo die puella profitetur, uel monialem habitum induit, in foresterijs, ędibusque monialium, ab eius propinquis, & amicis conuiuia nè fiant, neque bellaria dentur.

12 Vbi religiosus iste, & uetus monialis solemniter velandę mos his temporibus antiquatus est, ad pristinum usum, ex ueteri instituto, & ritu reuocetur, dum modò intrà monasterium id fiat.

De diuinis Officijs, Precationibus, & Lectione Monialium.

SVMMARIVM.

1 *Moniales die, noctuque Chorum frequentent.*
2 *Singulæ diuinis officijs intersint, & quo habitu.*
3 *Quo sono, cantusuè utantur; quasque res precando fugiant.*
4 *Orationem mentalem quando habeant, & quæ meditentur.*
5 *Diebus festis horam aliquam in lectione consumant.*
6 *Earum libri recognoscendi, & à quibus.*
7 *Scriptoque tantum approbati ad eisdem retinendi.*

1 VM ad sanctimoniales ualdè pertineat laudare assiduè Deum creatorem, conseruatorem, & redemptorem mundi, eidem gratias agere & supplicare, ut suam misericordiam omnibus hominibus ad salutem impertiat: idcircò moniales omnes, die, noctuque chorum frequentent: sacrisque officijs distinctè, attentèque ab ipsis, & uoce, & pio animi affectu celebrandis, intersint: illis solum exceptis, quarum præfecta iusti impedimenti excusationem acceperit.

1. De diuin. off. Prec. & lect. Mor.

Adsint

2 Adsint autem singulę initio diuinorum officiorum, congruentis sui ordinis uestitu indutæ, in suis, ac proprijs locis & usque ad finem persistant: non prius inde discedentes, quàm prędecta, aut nisi eius alia, discessus significationem fecerit; nisi necessitate aliud postulante, id eadem permiserit.

3 Soni, cantus, qui honesti, & spirituales non sint; colloquia etiam, risus, quicquid prętereà indignum est domo Dei, & eius diuinæ maiestate, cum qua colloquimur in oratione; omninò amoueantur. Quę cumque autem contrà hęc, quę iussa sunt, aliquid fecerit, prędectę arbitrio pro modo culpę acriter puniatur.

4 Et quia mentis oratio tantò prestantior ea, quę solum ore exprimitur, quanto anima est excellentior corpore; pijs incredibile solatiũ affert, & fructum; eosque quotidię nouis cumulat muneribus, in Deũ quodam modo conuertens: ideò moniales, & uelatę, & conuersę, preter horas Canonicas, aliasque orationes, quas ex officio habere debent quotidie in chorum uniuersę conuenientes, nisi necessariò impediantur; saltem per horam mentalem orationem, adhibeant: semi hora uidelicet post matutinum: itemque post nonam, aut Completorium, sublatis ad Deum mentibus pijs, & salutaribus rebus contemplandis, prędertim verò vitam, doctrinamque D. N. Iesu Christi, atque eius sancta misteria studiosè meditabuntur, passionem videlicet, mortem, resurrectionem, ascensionem in cœlum, extremum aduentum ad iudicium, beatorum gloriam, & damnatorum supplicia; aliaque eiusmodi, quę ad Dei gloriam, & propriam, proximorumque salutẽ pertineant.

5 Diebus festis vt otium, à quo mala omnia oriuntur, euitetur; moniales tempus, quòd sibi à diuinis officijs, & consuetis orationibus superfuerit, in sacra aliqua lectione consumant, quę ad Dei, & sui ipsius cognitionem eas ducat, viamque monstret perfectionis, & ęternę vitę; idque vel separatim, vel coniunctim faciant, cùm huiusmodi lectio suauis, & fructuosa sit animarum oblectatio; uitia coerceat; ad uirtutes inflãmet; contrà autẽ inaniũ librorũ lectio mentes corrumpat.

6 Quod nè accidat, Superior, aut confessor omnes monasterij libros perspiciat, & recognoscat; singulas moniales in virtute obedientię suos proferre cogens.

5. Quæ ad Monial. pert.

7 Moniales, libros cuiusuis generis apud se minimè retineant; nisi quos Episcopus, vel is, cui id curę dederit scripto approbarit.

De Communi Vitæ vsu, ac de proprietate tollenda.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Moniales communiter viuant. 3.*
2 *Omnia ad communem monasterij vtilitatem conferant.*
4 *Proprietatis tollendæ causa, quod Confessariorum officium.*
5 *Vestes omnes communi in loco asseruandæ. 6.*
7 *Aegrotarum, vbi custodiendæ.*
8 *Moniales dona non capiant nisi consentiente Præfecta.*
9 *Neque nummos apud se retineant. 11.*
10 *Præfecta & Discretæ* } *Cellas monialium quando visitent.*
11 *Proprietaria inuenta, vt punienda.*
12 *Monialibus catellæ, speculum, suffimenta, vnguenta prohibentur: vasaque fruticum, & florum vendendi causa: offulæ quoque ad donandum vendendumque confici vetantur.*
13 *Moniales eleemosynam facere, donare, vendere, legareque non possunt.*
14 *Quando, & quibus eisdem aliquid donare liceat.*
15 *Ad benedictionem mensæ quando conueniant.*
16 *Mensæ benedictio à Præfecta vel Vicaria fienda.*
17 *Quo ordine discumbant: & quando à mensa discedant.*
18 *Lectio in mensa habenda.*
Moniales vno loco dormiant singulæ in singulis lectis, & cellis. De Monast. Monial. nu. 22.
Cellæ die, noctuque apertæ sint; eæque à quibus visitandæ post signum datum eundi cubitum. Ibidem.

1 IN omnibus monasterijs, quod ad cibum, potum somnum, vestitum cœterasque res attinet, omnes communiter viuant; vt à sacro Tridentino Concilio decretum est: neque quidquam inter eas differat, aut alia alij præferatur, aut posthabeatur, quemadmodum votum paupertatis postulat: tuum & meum atque omnis priuata rerum possessio, & re, & verbo omnino tollatur, omnis etiam superuacaneus, & inanis rerum vsus, neque vlla sit, quæ quidquam possideat, aut adhibeat, vt proprium; etiam si ad necessitatem concessum sit.

1. De Com. vitę vsu ac de prop. toll. Sess. 25. ca. 1. de reg. & Mon.

2 Omnes itaque monasterij prouentus, cuiuscumque generis sint, eleemosynæ etiam, & quæstus ex laborib; liuelli præterea, legata, & bona

bona mobilia, & immobilia, quæ testamento relicta, & quæ donationis, vel alia quauis causa obtinuerint, à singulis monialibus ad communem monasterij vtilitatem conferatur.

Præfecta verò pro sua prudentia, & humanitate ex illis ipsis bonis eius necessitati potissimùm consulat, ad quam pertinerent, nisi obstaret paupertatis votum.

4. De Monialibus. 3 Curetur omninò, vt exquisita illa, ac religiosa communis vitæ ratio, atque vsus in monasterio studiosè introducatur; vtque spiritualis vitæ, sanctæque institutionis disciplinam, ac studia moniales sectentur diligenter.

1. Ibidem. 4 Vtque omnis proprietatis occasio tollatur de monasterijs, confessores, ac præfectæ, voti paupertatis accuratius seruandi gratia, monialibus suadere studebunt; vt curent omnes vestes lineas, laneas, vel pelliceas, aut cuiusuis generis in communi loco asseruandas; duasque ex monialibus, quo tempore mutantur officia, ijs excutiendis, purgandis, & sarciendis præficiendas: quæ etiam sororibus in singulas hebdomadas pro tempore, & vt vsus feret, eas distribuant, nullaque vestes apud se habeat, præter eas, quæ ad quotidianum vsum sunt necessariæ.

4. Ibidem. 6 In loco vestiario indumenta cuiusuis generis, vestesque omnes asseruentur.

Nec in cellulis, alioue loco priuatim reponatur quicquam, custodia turue, quod eo ipso tempore necessarium non sit.

1. Ibidem. 7 Ægrotarum verò vestes, contagionis nomine suspectæ, separatim custodiantur, aut apud illas ipsas relinquantur.

8 Dona quæ singulis mittuntur, ad præfectam adferantur: nulla possit illa accipere, aut ad vsum adhibere, nisi sciente, & consentiente præfecta; quæ in id omninò incumbere debet, vt ex monasterio vitium proprietatis, tamquam multorum malorum causam, euellat; neque cuique permittat, vt pecuniam apud se habeat.

4. Ibidem. 9 Monialis nummos nè modicos quidem, apud se quouis nomine nè habeat, neque de præfectæ etiam consensu; nisi officij, quod gerit, ratio aliter postulat. Alioquin, vt proprietatis rea puniatur. Quam pœnam, & præfecta, quæ id vllo modo vllouè prætextu permiserit, & monialis item subeat, quæ resciuerit, nec præfectæ bidui spacio; aut si hæc in culpa sit, superiori quam primùm potuerit, non denunciarit.

1. Ibidem. 10 Ter autem in singulos annos, Præfecta vna cum Discretis, cellas, & supellectilem singularum monialium diligenter, inquirat; & scrutetur, nè vlla quidquam habeat proprij, aut plus quam quantum ei ad suum vsum concessum fuerit.

Sess. 25. ca 2. de reg. & Mo. 11 Quod si quæ proprij aliquid tenere deprehensa, aut contracta fuerit; ea biennio actiua, & passiua voce priuata sit ex Tridentini Cócilij

cilij decreto atque etiam iuxtà suæ regulæ, & ordinis constitutiones puniatur, multoque magis, quę ex communi, aut ex eo, quod alicuius vsui tributum sit, furtim sibi aliquid vindicauerit.

12 Si prętereà speculum, catellus, vnguenta, aut suffimenta, & huiusmodi inanium rerum quidquam apud aliquam repertum fuerit; superior statim id è monasterio auferendum, & eam, apud quam inuentum fuerit, acriter puniendam curabit.

Fructuum, florumuè uasa in monasterijs nullo modo teneantur, eos vel fructus, vel flores vendendi causa. 4. De Monia.

Moniales etiam nè offulas, aut cætera huiusmodi conficiãt, donandi gratia, prohibemus; propter temporis iacturam, & sumptum, qui in eas impenditur. Quæ contrà decretum aliud commiserit, vel permiserit, superioris arbitratu puniatur: maximè verò in præfectam animaduertatur. 1. De Clausura.

Offulas, & alia huius generis non modo donandi, vt primo Concilio vetitum est; sed etiam vendendi causa, à moniale aut monasterio confici nè liceat. 4. Ibidem.

13 Monialis, suè velata, siue conuersa sit, eleemosynam dare, lagiri, aut vendere esculentas res, vestes, aut bona cuiusuis generis sint; etiã si ad vsum ei attributa sint, aut etiam legare omninò non possit. Quæ secùs fecerit, uelum ei per mensem adimatur; ac ter se uerberibus ad disciplinam affligere cogatur. 1. De communi vitæ vsu, &c.

14 In quo tamen integrum sit præfectæ concedere facultatem; cui concedi debere iudicarit, aliquid deuotionis, ac religionis causa vel aliud exiguum elargiendi propinquis, aut benè merentibus.

15. 16 Ad sonitum minoris campanæ omnes conueniant ad benedictionem mensæ, quam præfecta, vel Vicaria, uel, ipsis absentibus, antiquior Discreta faciat.

17 Deinde loco, & ordine discumbentes non prius discedant, quã Deo gratiæ actæ fuerint, quæ non obedierit, uno die obsonio priuetur: ac postremo loco in mensa sedere cogatur.

18 Mane, & uesperi ad primam ac secundam mensam aliquis spiritualis liber, qui ad religionem incendat, quotidie legatur, omnibus discumbentibus, cum silentio, & attentione audientibus: ut unà cum corpore, mens etiam recreetur Vniuersę Moniales. De Monasterio Monial. 22.

De Clausura, & quæ ad eam tuendam aliqua ratione pertinent.

SVM-

SVMMARIVM.

Clausuræ monialium tuendæ causa,quæ de fenestellis,& locis collocutionum,ianuis,rotis, fenestris aliis, ostijs, & cancellis construendis, obstruendisue,multisque aliis præscripta sunt. De Ecclesia,& de Monasterio Monial.nu.12.13.14.15.& à nu.6. ad 25.

1 Monasteria Monialium è vicinorum Religiosorum præcipuè ædib. non inspicienda; vtque prospiciendum.

2 Prospectus is vbi tolli non possit, quid agendum.

3 Regulares uiri nè propè Monast. Mon.ædificent, & quare.

4 Moniales etiam, nè propè eorundem Regularium virorum monasteria fabricent.

5 Monasterijs monialium ædes proximæ quibus non locandæ.

6 Quæ in eis agi vetantur.
Horti,qui angustiores reddendi. De Monast. Mon.nu.29.

7 Locus vnde extrà monasterium prospici possit, qua facultate patefaciendum.

8 Cautio ea in licentia danda, & eo prospectu arcendo.

9 Moniales professæ è monasterij septis, non egrediantur: & quam ob causam quaque facultate egredi possint. 60.
Egredientes,vt plectendæ. Ibidem.

10 Apostatæ moniales ad sua monasteria redire cogendæ: & quando in Conuertitarum numerum adscribendæ.

11 Moniales, ex quacumque causa, etiam criminali, è monasterio non educendæ.

12 Monasterij monialium septa nemo ingrediatur.

13 Monialis quempiam introducentis pœna.

14 Ingrediens absque licentia Ordinarij,excommunicatus. 38.
Moniales quoque ingredi aliquem permittentes,excommunicatæ.41.
Facultates ingrediendi septa monasterij quando, & quomodo concedendæ. 16.

16 Quæ causæ iudicandæ necessariæ ad illas concedendas; eæque vbi enunciandæ.

17 Facultates ipsæ in scriptis ab Episcopo dandæ; & quando à Vicario concedi possint.
Alius hoc attentans, excommunicatus. 40.

18 Ministros ingredientes,quæ moniales associent, alloquantur,

19 Ingredientibus obuiam prodeuntes deducentes & sermonibus præsentes,vt velatæ existant.

20 Medici septa ingressuri ab Episcopo probandi.

Furnorum

21 Furnorum vsus, ad tollendum ministrorum ingressum, introducendus.
22 Facultates habentes, ea non nisi in vrgentibus necessitatibus vtantur; aliàs excommunicati.
23 Episcopo, Superiori, Confessario, quibus ex causis septa ingredi non liceat.
24 Episcopi, Superiores, qua causa ingrediantur, & cum quibus.
25 Monasterij intra septa pernoctantes, & permittentes, excommunicati.
26 Animalia, quæ in eis non alenda.
27 Moniales cum nemine externo, licentia carente, colloquantur: & quo potissimum tempore. 31.
28 Contrà facientis quæ pœna.
29 Licentiæ à rotæ præpositis accipiendæ, & Præfectæ præsentandæ; & quod ea in re Præfectæ officium.
30 Collocuturæ, breui vtantur sermone.
32 Moniales, parlatorijs præfectæ, & aliæ, cum nemine cõmunicent, quæ ab exterius acceperint.
33 Præfectæ, & parlatorijs præpositæ, vigilent, nè quis simulato nomine ad colloquendum accedat.
34 Aditus ad monasteria monialium, & collocutio cum monialibus quibus prohibetur, & quibus conceditur absque licentia scripta.
35 Parentibus, & fratribus, ex primo Concilio concessa facultas, sine licentia moniales alloquendi, per quartum tollitur.
36 Accessus ad eadem monasteria cantum docendi causa, artemque sanandi, & puellas inuisendi tantum causa prohibitus. 37.
Facultatem eò accedendi solus Episcopus, vel Vicarius concedit: alius hoc attentans excommunicatus. 39.
41 Moniales aliquem admittentes ad parlatoria, vel rotas, absque licentia, qualiter castigandæ.
43 Facultates prædictæ à Præfecta custodiendæ, & Episcopo visitanti exhibendæ.
Cautio quæ ad tollendum certis diebus ad Monasteria accessum. De Monast. Monial. 13. 14. ex 6.
Organũ monialibus, vt concedendũ. De Eccl. inter. & ext. Mon. nu. 32.
Moniales musicis instrumentis non sonent. Ibid. nu. 33.
44 Depositi, aut custodiæ nomine nihil accipiant, acceptumq; restituant.
45 Sæcularium vestitu non vtantur.
46 Vestesque sacras non induant.
Offulas donandi, vendendiuè causa non conficiant. De Communi vitæ vsu, nu. 12.
47 Litteras, quomodo alijs mittere possint.
48 Missas ad se, Præfecta præsente legant.

49 *Quibus in litteris nè fraus fiat, quid obseruandum.*
50 *Moniales nihil priuatim ad scriptionis vsum habeant.*
51 *Scribendi facultatem à præfecta petant: & quid à præfecta agendũ.*
52 *Munera ne dent.*
53 *Eleemosynam quomodo erogent.*
54 *Medicamenta qua facultate, & à qua moniali vendenda, vel danda.*
55 *Ea, extrà claustra existentibus non exhibenda.*
56 *Caminus, ubi non tolerandus, etiam qualiter obstruendus.*
57 *Sepulturæ locus nemini intrà monasterij septa dandus: neque cadauera extra septa sepelienda.*
58 *Annona, vltra vsum, in monasterio non asseruanda.*
59 *Clausura monialium Episcopis ualdè commendatur: quam ipsæ violantes, ut plectendæ. 59. De Materia clausuræ Monialium. videatur. De Monialium, nu. 3. De Conuersis, nu. 2. De Constit. num. 13. & 14. Trid. Conc. Sess. 25 c. 5. de reg. & Mon.*
61 *Viri certi deligendi qui monasteria monialium adeant, & quod eorum officium.*
62 *Clausuræ monialium ab Episcopo visitandæ; & quid à monialibus tunc inquirendum.*
63 *Monasteria Monialium extra mœnia sita, ubi aliò transferenda sint, quas in Ecclesias non transferenda.*
64 *Monialium translatio ut facienda.*

1. De Clausura, &c.

1 VRent Episcopi, & alij superiores, nè è vicinorũ ędibus quicumq; illi sint, monasteria inspiciantur; maximè verò si fratrum cuiusuis ordinis, aut presbyterorum ædes illis immineat: quo casu parietes altius tolli, & nouos ædificari iubeant eorum sumptibus, quorum Episcopi, & ij, qui monasteriorum curatores sint, interesse iudicauerint, quacumque appellatione remota.

Quamobrem etiam sæcularium principum auxilium implorent, vt monialibus ab externorum hominum aspectu, & auditu liberis securè per monasterium ambulare liceat.

4. De Monia. 2 Quibus monasterijs de uicinorum, præsertim religiosorum prospectu tollendo ità caueri non potest, sicut Concilio Prouinciali primo iussum est; eorum fenestræ, si lumen excipi aliundè licet, obstruantur: sin minùs, ab illa seruitute defendatur operis structura, in instructionibus nostris demonstrata, quæ in porticibus item quas logias dicunt, ab eadem seruitute tuendis, adhibeatur.

1. Ibidem. 3 Regulares uiri in posterum, nè in ea loca migrent; neue areas, monasterijs

nasterijs monialium proximas, ædificandi causa emant: unde monialium aspectus fieri possit.

4 Moniales item monasteriorum ędificatione uicina regularium uirorum ædibus, aut ijs locis, unde ipsæ ab illis inspici possint, in posterum prohibemus.

5 Ædes proximæ monasterijs sanctimonialium famosis mulieribus nè locentur.

6 Neuè ibidem spectacula, cantus, saltus, ludi, & huiusmodi profanæ res, & inanes exerceantur; quæ eas à sacro officio auocare, aut ipsis offensionis causam præbere possint.

7 Ne fenestra, in ullo cuiusuis ordinis monialium monasterio, etiam regularium iuri, curæue subiecto, neuè ostium ullum, aliuduè id generis foramen, unde aliquis extrà monasterij claustra prospectus sit, patefiat, aperiaturuè sine Episcopi, cui monasteriorum omnium clausura commendata est, concessu. 4. Ibidem. Sess. 25. ca. 5. de regul.

8 Necuerò id ille permittat, concedatuè; nisi ubi locum diligenter inspexerit, & ità fieri necessarium censuerit. Tuncque ad impediendum, arcendumuè eum prospectum illa ipsa cautio, suprà mox præscripta, adhibeatur.

9 Quemadmodum à sacro Tridentino Concilio sancitum est, moniali professæ nulla ratione è monasterij septis egredi liceat; nisi ex causa legitima, quæ ab Episcopo probata sit. 1. Ibidem. Sess. 25. ca. 5. de reg. & Monial.

Huiusmodi uerò licentia egrediendi nullo pacto permittatur; nisi id grauissima res, & summa necessitas postularit: neque ijs monialibus, quibus nisi ex summi Pontificis concessu, egredi fas est.

10 Apostatæ, fugitiuæ, & delicti causa ejectæ è monasterijs, quæ cum sacro uestitu, aut sine eo uagantur, non sine scandulo religionis, ab Episcopis, cæterisque earum Superioribus petito etiam sęcularium principum auxilio ad sua monasteria redire cogantur; ut ibi dignas pœnas pendant suorum scelerum. Quod si superioribus in monasteria restituto debere minimè videantur, in earum mulierũ numerũ, quas conuertitas uocant, cum bonis, quæ attulerũt, ad monasteriũ, adscribãtur. 6. Quæ ad Monia. pert.

11 Ea autem bona illis mortuis, priori monasterio restituantur, occasione correctionis, pœnitentiæ, seu examinis, in causis etiam criminalibus, & grauioribus, monialis, è clausura nè educatur; etiam si in aliud monasterium, locũve pium conducẽda, ne ad breue quidẽ tẽpus.

12. 13 Si quæ monialis in monasterij septa marẽ, aut fœminam cuiusuis ætatis, conditionisve, etiam matres, aut sorores sint, introduxerit, tribus mensibus in carcerem concludatur; eique singulis sextis ferijs ieiunanti nihil præter panem, & aquam ad cibum, & potum adhibeatur atque ad annum uelum adimatur. Eandem pœnam subeant, quę 1. Ibidem.

rotę,& ianuę prępositę fuerint: pręfectę etiam, & quęuis alię,quarum consensu id commissum sit.

14 Quicumque uerò Clericus,siuè sęcularis,siue regularis,cuiuscumque ordinis,aut laicus cuiuscuque status, dignitatis,gradus,conditionis ipsarum monialium septa interdiu,uel noctu introire ausus fuerit,prę-

Sess. 25. c. 5. de reg. & Monial.

ter excommunicationis pœnam,quam ex Concilij Tridentini decreto ipso iure subit, alijs etiam grauissimis pœnis,habita personę, criminisque ratione puniatur. Et si Ecclesiasticus sit, aut beneficia obtineat, suorum etiam ordinum munere,ex Ordinarij uoluntate prohibeatur, suisque omnibus beneficijs priuetur. Quo decreto excipimus eos, quibus ob necessariam monasterio eorum operā,& industriā Superior septa ingrediendi facultatem,quotannis renouādam, scripto permiserit.

Sess. & ca. eo.

15 Is autem meminerit sibi à Tridentino Concilio ius ademptum esse eiusmodi facultates concedendi; nisi in casibus necessarijs: ideoque caueat,nè, quę intus officia moniales obire possunt, ad ea prestanda externi in septa monasterij introducantur, atque ut in hac necessitate dignoscenda,una, eademque ratio ubique seruetur,& ille facile concedendi usus coerceatur; Episcopus adhibitis in Concilium omnibus monasteriorum Superioribus etiam Regularibus,statuat,ac prescribat, quæ opera in monasterijs necessarium externorum ingressum requirant. Quam uerò rationem in hac re præscripserit, ea ab omnibus, & Regularibus, inuiolatè seruetur.

4. Ibidem.

16 Causę necessarię, ob quas intra septa monasterij ingredi licet, in hac Prouinciali Synodo,exprimi Concilij decreto, uel explicatæ, uel tamquam nullo modo reiectæ in extrema huius Concilij parte editæ, atque impressę in singulis monialium monasterijs, etiam regularium curæ subiectis, edicantur, & enuncientur: nec uerò ab ijs ullo modo, ullauè ratione, ac prætextu discedi liceat.

6. Quæ ad Non. pert.

17 Facultas ingrediendi septa monasterij nulla detur, nisi in scripto,neque verò quæ sine scriptis concessa est cuiquàm suffragetur; nisi quando unà cum Episcopo is monasterium ingreditur. Episcopus autem solum modò, ac nullo modo Vicarius generalis hanc potestatem faciat, nisi speciatim ei Episcopus auctoritatem delegarit, qua alijs ingrediendi facultatem dare possit, atque Episcopus quidem eam auctoritatem minimè alij demandet,nisi Vicario tantum generali,ac neque ei item, cum ipse præsens est.

4. Ibidem.

18 Ministris,quibus ob necessariam causam monialium septa ingrediendi facultas aliqñ datur,illæ solū moniales,quas pręfecta delegerit, imperent; aliæ uerò præterea nullę quicq̃ illis uel iubeant,uel alloquantur.

19 Moniales cùm in eo loco,ubi ab alijs, qui foris sunt,etiam à concionatore, aut à Superiore videri possunt, sermoni, concioniuè interfunt,

sunt, omnes facie sint operta, & contecta uelo, usque ad os deducto.

Idem præstent, quę cuiuis, etiam medico, aut superiori monasterij septa ingredienti, obuiam prodeunt, uel illum excipiunt, deducuntuè.

20 Probẽtur ab Episcopo medici aliquot, quos concessu etiam monasterij superiorum, intrà illius septa adhiberi liceat; si quando prętet medicum ordinarium, alios etiam morbi grauitas requirit.

21 In vnoquoque monasterio, Episcopi furnorum, in quibus panis coquatur, usum introducant, ut pistoribus, eorumque ministris ingressus in monasterium prohibeatur omninò. Nec uerò uir quisquam ad furnum purgandum, inflammandumve, aut ad aliud quicquàm faciendum, quod à monialibus fieri, agiuè potest, introducatur.

22 Caueant, qui ab Episcopo, superioreve facultatem habent ingrediendi monasterium, nè pro libito intrà eius septa, datę facultatis prætextu ingrediantur; sed tunc solum cùm urgens necessitas deposcit; ut ne ex Sanctissimi Pontificis Gregorij XIII. sanctione, excommunicationis pœnam statim subeant; à qua, nisi per sedem Apostolicam absolui non possunt. 5. Quæ ad Mon. pert.

23 Ne prętereà religiosis hominibus septa monasterij, etiam suę curę commissi ingredi liceat, nè ea quidem causa, ut testantium, qui in monialium Ecclesia, uel sepeliri, uel anniuersaria quotannis agi uoluerit, pię uoluntati satisfaciant: sed quę anniuersaria ex testamento debentur, in earum exteriori Ecclesia pręstent.

Nec uerò processionis, in solemnitate Corporis Domini agẽdę causa, confessarius sacerdos, aut alius superior eò ingrediatur, ac nè Episcopus quidem eo nomine, neque alios ingredi patiatur.

Neque item causa uel monialium cubiculis benedicendi; uel ea, locauè monasterij aqua benedicta aspergendi.

Nec etiam cum uestitus sacer puellis tradendus est, uel illæ ad professionem admittendæ sunt, uel ministrandum sacramentum confirmationis, Episcopus, Superioruè tàm Regularis quam sæcularis, aut cõfessarius, aliusuè ad septa monasterij introeat: sed in Ecclesia exteriori, ubi sanctissimę Eucharistiæ sacramentum ad fenestellam ministratur, hæc illis, uel puellis, uel monialibus in Ecclesia interiori manentibus, præstentur.

24 Neque Missæ celebrandæ causa, ad interiorem Ecclesiam, monasterijuè septa, Episcopus, superioruè introeat umquam; nisi tantum, cùm præfecta monasterij, aut alia monialis consecranda est: tuncque nè monialis egrediantur; sed ijs adiunctis etiam, quos ad ministerium conficiendum necessarios habet, ministris, introeat licet, intus Missam celebret, ritumque consecrandi adhibeat, ad Pontificalis libri præscriptum.

6. Quæ ad Moniales pt.

Episcopi, & Prælati omnes tàm sęculares quã Regulares, quibus monasteriorum monialium, quouis modo cura concredita est; facultate sibi ex officio data in ea ingrediendi, ità demum utantur; ut scilicet cũ necessaria causa urget, ingrediantur; paucosque comites, & eos quidẽ seniores ac religiosos homines secum adhibeant; nè pœnas, ac censuras Gregorij XIII. Summi Pontificis constitutione ipso facto inflictas subeant: quam constitutionem accuratè seruent.

1. Ibidem.

25 Intra sępta monasterij mares, & fœminæ cuiusuis generis, etiam si ipsis monialibus inseruiant, uel sint ętate confecti, nulla de causa pernoctare possint, proposita pœna excommunicationis latæ sententiæ, quam & is, qui pernoctarit, & præfecta, quæ id permiserit, subeat, quibus addantur aliæ pœnę Superioris arbitratu.

26 Neuè intus in eisdem septis boues, equos, & iumenta cuiusuis generis alant.

Si contrà fiet, prępfecta tres menses ab officij sui munere amoueatur.

27 Moniales cum nemine externo omninò colloquantur; nisi is licentiam scriptam, & obsignatam à Superiore monasterij, aut ab eo, quẽ is suo nomine substituerit; atque in Cancellaria Episcopali gratis descriptam attulerit.

28 Quæ contrà id fecerit, priuetur trium mensium facultate loquendi cum externis omnibus cuiusuis sexus, etiam propinquis, cogaturque singulis sextis ferijs eius temporis, disciplinę nomine, flagella sibi publicè adhibere, & orare eo psalmo, Miserere mei Deus.

29 Licentię autem, scripto permissę, accipiantur ab ijs, quę rotę sint prępositę; priusquam ad prępfectam deferantur, quàm illę accersantur, quę scripto nominatę sint. Prępfecta, vbi scriptum legerit, manumque & signum eius agnouerit, cuius officium sit facultatẽ colloquendi concedere, benedictione adhibita, permittat ijs, quę scripto nominentur; ut cum illis tantumodo loquantur, qui nominatim descripti sint: idque ad cõnem collocutionis feneſtellam, non ad ianuã, neq; in Ecclesia, aut alibi, prępsentibus semper monialibus arbitris ei muneri ppfectis.

30 Quę uerò ad colloquendum accesserint, breui finem loquendi faciant, caueantque nè tempus, quo nihil est pretiosius, inani, aut inutili sermone consumant.

31 Non est ferendum, ut moniales, prępsertim sacris diebus, aberrantes, ab oratione, cęterisque pijs exercitationibus, sermonibus minimè necessarijs tempus consumant: idcircò, quibus diebus sumitur sacrosancta Eucharistia, & quoties dies festi ex pręcepto Ecclesię celebrantur; tempore etiam Aduentus, & Quadragesimę; in uigilijs prętereà dè prępcepto; omni denique tẽpore, cùm diuina fiunt officia, moniales cũ externo nemine omninò colloqui possint: nisi necessitas ità postulet.

Monia-

32 Moniales verò, tàm quæ audiendis sermonibus præpositæ sunt, quàm illæ, quæ loquentur, nè monasterium absurdis, & inanibus rumoribus compleatur, cum nemine omninò communicent, quæ ab externis acceperint: nisi, cùm præfecta, si eis expedire uidebitur, vt aliqua ad eam referantur.

33 Vigilent præfectæ, & quæ sermonibus audiendis præpositæ sunt, nè quisquam ad colloquendum cum monialibus accedat simulato eius nomine, qui scripta licentia nominatur. Quod si id à quoquam commissum fuerit, is ab Episcopo: quæ verò cum eo collocuta fuerit, &, quæ scientes permiserint, à suo Superiore harum constitutionum præscripto, grauì pœna eorum arbitratu afficiantur.

34 Quicumque verò Clericus, siue sæcularis, siue regularis, cuiuscũque ordinis, aut laicus cuiuscumque status, dignitatis, gradus, & conditionis ad monialium monasteria accesserit; & cum earum aliqua, non impetrata, ut præscriptum est, colloquendi facultate, sermonem habuerit, grauiter puniatur.

35 Hoc autem edicto, neque patres, neque fratres teneri volumus, quibus non impetrata illa colloquendi facultate; sed seruatis cæteris regulis, hac ipsa de re latis, cum filiabus, & sororibus tantum colloqui, non tamen sæpta umquàm ingredi licebit. Ex eod. Concilio Prouinciali primo de Concionatoribus, &c. monial. nu. 13.

Quod in Concilio Prouinciali primo de facultate scripta, ad monialium monasteria accedendi sancitum est; id tùm mares tùm fœminas, quocumque etiam gradu, dignitate, genereuè illustres, inuiolatè seruare decernimus; etiam si pater, mater, fratres, sorores siue monialis, quam visitatum veniunt. Idque omninò vbique præstari cura Epi sit. 4. Ibidem.

36 Nemini omninò neque sacro, neque profano, neque mari, neque fœminæ liceat adire monasteria monialium docendi causa cantum, quem figuratum vocant. 1. Ibidem.

In ijs tamen monasterijs, in quibus non in exteriori Ecclesia à sæcularibus, sed intus à monialibus organo sonatur, permittere poterit Superior alicui viro, moribus, & ætate ab Episcopo probato, ut foris ad fenestellam collocutionis monialem organistam tantum sonandi artem edoceat, si in eo studij genere plus proficere necesse habeat.

Hæc autem intus, ad ipsam fenestellam discens, commorabitur; cui semper adsistent duæ ex ijs, quæ audiendis sermonibus præpositæ sunt.

Quæ contrà fecerit, siuè præfecta, siuè alia, velo priuetur alijsque præterea pœnis afficiatur, arbitratu Superioris. Quod sequitur vide De Ecclesia Monialium nu. 32.

Facultas superiori Concilio permissa, ut Monialis organista, sonandi artem, Episcopi concessu, doceri possit, abrogata sit: atque ità, vt 2. Capita q̃dam ad Mon. pert. cap. 3.

nemini, nec uiro, nec fœminę, etiam cuiusuis Superiori facultate, ad monasterium quoduis accedere fas sit eius rei causa: sed quę monialis uel organo sonandi, uel musicę artis perita est, alias moniales instruere poterit.

6. Quæ ad Mon. pert. Quoniam superioribus Concilijs Prouincialibus, non satis, quantũ rei grauitas deposcit, adhuc monialium periculo consultum, ac prouisum est, quod cùm ex frequenti ad earum monasteria accessu tùm et ingressu etiam septorum clausuræ exiitere potest; idcircò eo de genere hæc addenda censuimus. Vt autem hęc ipsa notoria sint, edicto Episcopali duorum mensium spacio, & deinceps quotannis sermone vulgari frequenter prout opus erit, populo promulgari, singulisque pręterea monialium Monasterijs, earumque pręfectis edici, denunciariue Episcopus mandet.

37 Nè quis Clericus, laicisve cuiuscumque generis, ordinis, conditionis, sexus, ętatisve sit, absque Episcopi, aut eius Vicarij concessu litteris exarato, ad monialium monasteria, quouis pretextu, casuve, ac ne eo quidem nomine inuisendi, alloquendive puellas tantum, quę ibi educantur, unquã accedat propositis, pœnis, & censuris arbitrio Episcopi.

38 Ne quis item absque eiusdem Episcopi facultate scripta, intra septa monasterij monialium, in posterum ingredi audeat. Si quis contrà fecerit, excommunicationis pœnam ipso facto subeat, ex Concilij Tridentini, Apostolicarumque sanctionum, quas Summi Pontifices Pius V. & Gregorius XIII. eo nomine ediderunt, pręscripto. A qua excommunicatione non ab alio nisi à Summo Pontifice Romano absolui possit.

39 Neque in posterum aliquis Ecclesiasticus, sęcularis, Regularis, aut laicus quocumque gradu, auctoritate, dignitateve prędituς, cuiquam homini Ecclesiastico etiam Regulari, aut laico facultatem ad monialium Monasteria accedendi, nè colloquendi quidem gratia, concedat.

Sess. 25. ca. 5. de reg. & Mõ. 40 Nec uerò monasterij septa ingrediendi potestatem faciat, quauis consuetudine, statuto, lege, priuilegijsve, etiam sedis Apostolicę auctoritate, ante Concilij Tridentini promulgationem roboratis, & communitis non obstantibus.

Siquis contrà commiserit, pœnam excommunicationis ipso facto subeat, aliasque arbitrio Episcopi.

41 Abbatissę, Prioriss̨e, & alię moniales, quę Ecclesiasticos, aut laicos homines, quauis causa, pretextuve intrà monasterij septa absque Episcopi concessu litteris consignato, ingredi permiserint, ipso facto excommunicationis pœnam subeant, à qua è sanctionis Sanctissimi D. N. Gregorij XIII. pręscripto nõ possint, nisi à Summo Pontifice absolui, pręter alias pœnas eadem constitutione propositas.

Quæ

42 Quę uerò moniales absque Episcopi concessu scriptis exarato, quemquam, vel marem, uel fœminam, contra quàm suprà præscriptũ est, ad collocutionum, rotorumve loca admiserint, biennio mulctatæ sint suffragio omni. Si verò iterum in hoc genere deliquerint, arbitrio Episcopi puniantur, tùm deinceps si itidem offenderint, excommunicationis etiam pœnam ipso facto subeant.

43 Præfecta autem monasterij facultates omnes scriptas, quas vnusquisque exhibuerit, siue de accedendo ad monasteria, siue de ingrediendo illæ sint, accuratè asseruet; Episcopoque clausuram uisitanti, & aliàs quoties postulabit, exhibeat, ut eas cum libro, quod regestum nuncupatur, conferre possit.

44 Nè liceat monialibus depositi, aut custodiæ causa, in monasterio habere pecuniam, gemmas, uestes, aut eius generis res ullas cuiusuis personæ, nec uasa quidem florum, aut fruticum. 1. Ibidem.

Quod si quæ in præsenti habeant, ut omnis incommodi causa tollatur, ad tres menses, quibus debent, ea restituant.

Contumacibus, aut negligentibus pœna sit; præfectis, officij; cęteris, veli spoliatio.

45 Moniales, nè animi quidem relaxandi causa sęcularium uirili, aut muliebri uestitu utantur; cùm dedeceat Dei famulas, uestes ab earũ professione alienas induere, uerùm, decoro semper seruato omnium, & temporum, & actionum, permittente præfecta, honestè, & quemadmodum sacras Deo uirgines decet, animum remittere, licebit.

46 Ne moniali cuiusuis ordinis albas, & uestes, aliauè indumenta, Missæ sacrificij usui dicatas, induere liceat. 4. De Monia.

47 Nulli moniali fas sit ad quemquàm secreto litteras scribere, prętter superiorem, & Episcopum, si de aliqua graui re esset admonendus. 1. Ibidem.

48 Neque ad se missas litteras aperire, & legere, nisi præfecta prius eas coram Vicaria legerit; aut se præsente legi iusserit.

Quæ contrà hanc legem aut scripserit, aut acceperit litteras, per duos menses è sua cella pedem non efferat: & singulis sextis ferijs, ità ieiunare cogatur, ut tantum pane, & aqua uescatur.

Ac si eæ litteræ suspicionem aliquam criminis haberent, ea, ad quã scriptæ fuerunt, præter prædictam pœnam, sex menses, & facultate loquendi ad fenestellam monialium collocutionis; & velo priuetur.

49 Verùm, nè præfecta falli possit, fictis ei litteris ostensis, quæ aliæ sint ab acceptis, & ab illis, per quas responsum est; quæ rotæ prępositæ fuerint, omnes accipient litteras, quæ ad monasteriũ peruenerint; easque statim ad præfectam afferent à qua etiam litteras, à monialibus scripas, accipient clausas, & obsignatas coram eadem ipsa, quas deinceps nuncijs externis tradent.

Monialis

5. Quæ ad Mon. pert.

50 Moniales ne atramentarium, calamum, aliudve cuiusuis generis instrumentum, quod ad scribendum vsui sit, in cella, aliove loco priuatim habeat. Quod si quando scribere necesse habet, id ne faciat, nisi præfectæ concessu.

51 Hęc verò nè facilè concedat, permittatve; sed explorata, perspectaque scribendi causa, eaque graui, & necessaria, facultatem det de atramentario, cęterisque ad scriptionem necessarijs accomodet: quę ubi monialis adhibuerit, quàm primum præfectæ restituat, simulque rectè ostendat, quęcumque scripserit.

4. De Mon.

52 Abstineat monialis à muneribus dandis. Eleemosynam verò per rotam, portamuè monasterij dari vetitum sit omninò, quoniam inde non leuia pericula, uel damna potius extare compertissimum est: sed quibus monasterijs pro ratione facultatum eleemosynam dare permissum erit ab Episcopo, alioue superiore, ab illis detur pecunia, frumentumve, aut aliud eiusmodi pijs aliquibus uiris, præsertim uerò locorum piorum curatoribus, qui pauperibus distribuant alio loco, quam apud monasteria.

53 Medicamenta, si quę Episcopus, aut alius superior vendi, aut foras dari permiserit, ab aromataria seniore solum dentur, & ab alia præterea nulla; nec verò priuato, sed monasterij nomine, vendantur, denturue.

54 Moniali nè liceat ijs, qui extrà claustra sunt, uel medicamenta parare, prebereve, uel manum medendi causa admouere, vel remedia exponere, uel aliud quicquam ad rem medicam pertinens exercere.

4. Ibidem.

56 Caminus si quis in priuatis cellis extructus est, perpetuò ità obstruatur, ut in eo ignis accendi nullo modo queat.

Cùm vel fenestra, uel ostium, vel caminus obstruitur, illius cardines sic euellantur; ut non ad tempus, sed ad perpetuitatem id actum sit. Idem in fenestris, ostijs, & caminis iam obstructis, seruetur.

4. Ibidem.

57 Intrà monasterij septa nemini alij, nisi monialibus sepulchrum, aut sacer sepulturę locus detur, situè. Nec verò monialium cadauera extra septa efferantur ad sepeliendum.

58 Ad tuendam etiam clausuram ea cautio adhibeatur, ut neque triticum, neque alię fruges, neque annona in ullis monasterijs, preterquã ad monasterij usum, & necessitatem asseruetur.

5. Quę ad Mon. pert. Sess. 25. ca 5. d reg. & Mõ.

59 Meminerit Episcopus, se, ut est Bonifacij octaui Pontif. & Concilij Tridentini edita sanctio, diuini iudicij obtestationem, ac maledictionis ęternę exterminationem esse subiturum, si in monialium, etiamque ab sua iurisdictione liberę, immunesque sunt, clausura restituenda, atque adeò conseruanda se negligenter gesserit.

Quare studiosè in eo cuigilet pastorali sollicitudine; ut non modo

in

in monasterijs suę curę, iuriq; subiectis, verùm in illis, quorum curatio ni regulares cuiusuis ordinis pręsunt, illa omni exparte, ut diligentissimè fieri potest, seruetur, propositis etiam Tridentini eiusdem Concilij, & arbitrij sui pœnis.

60 Contrà moniales item, & illas etiam, quarum curam Regulares gerunt, si quando è clausurę finibus exierint, facultate à sede Apostolica non impetrata, cęnsuris Ecclesiasticis, alijsque iuris remedijs agat, prout è re esse uiderit. 5. Ibidem.

61 Viri aliquot pij, ij denique solertes ab Episcopo deligantur, qui, festis pręsertim diebus, monialium monasteria, etiam regularium iure, curęve subiecta, adeant, forisque undique percipiant, si quid contrà, quàm de illis pręscriptum est, fiat, agaturve; anque quisquam sit, qui facultate non impetrata, cum illis colloquatur. 4. De Mona.

62 Monialium monasteria &c. Tit. de Visitat. nu. 27.

Episcopus autem, cùm clausuras monialium, etiam earum, quę Regularium curę, iurisdictionique subiectę sunt, uisitabit, de clausurę custodia, & decretorum, quę ad eam rectè tuendam, quouis modo pertinẽt, usu, atque obseruatione, moniales, etiam singulas, ut opus esse uiderit, diligenter interroget. 6. Quæ ad Mon. pert.

63 Quæ monialium monasteria extrà urbis, aut oppidi mœnia sita, Episcopus Tridentini decreti auctoritate, in urbem, uel oppida frequentiora, ut tuta sint, transferri oportere, aut expedire censuerit nè ea in Ecclesia sęculares transferat, ubi animarum cura geritur. 3. De Moni. Sess. 25. ca. 5. & reg. & Mo.

64 Si quando moniales, legitima facultate, ad aliquod monasterium transferri contigerit; eam curam, cogitationemque Episcopus suscipiat, ut quò à, pauciſſimis conspiciantur, benè manè, sub auroram scilicet, à viris ętate, morumque honestate grauibus, cognationeque propinquoribusque eò deducantur. 5. Quæ ad Mon. pert.

Quæ in hoc Tit. desiderantur, videantur in Titulis, De Ecclesia interiori, & exteriori Monial. & De Monasterio earundem.

De Conuersis.

SVMMARIVM.

1 *Conuersæ moniales, qua ætate, quam ob causam, quaque facultate exire possint è monasterij septis; & egressæ quæ caueant, quæque obseruent.* 2.

3 *Clausura ab eisdem, religionem professis, Episcopo curante seruanda. & De Monial. nu.* 3.

Contu-

4 *Contumaces, vt puniendæ.*

Conuersæ orationem mentalem quando habeant. De diuin. off. 4.

Eleemosynam facere, donare, & vendere quæ prohibentur. De Communi vitæ vsu. 13.

1. De Conuersis.

1 Conuersis minimum quadraginta annos natis, & Superiori probatis, facultas sit exeundi è septis monasterij, propter negotia monasterio necessaria, permittente tamen præfecta, quotiescumq; exeundum fuerit.

Cui etiam liberum sit, eas, si ità videbitur, intra septa semper retinere quod ut faciat, si modo possit, eam vehementer cohortamur.

Ad funera autem nè prodeant, nisi quæ ordinis sint mendicantium.

2 Exeuntes uerò binæ prodeant; neque longius discedant, altera ab altera, quam ut se inuicem aspicere, & audire possint.

Quibus si ex urbe egredi contigerit, semper in eodem lecto somnum capiant.

Caueantque nè in cuiusquam famosæ personæ domum introeant, etiam si illa de monasterio benè merita fuerit.

Neuè in domicilijs, ubi aliæ honestæ mulieres non habitent, pernoctent.

Neue litteras, aut mandata clàm perferant.

Aut quidquàm inane monialibus renuncient, quod foris viderint, aut audierint.

Delinquẽtibus pœna sit, carcer, aut etiã grauior, arbitratu Superioris.

3. De Monia. & reg.

3 Quod sanctissimus D. N. Gregorius XIII. de monialibus sanciuit; id Episcopus exequatur quàm diligentissimè, præsertim quod de certo earum numero constituendo decreuit, quod de eleemosynis præstandis, quod de ostiolo obstruendo quo aditus è monasterio patet ad exteriorem Ecclesiam; quod de clausura ab eisdem non uiolanda, & à conuersis etiam seruanda, præscripsit. Idque omne efficiat omninò, ut executionem habeat, cùm in Monasterijs, quorum curam gerit, tùm in illis Regularium curationi commissis: idque eiusdem constitutionis auctoritate.

4 Si quę autem moniales, conuersęve non ijs paruerint, quę eadem sanctione de clausura statuta sunt; pœna uiolatę clausurę plectantur.

De Mulieribus Pœnitentibus.

SVM-

SVMMARIVM.

1 *Mulieres pœnitentes, quarum consensu ad professionem recipiendæ.*
2 *Eæ in dote, ætate, renunciatione, & quibus alijs, ut moniales, dum recipiuntur, & profitentur, non habendæ.*

1 REgulæ, constitutionesue speciatim editę de pœnitentibus, quę professionem emittunt, seruentur, ne in ijs recipiendis consensus duarum partiũ monialium requiratur, ut Concilio Prouinciali primo sancitum est: id quod in alijs solum monialibus locũ habere hoc loco declarat; sed maior pars satis sit, etiã in professione emittenda. 6. Quæ ad Monial. pert.

2 Necuerò in earum mulierum domicilijs certus numerus constituatur; nec rursùs in ijs locum habeat, quod de eleemosyna loco dotis, alimentiuè, eiusque summa, & additione in monialiũ monasterijs pręstare decretum est: sed illud in necessarijs alimenti expensis erogetur: reliquum autem in alias monasterij necessitates, aut in bonorum ĩmobilium emptione arbitrio superioris conuertatur.

Is mulieribus liceat professionem emittere, ea ętate, eoque temporis probationis spacio, quibus iure communi liceat, aut earum constitutionibus speciatim cautum est.

In earum prętereà renunciatione, & obligatione, constitutiones earum, & earum superioris, aut ius commune seruetur.

Neque nouitię, si quid in anno probationis dederit, mulieresue acceperint, pœnis plectantur, nisi speciatim aliter caueatur.

Mulieres item, quas absoluto probationis anno, non habiles esse, neque idoneas ad professionem compertum est; aut se profiteri illę recusauerint, è monasterijs nisi causis iure permissis, nè eijciantur. Verũ Episcopus probationis, nouitiatusque tempus proroget, licet.

Ne uerò item, quę mulieres habiles non sunt ad officium, uelumque nigrum suscipiendum, etiam si domus illa conuersis opus non habeat, contrà institutum repellantur.

De Puellis Sæcularibus, quæ in Monasterijs educantur.

SVMMARIVM.

1 *Puellæ sæculares educationis causa in monialium monasteria introductæ post annum exeant.*

In

2 *In posterum non recipiantur, nisi Superiore permittente.*
3 *Quibus Puellis non permittendum: egressæque ut iterum recipiendæ.*
4 *Receptæ, quo habitu induantur, & cum quibus non colloquantur.*
5 *Quo loco dormiant.*
6 *Earum educationis causa quantum soluendum.*
7 *Si moniales fieri nolunt, quæ seruanda.*
8 *Domi suæ uiuentes, quæ cum monialibus non agant.*

1. De Puellis sæc. Quæ in Mon. educ.

1 PVellæ sæculares cuiusuis generis, conditionis, & ætatis, quæ, nunc in clausura monasterij, educationis, aliauè causa commorantur, post annum è monasterio exire cogantur; nisi omnibus ijs præditæ, quæ ad suscipiendam religionem, monasterij institutis, Tridentini Concilij, & harum constitutionum decretis requiritur, monachalem uestem sumere uoluerint. Episcopis tamen facultas permittitur probabili de causa prorogandi tempus suo arbitratu, consentiente Superiore Regulari in ijs monasterijs, quæ ei subiecta fuerint.

2 In posterum puellæ educationis causa, in monasteria nè recipiantur, sine licentia, scripto permissa ab Episcopo, ac Superiore Regulari, si ei subiectum fuerit monasterium, cui etiam prius accesserit scriptus Metropolitani consensus.

3 Hæc autem licentia non concedatur puellis, quæ habeant, à quibus regi, & educari commodè possint, aut ijs, quæ decimum annum non compleuerint, aut maioribus quindecim annis.

Quæ semel exeunt è monasterio, amplius, aut in illud, aut in ullum prætereà aliud admitti non possint; nisi cum moniales fieri uoluerint.

4 Huiusmodi autem puellæ nigri tantumodo, aut fusci, uel albi coloris uestes, non sericas adhibeant: nullo prætereà exquisito ornamenti genere utantur; nè sint concinnatæ, neuè habeant inaures, nec monilia, aut eius generis inanes delitias.

Cum propinquis, alijsuè externis nè colloquantur; nisi eisdem seruatis, quæ suprà de monialibus eo in genere decreta sunt.

5 Dormiant, cibum capiant, uersenturque loco separato à monialibus ijs exceptis, quæ ipsis regendis, & instituendis præpositæ sunt: cum nullaque moniali consuetudinem habeant, præterquam in Ecclesia; cum Missa aut diuina officia celebrantur.

6 Puellarum alimenti, & educationis causa quotannis monasterio non minus soluatur triginta aureis: cuius pecuniæ dimidium in singulos sex menses representetur. Quod si ea pecunia per ipsos sex mẽses non numerata fuerit; puellæ ad suos remittantur, quos magistratus mona-

monaſterio omninò ſatisfacere cogant.

7 Quæcumque ex ijs puellis monialis fieri uoluerit, ad propinquos ſuos mittatur, aut ad eos, qui ipſius curam habent, apud quos ſaltē per menſem maneat, priuſquam ab Epiſcopo, aut ab eius miniſtris examinetur. Idque ut facilius, ac melius eius libera uoluntas exquiri, & explorari poſſit.

8 Puellas verò, domi ſuę foris uiuentes, neque litteras, neque ullam omninò artem monialibus docere liceat; nè ad feneſtellas quidem, aliaue collocutionis loca. Quod, ſi id monialium præfecta quouis modo permiſerit; ſemeſtris adminiſtrandi officio priuetur.

De Concionatoribus, Confeſſoribus, Viſitatoribus, Capellanis, & Procuratoribus Monialium.

SVMMARIVM.

1 *Concionatores monialium quales: ijque quando, & vbi illis concionentur, & à quibus deligendi.*
2 *Concionatoribus ipſis quando cum monialibus colloqui non licet.*
3 *Confeſſores monialium quales, & quando earum peccata audiant, & Euchariſtiam adminiſtrent.*
4 *A quo probandi.*
5 *Quando mutandi: & quando priuandi. 8.*
6 *Intrà monaſterij ſepta non ingrediantur, ſeptaque ingreſſi, à quot monialibus comitandi.*
7 *In foreſterijs quando comedant, & dormiant. & De Monaſt. Monial. nu. 33. in fi.*
Confeſſionum locus qualis. Ibid. nu. 31.
9 *In eiſdem foreſterijs comedentes, ac dormientes Regulares, & Clerici alij, vt puniendi.*
13 *Regularibus monialium fratribus, quando cum eiſdem monialibus colloqui liceat.*
14 *Confeſſorum ſocij quales, & cum quibus monialibus colloqui poſſint.*
15 *Confeſſor extraordinarius monialibus dandus.*
16 *Confeſſor ordinarius, extraordinariè illarum confeſſiones non audiat.*
17 *Confeſſores dona à monialibus non capiant. & nu. 20.*
Confeſſarijs ſtipendium in pecunia dandum. 22.
Viſitatores monialiū quando in foreſterijs veſci, & cubare poſſint. 10.

Iidem

Iidem dona à monialibus non accipiant. 11.
Quando illis monialium sumptu viuere liceat. 12.
18 *Capellani monialium quales; & à quibus deligendi. Et qua facultate. De Missis sine cantu.* 36.
19 *Cum quibus monialibus colloquantur.*
Munera à monialibus non capiant. 20.
21 *Missarum celebrandarum munus à monialibus non suscipiant.*
22 *Capellanorum stipendium pecuniarium sit.*
23 *Procuratores, Famuli, Ministrique* } *Monialium quales, & à quibus probandi.*
24 *Procuratores, quibus, & quando rationem reddant.*
25 *Illis certæ regulæ præscribendæ: à quibus nullum donum capiendum. suprà, nu.* 20.
26 *Inuentarium bonorum ab eisdem conficiendum, & in Archiepiscopale deferendum.*
27 *Vicarij perpetui in Parochialibus Ecclesijs Monasterijs annexis, constituendi.*

1. De Cõcio. &c. Monial.

1 QVi monasterijs præsunt, doctos, prudẽtes, ac pios concionatores adhibeant; qui bis saltem in singulos menses ad cancellos collocutionis monialium, uel ad fenestellas Ecclesiæ, Dei uerbũ prædicent, easque erudiant in omnibus, quæ ad Dei cultum, & sempiternam salutem consequendam pertinent.

2 Concionatoribus autem nè liceat cum monialibus separatim colloqui nisi eis à Superiore monasterij licentia permittatur.

3 Præficiantur ẽt monialibus confessores, & ętate prouecti, & prudẽtes, & Deum timentes; qui semel saltem, in singulos menses audiant peccata monialium: eisque sacrosanctam Eucharistiam administrent; quemadmodum sacrum Tridentinum Concilium debere censuit.

Sess. 25. c. 10. de regul.

4 Nemo Regularis peccata monialium possit audire; nisi prius à generali Capitulo, aut sui ordinis Generali, aut eo absente, ab ipsius Vicario generali probatus fuerit: cuius rei fidem fecerit Episcopo eius loci, ubi fuerit monasterium, aut eius Vicario.

5 Omnes Monialium, & Sæculares, & Regulares Confessores, confecto biennio, aut ad summum triennio, mutentur: nisi iusta aliqua, aut necessaria causa Episcopo, aut eius ordinis Generali, si Regularibus subiectum sit monasterium, postulare videatur, ut illis tempus prorogetur.

Iidem

6 Iidem monasterij sepța ingredi non possint; nisi id eis à superiore aliqua de causa concessum fuerit; excepta causa administrãdi sacramẽta ægrotis monialibus, cùm graui, & periculoso morbo laborãt: quo tẽpore dùm intrà sepța commorãtur, eos duæ, aut tres moniales, quæ ætate cæteris præstẽt, comitẽtur. Eædẽq; omnes prosequãtur, quicũque sepța monasterij introierint, etiã Superiores, ac visitatores facta prius significatione sonitu minoris cãpanæ monialibus se recipiendi: quã cõsuetudinẽ, nisi præfecta seruarit, officio moueatur superioris arbitrio.

7 Confessores in monasteriorum locis, quos foresterias vocant, cibi capiendi causa nè morentur, nisi confessionis tempore.

Neque tũ etiã ibi noctu cubent; nisi cùm alicui ex monialiũ numero mors instaret, vt præstò esse possint administrãdis sacramẽtis, & reliquis pietatis officijs; aut cùm propinquũ monasterio domicilium nõ habent: vt in multis monasterijs, quæ sunt in Diœcesi.

Nemini autem confessori sæculari, aut Regulari assiduè habitare liceat foris in foresterijs, & ædibus monialium; aut earũ sumptibus ibi viuere; nec, si in ijs locis dormitur, quæ monasterium attingunt, fenestræ, aut rotæ sint. Et si sunt, statim muro obstruantur; vt nihil à monialibus, quod in eò loco agatur, aut dicatur, aspici, aut audiri possit.

8 Qui verò confessores in ijs deliquerint, statim, & officio priuẽtur; & facultas tùm adeundi illud monasterium, tùm diuina administrandi eis arbitrio Superioris adimatur.

9 Eandem pœnã subeant omnes Regulares, & alij cuiusuis generis Clerici, qui cibũ, aut somnũ capiẽt in locis collocutionũ, ac foresterijs monialiũ; aut munera alicui moniali, quæ secundo, arctioriuè cognationis gradu coniuncta non sit, dederint, aut ab ea acceperint. 1. Ibidem.

10 Superiores tamen, suo arbitratu, cum illis colloqui, & in foresterijs vesci, & cubare possint, quo tempore visitant monasteria: si tamen ibi fratrum sui ordinis monasteria non habeant. Quæ si sunt, apud eos diuersari debent, neque graues esse monialibus.

11 Iidem pecuniam, munera, aut præmia à monialibus nè accipiãt; quo illæ apertè intelligant in eiusmodi rifitatione tantummodo ab eis consuli Dei gloriæ, & monialium saluti.

12 Liceat verò ijs Superioribus, qui premuntur inopia, sumptu monialium viuere, cùm eas visitant, aut adeunt alia de causa, quę ad ipsarum vtilitatem spectet.

13 Regularibus, qui fratres sint monialium, permissu Superiorum, quemadmodum suprà dictum est, semel in singulos annos cum sororibus monialibus tantum colloqui liceat: idque prẹsentibus ijs, quę collocutioni prẹpositę sunt, quod, si illi aliquos secum adduxerint, ij cum monialibus omninò nè colloquantur, proposita ea pœna, quę superius

colloquentibus sine licentia est constituta.

14 Socij confessorum Regularium sint ætate prouecti, & Superiori suo probati, neque cum ulla moniali colloqui possint, nisi cum præfecta, & rota, aut foresterię præposita, si quid opus sit confessoribus, tùm cùm peccata audiunt, eiusdem pœnę periculo.

Sess. 25. c. 10. 15 Præterea Superiores ex decreto sacri Tridentini Concilij quotannis idoneum confessorem extraordinarium monialibus sibi subiectis exhibeant, cui curent, ut uniuersę confiteantur; ut quę huiusmodi indigent medicina propter aliquem occultum animi morbum, neque ipsę eam postulare, aut accipere ab usitato confessore umquàm auderent, liberius mederi suis malis possint: ac diaboli laqueos euadere, vnà cum reliquis confessori nouo sua peccata confitendo.

3. De Monia. & reg. 16 Qui ordinarius confessor, in aliquo monialium Monasterio cõstitutus aliquando fuerit, nè idem ad earum confessiones extraordinariè audiẽdas mittatur; si modo nõ aliter quandoq; Episcopus cẽsuerit.

17 Confessarij monialium ab eis, aut singulis, aut vniuersis, aut ab earum Præfecta, nè monasterij quidem nomine, quidquam, etiam minimum dono accipiant: nisi, si quid eis annuę certę portionis Episcopi iussu datur ad uitæ sustentationem.

2. Ibidem. 18 Sacerdotes, qui in monialium Ecclesijs publicis rem diuinam facturi sunt, benè audiant; & bonis moribus sint: & ab eo etiam approbati, qui monasterio præsidet.

Ex quibus, qui à monialibus mercede conducuntur, non ab illis, sed à Superiore, aut eius iussu à confessore monialium deligantur.

1. Ibidem. 19 Qui nisi eis facultas scripto concessa sit, cum monialibus nè colloquantur, nisi cum ijs, quæ sacristiæ præsunt; quibuscum ad rotam Ecclesiæ quàm breuissimè loquantur de his tantummodo rebus, quæ ad Missæ sacrificium sint necessaria.

4. De Monia. 20 Confessarij, & Capellani item Sacerdotes monialium, & ministri præterea, quos illarum curæ Episcopus præfecerit, quicumque sint, nè munus vllum, nè minimum quidem, nec verò esculenta, poculenta nè ab illis ullo nomine neq; publico, neque priuato capiant accipiánue, pęna proposita eiusdem Episcopi arbitratu irroganda. Neque præterea quicquam capiant dono, ea specie, pretextuue datum, quod res eiusmodi sint, quę Ecclesiastico vsui inseruiant, qualia sunt corporalia, purificatoria, indumenta Clericalia, sacræ imagines, & alia id generis.

Nec verò item aliud, manuum opere elaboratum, artificioseue confectum, ab illis accipiant, ac ne laborem quidem, opusue, quod in vestibus uel sarciendis, uel reficiendis ponitur.

21 Caueant item Capellani Sacerdotes, nè ab ulla moniali priuatim, sed à monasterij præfecta, aut ab illa, quæ sacristiæ præposita est, munus

munus missas celebrandi suscipiat. Cum qua præfecta, præpositaue solum; nec verò cum alijs monialibus colloquantur, tàm de rebus scilicet, quæ ad suum munus solum modo pertinent.

Idemque hoc de genere toto à monialibus seruetur, pœna tum illis, tùm Capellanis proposita, Episcopi arbitrio.

22 Quibus verò Confessarijs, Capellanisue Sacerdotibus aliquid annui stipendij ad vitæ sustentandæ vsum Episcopi permissu dandũ videbitur, id omninò certa pecuniæ summa detur; nisi aliquãdo Episcopus aliter concesserit, nempè loco pecunię triticum, uel uinum, uel aliquid eiusmodi dari.

23 Præfecta monialiũ neminẽ ad monasterij famulatũ, & procurationẽ admittat, cuius ætas, & mores earum Superiori probati nõ sint. 1. Ibidem.

Eiusdem ẽt superioris sit approbatio eorum, qui nũc monialibus inseruiunt. Quo in numero medici, tõsores, furno, aut pistrino prępositi, cæteriq; omnes intelligãtur quibus in monialiũ septa introeundũ sit.

24 Qui monasterij res procurãt, quotanis suę administrationis ratio nem reddãt ijs, quos diximus: & ad duos mẽses bonis prędibus caueãt Cancellarijs Episcoporũ, se fideliter rationẽ reddituros suę administrationis, quod si facere neglexerint, officio priuati censeantur.

25 Monasterij vniuscuiusq; curatoribus, procuratoribus, patronis, defensoribus ab Episcopo certæ regulæ præscribantur: ex quibus cognoscãt singulas muneris sui partes: ij verò curatores, & id generis ministri ab Episcopo singulis monasterijs, curæ suæ subiectis, illos non habentibus, constituantur: ità tamen, ut eiusdem Episcopi arbitratu à muneris illius cura omnes, & singuli semper amoueri queant. 4. Ibidem.

26 Bonorum & iurium omnium, ad monasterium quodcumque, etiam regularibus subiectum, pertinentium, inuentarium, probabili forma conscriptum, sex mensium spacio, ad archiuium Episcopale ab ijs, quorum interest, deferatur, ne fraus vllo modo fiat, numero monialium ab Episcopo præfinito. 4. De Monia.

Quamobrem si quas etiam alienationes eorum bonorum, iuriumque fieri deinceps contigerit, de ijs Episcopus certior fiat.

27 In Parochialibus Ecclesijs, quæ monialium monasterijs annexę sunt, perpetui Vicarij, ex formula Tridentini Concilij præscripta, ab Episcopis constituantur. 1. Ibidem. Sess. 7. cap. 7. Sess. 25. c. 11. de reg. & Monial.

De propria Regula, & Constitutionibus, his assiduè legendis.

SVMMARIVM.

1 *Regulæ monasteriorum quando monialibus legendæ.*

2 *Constitutiones conciliares quando eis quoque euulgandæ.*

3 *Eæ præfectæ exemplo, & auctoritate seruandæ.*
4 *A Confessoribus, vulgariter redditæ, explicandæ.*
5 *Ab ijs etiam obseruandæ, quæ arctiori regula adstringuntur.*

1. De Prop. reg. & const. his assid. leg.

1 OVia moniales, quæ professæ sunt, non solum Dei, & sanctę Ecclesiæ præcepta, quæ Christianis omnibus præscripta sunt; sed etiam suę regulæ, & ordinis leges, & instituta seruare debent; operę pretium erit, illis suæ vocationis, & professionis debitum officium in memoriam quàm sæpissimè reuocare. Ideò in virtute sanctæ obedientię præcipimus, vt in singulis monasterijs ab aliqua moniali, cæteris professis audientibus, quotidie legatur saltem caput vnum constitutionum regulæ, aut ordinis, cui adstrictæ sunt, cuius lectionis initium fiat à primo, & ità procedatur ad extremum; ac deinceps ad primum caput redeatur: vt eodem ordine, ac progressione seruata, numquam sacræ huius exercitationis vsus intermittatur.

2 Præterea has etiam constitutiones frequenter legi iubemus, vt crebra salutarium præceptorum comemoratione moniales in obeundo suo munere diligentiores euadant.

3 Qua in re præfectam monemus, ut cæteras ad summam legum obseruationē nō minus exēplo suo inuitet, quàm auctoritate compellat.

4 Denique præcipitur omnibus monialiū confessoribus, ut illis vniuersis semel legant, & explicent omnia hæc decreta: quæ in vulgarem sermonem conuersa, ad communem prouinciæ vtilitatē primo quoque tempore curabimus edenda: eaque vt omninò, quemadmodum debent, seruent, vehementer cohortentur.

5 Quæ moniales arctioribus constitutionum regulæque vinculis adstrictæ viuunt; non is animi nostri sensus, vt ab illis, susceptæ vitæ institutis discedāt; sed vnà cū ijs hæc quoq; decreta ab illis seruari iubemus.

De Censuris.

SVMMARIVM.

1 *Excōicatis denunciandis, quod Epi, & quod Parochi officium. 8.*
2 *Excommunicati, tribus mensibus in excommunicatione permanētes, quibus Episcopis denunciandi; quibus illorum absolutio significāda.*
3 *Excommunicationem per annum sustinentes, vt plectendi.*
Interdictum & denunciatio Paschæ tempore non communi cautum, quaq; cautione illud relaxandū. De sanctæ Euch. in Eccl. adm. nu. 8.
4 *Interdicti. Excommunicatiq;.* } *moniti, vt ab Ecclesia exeant, si nō obedierint, a Sede Apostolica tantùm absoluendi.*

Inter-

5 *Interdicta Episcopalia, censuræque aliæ, à Regularibus promulgandæ, & seruandæ.*

Excommunicatorum Interdictorumque } *nomina Regularibus, & infrà quod tempus, mittenda.* 9.

6 *Eadem ad Episcopalem Cancellarium per Parochum deferenda.*

A Cancellario ipso in tabellam referenda; eaque tabella in Cancellaria asseruanda. De Cancellario. 31.

7 *Alia quoque tabella in Sacristia retinenda.*

Exilioque mulctati. Suspensi Clerici Excommunicati Interdictique } *in tabella eadem, vt referendi. Ibid. nu.* 33.

quò diutius absolutionem petierint, eò grauius puniendi. Ibidem in fi.

10 *Excommunicationum, & aliarum censurarum ius à Parocho explicanda: à quo etiam docendum quemadmodum peccata euitentur.*

11 *Excommunicationes omnes in tabellam relatæ, quando, & vbi publicandæ.*

Excommunicationes, censuræque aliæ, tàm latæ, quàm ferendæ, Tridentinis & Prouincialibus decretis contentæ. In Indice, verbo. Excommunicatio. Interdictum, suspensio, videndæ.

Excommunicationum litteræ, pro rebus deperditis, vt concedendæ, remittiuè. De foro Episc. 23. *& seq.*

1 QVò diligentius studeant, qui excommunicationis pœna affecti sunt, in sanctæ matris Ecclesiæ gremium restitui, ac nè alij eorundem commertio consuetudineuè per imprudentiam utantur, nos ueterum Canonum auctoritatem sequuti, id iubemus, ut Episcopus, cùm excommunicationis sententiam contrà aliquem tulerit, eumque excommunicatum, palam denunciari iusserit, eius nomen, & cognomen, tùm ad Cathedralis, & propriæ Parochialis Ecclesię ualuas, affigi, tùm descriptum mitti curet Parochis, & urbanis, & Diœcesanis: qui primo saltem cuiusque mensis Dominico die illum populo excommunicatum denuncient; neque hoc agere desistant, quò ad ipsis Episcopus significarit, eundem matri Ecclesiæ reconciliatum esse. 2. Tit. 1. dec. 21.

2. 3 Quòd si tres menses is excõmunicationis uinculo irretitus permanserit; illius nomen, & cognomen Episcopus tum reliquis huius Prouincię Episcopis, tùm illis prætereà denunciet, ac significet, quorũ Diœceses sibi finitimę sunt. Cùm autem ille ipsę ad matris Ecclesiæ gremium redierit quibus anteà illum excõmunicatum Eps denunciauerat, ijs eundem absolutum quàm primùm significet. Quòd si quis

per annum in excommunicatione permanserit; ad Episcopum Parochus eum deferat, ut contrà illum agatur, quemadmodum & canonum iure, & summorum Pontificum sanctionibus decretum est.

5. De Ep. Bpa li iur. & foro.

4 Et uerò publicè excommunicatos, interdictosuè, qui à Sacerdote celebrante, ut ab Ecclesia exeant, nominatim moniti, permanere auserint, excommunicationis uinculo irretitos esse, neque ab alio, nisi à sede Apostolica solum, absolui posse, ostendat, ut Clementis Quinti sanctione cautum est.

5 Interdicta ab Episcopo promulgata, non solũ, quæ uniuersos, sed quæ singulos etiam attingunt, ab ordine omni regularium in suis Ecclesijs, & promulgentur, & seruentur item, ut Tridentinum decretum iubet.

Sess. 25. c. 12. de regul.

6 Parochus cùm aliquos, uel excommunicatos, uel interdictos pronunciarit, eorum nomina, cognomina, & diem, quo excommunicati, interdictiuè sunt, quàm primùm ad fori Episcopalis Cancellarium deferat. Quod sequitur, uide De Cancellario.

6. Quæ ad Pœnit. sacr. pert.

7 Iubeat Episcopus in omni sacristia certo conspicuo loco tabellam affigi, in qua eorum, qui interdicti, aut excommunicationis uinculo irretiti sunt, nomina, & cognomina rectè descripta, in omnium conspectu sint; ut, & si quandoque fortasse præsentes sint à diuinis officijs, Ecclesiaque eijciantur.

8 Et si contrà Concilij Prouincialis decretum in ea censura perstiterint, in singulos menses ad eiusdem præscriptum de more denuncientur.

9 Illorum præterea singulorum nomina, & censuræ item, qua affecti sunt genus, octo post diebus, quàm interdicti, excommunicatiuè sunt, ad Regulares quoque mittantur, ut cum istis ipsi etiam agant ad præscriptum constitutionis, quã Summus Pontifex Bonifacius VIII. eo de genere edidit. Quod si contràfecerint, pœnas subibunt ea ipsa constitutione sancitas.

3. De ijs, quę ad pœnit. sac. pert.

10 Quò diligentius fideles caueãt, nè excommunicationis ullius uinculis irretiantur: hoc Parochi sæpè præstent, ut eos sæpe doceãt, quàm grauis excommunicationis pœna sit; & quàm naldè omni studio cauenda: idque ad præscriptum faciant institutionis, quæ cura nostra ad prouinciæ usum conficietur.

Idem illi efficiant ex præscripta similis institutionis formula ad ea peccata detestanda, quæ frequentius à suæ Parochiæ hominibus committi animaduerterit.

5. Ibidem.

Non solùm excommunicationis, ut tertio Concilio decretũ est; sed etiam interdicti, aliarũq; censurarum uim, & potestatem Parochus ipse sermonibus, concionibusuè aliquando explicet, quos ad populũ habet.

Quæ-

11 Quæcumque excommunicationum sentẽtiæ,uel à Summis Pontificibus uel Tridentini, aliorumque generalium,& Prouincialium Mediolanensi. Conciliorum decretis, uel Diœcesanarum cuiuscumq; urbis Synodorum constitutionibus latæ sunt, quibus ipso facto,uel iure homines irretiuntur; hæ omnes, summatim vulgari sermone expressæ,& in tabellam aliquam ordine relatæ, die primo Dominico Quadragesimę in singulis Cathedralibus Ecclesijs,de suggestu frequẽti populo de scripto legantur,quò fideles meminerint, diligenter ab illis cauendum esse. Idque etiam fiat in Parochialibus illis Ecclesijs singulis,ubi id fieri Episcopus expedire censuerit. 3.Ibidem.

De Pœnis, & Mulctis.

SVMMARIVM.

1 *Pœnis, his constitutionibus statutis, non derogatur alijs per sacros Canones & Trid. Conc. constitutis.*
2 *Mulctæ Ecclesiasticis impositæ in Episcopi cõmodum nõ conuertendæ.*
3 *Quibus illæ assignandæ.*
4 *Quando Seminario applicandæ.*
Et quando locis pijs. 10.
5 *Notarius illarum attributionis rogatus infrà triduum pia loca admoneat.*
6 *Mulctæ laicis irrogatæ vt diuidundæ.*
7 *Quibus non remittendæ: & qualiter commutandæ.*
Mulctæ Canonicis constitutæ, Sacristiæ, aut fabricæ Ecclesiæ applicandæ. Tit. sequenti, nu. 12.
Vsum in alium non conuertendæ. Ibidem.
Eæ in certum librum referendæ. De foro Episc. nu. 19.
Earum quis particeps non sit. 2. *Ibid. nu.* 20.
Beneficijs quando Clericos priuare liceat. De vita & hon. cler. 106.
Pœnæ, mulctæque omnes, tàm certæ, quàm arbitrariæ his sex Concilijs comprehensæ, in Indice, verbo, Pœnæ, Mulctæque, videndæ.

1 QVibus pœnis, nostris in hac Prouinciali Synodo decretis, delicta coercemus, nihil de illis animaduersionibus derogamus, quas ueteres canones,& sacrum Tridentinum Concilium in eadẽ peccata constituerant. Quare negligentes, uel contumaces, & illis, & ijs pœnis puniendos decernimus. 1.De Pœnis.

2 Quotiescumque delicti causa Clerici mulctandi sunt, quæ ab illis

exigenda erit pecunia, nullo modo ad Episcopum perueniat; in eiusue commoda quauis ratione conuertatur, sed idem Episcopus parte pecuniæ, quæ tertiam non superet, assignata delatori, reliquam pijs operibus, aut locis, quibus ei uidebitur, omninò attribuat.

4 Quam pecuniam, si qui piorum locorum, aut operum administratores intrà mensem ab eo die, quo solui debet, numerandam non exegerint; ea Seminario iàm nunc adiudicata intelligatur.

5 Notarius autem, qui attributionis instrumenta confecerit, triduo ea de re loca pia, quorũ interierit, admoneat alioqui eis sua pecunia satisfaciat.

6 Mulctas uerò, quæ ob delicta Ecclesiastica, uel mixti fori, laicis, à iudicibus Ecclesiasticis irrogabuntur, ad hunc modũ diuidi uolumus.

Vt tertia parte pijs locis, aut operibus, eadem, qua supra diximus, cõditione addicta, tertia ad fiscum principum sæcularium pertineat: reliquum accusatori detur.

7 Quibus uerò tùm Clericis, tùm laicis pecuniæ mulcta imponenda fuerit, si sint soluendo, ne eis pœnam remittant Episcopi, nisi graui de causa, quod iudicium eorum conscientiæ periculo sit, sin inopes sint, pecuniam aliqua alia salutari pœna commutent, quæ eius generis sit, ut peccatorum uulnera contrarijs remedijs curentur.

Quæ generatim ad hæc decreta Prouincialia, & alia pertinent.

SVMMARIVM.

1 *Decretis his Conciliaribus concessa Episcopis facultas, eorumque ministris, gratis est concedenda.*
2 *Facultas ipsa Episcopis concessa, in quibus ad suos Vicarios extenditur, & in quibus non.*
3 *Decretorum Conciliarium declaratio, & interpretatio Metropolitano reseruata.*
4 *Decreta, in quibus ad Ecclesias Ambrosianas extendenda: & in quibus non.*
5 *Eorum publicatio, & affixio, vbi, & quomodo facienda, & quando valere incipiat.*
6 *Lectio eorundem in Synodo.*
Quoque alio tempore. 8. & seq.
Decreta ad Ecclesiasticos quoscumque laicos pertinentia, vbi, & quando legenda, & denuncianda. 9. 10.
7 *Obseruatio illorum vbi facienda.*

Decretis

11 *Decretis his,& alijs sanctionibus publicandis,certus dies præscriptus, ab Episcopo mutari potest.*
Morum non obseruantium pœnæ. 13.
12 *Mulctæ, decretis Conciliaribus constitutæ, nec certis locis attributæ, Sacristiæ,vel fabricæ,tantum applicandæ.*
14 *Gratiæ Deo agendæ, pro rebus Conciliaribus benè peruentis.*
15 *Abusus quauis causa in Indulgentias introducti à Metropolitano ad Summum Pontificem deferendi.*
16 *Cathedralibus Ecclesijs,quarum fructus tenues, vt prospiciatur, quid in Synodo actum.*
17 *Constitutiones,& priuilegia Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum recognoscenda,an repugnent decretis Tridentini Concilij.*
18 *Postulatio facienda à Summo Pontifice per Comprouinciales Episcopos ità habenda,ac si in Sessione facta fuisset.*
19 *Decreta omnia sanctæ Romanæ Ecclesiæ iudicio, & auctoritati subijciuntur.*

1 QVidquid consensus, approbationis, sententiæ, uel alio huiusmodi nomine, Episcopi ex facultate, in hac Synodo eis permissa,concesserint, & ab ipsis, & ab eorũ quibusuis ministris, gratis omninò detur. 1. De Pœnis & alijs, quæ generatim ad has Constit. pertinent.

Quicquid consensus, approbationis, facultatis,licẽtiæuè uel alio huiusmodi nomine ex huius,uel superiorum Conciliorum Prouincialium decretis ab Episcopo impetrandum est, eiusuè auctoritate concedendum, id, & ab ipso, & ab eius Cancellario, & quibusuis ministris gratis omninò semper detur, etiam quò ad scriptionem attinet. 4. De foro Episcopali.

2 Quamcumque facultatem ex decretis in hac sacra Synodo editis, habent Episcopi, eam ipsos per suos Vicarios exequi posse uolumus: nisi in ijs,quę propriè ad ordinem Episcopalem pertineant,aut in quibus Vicarij à sacris Canonibus, aut à Concilio Tridentino,uel à nobis expresè excluſi sunt. 1. Ibidem.

Quamcumque facultatem ex decretis in hac tertia Prouinciali Synodo Mediolanensi à nobis editis, habent Episcopi; eam, ipsos per suos Vicarios generales exequi posse uolumus: nisi in ijs, quę propriè ad ordinem Episcopalẽ pertineant: aut in quibus Vicarij à sacris Canonibus, aut à Concilio Tridentino, uel à nobis expresè excluſi sunt. 3 Quę gener. ad hæc dec. & ad alia pert. 4. & 5. de eodem.

Quæcumque facultatẽ ex decretis in hac Prouinciali Synodo Mediolanensi sexta per nos editis habent Episcopi, eam ipsos per suos Vicarios generales,aut per alios, quibus concesserint, & delegarint, exequi 6. De eodem.

qui posse uolumus; nisi in ijs, quæ propriè ad ordinem Episcopalem pertineant; aut in quibus Vicarij à sacris Canonibus, aut à Concilio Tridentino uel à nobis expressè excluſi sint.

1. Ibidem. 3 Si his decretis ante alteram Mediolanensis prouinciæ Synodum, ulla difficultas orta fuerit, eius, & omnium quæ ipsis decretis continẽtur, interpretationem, & explicationem Metropolitano reseruamus; 3. Ibidem ijſdem verbis. salua semper Sedis Apostolicæ auctoritate.

2. Ibidem. Si quę in his decretis difficultas orta ante erit quàm alia Mediolanensis Prouincię Synodus habeatur; eius difficultatis, tùm omnium, quę ipsis decretis tradita sunt, interpretationem, & explicationẽ nobis reseruamus: salua semper Sedis Apostolicæ auctoritate.

4. Ibidem. Si in his decretis ante alteram Mediolanensis Prouincię Synodum 5. Ibidem ijſdem verbis. ulla difficultas orta erit, eius declarationem, tùm uerò præterea omniũ, quæ eisdem decretis continentur, interpretationem, & explicationem nobis, & succeſſoribus nostris Archiepiscopis, perpetuo reseruamus; salua semper Sedis Apostolicæ auctoritate.

6. Ibidem. Si in his decretis ante alteram Mediolanensis Prouincię Synodum, ulla difficultas orta erit, eius declarationem, tùm uerò præterea omniũ, quæ eisdem decretis continentur, interpretationem, & explicationem nobis usque ad proximam futuram Prouincialemque Synodum reseruamus; salua semper Sedis Apostolicę auctoritate.

1. Ibidem. 4 Quidque de sacramentorũ administratione, Missæ celebratione, diuinorumque officiorum modo, & ratione in hac Synodo decreuimus, id neque ad Mediolanensem Ecclesiam, quæ sancti Ambrosij prę scripto, & instituto, proprios ritus, ac ceremonias habet; neque ad cæteras, quæcumque eodem iure, ac modo, ex antiquissimo tempore sacra facere consueuerunt, in ijs, quę eius institutis, ritibus, at cæremonijs 3. Idem ijſdẽ verbis. expressè aduersantur, pertinere uolumus. Cæteris uerò, & Mediolanensis Ecclesia, & quæ eiusdem ritibus utuntur, æquè teneantur, atque aliæ, quę in Prouincia nostra sunt, Ecclesiæ.

4. 5. 6. Idem ijſdẽ verbis. Quæcumque etiam de sacramentorum administratione Missæ sacrificij celebratione, diuinorumque officiorũ modo, & ratione in hac, & superioribus Prouincialibus Synodis decreuimus, ea planè omnia, & singula ad Metropolitanam etiam, cęterasque quascumque Ecclesias, ritu Ambrosiano utentes pertinere sancimus, ac declaramus; nisi si quid eiusmodi erit, quod, uel per nos, uel deinceps per succeſſores nostros Archiepiscopos nominatim, speciatimque declaretur, Ambrosianis ipsis ritibus, institutisuè expressè aduersari.

1. Ibidem. 5 Vt nemini eorum, quę in hac sancta Synodo decreta sunt, ignorantiam excusare liceat; edicimus, ut ex quo primum die edita, in ualuis Metropolitanę Ecclesiæ proposita fuerint, ad duos menses, omnes

3. 4 5. Ibidẽ, & idem.

se, &

ſe,& his decretis ; & ſi contrà fecerint,pœnis, quæ eis continentur,teneri intelligant.

Ab eo etiam affixionis die eorum decretorum temporis initium ſumendum decernimus, quibus aliquid intrà certum tempus præſtari iubemus.

Vt autem, quę in hac Prouinciali Synodo decreta ſunt, ad ea præſtanda,ulla ignorantię excuſatione nemini huius prouincię homini uti liceat ; illud edicimus, ut quo primum die in lucem emiſſa, ad noſtrę Metropolitanę Eccleſię ualuas affixa erunt, tunc duorum menſiũ ſpatio omnes ſe,& his decretis, & ſi contra quidquam admiſerint,pœnis, ac mulctis, quę in eis conſtitutę ſunt, obſtrictos eſſe ſciant. 2.Ibidem.

Ab eo etiam affixionis,& promulgationis die tempus eorum decretorum inchoari decernimus, quibus certo pręſcripto dierum ſpacio aliquid pręſtari iuſſum eſt.

Vt nemini eorum,quæ in hac ſexta Prouinciali noſtra Synodo, à nobis decreta ſunt,ignorantiã excuſare liceat ; edicimus,ut ea,quo primũ die de illis edictum promulgationis Eccleſię Metropolitanę ualuis propoſitum erit,ad duos menſes,omnes ſe,& his decretis, & ſi contrà fecerint,pœnis,quę eis continentur,teneri intelligant. 6. Ibidem.

Ab eo etiam affixionis die eorum decretorum temporis initium ſumendum decernimus, quibus aliquid intrà certum tempus pręſtari iubemus.

6 Iubebunt prętereà ſinguli Epiſcopi, ſi eis expedire uidebitur, ea omnia,ſuę quoque Cathedralis Eccleſię ualuis affigi ; & proxima ſua Diœceſana Synodo legi,ac recitari ; quo ſtudioſius eorum pręcepta omnium animis inculcentur. 1. Ibidem.

Vnuſquiſque prętereà Epiſcopus ea omnia in proxima Diœceſana Synodo legi, ac recitari iubebit : & ſi ità expedire cenſuerit, ſuę etiam Cathedrelis Eccleſię ualuis proponi : quò ſtudioſius omnium animis pręcepta eorum tradantur. in 3. 4. & 5. legitur eorum præcepta fixa inhęreant. 2. Ibidem. 3. 4. 5. Ibidẽ, & idem.

Vnuſquiſque prętereà Epiſcopus,ea in proxima Diœceſana Synodo,ad pręſcriptum ſacrorum Canonum, & Concilij Tridentini promulgari iubebit : & quò ſtudioſius omnium animis eorum pręcepta fixa inhęreant, ſingulę etiam Cathedrales, & Collegiatę,& Parochiales Eccleſię huius Prouincię has noſtras Conſtitutiones aliquo loco collocatas perpetuò aſſeruent. 6.Ibidem.

7 Singulę etiam Cathedrales, & Collegiatę, & Parochiales Eccleſię huius prouincię, has conſtitutiones certo aliquo loco collocatas, perpetuò aſſeruent. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Idem ibidẽ.

8 Epiſcopi ſingulis quatuor anni temporibus, ſi id opportunum cenſuerint, 1. Ibidem.

fuerint, legi iubeant coram se, & Canonicis Ecclesię Cathedralis, & collegiatarum, omnia ea, quę de vita, & honestate Clericorum, deque diuinorum officiorum celebratione in hac nostra Prouinciali Synodo statuta fuerint; ut ea crebro repetita, facilius in mores inducantur.

9 Quęcumque uel ad Cleri, uel ad populi conformandos mores, ad Ecclesiasticamque omnem disciplinam retinendam, Prouincialibus, aut Diœcesanis Synodis à nobis, aut à coepiscopis nostris sancita sunt, ex illis eò uberior, Deo iuuante, fructus existet, quò sępius, uel promulgatione, uel certe lectionis studio inculcata, ijs notiora fient, à quibus illa, & sciri, & animo comprehendi, reque ipsa pręstari oportet.

Episcopus igitur, pręter alia, quæ hoc de genere aliàs decreta sunt, & Canonicis, & Parochis, & reliquis Clericis certum tempus statuat, quo omnia, quæcumque ijs Prouincialibus, Diœcesaniśque decretis de ijs constituta sunt, illis legantur; ità ut, quę decretorum partes ad Canonicalem disciplinam pertinent, Canonici; & quę causa sua constitutiones latę sunt, Parochi, & Clerici itidem, & ij omnes, quę ad vniuersum Clerum spectant, illas, lectione repetita, animo comprehendentes, præscriptas munerum suorum partes singuli studiosius exequantur. Si quis autem eorum aliquando, Episcopi iussu, interrogatus, illas per negligentiam, aliamuè culpam ignorarit, pro eius culpæ, & personæ ratione illum Episcopus corripiat, aut alias prætereà cum eodem agat. In seminario quoque itidem seruetur, ut earum, uel institutis, uel præceptis Clerici informentur.

10 Quæ uerò decretorum partes ad laicos attinent, illas summatim vulgari sermone expressas, & certis anni temporibus distributas, prout usu uenerit, à Parochis denunciari iubeat: quò sæpius inculcata, seruentur diligentius.

11 Quibus Prouincialium nostrorum Conciliorum est aliquis adscriptus dies, quo, uel summorum Pontificum sanctiones, uel Tridentinas, Prouincialesuè Constitutiones promulgari iussum est; illis decretis certum præscriptum diem eam promulgationem mutari ab Episcopo liceat, certumque alium constitui: quo die, singulis annis in sua Diœcesi id opportunius præstari posse censeat.

12 Quibus in decretis mulctæ ijs nominatim constitutæ sunt, qui dignitates, aut Canonicatus obtinent, nec certis locis attributæ, vsui sacristiæ, aut fabricæ illorum Ecclesiæ ab Episcopo attribuantur.

Neque uerò eas ad alium vsum conuerti, neque easdem remitti; nec prętereà de ijs ipsis, etiam ab uniuerso Capitulo transigi liceat, nisi Episcopi auctoritate.

2. Ibidem. 13 Quæcumque his nostris, alijsuè superiori Synodo Prouinciali editis constitutionibus, decretisuè sancita sunt, ea omnia in sua quisq; Epi-

scopus

ſcopus Diœceſi, diligenter obſeruet; & ab alijs, quorum intereſt, ſeruanda curet omnibus iuris remedijs.

His decretis, Conſtitutionibusque in Concilio Prouinciali quarto ſancitis, ac promulgatis, quicumque vel ⁊ vniuerſi, vel ſinguli, quorum intereſt, non paruerint, aut aliquid contrà commiſerint, admiſerintuè: ij mulctas, & pœnas luant, ijs ipſis decretis ſancitas, ac aliàs prætereà ex Eccleſiaſticis, Conciliaribusque ſanctionibus, & Canonum iure præſcriptas: compellanturque prætereà ad parendum, omnibus iuris remedijs. 4. Ibidem.

Omni Epiſcopalis ſollicitudinis officio, ſtudioque vigilanti Epiſcopi, pro ſui muneris ratione, in eam curam incumbant, vt quæcumque & in ſuperioribus noſtris Concilijs, & in hac quinta Synodo Prouinciali, decreta, conſtitutaque ſunt, diligentem, atque adeò omnem executionem, quemadmodum par eſt, planè habeant. Quicumque ⁊ verò ⁊ vel vniuerſi, vel ſinguli, quorum intereſt, non paruerint, aut aliquid contrà commiſerint, admiſerintuè, ij mulctas, & pœnas luant, ijs ipſis decretis ſancitas, tùm alias prætereà Eccleſiaſticis, Conciliaribuſque ſanctionibus, & Canonum iure præſcriptas. Compellanturque prætereà ab Epiſcopo ad parendum omnibus iuris remedijs, alijs etiam pœnis, & cęnſuris conſtitutis, & irrogatis pro arbitrio ſuo. 5. Ibidem.

14 Maximas Deo gratias agere debemus, quod, quæ pro communi Prouincię ſalute hoc tempore ſtatuenda videbantur, ad optatum exitum perducta ſint, quodque eiuſdem beneficio principes vniuerſę prouincię ij obtigerunt, à quibus omnem opem, auctoritatem, & auxiliũ in eis exequendis, quę ſancita ſunt, iure optimo ſperare, & expectare liceat, quod, ut ex animo, ac ſummo ſtudio præſtent, pro noſtri officij munere, eos ⁊ vehementer hortamur; & per uiſcera Domini noſtri Ieſu Chriſti obſecramus. 1. Ibidem.

15 Ex præcepto ſacri Tridentini Concilij collegimus, & cognouimus abuſus omnes, qui in Indulgentias ex ſuperſticione, ignorantia, irreuerentia, aut quauis cauſa in Prouincia Mediolanenſi irrepſerunt; vt Metropolitanus de ijs, ex ſententia Synodi, ad ſummum Romanum Pontificẽ referat. Cuius auctoritate, & prudentia conſtitutis ijs, quæ huic Prouincię noſtrę expedire videbuntur, fideles ſalutarem indulgentiarum fructum piè, & ſanctè percipiant. 1. Ibidem. Seſſ. 25. De Inuoc. vener. & Reliquiar.

16 Actum eſt diligenter à nobis ex præſcripto ſacri Tridentini Cõcilij, quę ratio iniri poſſet, vt aliquę Eccleſiæ Cathedrales Prouinciæ noſtrę Mediolanenſis, quarum ſunt tenues fructus, ità nouis prouentibus augerentur; ut, & ad illarum neceſſitatem, & ad Epiſcopalem dignitatem ſatis eſſent. Eam autem rationem nomine Synodi Metropolitanus ad Sanctiſſ. D. N. referat, qui cognita rei neceſſitate, pro ſua prudentia, Ibidẽ Seſſ. 24 cap. 13.

dentia, & pietate, & Epiſcopis, & Eccleſijs conſulere poterit.

1. Ibidem. 17 Epiſcopi, duobus adhibitis de Capitulo illius Eccleſię, cuius res agitur, quorum alter ſuo, alter Capituli iudicio deligatur, ſtatuta, conſtitutiones, priuilegia, & indulta Eccleſiarum Cathedralium, & Collegiatarum recognoſcentes, accuratè videant, an in illis quidquàm ſit, quod ab ipſis ſacri Concilij Tridentini decretis ſit alienum; ad quorum præſcriptũ omnia, & ex Conſtitutione Sanctiſſimi D. N. Pij IIII. & ex eodem Concilio, corrigant, & emendent. Quòd ſi Epiſcopo, & Canonicis aliqua de ijs acciderit dubitatio, ad Metropolitanum referat: qui *à* Summo Romano Pontifice explicationem eorum poſtulet, quę difficultatem habere videbuntur.

1. 2. 3. Ibid. 18 Quia multa à Summo Romano Pontifice, & publicæ totius Prouincię Mediolanenſis, & priuatę ſingularum Eccleſiarum vtilitatis cauſa petenda ſunt; decernimus: vt quicquid ab eius ſanctitate communibus noſtris, & qui adſunt, Prouincialium Epiſcoporum litteris poſtulabitur, id huius Synodi nomine, & auctoritate ità factum intelligatur, perinde ac ſi in Seſſione publicè poſtulatum eſſet.

1. 2. 3. 4. 5. 6. 19 Omnia, & ſingula, quę in hac ſacra Synodo decreta, actaque ſunt, qua debemus obedientia, ac reuerentia, auctoritati ac iudicio ſanctæ Romanę Eccleſię, omnium Eccleſiarum matris, & magiſtrę ſemper emendanda, & corrigenda ſubijcimus.

Finis. Laus Deo.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

DE SVBSCRIPTIONIBVS EPISCOPORVM qui Synodis Prouincialibus interfuerunt.

SVMMARIVM.

1 Quartæ
2 Quintæ
3 Sextæ
} *Sinodi Prouincialis decretis, qui Episcopi, quiq; alij absentium nomine præsentes, subscripserunt.*

1 NOs Carolus sanctæ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis tituli sanctæ Praxedis, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Mediolani, de consilio, & assensu Reuerendissimorum Coepiscoporum nostrorum, definientes subsiscripsimus. Quartum.

Ego Antonius, Laudæ Episcopus, consentiens subscripsi.
Ego Dominicus, Episcopus Brixiensis, consentiens subscripsi.
Ego Nicolaus Episcopus Cremonæ, consentiens subscripsi.
Ego Federicus Episcopus Bergomensis, consentiens subscripsi.
Ego F. Dominicus Episcopus Astensis consentiens subscripsi.
Ego F. Benedictus Herba Eps Casalensis, consentiens subscripsi.
Ego Guarnerius, Episcopus Alexandrinus, consentiens subscripsi.
Ego Io. Franciscus Episcopus Vercellensis, consentiens subscripsi.
Ego Vincentius Marinus Episcopus Albensis, cõsentiens subscripsi
Ego Franciscus Galbianus Eps Intimilliensis, cõsentiens subscripsi.
Ego Romulus Episcopus Nouariensis, consentiens subscripsi.

Ego Lucas Tortus Prothonotarius Apostolicus I. V. D. & Vicarius Generalis multum Illustris, & Reuerendissimi D. Domini Cæsaris ex Comitibus Gambaræ, Episcopi Dertonæ, eiusdemque in hoc specialis procurator, eius nomine interfui, & subscripsi, & omnia, & singula in hac sancta Synodo decreta, atque acta, edita, & publicata, eius & Ecclesiæ suæ nomine recipio.

Ego Io. Antonius Carr. Archipresbyter sanctæ Iuliæ procurator specialis Illustris, & Reuerendissimi D. Petri Fauni Episcopi Aquensis, eius nomine interfui, & subscripsi; & omnia, ac singula in hac sancta Synodo acta, edita, & publicata, eius, & Ecclesiæ suæ nomine recipio.

Ego

Ego Benedictus Citadinus Canonicus Ecclesiæ maioris Mediolani, procurator specialis Illustris, & Reuerendiss. D. Io. Ambrosij Flisci Episcopi Sauonensis, eius nomine interfui, & subscripsi; & omnia, ac singula in hac sancta Synodo acta, edita, & publicata, eius, & Ecclesiæ suę nomine recipio.

2 Nos Carolus S. R. Eccl. Presbyter Cardinalis tituli sanctę Praxedis, Dei, & Apostolicę Sedis gratia Archiepiscopus Mediolanensis, de Concilio, & assensu Reuerendissimorum Coepiscoporum nostrorum subscripsimus.

Ego Cęsar Episcopus Dertonensis consentiens subscripsi.
Ego Hieronymus Episcopus Laudensis consentiens subscripsi.
Ego Petrus Episcopus Aquensis, consentiens subscripsi.
Ego Dominicus Episcopus Brixiensis, consentiens subscripsi.
Ego Nicolaus Episcopus Cremonensis consentiens subscripsi.
Ego Hieronymus Episcopus Bergomi consentiens subscripsi.
Ego F. Dominicus Episcopus Astensis consentiens subscripsi.
Ego Guarnerius Episcopus Alexãdrinensis, consentiens subscripsi.
Ego Io. Franciscus Episcopus Vercellensis consentiens subscripsi.
Ego Vincentius Episcopus Albensis consentiens subscripsi.
Ego Franciscus Episcopus Vintimiliensis consentiens subscripsi.
Ego Cæsar Episcopus Saonensis consentiens subscripsi.
Ego Alexander Episcopus Casalensis consentiens subscripsi.
Ego Alexander Episcopus Vigleuanensis, consentiens subscripsi.
Ego P. Cotta Episcopus Nouarię consentiens subscripsi.

3 Nos Carolus S. R. E. Presbyter Cardinalis tituli sanctę Praxedis, Dei, & Apostolicę Sedis gratia Archiepiscopus sanctæ Ecclesię Mediolanensis, de consilio, & assensu Reuerendissimorum Coepiscoporum nostrorum definientes subscripsimus.

Ego Cęsar Episcopus Dertonensis consentiens subscripsi.
Ego Nicolaus Episcopus Cremonensis, consentiens subscripsi.
Ego Hieronymus Episcopus Bergomi, consentiens subscripsi.
Ego Ioannes Episcopus Brixię consentiens subscripsi.
Ego F. Dominicus Episcopus Astensis consentiens subscripsi.
Ego Guarnerius Episcopus Alexandrinus, consentiens subscripsi.
Ego Vincentius Episcopus Albensis consentiens subscripsi.
Ego Franciscus Episcopus Vintimiliensis consentiens subscripsi.
Ego Alexander Episcopus Casalensis consentiens subscripsi.

Ego Vincentius Picaluua Archipresbyter Oppidi Cassinarum, Procurator specialis Illustris, & Reuerẽdissimi Episcopi Aquẽsis, eius noie interfui, & subscripsi: & omnia, & singula in hac sancta sexta Synodo acta, decreta, edita & promulgata, eius, & Ecclesiæ suę noie recipio.

Ego

Ego Io. Paulus Albergonus, Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Notariæ, procurator specialis Illustris, & Reue rendiss. D. Francisci Episcopi Nouaren. eius nomine interfui, & subscripsi; & omnia, ac singula in hac sancta sexta Synodo acta, decreta, edita, & promulgata, eius, & ecclesiæ suæ nomine recipio.

Ego Paulus Granutius I.V.D. Prothonotarius Apostolicus Perillustris, ac Reuerendissimi D.I. Francisci Episcopi Vercellensi, Sãctissimi. D.N. Papæ, & Sanctæ Sedis Apostolicæ, nunc apud Serenissimum Rodolphũ Imperatorẽ Nuncij, Vicarius generalis, eiusdemq; in hoc specialis procurator, eius nomine interfui, & subscripsi, & omnia, ac singula in hac sancta sexta Synodo decreta, acta, edita, & publicata, eius, & ecclesiæ suæ nomine recipio.

Ego Antonius Iordanus clericus Sauonensis Illustr. ac Reuer. D. Dominici Grimaldi Episcopi Sauonẽsis hoc tempore S.D.N. Papæ apud Auinionẽ Gubernatoris, ad hoc specialis procurator, eius nomine subscripsi, & omnia, ac singula in sexta Synodo prouinciali Mediolanen. acta, decreta, edita, & ꝓmulgata, eius, & ecclesię, suæ nomine recipio.

Ego M. Ant. Amidanus, presbyter Cremonen. Multum Illustris. & Reuerendiss. D. Ludouici Tabernę Laudẽ. Episcopi, & Nũcij & Apostolici ad Serenissimum, & Catholicum Hispaniarum Regem Philippum Generalis Vicarius, ac ad id etiam procurator specialis, eius, & ecclesiæ suæ nomine, omnia, & singula in sexta Synodo Prouinciali Mediolanensi acta, & decreta, edita, & promulgata recipio.

De Indictionibus futurorum Conciliorum Prouincialium.

SVMMARIVM.

1 *Quarti*
2 *Quinti*
3 *Sexti*
4 *Septimi*
} *futurorum Conciliorum prouincialium indictio.*

1 CAROLVS miseratione diuina tituli Sanctę Praxedis S.R.E. Presbyter Cardinalis, Borrhomæus nuncupatus, sanctæque Mediolanen. Ecclesiæ Archiepiscopus. Tertium.

Omnibus, & singulis Reuer. Dñis episcopis, qui adsunt, & Synodo Prouinciali Mediolanẽsi, quacunq; ratione interesse debent, omnibusque item Capitulis, & Ecclesiarum Cathedralium procuratoribus, qui

præsentes interſunt, indicimus, ſignificamus, denunciamus, & intimamus proximã ſequentẽ Synodũ Prouincialem Mediolanenſem quartã, Deo Omnipotente auctore, & ad eius laudem, hac eadem in urbe, hoc ipſo loco, anno 1576. die decimo menſis Maij, qui dies erit feria quinta Dñicæ ſecundæ poſt Reſurrectionẽ Dñi Noſtri Ieſu Chriſti, inchoandã, & celebrãdam eſſe. Quamobrem eos oẽs, & ſingulos Reuer. Dños Epiſcopos, qui hic præſentes adſunt, monemus: Procuratores uerò eccleſiarũ Cathedralium inuitamus, ut eo die ad Synodũ prouincialem quartã, iuuante Deo, Mediolani celebrandam, conſtituto, hic oino interſint, niſi diem celebrationis ipſius Synodi aliqua ex cauſa à nobis prorogatum fuiſſe noſtris, ad eos datis litteris, intellexerint. Quod ſi ipſorum Reuerendiſſimorũ Epiſcoporum noſtrorũ aliquis legitimo tũc detentus erit impedimento, nunciũ ad ſe excuſandum, atq; ad id impedimentum probandũ, ad nos mittat: cui etiam facultas ab ipſo detur, ea omnia, & ſingula nomine ſuo, & Eccleſiæ ſuę recipiendi, quæ Spiritu ſancto duce, in ipſa Synodo à nobis de cõſilio, & aſſenſu Reuerendiſſimorum Epiſcoporum noſtrorum decernentur, aut conſtituentur.

Quartum Idem. tempore ſolum habẽdi Concilij, ut hic, mutato.

2 Carolus, miſeratione diuina Tit. Sanctæ Praxedis S.R.E. Presbyter Cardinalis, ſanctæq; Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus. Omnibus, & ſingulis, &c. Anno M D LXXIX. die ſeptimo menſis Maij, proximè ſequentis, qui dies erit feria quinta Dominicæ ſecundę poſt Paſcha Reſurrectionis Domini noſtri Ieſu Chriſti, inchoandam & celebrandam eſſe. Reliqua, vt ſuprà.

Quintum Idem. tempore ſolum habẽdi Concilij, ut hic, mutato.

3 Carolus, &c. Omnibus, & ſingulis Reuerendiſſimis Dominis epiſcopis, &c. Anno M D LXXXII. die decimo menſis Maij, proximè ſequentis, qui dies erit feria quinta Dominicæ tertiæ poſt Paſcha Reſurrectionis D. N. Ieſu Chriſti inchoandam, & celebrandam eſſe. Reliqua, ut ſuprà.

Sextum Idem his tãtum additis.

4 Carolus, &c. Omnibus & ſingulis Reuerendiſs. Dominis Epiſcopis Derthonen. Aquen. Cremonen. Bergomen. Brixien. Aſten. Alexandrinen. Nouarien. Vercellẽ. Alben. Vintimillien. Caſalen. Lauden. Sauonen. Vigleuanen. Placẽtino, Albingaunen. alijsq; uniuerſis, & ſingulis, qui Synodo Prouinciali Mediolanen. quacunque ratione intereſſe debent, omnibuſq; item Capitulis, & Eccleſiarũ Cathedralium Procuratoribus, hoc publico decreto indicimus, ſignificamus, denunciamus, & intimamus proximam ſequentem Synodum Prouincialem Mediolanen. ſeptimam, Deo Omnipotente auctore, & ad eius laudem, hac eadem in vrbe, hoc ipſo loco, Anno Domini. M D LXXXV. die vigeſimonono menſis Aprilis, qui dies erit feria quinta Dominicę tertię poſt Paſcha Reſurrectionis. Domini Noſtri Ieſu Chriſti inchoandam, & celebrandam eſſe. Reliqua ut ſuprà.

IN-

INDEX
ET SVMMARIVM
CONSTITVTIONVM, ET LITTERARVM APOSTOLICARVM,

QVARVM IN OMNIBVS CONCILIIS Prouincialibus Mediolan. mentio fit, ordine temporis, quo edita sunt.

Literæ Pij Secundi Pont. de Clericis, qui sine literis dimissorijs, uel ante legitimam ætatem, vel extra tempora sacris initiantur. pag. 773

De Iudæis, & infidelibus conuersis, Neophytisue. pag. 775

Bulla Fel. Re. Pij Papæ Quarti, qua multæ Indulgentiæ, & priuilegia conceduntur Sodalitati Nominis Dei. 777

Bulla S. D. N. D. Pij, Diuina Prouidentia Papæ Quarti, super ordinatione, & promotione Doctorum, & aliorum cuiuscunque artis, & facultatis professorum de cetero obseruanda. 781

Constitutio S. D. N. Pij Papæ V. per Dominos Medicos obseruanda. 785

Litteræ confirmatorię Decretorum Concilij Primi Prouincialis Mediol. circa clausuram Monialium, & alia. 787

Constitutio confirmatoria Decret. Concilij Prouincial. Mediol. ad Seminar. Cler. spectantium. 792

Bulla S. D. N. Pij PP. V. Prohibition. Blasphemiæ, Sodomiæ, Simoniæ, Concubinariatus, ac contra deambulantes per Ecclesias, pauperes per eas mendicantes, ac alios in eis illicita facien. nec non de tollendis ex eis capsis, & depositis mortuorum, de non laborando in diebus festiuis, ac circa plurima alia Dei honorem, & diuinum cultum concernen. 795

Constitutio confirmatoria formulæ in Concil. Mediol. Primo præscriptæ circa promouendos ad Cathedrales. 800

Bulla S. D. N. D. Pij Diuina prouidentia Papæ Quinti super clausura, & reformatione quarumcumque Monialium. 803

Constitutio confirmatoria statutorum ordinationum, & Decretorum in Prouinciæ Conc. I. Mediol. confectorum ad Cleri mores reformandos, & alia. 806

Constitutio qua Regulares quicumque iubentur obseruare in Concilio primo Prouinciali Mediolan. confecta ad honestatem, decorum, reuerentiam

tiam & ornamenta Eccl. &c. pag. 809
Breue S.D.N.D. Pij Diuina prouidentia Papæ V. Super reuocatione licentiarum ingrediendi Monasteria, ac Domos Carthusiensium, & aliorum quorumcunque Regularium ordinum, etiam Mendicantium, quibus suis Mulieribus concessarum. 812
Motus proprius S.D.N.D. Pij Diuina prouidentia Papæ V. de veritate exprimenda &c. in dispensationibus matrimonialibus, & alijs gratijs sub pœna falsi. 813
Bulla S.D.N.D. Pij Diuina prouidentia Papæ V. Super declaratione decreti Concilij Tridentini de cognatione spirituali inter maritũ, vel vxorem suscipientis, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem, & quascumque alias personas tam ex parte suscipientis, quam baptizantis, & baptizati. 815
Constitutio S.D.N.D. Pij, Diuina prouidentia Papæ V. Super confirmatione, ac reualidatione sanctionis olim à Sanctæ memoriæ Paulo PP. IIII. contra Iudæos editæ. 816
Breue Quo S.D.N.D. Pius Papa V. hortatur locorum Ordinarios, vt in suis Ciuitatibus, & Diœcesibus Ecclesias seu loca alia, in quibus pueri in Doctrina Christiana erudiri debeant, deputent cum facultate Christi fidelium Confraternitates in Ecclesiis seu locis huiusmodi erigendi, ac Indulgentia pro Confratribus, & pueros docentibus. 821
Bulla S.D.N.D. Pij Diuina Prouidentia Papæ V. Relaxationis prohibitionis de non admittendis Resignationibus per Ordinarios, cum modificationibus. 823
Declaratio portionum assignan. Vicarijs perpetuis Parochialium pijs locis perpetuò vnitarum. 826
Bulla S.D.N.D. Pij Diuina prouidentia Papæ V. per quam declaratur Decretum Sacri Concilij Tridentini, super impedimento publicæ honestatis editum. 829
De Breuiario Romano nuper edito. 830
Bulla S.D.N.D.D. Pij Diuina prouidentia Papæ V. Super residentia faciendа in Parochialibus per obtinentes eas, ac Canonicatus, aut dignitates, seu aliud beneficium. 834
S.D.N.D. Pij Papæ V. Extensio Decreti Concilij Tridentini, Sess. xxi. ca. 4. quod incipit, Cùm non deceat: loquentis de Clericis sæcularibus, ad Clericos regulares nõ professos, quòd non promoueantur ad sacros Ordines, nisi seruata forma dicti Decreti. 836
S.D.N.D. Pij Papæ V. Constitutio contra offendentes statum, Res, & personas Officij Inquisitionis hæreticæ prauitatis. 839
Sanctissimi D.N.D. Pij, Papæ V. Constitutio, Super recitatione officij Beatæ Mariæ Virginis, cum Decretis, & Indulgentijs. 842

Con-

Confessio Indulgentiarum, omnibus & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus, Ciuitatis, Diœcesis, & Prouinciæ Mediolanensis, qui alicui doctrinæ Christianæ Sodalitati se adscripserint, vt debitam in ea operam præstent. 30. Octobr. 1572. pag. 847
De Indulgentijs disciplinatorum, pœnitentium, & aliorum huiusmodi sodalitatibus, quæ in Vrbe, Diœcesi, & Prouincia Mediolanensi sunt, à S.D.N. Gregorio XIII. concessis. 849
Reuocatio Priuilegiorum, consuetudinum, & statutorum præstandi seu recipiendi fructus, distributiones, seu dulciaria. 851
S.D.N.D. Papæ V. noua constitutio, de confidentijs beneficialibus, earumque casibus; præsumptionibus, & probationibus, cum relaxatione cognitionis causarum, præterquam ptndentium, itemque futurarum, de collatoribus Episcopis, & superioribus, beneficijsque Consistorialibus. 853
S.D.N. Pij Papæ V. Statutum, de fructibus, quos amittunt qui horas Canonicas non recitant. 859
S.D.N.D. Gregorij Papæ XIII. Constitutio. Ne Agnus Dei benedicti minio inficiantur, nec venales proponantur. 860
Litteræ, quod Regulares non possint absoluere confitentes à casibus Episcopo reseruatis. 861
S.D.N.D. Gregorij Papæ XIII. Constitutio, De eleemosynis Monialibus præstandis. 862
Indulgentiæ à S.D.N.D. Gregorio XIII. Perpetuò concessæ, omnibus Ciuitatis, Diœcesis, & Prouinciæ Mediolanensis Christi fidelibus, qui datis campanæ signis, certo temporis spatio, ab Illustrissimo Archiepiscopo Mediolani in Ecclesia sua, & ab vnoquoque eiusdem Prouinciæ Episcopo in suis Ecclesiis præscripto, aut præscribendo, orationi vacauerint. 868
Literæ. S.D.N.D. Gregorij PP. XIII. Concessionis indulgentiarum, & gratiarum Confraternitatibus Sanctiss. Corporis Christi, in Ciuitate, & Diœcesi, ac Prouincia Mediolanensi. 870
S.D.N.D. Gregorij Papæ XIII. Reuocatio omnium licentiarum ingrediẽdi Monialium & virorum, septa, et prohibitio, ne habentes licentias ab Episcopis vel Superioribus in casibus necessarijs, ingrediantur Monasteria Monialium, nisi vrgentibus necessitatibus. 871
Concessio Indulgentiæ causa orationis sine intermissione. 873
Concessio Indulgentiæ vniuersis fidelibus Prouinciæ Mediolanen. conuenientibus ad orationem quadraginta horarum. 874
Concessio Indulgentiæ conuenientibus ad concionem, & Missam maiorem, & ad orationem, & processionem sub vexillo. 875
Concessio Indulgentiæ celebrantibus, & conuenientibus ad Missam congregationum foranearum. 876

Conceſſio Indulgentiæ certa hora orantibus pro defunctis. pag. 876
Conceſſio Indulgentiæ orantibus in eleuatione S. Corp. Domini, & ijs qui dum ad infirmos defertur deuotè proſecuti fuerint; ac illis item qui diebus feſtis, & frequenter communicauerint. 877
Facultas Indulgentiæ ægrotis concedendæ ab Epiſcopis Prouin. Mediolanen. 878
De Taxis in Iudicijs Eccleſiaſticis Prouinciæ Mediol. ſeruandis. 879
Reuocatio quarundam literarum Pij V. pro militibus S. Ioannis Hieroſolymitani, ad terminos Decretorum Concilij Tridentini.
De Blaſphemijs, & flagitijs Iudæorum, in quæ hæreticæ prauitatis Inquiſitores animaduertunt. 888
Declaratio ſuper facultate quam habent Ordinarij, & alij monialium Superiores ingrediendi earum monaſteria. 892
Conſtitutio Qua Concilij Tridentini pœnis ſubijciuntur Duellum priuatim committentes, locum dantes, ac etiam ſuadentes, auxiliantes, & ſpectantes. 894
Conſtitutio de Abbatiſſis & alijs monaſteriorum Monialium Præfectis, non ultra triennium per vniuerſam Italiam in futurum eligendis. 895

FINIS.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

LITTERAE PII SECVNDI PONT.

DE CLERICIS,

QVI SINE LITERIS DIMISSORIIS, vel ante legitimam ætatem, vel extra tempora sacris initiantur.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

CVnctis disponentes fidelibus iustitiam ministrari, tenorem cuiusdam dudum per felicis recordationis Pium Papã II. prædecessorem nostrum, ad futuram rei memoriam editæ, & in Quinterno Cancellarię Apostolicæ Anno Incarnationis Dominicę Millesimo Quadringentesimo sexagesimoprimo, Quintodecimo Kal. Decemb. Pontificatus sui Anno Quarto, annotatæ constitutionis, præsentibus, ad instantiã dilecti filij nostri Caroli Tit S. Praxedis Presbyteri Cardinalis Borrhomæi nũcupati, perpetui administratoris Ecclesiæ Mediolanen. inseri ac de uerbo ad uerbũ annotari fecimus, uolentes, & Apostolica authoritate decernentes, quòd huiusmodi sic inserto tenori, in quibuscunque causis interesse ipsius Caroli Cardinalis, & administratoris, concurrẽtibus, dumtaxat stetur & plena fides adhibeatur ubique in iudicio, & extra illud ubi ille exhibitus fuerit uel ostensus: dictus uerò tenor sequitur, & est talis uidelicet. Pius Episcopus seruus seruorum Dei ad futuram rei memoriam. Cùm ex sacrorum ordinum collatione character inuisibilis animę imprimitur, sacra mysteria dispensantur, ut ipsarum cura tribuatur animarum, in eorum susceptione excessus grauis tanto magis plectendi sunt, quanto ex illis maiora in mentibus fidelium scandala generantur. Cùm itaque sicut fide dignorum relatione non nisi molestè accepimus, nonnulli clerici extra tempora à iure statuta: quidam ante ętatem legitimam: aliqui uerò sine dimissoris literis, contra sanctiones canonicas, se faciant ad sacros ordines promoueri: Nos eorundem temeritatem tali castigatione reprimentes, vt

alijs in posterum committendi similia aditus præcludatur, auctoritate Apostolica, præsenti constitutione perpetuò ualitura, statuimus, & ordinamus, ut omnes & singuli, qui absque dispensatione canonica, aut legitima licentia, siue extra tempora à iure statuta, siue ante legitimam ætatem, uel absque literis dimissorijs etiam citramontani a citramontanis (præterquàm si in hoc ultimo casu per Cameram Apostolicam, iuxta ipsius stilum ordinati fuerint) ad aliquem ex sacris ordinibus se fecerint promoueri, à suorum exequutione ordinum ipso iure sint suspensi: Et si huiusmodi suspensione durante in eisdem ordinibus ministrare præsumpserint, eo ipso irregularitatem incurrãt, propter quam ultra alias pœnas in tales generaliter à iure inflictas beneficijs ecclesiasticis, quę obtinent, possint iure priuari: uolumus autẽ quòd præsens nostra cõstitutio in Romana curia existentes post quindecim dies, absentes uerò Italicos post duos, alios autem etiam ultramontanos post sex menses ab ipsius in audientia contradictarum, & Cancellaria Apostolica, publicatione, ac affixione ligare incipiat. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti ordinationis, & uoluntatis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quadringentesimo Sexagesimo primo, Quintodecimo Kalen. Decembris Pontificatus nostri Anno Quarto. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ uoluntatis, & decreti infringere, uel ei ausu temerario contrarie. Si quis autem hoc attentare pręsumpserit indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Romę apud sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo Septuagesimo secundo, Nono Kal. Martij. Pontificatus nostri Anno Primo.

De Iudæis, & infidelibus conuersis, Neophytisue Paulus PP. III.

AD perpetuam rei memoriam. Cupientes Iudæos, & alios infideles quoslibet ad fidem catholicam conuerti, & prætextu bonorum per eos antea possessorum ob eandem fidem non distrahi, Motu proprio ex certa nostra scientia, auctoritate Apostolica tenore præsentium hac in posterum valitura constitutione sancimus, quòd cuicunq; eorũdem Iudæorum, & infidelium ad dictam sedem conuerti uolenti, etiam si in patria potestate constitutus fuerit, bona sua quæcunque tã mobilia, quàm immobilia, intacta, & illæsa permaneãt, ita ut etiam filij familias, & in patria potestate, (vt præfertur) constituti, legitima, & quacunque alia portione bonorum patrimonialium aut maternorum eis de iure, seu successione bonorum eis aliàs debitorum per eorum parentes fraudari, aut priuari non possint, neque debeant, sed eis integrè, etiam si contra uoluntatem parentum suorum ad fidem ipsam conuersi fuerint, etiam eorum parentibus uiuentibus debeantur. Et si bona ipsa ex usura, aut illicito quęstu fuerint acquisita, & notæ sint personæ quibus eorum fuerit de iure facienda restitutio (quia non dimittitur peccatum, nisi restituatur male ablatum) illa eisdem personis omnino restituantur, personis uero non extantibus prædictis, quia bona ipsa essent per manus ecclesiæ in pios usus conuertenda, bona huiusmodi eisdem Iudęis, & alijs infidelibus in fauorem suscepti baptismatis, tanquam in pium usum liberè concedimus, eaque apud ipsos sic conuersos Iudęos, & alios infideles remanere decernimus: Interdicentes sub diuinæ anathematis pœna quibusuis tam ecclesiasticis, quàm sæcularibus personis, ne ullam super bonis huiusmodi quouis quęsito colore molestiam inferant, aut inferri patiantur, sed magnum se fecisse lucrum existiment, dum tales Christo lucrati fuerint. Et quoniam, ut scriptum est, qui habuerit substantiam mundi huius, & viderit fratrem suum necessitatem habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in ipso, si ipsi cõuersionis tẽpore inopes, aut indigentes fuerint, omnes tam ecclesiasticos, quàm sęculares per uiscera misericordię Dei nostri exhortamur, ut ipsis cõuersis manus porrigant adiutrices: ipsi quoque dicœsani non solũ Christianos ad subuentionem ipsorum exhortentur sed etiam tam

de

de redditibus ecclesiarum, prout potuerunt, quam de ijs quę ad paupe
rem usus per ipsos conuertendos deuoluuntur, huiusmodi neophitos
sustentare non negligant, ipsosque à detractionibus, & contumelijs
paterna affectione defendāt. Et quoniam per gratiam baptismi ciues
sanctorum, & domestici Dei efficiuntur, longue dignius exiſtit rege-
nerati spiritu, quàm nasci carne eadē constitutione statuimus, ut ciui-
tatum, & locorum, in quibus sancto baptismate pro tempore regene-
rabnntur uerè ciues sint, & priuilegijs, ac libertatibus, & immunitatib.
quæ alij rōne natiuitatis, & originis duntaxat consequuntur, gaudeāt.
Curent insuper Sacerdotes baptizantes, & alij de sacro fonte eos susci
piētes, tam ante baptismū, quàm, post, illos in articulis fidei, ac legis no
uę præceptis, catholicæq; ecclesię ritibus, diligenter instruire, & tam,
ipsi, quàm diœcesani operam debet, nec cum alijs Iudęis, seu infideli-
bus saltem per longum tempus conuersentur, ne sicut quandoq; cōti-
git ab infirmitate curatis modica occasio ad pristinam perditionem
recidiuos afficiat. Et quoniā, experientia teste, compertū est mutuam
ipsorum neophitorum inter se conuersationē ipsos in fide nostra fra-
giliores reddere, ac saluti ipsorum plurimum officere, hortamur loco
rum Ordinarios, ut quantum pro incremento fidei viderint expedi-
re, curent, & studeant neophitos ipsos eum originarijs Christianis ma
trimonio copulare, & prohibeant eisdem sub grauibus pœnis, ne
mortuos more Iudæorum sepeliant, aut Sabbata, aliasque solennita-
tes, & antiquæ sectę ritus quoquomodo obseruent, sed & ecclesias, &
prędicationes, prout alij catholici frequentent, & in omnibus Chri-
stianorum moribus se conformes reddant. Comtemptores autem
prædictorum per sacerdotes, in quorum parochijs degent, aut alios,
ad quos de iure, uel antiqua consuetudine de talibus inquirere spe-
ctat, aut etiam per alios quoscunque diœcesanis, seu inquisitoribus hæ
reticæ prauitatis deferant, & inuocato, si opus fuerit, auxilio brachij
secularis, per eos taliter puniantur, quod alijs transeat in exemplum:
Et insuper de ijs omnibus in prouincialibus & synodalibus Conci-
lijs diligens fiat inquisitio, & tam circa Episcopos, & sacerdotes in
premissis negligentes, quam ipsos neophytos, & infideles prędictos
contemptores opportunum adhibeatur remedium. Si quis autem cu-
iuscunque gradus, uel præeminentię fuerit, huiusmodi neophitos, ne
ad obseruationem ritus Christiani, & aliorum premissorum compel-
hantur, fauerit, aut defenderit, pœnas contra fautores hęreticorum
promulgatas, ipso facto incurrat. Neophiti uerò si se corrigere post
monitionem canonicam neglexerint, & ad uomitum indaizantes re-
dire comperti sint, contra eos, tanquam perfidos hæreticos per Ordi-
narios locorum secundum sacrorum canonum instituta procedatur.

Non

Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, a quibusuis priuilegijs, indultis, & litteris etiam Apostolicis, seu etiam Regijs, uel Imperialibus eisdem Iudęis, uel infidelibus quomodolibet concessis, quæ quatenus in detrimentum catholicæ fidei; aut nominis Christiani, seu aliquorum ex prędictis quomodolibet uergerent, ad effectum prędictum cassamus, & irritamus, ac cassa, & irrita decernimus, alijs decretis, & constitutionibus Apostolicis, quę super prædictis sunt condita in suo robore duraturis. Et vt huiusmodi sanctę constitutionis ingens memoria habeatur, & ne quisquam ipsius ignorantiam prętendere possit, illa per singulas cathedrales, & collegiatas ecclesias, aliaque pia loca, in quibus vberior erit fidelium concursus semel in anno ad minus infra diuina, publicari uolumus, & decernimus. Et quia difficile foret prędictes ad singula quęque loca deferri, uolumus & etiam declaramus, quòd earundem prędictum transumptis, seu copijs etiam impręssis, & manu alicuius notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius prælati munitis, eadem prorsus fides adhiberetur vbicunque si forent exhibitę, uel ostensę. Dat. Romæ apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xxi. Martii, millesimo quingentesimo quadragesimo secundo, Pontificatus nostri anno octauo.

Bulla Fœl. Re. Pij Papæ Quarti, qua multæ Indulgentię, & priuilegia conceduntur Sodalitati Nominis Dei.

PIVS Episcopus Seruus Seruorum Dei uniuersis Christi fidelibus, præsentes literas inspecturis, salutem, & Apostolicam benedictionem. Saluatoris, & Domini nostri Iesu Christi Dei Patris Vnigeniti, qui pro redemptione generis humani de summo Cœlorum solio ad hnius mundi infima descēdere, & carnem nostram ex utero uirgineo assume re, ac post pęractum ad nostram instructionem huius uitę cursum, in ara Crucis pretium exoluere dignatus est, uices licet immeriti gerentes in terris, gregemque Dominicum nostrę curę diuinitus commissum ad uitam lucis ęternę perduci cupientes, iuxta creditum nobis Apostolicę seruitutis officium, fideles cunctos quorum merita pro demeritis pęnitus sunt imparia ad mala euitanda, veraque & solida bona amplexanda, ac altissimi uiam ingrediendum, spiritualibus muneribus, Indulgentijs uidelicet, & peccatorū remissionibus, frequenter inuitamus, ut fideles ipsi per deuotionis sinceritatem, & bonorum

operum

operum exercitium, abolita ſuorum delictorum macula, Diuinæ gratiæ promerendæ reddantur aptiores. Cùm itaq; ſicut accepimus, dudũ dilectus filius Didacus de Victoria, Frater cõuentus Sancti Pauli Burgẽſ. Ordinis fratrũ Prędicatorũ, egregius uerbidei prędicator, Zelo Diuini nominis permotus, ad cauẽdos ſuramẽtorũ, & blaſphemiarũ abuſus, unã ſaluberrimã Confraternitatem ſub uocabulo nominis Dei inſtitui curauerit, cuius Confratrũ partes potiſſimũ eſſent, certa ẽt regula ſuper hoc cõpoſita, omni diligẽtia cauere, ne uel ipſi, uel alij corã ipſis aliquo modo niſi ob cauſam grauiſſimã iurarẽt, & contrafaciẽtes modeſtè admonerẽt. Et qua Cõfraternitate in diuerſis Ciuitatibus, & Oppidis Hiſpaniarũ ritè inſtituta, & recepta, quamplurimi Chriſti fideles ſe illi cõſcribi fecerint, quorũ opera, & ſtudio blaſphemiæ, atq; periuria, & aliàs illicita iuramẽta prohibeãtur. Cùmq; eiuſdẽ Cõfraternitatis ſalutaris fructus ubiq; ſit manifeſtus, Venerabiles fratres Epiſcopi partiũ illarũ, eã, quibus poſsũt, fauoribus promoueãt. Nos ut dicta Cõfraternitas in maiori ſemper reuerẽtia habeatur, & Chriſti fideles eo libẽtius illã ingrediantur, quò ipſa amplioribus decorata ſpiritualiũ gratiarum donis, & Apoſtolicis fuerit ſuffulta priuilegijs, de omnipotẽtis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorũ eius, auctoritate cõfiſi, omnibus & ſingulis dictæ Cõfraternitatis, ubiuis terrarũ, & locorũ, nũc, & pro tẽpore diffuſæ, utriuſq; ſexus Cõfratribus in illa nũc, & pro tẽpore deſcriptis, ubilibet conſtitutis, ſiue ſub eiuſdẽ Confraternitatis regula prius edita, ſiue ſub alia ſimili cõprehendantur, qui uerè pœnitentes, & cõfeſſi die feſto Circũciſionis D. N. Ieſu Chriſti, annis ſingulis, in perpetuum, ſacroſanctũ Euchariſtiæ ſacramentum ſuſceperint, & ſolemnitati per ipſam Confraternitatem dicto die feſto ubiuis locorum, pro tempore, celebrari ſolitæ, in toto, uel in parte interfuerint, quoties id egerint, toties pro quolibet die feſto huiuſmodi plenariam omnium, & ſingulorum, ac quorumcumque peccatorum ſuorũ Indulgentiam, remiſſionẽ, & abſolutionem, prout in anno Iubilei Eccleſias almæ Vrbis, & extra illos muros ad id deputatas uiſitãtibus cõcedi ſolet, auctoritate Apoſtolica tenore præſentiũ, cõcedimus & elargimur. Illis uerò dictæ Confraternitatis Confratribus, qui qualibet prima die Dominica cuiuſq; menſis totius anni, ſimiliter in perpetuum, ad Miſſam, quã ipſi Confratres audire tenentur, audiendam conuenerint, quotieſcunque id egerint, decem annos, qui uerò temerè iurantem, aut aliàs Diuinum nomen blaſphemantem modeſtè, & charitatiuè, quandocumque admonuerit, pro qualibet uice centum dies, & cuicunque uerbi Dei prædicatori ſęculari, uel cuiuſuis ordinis regulari, qui Chriſti fideles, ut à iuramentorũ abuſibus caueant, & hanc dictæ Confraternitatis regu-

lam

lam amplectantur, hortatus fuerit, decem annos, de iniunctis sibi pœnitentijs in forma Ecclesiæ consueta, misericorditer in Domino relaxamus. Et ut ipsi Cõfratres dictę Indulgẽtię plenarię Deo propitio facilius efficiãtur participes, illis, & eorum singulis, Indulgentiam huiusmodi consequi uolentibus, ut dicto die festo Circũcisionis occurrente, quoscunque sibi bene uisos idoneos Presbyteros sęculares, uel cuiusuis ordinis regulares, per Ordinariũ loci approbãdos in suos possint eligere Cõfessores, qui cõfessionibus ipsorum diligenter auditis, & eorum quemlibet, ab omni & quacunque excommunicationis, etiã maioris, & ab omnibus, & quibusuis alijs Ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis, à iure, uel ab homine, aut mixtim, quauis occasione, uel causa latis, saluo tamen iure tertij, nec nõ ab omnibus, & singulis, eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantũcunque grauibus, & enormibus, etiã locorũ Ordinarijs, ac Sedi Apostolicæ reseruatis, præterquã in Bulla die Cęnæ Domini legi consueta contẽtis, dicta auctoritate Apostolica absoluere, eisq; pro commissis pœnitentiã salutarem iniũgere, ac uota quæcumq; (Hierosolimitano, uisitationis liminum Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli prædictorum de Vrbe, ac Iacobi in Compostella, necnon Castitatis, & Religionis uotis dumtaxat exceptis) in alia pietatis opera commutare ualeant, similiter auctoritate, & tenore præmissis perpetuò cõcedimus, & indulgemus. Mandantes uniuersis, & singulis Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, ac dilectis filijs ceteris Ecclesiarum Prælatis, & locorum Ordinarijs, ubilibet constitutis, eorumque generalibus in spiritualibus Vicarijs, & officialibus, quòd ubi, & quando opus fuerit, ac quoties pro Confratrum prædictorum parte fuerint requisiti, eidem Confraternitati prędictę pro posse faueant, fauorabiliter assistant, & illam promouere procurẽt. Præsentibus, quas nunquã etiam per nos, aut alios Rom. Pont. successores nostros, uel Sedẽ præfatã, aut alios quoscumq; quomodolibet reuocari, suspendi, limitari, reduci, modificari aut eis in aliquo derogari posse, neqque sub quibusuis illarũ, aut similiũ, uel dissimiliũ, Indulgentiarũ, & gratiarũ reuocationibus, suspẽsionibus, alterationibus, modificationibus, limitationibus, derogationibus, aut alijs contrarijs dispositionibus, in genere, uel specie, per nos, uel successores nostros, aut Sedẽ, præfatos, seu quosuis alios, & ex quibuscunq; etiã urgentissimis, & necessarijs causis, etiã pro fabrica Basilię Principis Apostolorũ de Vrbe, Cruciata sancta, uel expeditione cõtra infideles, etiã ad Imperatoris, Regũ, Reginarum, Ducum, Principum, uel aliorum instantiam, seu eorũ contẽplatione, uel etiã Motu Proprio, & ex certa sciẽtia, ac aliàs quomodolibet canonicè, uel de facto nũc, & pro tẽpore, impositis, & factis, ulla

tenus

tenus unquam comprehensas, sed semper ab illis exceptas, & quoties illæ emanabũt, toties in pristinum, & ualidissimum statum restitutas, & de nouo concessas fore, ac censeri decernimus perpetuis futuris temporibus duraturas. Volumus autem quòd si aliqua alia Indulgẽtia fuerit per nos in aliquo loco eidem Confraternitati concessa, præsentes quò ad locum huiusmodi nullæ sint. Dat. Romæ apud Sanctum Petrũ Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo Quarto, Id. Aprilis. Pontificatus nostri anno Quinto.

Bulla S. D. N. D. Pij, Diuina Prouidentia Papæ Quarti. Super ordinatione, & promotione Doctorum, & aliorum cuiuscunque artis, & facultatis professorum de cætero obseruanda.

PIVS EPISCOPVS, SERVVS SERVORVM DEI. *Ad perpetuam rei memoriam.*

INSACROSANCTA Beati Petri Principis Apostolorum Cathedra, meritis licèt imparibus, hisce procellosis militantis Ecclesię tempestatibus constitutos, plurimum nos oportet esse solicitos, vt Domini gregem, curæ nostrę commissum, non solum ab apertis rapacium luporum undequaque caulis obstrepẽtium insulubus, sed etiam à magis formidolosis pestiferarum vulpecularum domi latitantium insidiis per prouidum pastoralis officij ministerium, ipso Domino cooperante, præseruemus; ac illis omnes nocendi occasiones, quantum cum Deo possumus, ubilibet auferamus. Cum itaque iuxta notum Santissimi Vatis oraculum, Timor Domini, sine quo uera Religio, & Catholicæ fidei puritas nullibi reperitur, sapientiæ sit initium, & qui, uel in scientijs proficere, uel eas alios docere parant, supremum illum sapientiæ parentem, benignumque largitorem deuoto sane fidei obsequio demereri, ueraque sinceræ Religionis pietate sibi conciliare debeant. Idcirco hanc Fidei puritatem scientijs, doctrinisque quibuslibet tum tradendis, tum adipiscendis, tanquam necessariam basim, cõstituere; & ne simplicia nonnullorum adolescentium, res nouas audiendi cupidorum, ingenia in naufragos blandientium hæresum scopulos imprudenter impinganto ecurrere cupiẽtes; Motu proprio, & ex certa scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine; quòd deinceps nullus Doctor, Magister, Regens, uel alius cuiuscunq; artis,

artis,& facultatis professor,siue clericus,siue laicus, ac secularis,uel cuiusuis ordinis regularis sit, in quibusuis studiorum generalium Vniuersitatibus,aut Gymnasis publicis,aut alibi ordinariam, uel extraordinariam lectoris Cathedram assequi,uel iam obtentam retinere,seu aliàs,Theologiam,Canonicam,uel Ciuilem censuram, Medicinam, Philosopiam, Grammaticam, uel alias liberales artes, in quibuscunque Ciuitatibus,Terris,Oppidis,ac locis,etiam in Ecclesijs, Monasterijs,aut Conuentibus Regularium quorumcunque publicè,uel priuatim quoquomodo profiteri, seu lectiones aliquas in facultatibus huiusmodi habere, uel exercere: neque Doctores ipsi, aut Vniuersitatũ, seu Gymnasiorum eorundem Rectores,Cancellarij, uel alij superiores, sed nec etiam Palatini Comites, aut alij particulares facultatem eruditos uiros ad eosdem gradus promouendi,etiam à nobis, & Apostolica Sede,uel aliàs undecũque habentes,scholares, tam laicos quàm clericos,& cuiusuis ordinis regulares,uel alios quoscunque quãtalibet eruditione prẽditos, ad ullum gradum in eisdem facultatibus suscipiendum recipere, & admittere; Neque Doctores, Magistri,& Scholares ad electionem alicuius in Rectorem,uel Cancellariũ Vniuersitatis,aut Gymnasij procedere; Nec ipsi Scholares,uel alij quantumlibet docti, & alioqui habiles, gradus huiusmodi,uel eorum aliquem palam,uel priuatim recipere ualeant,nisi Doctores uidelicet ac Regentes,Magistri,& alij professores iam ad cathedras,& lecturas recepti,in Italia infra tres,extra uerò illam infra sex menses à die publicationis præsentiũ computãdos, reliqui uerò ad cathedras & alias lecturas ibidẽ in posterum assumendi ante illorum receptionem in Rectoris,uel aliorum superiorum; Eligendi autem in Rectores, uel Cancellarios ante illorum electionem,uel saltem admissionẽ in Ordinarij loci,uel eius in spiritualibus Vicarij; ac promouẽdi Scholares;& alij præfati ante illorum promotionem in eiusdem Ordinarij,seu eius Vicarij,aut Doctorum,aliorumuè promouentium manibus, præuio etiã processũ,uel debita informatione,quantum eis sufficere uidebitur,super Religione,Fideq; Catholica,Rectorum,Cancellariorum,Doctorum,lectorum,& promouendorũ eorundem per ipsos locorum Ordinarios, uel eorum Vicarios ritè facta præcedente, eandem Catholicã fidem,uerbis,iuxta formæ infrascriptę tenorem, conceptis palàm, & solemniter profiteri teneãtur; Et desuper instrumentũ publicum cõfici, ac de processu,seu informatione,& fidei professione in Priuilegio Doctoratus, uel alterius gradus huiusmodi specialis, ac de uerbo ad uerbum mentio,& relatio fieri debeat, auctoritate Apostolica tenore præsentiũ perpetuo statuimus,& ordinamus: Ac omnibus & singulis earundẽ Vniuersitatum, & Gymnasiorum Rectoribus, Doctoribus,

bus,& alijs ſuperioribus, ac aliàs facultatem doctorandi habentibus: cuiuſcunq; ſtatus,gradus,ordinis,conditionis, & præeminentię fuerint,etiã ſi Epiſcopali, Archiepiſcopali,Patriarchali, uel maiori dignitate,etiam Cardinalatus honore:ac Ducali,uel alia,etiã Regia, & Imperiali auctoritate præfulgeant,ne quem in Vniuerſitatibus,Ciuitatibus, Oppidis,uel alijs locis ſibi in ſpiritualibus, uel tẽporalibus ſubiectis,aliter cathedras,aut alias lectiones retineri,cõſequi,uel ad gradus promoueri reſpectiuè patiãtur,in uirtute ſanctæ obediẽtiæ, & ſub interdicto ab ingreſſu Eccleſię,quo ad antiſtites,quò uerò ad inferiores ſub excõmunicationis latę ſentẽtiæ,necnõ priuationis omniũ,& ſingulorum dignitatũ,beneficiorum,officiorũ, & feudorum Eccleſiaſticorũ per eos quomodolibet obtentorũ, & inhabilitatis adilla,& alia in poſterum obtinenda, eo ipſo per contrafacientes incurrendis pœnis diſtrictius inhibemus: Ac quaſcunq; receptiones, promotiones, electiones,& admiſſiones abſque proceſſu, certaq; de Religione, & Fide Catholica notitia,ac dicta fidei profeſſione ſic, ut præfertur,præcedẽte,pro tẽpore factas,nullas,inualidas,nulliusq. roboris, uel momẽti eſſe,neq; cuiquã in iudicio,uel extra ſuffragari poſſe, ſicque per quoſcunq; Iudices,& Cõmiſſarios,quauis auctoritate fungẽtes,ſublata eis,& eorũ cuilibet quauis aliter iudicãdi,& interpretandi facultate & auctoritate,iudicari, & diffiniri debere, ac qcquid ſecus à quoquã quauis auctoritate ſciẽter, uel ignorãter attentari contigerit, irritũ & innane decernimus. Nõ obſtãtibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis,ac Vniuerſitatũ,& Gymnaſiorum, ordinum, & locorum quorũcunq;,ẽt iuramẽto cõfirmatione Apoſtolica,uel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis,& cõſuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis,facultatibus,et literis Apoſtolicis eiſdẽ Vniuerſitatibus;et Gymnaſijs,ac ordinibus,& locis,eorũq; Rectoribus,Doctoribus,Superioribus,etiã in tẽporalibus Dominis,Comitibus Palatinis,& alijs etiam regularibus perſonis pręfatis ſub quibuſcũq; tenoribus, & formis,ac cũ quibuſuis etiã derogatoriarũ derogatorijs, alijsque efficacioribus etiam uim contractus inducentibus clauſulis irritantibusque, & alijs decretis in genere,uel in ſpecie,etiam per nos, ac Sedem præfatam, etiã motu,ſciẽtia,& poteſtatis plenitudine ſimilibus,ſeu ad quorũuis, etiã Imperatorũ,Regũ,Rerũ publicarũ, Ducũ, & aliorũ Principum inſtantiã,& aliàs quomodolibet cõceſſis, ac etiã pluries approbatis,& innouatis.Quibus omnibus,etiã ſi pro illorũ ſufficiẽti derogatione de illis,eorumque totis tenoribus,ſpecialis,ſpecifica,expreſſa,& individua, non autem per clauſulas generales, idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum ueriores tenores, ac ſi de uerbo

ad verbum inferetentur, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes: specialiter,& expresse, motu simili derogamus, contrarijs quibuscumque: Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nec autem quispiam præsentium ignorantiam prætendere, vel excusationem allegare possit; sed ipsę ad omnium notitiam deducantur; Volumus,& mandamus, quòd eędem præsentes in Basilicę Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ nostræ valuis, ac acie Campi Floræ per aliquem ex Cursoribus nostris affixæ, copia illarum ibi dimissa, omnes in Italia intra tres, extra verò illam existentes intra sex menses proximos,ab ea die affixionis computandos, perinde arctent, ac si illis personaliter intimatæ fuissent. Forma autem dictæ professionis Fidei hęc est. Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & singula quæ continentur in Symbolo Fidei, quo sancta Romana Ecclesia vtitur, videlicet. Credo in vnũ Deum, Patrem omnipotentem factorem cœli, & terrę visibilium omnium, & inuisibilium. Et in vnum Dñm Iesum Christum, filium Dei vnigenitum. Et ex patre natum, ante omnia sęcula: Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero: Genitum, non factum, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis. Et incarnatus est de Spiritusancto ex Maria virgine, & homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis: sub Pontio Pilato passus, & sepultus est. Et resurrexit tertia die secundum scripturas. Et ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos, & mortuos: cuius regni non erit finis. Et in Spiritumsanctum, dominũ,& viuificantem, qui ex patre, filioque procedit. Qui cum patre,& filio simul adoratur,& conglorificatur, qui loquutus est per Prophetas. Et vnam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor vnum Baptisma in remissionem peccatorum. Et expecto resurrectionem mortuorum. Et vitã venturi sęculi Amen. Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones, reliquasq; eiusdem Ecclesię obseruationes, & constitutiones firmissimè admitto, & amplector. Item sacram Scripturam, iuxta eum sensum, quem tenuit, & tenet sancta mater Ecclesia, cuius est iudicare de vero sensu, & interpretatione sacrarũ Scripturarum, admitto, nec eam vnquam, nisi iuxta vnanimem consensum Patrum accipiam,& interpretabor. Profiteor quoque septem esse verè,& propriè sacramenta nouæ legis, à Iesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet, Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœ-

nitentiam, Extremam vnctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaq; gratiam conferre, & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse: Receptos quoque, & approbatos Ecclesiæ Catholicæ ritus in supradictorum omnium sacramentorum solemni administratione recipio, & admitto. Omnia & singula, quæ de peccato originali, & de iustificatione in sacrosancta Tridentina Synodo definita, & declarata fuerunt, amplector, & recipio. Profiteor pariter in Missa offerri Deo verum, proprium, & propitiatorium sacrificium pro viuis; defunctis, atque in Sanctissimo Eucharistiæ sacramento esse verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem, vna cum anima & diuinitate Domini Nostri Iesu Christi, fierique conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem, quam conuersionem Catholica Ecclesia transubstantiationem appellat. Fateor etiam sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque sacramentum sumi. Constanter teneo Purgatorum esse, animasque ibi detentas fidelium suffragijs iuuari. Similiter & Sanctos, vnà cum Christo regnantes, venerandos, atque inuocandos esse, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmiter asserо imagines Christi, ac Deiparæ semper Virginis, necnon aliorum Sanctorum habendas, & retinendas esse, atque eis debitum honorem, ac venerationem impartiendam. Indulgentiarum etiam potestatem à Christo in Ecclesia relictã fuisse, illarumque vsum Christiano populo maximè salutarem esse affirmo. Sanctam Catholicam, & Apostolicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem & magistram agnosco. Romanoque Pontifici beati Petri Apostolorum Principis successori, ac Iesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac iuro. Cætera item omnia à sacris Canonibus, & Oecumenicis Concilijs, ac præcipuè à sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita & declarata, indubitanter recipio, atque profiteor: simulque contraria omnia, atque hæreses quascumque ab Ecclesia damnatas, & reiectas, & anathematizatas, ego pariter damno, reijcio, & anathematizo. Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo saluus esse potest, quam in præsenti sponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & immaculatam vsque ad extremum vitæ spiritum constantissimè Deo adiuuante retinere, & confiteri, atque à meis subditis, seu illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. spondeo, voueo, ac iuro: sic me Deus adiuuet, & hæc sancta Dei Euangelia. Nulli ergo omninò hominũ liceat hanc paginam nostræ ordinationis, inhibitionis, derogationis, voluntatis, statuti, decreti, & mandati infringere, vel ei ausu temerario contraire.

Si

Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo Sexagesimo Quarto, Idibus Nouembris. Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Cæ. Glorierius.

Constitutio S. D. N. Pij Papæ Quinti per Dominos Medicos obseruanda.

PIVS Papa V. ad perpetuam rei memoriam.

SVpra Gregem Dominicum nostræ vigiliæ diuinitus creditũ, vigilis speculatoris, prout nobis desuper conceditur, exercentes officium, ad ea per quæ Aniarum saluti cum diuini nominis gloria consuli valeat, libenter intendimus, vt Christi fideles post Baptismum in peccata lapsi, per sacramentum pœnitentiæ Deo reconcilientur. Sane cùm infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proueniat, dicente domino, languido quem sanauerat: vade noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat, ac propterea prouidæ fel. recor. Innocentius III. prædecessor noster Medicis præceperit, vt cùm eos ad ægrotos vocari contigerit, ipsos ante omnia moneant, vt animarum Medicos vocent, ne cùm eis in extrema ægritudine constitutis suadetur, in desperationis articulum incidant. Nos igitur volentes hoc tam salutare præceptum nulla temporis præscriptione aboleri, sed semper obseruari, constitutionem præfatam auctoritate Apostolica tenore præsentium innouamus, & hac nostra in perpetuum valitura constitutione statuimus, & decernimus, quòd omnes Medici cùm ad infirmos in lecto iacentes vocati fuerint, ipsos ante omnia moneant, vt idoneo confessori omnia peccata sua, iuxta ritum S. R. E. confiteãtur, neque tertio die vlterius eos visitent, nisi longius tempus infirmo confessor ob aliquam rationabilem causam, super quo eius conscientiam oneramus, concesserit, & eis per fidem confessoris in scriptis factam constiterit, quòd infirmi, vt præmittitur, peccata sua confessi fuerint: coniunctos verò, ac omnes familiares, & domesticos infirmi in Domino rogamus, & monemus, vt de infirmitate parochum certiorem faciant, tam parochus, quàm coniuncti, & familiares præfati, infirmum ad confessionem peccato-

rum ſuadeant, & inducant. Quod ſi qui Medicorum præmiſſa non obſeruauerint, vltra pœnas in dicta conſtitutione contentas, quas incurrere declaramus, perpetuò ſint infames, & gradu medicinę, quo inſigniti erant, omninò priuentur, & à Collegio ſeu vniuerſitate Medicorum eijciantur, ac pœna etiam pecuniaria arbitrio Ordinariorũ, vbi deliquerint, mulctentur. Et vt hæc omnia inuiolabiliter obſeruentur, volumus, & eadem auctoritate prȩcipimus, & mandamus, vt nullus poſthac vbique locorum in Medicina Doctoretur, aut ei quomodolibet medendi facultas à quouis Collegio, & vniuerſitate concedatur, niſi omnia in præſenti noſtra conſtitutione contenta, medio eorum iuramento coram Notario publico, & Teſtibus obſeruare in eorum manibus, vel Ordinarij iurauerint, & huiuſmodi iuramento in priuilegio, ſeu licentia medendi ſpecialis mentio fiat. Quod ſi collegia, & vniuerſitates præfatæ non recepto à promouendis iuramento huiuſmodi, eoſdem ad gradum prædictum promouerint, aut eiſdem medendi licentiam præſtiterint, pœnam priuationis facultatis alios vlterius doctorandi incurrant. Mandantes in virtute ſanctæ obedientię omnibus, & ſingulis venerabilibus Fratribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis, quatenus in Ciuitatibus, & diœceſibus proprijs præſentes noſtras literas publicari faciant, ac iuramentum prædictum à Medicis iam promotis, ſeu licentiam medendi habentibus, omnibus iuris remedijs exigant, neque aliquos ad medendum in Ciuitatibus, & diœceſibus prædictis admittant, niſi eis conſtiterit eoſdem iuramentum huiuſmodi præſtitiſſe, & contumaces, & iurare, ac iuramentum huiuſmodi iam præſtitum exhibere recuſantes, gradu Medicinę, & omnibus priuilegijs eiſdem Medicis, tam coniunctim, quam diuiſim, eis, & eorum cuilibet conceſſis, per quoſuis etiam Romanos Pontifices priuent, ac ab ingreſſu Eccleſiæ arceant, donec reſipuerint, non obſtantibus præmiſſis Priuilegijs, indultis, literis Apoſtolicis, quibuſuis perſonis, collegio, & vniuerſitati, ſub quibuſuis verborum formis, & tenoribus. Quæ omnia, quò ad effectum validitatis conſtitutionis noſtræ tantum reuocamus, caſſamus, & annullamus, & omnes Principes ſæculares, ac alios Dominos, & Magiſtratus temporales rogamus, requirimus, & obſecramus per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti eiſdem in remiſſionem peccatorum nihilominus iniungentes, quòd in prȩmiſſis omnibus eiſdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis aſſiſtant, & ſuum fauorem, & auxilium prȩſtent, ac contrafacientes pœnis etiam temporalibus afficiant. Volumus autem quòd prȩſentes literę in Cancellaria, & acie Campi Florę publicentur, & inter conſtitutiones Extrauagantes perpetuò valituras conferbantur: & quia difficile foret prȩſentes ad ſingula quęque loca defer-

ri: Volumus, & etiam declaramus, quòd earum transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij subscriptis, ac sigillo alicuius Prelati munitis, eadem prorsus fides vbicunque adhibeatur, quę presentibus adhiberetur, si forent exhibitę. vel ostensę. Dat. Romę Apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris Die vlti. Martij M. D. LXVI, Pontificatus Nostri Anno Primo.

Cæ. Glorierius.

Litteræ confirmatoriæ Decretorum Concilij Primi Prouincialis Mediol. circa clausuram Monialium & alia.

PIVS, PAPA V.

Dilecto filio nostro, CAROLO, tit. sanctæ Praxedis Presbytero Cardinali Borrhomæo nuncupato.

DILECTE Fili noster, Salutem & Apostolicam benedictionem. Dudum à fœl. re. PIO PP. IIII. prædecessore nostro emanarunt litteræ in forma Breuis tenoris subsequentis, a tergo uidelicet, Dilecto filio nostro CAROLO, tit. Sanctæ Praxedis Presbytero Cardinali Borrhomæo uocato, in tota Italia, nostro, & Apostolicæ Sedis de Latere Legato. Intus vero, PIVS Papa Quartus. Dilecte fili noster salutem & Apostolicam benedictionem. Iuxta nostri Pastoralis officij debitum, indefessa sollicitudine ad ea libenter intendimus, per quæ in singulis, præsertim monialiũ, monasterijs, regularis obseruantia, ac debita clausura non modo conseruatur, sed, si in eorum aliquibus forsan dilapsa, aut dissoluta reperiatur, adhibitis opportunis remedijs, diligenter resarcitur, atque restituitur, ita vt ipsarum monialium fęlici statui, ac directioni, prosperoque & laudabili regimini salubriter prouideatur. Vt igitur ea, quę à sacris Canonibus, & nouissimè à sacro Concilio Tridentino sancita sunt, ac reformationem, & clausuram monasteriorum monialium huiusmodi respiciunt, in tuis Ciuitate & diœcesi ac prouincia Mediolanensi debitæ executioni demandentur: Monialesque ipsæ ad Regulam, quam professæ sunt, præscriptam vitam instituant, & componant, ordinumque suorũ vota, ac præcepta fideliter obseruent:

Tibi noſtro ſecunda carnem nepoti, qui Eccleſiæ Mediolanenſi ex cõ
ceſſione, & diſpenſatione Apoſtolica præeſſe dignoſceris, ac quamdiu
eidem præfueris, quemque ob eximiam, & ſingularium virtutum pru-
dentiam, probitatem, ac religionem, nuper noſtrum, & Apoſtolicæ Se-
dis de latere Legatum, de Venerabilium fratrum noſtrorũ ſanctæ Ro-
manæ Eccleſiæ Cardinalium conſilio, in vniuerſa Italia conſtituimus,
& deputauimus, per Apoſtolica ſcripta committimus, & mandamus,
vt per te ipſum, ſeu per te deputandos, prout tua tibi ſuaſerit ratio, ſeu
in proxima Synodo Prouinciali, vel Diœceſana, per te celebrandis, ſi-
cut tibi magis expedire videbitur, ea omnia auctoritate noſtra ſtatuas,
ordines, diſponas, ac decernas, quæ ad cuſtodiendam in quibuſuis mo
nialium monaſterijs, etiam regularibus quibuſuis ſubiectis, Ciuitatis,
Diœceſis, & Prouinciæ tuę, huiuſmodi debitam, & regularem normã,
& clauſuram, bonumque, & ſalutare regimen in eis inducendum, con-
ſtituendum, & conſeruandum, & denique ad illarum congruam, & ex-
pedientem correctionem, & reformationẽ neceſſaria eſſe cognoueris,
ſeu quomodolibet opportuna. Nos enim ultra facultates tibi nuper per
alias noſtras, etiam in forma Breuis litteras ſub Data Romæ die iij. Fe-
bruarij, proximè præteriti circa viſitationem, reformationem, & corre-
ctionem monaſteriorum monialium tuarum Ciuitatis, & Diœceſis, cõ
ceſſas, quas omnes & ſingulas ad quæcumque monaſteria, quibuſuis
Regularibus ſubiecta, ac ad quaſcumque ciuitates, terras, & loca totius
tuæ Prouinciæ Mediolanenſis harum ſerie extendimus, & ampliamus,
extenſasque & ampliatas fore, & eſſe decernimus, ita tamen, quod quo
ad monaſteria monialium, etiam Regularibus quibuſuis ſubiecta, exi-
ſtentia in ciuitatibus, terris, & locis Suffraganeorum tuorum de eorum
cõſilio, & conſenſu, prout tibi videbitur, facultates ipſas iuxta prædicta
rum & præſentium literarum formam & tenorem, exercere, illisque
vti libere valeas: Circumſpectioni tuæ quæcumque monialium mona-
ſteria præfata, etiam quomodolibet exempta, ac Nobis, & Apoſtolicę
Sedi, ſeu Hoſpitali ſancti Spiritus, ſeu ſancti Ioannis Hieroſolymitani,
vel Baſilicæ ſancti Ioannis Lateranenſis, aut ſancti Petri de Vrbe, ſiue
quibuſuis alijs Hoſpitalibus, & Eccleſijs Sæcularibus, uel Regularibus
dumtaxat ſubiecta totius tuæ Prouinciæ Mediolanenſis, quæ reforma-
tione indigere iudicaueris, eorumque moniales, & perſonas tam in ca-
pite, quam in membris, auctoritate noſtra viſitandi, reformandi, corri
gendi, & emendandi, ad debitamque, & regularem obſeruantiam, &
clauſuram iuxta Canonicas ſanctiones, & regularia ſuorum ordinum
inſtituta, & alia, quæ tibi congruentiora videbuntur, reducendi, re-
ponendi, & reſtituendi, ipſasque moniales, ſi tibi viſum fuerit, ad alia
monaſteria eorundem ſeu aliorum ordinum in totum, vel in partem

transferendi, necnon monasteria ipsa, etiam quibusuis Regularibus subiecta, diruendi, supprimendi, uel alijs uniendi, annectendi, incorporandi, seu ad alios usus, tibi beneuisos, mutandi: Et insuper quæcumque statuta, & ordinationes rectum, & exemplarem monialium, & personarum huiusmodi uiuendi modum, ac normam, debitamque clausuram concernentia, faciendi, & condendi, & factaque, & condita, si melius & consultius esse censueris, alterandi, & mutandi, aliaque de nouo condendi, & edendi, illaque sic per te condita, & edita ab omnibus Abbatissis, Priorissis, Monialibus, & personis eorundem monasteriorum per excommunicationis aliasque censuras, & pœnas Ecclesiasticas, cæteraque opportuna iuris & facti remedia firmiter, & inuiolabiliter obseruari mandandi, & faciendi: Necnon pro facilieri statutorum, & obseruationum huiusmodi obseruatione, & executione dictarum monialium Superiores, & in eorum negligentiam locorum Episcopos in executores præmissorum statutorum & ordinationum constituendi, & deputandi: Contradictores quoslibet & rebelles, tibique super his parere recusantes, & renitentes censuris, & pœnis, ac remedijs præfatis, quacumque appellatione remota, compescendi, illaq;, etiam iteratis vicibus, aggrauandi, & interdictum Ecclesiasticum apponendi, auxilium quoque brachij secularis ad hoc, si opus fuerit, inuocandi, & generaliter omnia, & singula faciendi, gerendi, mandandi, & exequendi, quę tibi ad Dei omnipotentis laudem, & gloriam, ac diuini cultus augumentum, Religionisque conseruationem, & animarum salutem expedire uidebuntur: Amplam, libram, & omnimodam auctoritate Apostolica tenore præsentium facultatem, & potestatem concedimus, & impartimur. Districtius inhibentes monialibus, & personis præfatis, & quibusuis alijs cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, & conditionis fuerint, ne sub indignationis nostræ, & excommunicationis latę sententię eo ipso, si contra fecerint, incurrendis pœnis, te, uel à te deputatos, quominus huiusmodi visitatio, reformatio, & clausura fiant, suumque debitum, & optatum sortiantur effectum, impedire, retardare, aut perturbare audeant, vel præsumant. Ac etiam eisdem, quacumque Ecclesiastica, seu mundana præfulgeant dignitate, uel excellentia, sub antedictis pœnis mandantes, vt tibi aut tuis deputatis huiusmodi in præmissis omnibus, & singulis efficaciter pareant, & assistant. Decernentes præterea, statuta, & ordinationes per te, seu à te deputatum pro tempore, facta huiusmodi, & edita eo ipso, quo facta fuerint, Apostolica auctoritate confirmata, & approbata esse censeri: Et ita per quoscumque Iudices, & Commissarios, quauis auctoritate fungentes, etiam dictæ Ecclesiæ Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctori-

tate, iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane, quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis monasteriorum & illorum ordinum, seu etiã Militiarum, à quibus illa dependent, etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, vsibus, & naturis, priuilegijs quoque, indultis Apostolicis, etiam Mari magno, Bulla aurea, vel aliàs quomodolibet nuncupatis, nec non quibusuis exemptionibus, libertatibus, & immunitatibus illis; eorumque monialibus; & personis, etiam ab immemorabili tempore citrà, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cũ quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficatioribus efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis, quomodolibet, etiam iteratis vicibus concessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad uerbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, ac totaliter insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, ad effectum præsentium, specialiter & expresè derogamus, ac latissimè derogatum esse volumus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Datum Romæ apud sanctum Marcum sub annulo Piscatoris Die vltima Augusti. M. D. LXV. Pontificatus nostri anno sexto. Cæ. Glorierius. Cum autem, sicut ex relatione tua, nobis oretenus facta, accepimus, tam tua ordinaria auctoritate, quam facultatis tibi, vt præfertur, concessæ, ac dictarum litterarum vigore, in Prouinciali Synodo Mediolanensi, per te proxime celebrata, nonnullæ cõstitutiones, & ordinationes, præsertim circa ingressum ipsarum monialium, earumque clausuram, colloquia, & loca, vbi cum alijs loqui solitę sunt, claues, & laminas ferreas, educationem puellarum sęcularum, cæteraque ad bonum, honestum, ac laudabilem viuendi modum, salubremque directionem, prosperumque gubernium pertinentia, per te, etiam de patrum ibidem congregatorum consilio, & assensu factæ, sancitæ, atque editæ fuerint, & propterea tu cupias constitutiones, & ordinationes, cæteraque præmissa, quo firmius obseruentur, nostra quoque auctoritate roborari. Nos cupientes ea, quæ ad religiosarum personarum, præsertim fœminei sexus, obseruantiam, rectamque, & probatam illarum vitam, normamque tendere dignoscuntur, sine aliqua contradictione, debitæ

execution demandari; constitutiones, & ordinationes, omniaque & singula, vt præfertur, gesta, facta, & ordinata, non tamen sacris canonibus, vel Tridentini Concilij super ijs editis decretis contraria, eorum omnium tenores præsentibus pro sufficienter expressis habentes, auctoritate Apostolica, tenore præsentium ex certa nostra scientia confirmamus, & approbamus, ac illis perpetuæ, & inuiolabilis firmitatis robur adijcimus, eaque per nos confirmata & approbata fore & esse, & ab omnibus cuiuscumque gradus, & quibuscumque exemptionibus, & priuilegijs munitis, quos illa quomodolibet concernunt, & in posterum concernere poterunt, inuiolabiliter obseruari debere statuimus; Supplentes omnes, & singulos iuris, & facti defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem; Nec non præsentes litteras, & in eis contenta quæcumque ex quauis causa de surreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis uitio, seu intentionis nostræ defectu, nullatenus mutari, vel impugnari posse, sed suos plenarios, & integros effectus sortiri, & irrefragabiliter obseruanda esse. Sicque per quoscumque quauis auctoritate, etiam Episcopali dignitate fulgentes, sublata eis, & eorum cuilibet qua iis aliter interpretandi facultate, interpretari, ac definiri debere, ac quicquid secus super ijs à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum & inane decernimus, & declaramus. Mandantes in virtute sanctæ obedientię Abbatissis, ac Prioriſſis, & monialibus dictorum monasteriorum totius Prouinciæ huiusmodi, quomodocumque exemptis, & quibuslibet exemptionis, & immunitatis priuilegijs munitis ac suffultis, & quibusuis Regularibus quouis modo subiectis, vt constitutiones, & ordinationes, aliaque prędmissa, firmiter, & inuiolabiliter obseruent; nec illis quouis prętextu, aut quęsito colore contrauenire, aut se eis opponere quomodolibet audeant, vel prędsumant. ipsis autem Episcopis & Ordinarijs prędcipimus, vt illa iuxta dictarum & prędsentium litterarum tenorem, debitę executioni realiter, & cum effectu demandari curent, & faciant. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis, quę idem Pius prędcessor in suis litteris voluit non obstare, cęterisque contrarijs quibuscumque. Dat. Romę apud sanctum Petrum sub annulo Piscatoris die xij. Aprilis. M D LXVI. Pontificatus nostri anno primo.

Cę. Glorierius.

Consti-

Constitutio confirmatoria Decret. Concilij Prouincial. Mediol. ad Seminar. Cler. spectantium.

PIVS Papa V. ad perpetuam rei memoriam.

AD Romanum maxime pertinet Pontificem, ut ea, quæ iuxta sacri concilij Tridentini decreta ad Dei Omnipotentis laudem, diuinique cultus augumentum recte, & salubriter facta, & ordinata esse dicuntur, quo firmius ab omnibus obseruentur, & illibata persitant, Apostolici muniminis præsidio róboret, atque confirmet. Sane Dilectus filius noster CAROLVS tit. sanctæ Præxedis Presbyter Cardinalis, Borrhomæus vocatus, qui ecclesiæ Mediolanensi ex concessione, & dispensatione apostolica præesse dignoscitur, nobis nuper exposuit, quod in Prouinciali Synodo Mediolanensi proximè per eum celebrata, cuius celebrationi ipse præfuit, inhærendo decretis ipsius Tridentini Concilij super constituendis, & propagandis Seminarijs Clericorum suæ Prorinciæ Mediolanensis, nonnulla dispósita, statuta, & ordinata fuerunt, quorum quidem tenor sequitur. & est talis, uidelicet; Mandatum est a sacro Tridentino Concilio Prouincialibus Synodis, vt quá primum in eam curam incumberent, ut Seminarium Clericorum, vbicumque id fieri posset, constitueretur, omnique ratione propagaretur; quamobrem etiam illis facultatem dedit moderandi, & augendi omnia, & singula, quæ pij, & sancti huius operis institutionem, & progressionem adiuuare possent. Itaque nos, Prouinciæ nostræ statu, & Ecclesiarum, ac Beneficiorum genere diligenter cõsiderato, duximus ad hanc rationem confugiendum esse, vt detrahamus, quemadmodum iam nunc detrahimus, decimam partem fructuum cuiuslibet mẽsæ Episcopalis, & Capituli, & quarumcumque dignitatum personatuũ officiorum, præbendarum, portionum, Abbatiarum, & Prioratuum cuiuscumque ordinis, etiam regularis, aut qualitatis, vel conditionis fuerint, etiam Hospitalium, quæ dantur in titulum, vel administrationem iuxta Constitutionem Concilij Viennensis, & beneficiorum quorumque, etiam regularium, etiam si iuris patronatus cuiuscumque fuerint, etiam si exempta, etiam si nullius Diœcesis, uel alijs Ecclesijs, Monasterijs, vel Hospitalibus, & alijs quibuscuis locis pijs, etiam exemptis annexa & ex fabricis Ecclesiarum, & aliorum locorum, etiam ex quibuscúque alijs Ecclesiasticis redditibus, seu prouentibus, etiam aliorum Collegiorum, in quibus tamen Seminaria discentium, uel docentium, ad commune Ecclesiæ bonum promouendum actu non habentur, hæc enim

enim exempta esse uolumus, præterquam ratione redituum, qui superflui essent ultra conuenientem ipsorum seminariorum sustentationem, seu corporum, uel confraternitatum, quæ in nonnullis locis scholę appellantur, & omnium monasteriorum, non tamen mendicantium, etiá ex decimis, quacumque ratione ad laicos, ex quibus subsidia ecclesiastica solui solent, & Milites cuiuscumque militiæ, aut ordinis pertinentibus, Fratribus sancti Ioannis Hierosolymitani dumtaxat exceptis, eãq; supra scriptorum fructuum decimam, sic detractam, Seminarijs in singulis prouinciæ nostræ diœcesibus erigendis, seu iam erectis, applicamus, & incorporamus. Possessores autem huiusmodi beneficiorum ad eandem fructuum decimam, non modo pro se, sed pro pensionibus, quas alijs forsan, ex dictis fructibus soluant; retinendo tamen pro rata quidquid pro dictis pensionibus illis erit soluendum, omnino teneri volumus, & mandamus, eiusdem Tridentini Concilij auctoritate, quibusuis, quo ad omnia, & singula supradicta priuilegijs, & exemptionibus, etiam si singularem derogationem requirerent, consuetudine etiam immemorabili, & quauis appellatione, & allegatione, quæ executionem non impediat, non obstantibus. Hanc autem fructuum decimam iuxta maiorem singulorum beneficiorum taxationem, quæ hactenus facta reperietur, exigi iubemus, quod si aliqua beneficia non reperiantur taxata, Episcopi de consilio eorum, qui sacræ Tridentinę Synodi iussu, ad id munus delecti fuerint, ea taxent. Quam decimam duobus terminis intra sequentem annũ milleſimum, quingenteſimũ, ſexageſimum ſextum, & deinceps ſingulis annis eodem modo ſolui volumus. ſi quis huius anni taxationem a ſe impoſitam exigere cępiſſet, eandem exactionem proſequatur; deinceps vero hanc exigendi rationem a nobis præſcriptam ſeruabit. Præterea damus auctoritatem ſingulis Prouincię noſtrę Epiſcopis, vt de eorum, qui huic muneri prę-fecti erunt, conſilio, & Metropolitani ſcripto conſenſu, poſſint eã decimam augere, ac perducere vsque ad decimam veri annui redditus, & imminuere, vel vniuerſe, vel ſigillatim, atque ijs etiam beneficijs, quę tenuiora fuerint, prę-ſertim curatis, totam omnino exactionem remittere. Decetnimus item, vt Epiſcopi ex auctoritate eiuſdem Concilij Tridentini intra ſex menſes Eccleſiaſtica aliquot ſimplicia beneficia cuiuſcumque qualitatis, & dignitatis fuerint, vel etiam prę-ſtimonia, vel prę-ſtimoniales portiones nuncupatas, etiam nondum vacantes huic collegio, ſeu ſeminario applicent, & incorporent, ea videlicet, quę illis ſeminario magis opportuna, & idonea videbuntur, ſine tamen cultus diuini detrimento, & beneficia obtinentium prę-iudicio. Quod ſi Epiſcopi illorum beneficiorum fructus ad id pium opus non ſatis eſſe animaduerterint; diſpicient ſi quę alia ſint, quę ſeminario

attribui

attribui possint, deq; ijs Metropolitanum adi[illegible]tres ex sententia confici possit, à Sanctiss. D. N. opem implorandam, & eius auctoritatem interponendam curabit. Hæc autem vnio beneficiorum ex præscripta Concilij Tridentini formula locum habeat, etiam si beneficia sint reseruata, vel affecta, nec per resignationes ipsorum beneficiorum, vniones, & applicationes suspendi, vel impediri possint, sed omnino quacumque vacatione, etiam si in curia effectū suum sortiantur, & quacumque constitutione non obstante, succedente vero casu, quo per vniones effectum suum sortientes, vel aliter Seminarium ipsum, in totū, uel in partem dotatum reperiatur, tūc portio ex singulis beneficijs vt supra detracta, & incorporata ab Epo prout res ipsa exegerit, in totū, vel pro parte ad ratam remittatur. Volentes autem præmissa prout in ipsa Prouinciali Synodo rectè, piè, atq; prudenter gesta, constituta, & ordinata fuere, debitæ executioni demādari, omnia, & singula superius narrata ad sancti operis Seminariorum huiusmodi commodum, & incrementum constituta, auctoritate Apostolica, tenore præsentiū ex certa nostra scientia confirmamus & approbamus, ac illis perpetuæ, & inuiolabilis nostræ firmitatis robur adijcimus, eaque per nos confirmata, & approbata fore, & esse, & ab omnibus cuiuscūque gradus & quibuscumque exemptionibus, & priuilegijs munitis, etiam nullius Diœcesis in Concilij Tridentini generalitatem, quos illa quomodolibet concernunt, & in posterum concernere poterunt, inuiolabiliter obseruari debere statuimus, supplentes omnes & singulos iuris, & facti defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem: Necnon præsentium litterarum & in eis contenta quæcumque, ex quauis causa de surreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ defectu, nullatenus notari, vel impugnari posse; sed suos plenarios, & integros effectus sortiri, & irrefragabiliter obseruanda esse. Sicque per quoscumque quauis auctoritate, etiam Episcopali dignitate fulgentes sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter interpretandi facultate, interpretari, ac definiri debere, ac quidquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus, & declaramus. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Prouinciæ præfatæ, illiusque Ciuitatum, & Diœcesum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, uel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis illis, & quibusuis eorum personis, & locis Ecclesiasticis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, & alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque & alijs decretis in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet conceſſis, ac etiam

iteratis

iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quęuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores ac si de verbo ad verbum insererentur, presentibus pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, cęterisque contrarijs quibuscumque. Dat. Romę apud sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die xviiij. Aprilis. M D L X V I. Pontificatus nostri Anno Primo.

Cę. Glorierius.

Bulla S. D. N. Pij PP. V. Prohition. Blasphemiæ, Sodomiæ, Simoniæ, Concubinariatus, ac contra deambulantes per Ecclesias, pauperes per eas mendicantes, ac alios in eis illicita facien. nec non de tollendis ex eis capsis, & depositis mortuorum, de non laborando in diebus festiuis, ac circa plurima alia Dei honorem, & diuinum cultum concernen.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Cùm primùm Apostolatus officium diuina nobis dispositione commissum suscepimus, statim omnem curam, & cogitationem nostram in dominici gregis fidei nostrę crediti salute defiximus, & Christi fideles Deo iuuante ita dirigere statuimus, ut à vitijs, & peccatis abstinentes, iter quod ad vitam ęternam ducit, insistant. Cùm autem ad omnia, quę diuinam maiestatem aliquo modo possent offendere, amouenda mentis nostrę aciem intenderimus, ea primùm, & sine mora emendare decreuimus, quæ Deo pręter cętera displicere, & iram eius prouocare cum diuinę docent scripturę, tum grauissima exempla declarant, nempe diuini cultus neglectum, Simonię labem, Blasphemię crimen, & libidinis naturę contrarię vitium execrandum, propter quę populi, nationes, bellorum, famis, & pestilentię calamitatibus iusta dei vltione sępe plectuntur. Etsi autem contra eos, qui tam grauia crimina admiserint: multę à prędecessoribus nostris cōstitutiones edi-

tæ fuerunt: tamen quia parum est leges edere: nisi sint, qui eas debitis temporibus exequantur: Idcirco ne qui forsan ex tolerantia sperare impunitatem audeant, scientes pleroſque pœnarum grauitate magis quàm Dei timore arceri solere à voluntate peccandi, omnes & singulas sententias, censuras, & pœnas contra eos, qui talia deliquerint, latas confirmamus, & Apostolica auctoritate innouamus, nec de earum rigore quicquam relaxamus, admonemusque eos, qui talia perpetrare veriti non fuerint, non solùm subituros eas pœnas, quæ sacris sunt Canonibus constitutæ, sed eas etiam quas leges ciuiles comminantur, & nostri quoque arbitrij discretio pro personarum qualitate constituet. Mandantes ciuitatum, & locorum status nostri Ecclesiastici pro tempore Ordinarijs, & Gubernatoribus, illis quidem sub pœna suspensionis à diuinis, his verò sub pœna excommunicationis latæ sententiæ, vt quos debitum Deo cultum in Ecclesijs non tribuere, alijsque nefandis criminibus pollutos esse compererint, comprehendi curent pœnis afficiendos competentibus. Scituris etiam ipsis Iudicibus quòd si post hanc nostram constitutionem in castigandis huiusmodi delictis negligentes fuerint. Primùm quidem Dei omnipotentis Iudicio obnoxij erunt, deinde nostram quoque incurrent indignationem. Vt autem pœnarum certitudo cunctis facilius innotescat, nonnullas hic duximus exprimendas, alijs nihilominus contra huiusmodi criminum reos à iure statutis in suo robore manentibus. Vt igitur Deo optimo maximo, gloriosæ Virgini, & sanctis omnibus debitus honor deferatur, Gregorij X. prædecessoris nostri constitutionem innouantes, ac statuta in Tridentino Concilio obseruari volentes, statuimus, & ordinamus, vt ad Ecclesias sit humilis, & deuotus ingressus, quieta conuersatio, deuotis orationibus insistant, & omnes genibus flexis sanctissimum sacramentum adorent, ad nomen Iesu Christi domini nostri cum exhibitione reuerentiæ caput inclinent, nullus in dictis Ecclesijs seditionem faciat, tumultum excitet, clamores moueat, impetumuè committat, cessent vana, fœda, & profana colloquia, risus immoderati, & strepitus omnes iudiciorum, & alia quæcumq; quæ diuinum officium perturbare possunt. Nullus intra Ecclesias deambulare audeat, siue præsumat, dum celebrantur sacra Missarum mysteria, & alia diuina officia. Qui verò prædicta petulanti animo contempserint, præter diuinæ vltionis acrimoniam, nostri quoque arbitrij pœnas incurrent, quæ omnia locorum quoque Ordinarij in suis Ecclesijs facient obseruari. Quicumque verò in Ecclesijs, dum ibi sacrificium Missæ, & diuina celebrantur officia, aut verbum Dei prædicatur, deambulare, vociferari, aut verso tergo ad sanctissimum sacramentum irreuerēter sedere, aut aliquid, quod scandalum generet, aut diuina perturbet officia, facere præsumpserit, pœnam

pœnam vigintiquinque ducatorum incurret, præter alias arbitrio nostro imponendas, & moderandas pœnas, & qui non habebit in ære, luet in corpore, aut exilio mulctabitur. Qui verò in Ecclesijs cum mulieribus impudicis, siue etiam honestis colloquium scurrile habuerit, aut alios inhonestos actus fecerit, vigintiquinque ducatorum pœnam incurrat, & carceris per mensem. Qui in Ecclesijs, vt suprà, obscœnis, & inhonestis uerbis, aut signis vsus fuerit, aut alias fœda colloquia cum personis quibuscumque habuerit, decem aureorum pœna mulctetur, aut aliàs corporaliter puniatur. Mandamus præterea omnibus, & singulis Cathedralium Collegiatarum, & Parochialium Ecclesiarum Capitulis, Rectoribus, Vicarijs, Sacristis, Ostiarijs, & alijs ipsarum Custodibus, quatenus prefatos omnes in Ecclesijs delinquentes admoneant, & vt in eis verita fieri non permittant, vel saltem ipsis Ordinarijs, vel Officialibus nostris puniendos deferant, quod si facere neglexerint, pœnam duorum aureorum vice qualibet incurrent. Pauperes quoque mendicantes, seu eleemosynas petentes per Ecclesias tempore Missarum, prædicationum, aliorumque diuinorum officiorũ ire non sinant, sed eos ad valuas Ecclesiarum stare faciant, sub pœna duorum aureorum Capitulis infligenda pro qualibet vice, nisi eos eijci curauerint, & Parochis dimidij aurei. Religiosis etiam Claustralibus, siue regularibus præcipimus in virtute sanctæ obedientiæ, vt in Ecclesijs suis deputent aliquem, qui tales eijciat, & si negligentes fuerint, grauissimè ab Ordinario corripiantur; quòd si illi parere recusauerint, grauissimas pœnas incurrent, & pro qualitate personarum, etiam corporaliter punientur arbitrio nostro, siue Superiorum suorum. Et vt in Ecclesijs nihil indecens relinquatur, ijdem prouideant, vt capsæ omnes, & depositæ, seu alia cadauerum conditoria super terram existentia omninò amoueantur, prout aliàs statutum fuit, & defunctorum corpora in tumbis profundis infra terram collocentur. Cùm verò dierum festorum obseruatio ad Dei cultum maximè pertineat, & in Lege diuina præcipiatur, cupientes abusus prauos, qui ex eorum inobseruantia inualuerunt omninò corrigere, & antiquorum Canonum statuta renouantes, mandamus vt omnes dies Dominici, & præcipuè in honorem Dei, Beatæ Mariæ Virginis, sanctorum Apostolorum feriati cum omni veneratione obseruentur, & omnes in diebus præfatis Ecclesias frequentent, diuinis officijs deuotè intendant, ab omni illi cito, & seruili opere abstineant, Mercatus non fiant, profanæ negotiationes & Iudiciorum strepitus conquiescant. Qui verò in diebus præfatis opus aliquod illicitum fecisse deprehensus fuerit: præter diuinam ultionem, & amissionem animalium, quibus ad vecturam vtetur, etiam graues pœnas incurret arbitrio nostro, seu Vicarij nostri in vrbe: In alijs autem locis arbi-

trio

trio Ordinariorum, vel aliorum Magistratuum, ita vt præuentioni locus sit. Quibus omnibus districtè præcipimus, vt hæc diligenter obseruari procurent: illas etiam festiuitates, quæ iuxta consuetudinem locorum solemniter celebrari consueuerunt, iuxta laudabilem consuetudinem debita cum reuerentia obseruari faciant, sub pœnis arbitrio ipsorum imponendis, & moderandis. Et vt Simoniacæ prauitatis labes prorsus abolea ur, Constitutiones anteceſſorum nostrorum contra Simoniacos editas, & præsertim Pauli II. inuiolabiliter obseruari mandamus, & delinquentes tam in sacrorum ordinum receptione, quàm in beneficiorum assequutione, statutis etiam inferius pœnis nostra auctoritate affici volumus. Quicumque igitur detestabile crimen Simoniacæ prauitatis commisisse conuictus fuerit in consequendis ordinibus, eo ipso sit ab illorum exequutione per decennium sine spe dispensationis suspensus, & per annum carceribus mancipetur. Qui dignitates Ecclesiasticas Simoniacè acquisiuerit, illis sit ipso iure priuatus, & in futurum inhabilis ad eas & quascumque aliàs obtinendas. Qui beneficium, aut officium Ecclesiasticum Simoniacè adeptus fuerit, illis similiter sit ipso iure priuatus, & ad fructuum omnium, quos perceperit, restitutionem teneatur, & perpetuò sit inhabilis ad ea, & quęcumque alia beneficia Ecclesiastica obtinenda. Si quis autem tale crimen pluries commisisse conuictus fuerit, præter supradictas pœnas etiam corporaliter puniatur, & ab ordinibus Ecclesiasticis degradatus à fidelium consortio eijciatur. Qui verò ordines, & beneficia Simoniacè contulerint, pœnis à iure statutis puniãtur, cuiuscumque gradus, conditionis, & dignitatis, etiam si Episcopi, Archiepiscopi, vel maiores fuerint. Caueant præterea quicumque ne in sacramentorum exhibitione Simoniacum aliquid faciant, alioquin grauissimè puniantur per locorum Ordinarios, qui huiusmodi criminis reos cum maxima seueritate coercere procurent, iuxta Concilij Tridentini statuta. Ad abolendum verò nefarium, & execrabile blasphemiæ scelus, quod in antiqua lege Deus morte puniri mandauit, & Imperialibus quoque legibus receptum est, nunc autem propter nimiam Iudicum in puniendo segniciem, vel potius desuetudinem, supra modum inualuit, Leonis X. prædecessoris nostri in nouissimo Lateranensi Concilio statuta innouantes, Decernimus, vt quicumque laicus Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum, vel gloriosam Virginem Mariam eius genitricem expresè blasphemauerit, pro prima vice pœnam vigintiquinque ducatorum incurrat, pro secunda, pœna duplicabitur, pro tertia autem centum ducatos soluet, & ignominia notatus, exilio mulctabitur. Qui verò plebeius fuerit, nec erit soluendo, pro prima vice manibus post tergum ligatis ante fores Ecclesiæ constituetur per diem integrum, pro secun-

da

da fustigabitur per Vrbem, pro tertia lingua ei perforabitur, & mittetur ad triremes. Quicumque Clericus in hoc blasphemiæ crimen incurrerit, pro prima vice fructibus unius anni omnium, & quorumcumque beneficiorum suorum: pro secunda, beneficijs ipsis priuetur: pro tertia omnibus etiam dignitatibus exutus deponatur, & in exilium mittatur. Quòd si Clericus nullum obtinuerit beneficium, pœna pecuniaria, uel corporali pro prima vice puniatur, pro secunda carceribus mancipetur, pro tertia verbaliter degradetur, & ad triremes mittatur. Qui reliquos Sanctos blasphemauerit, pro qualitate blasphemiæ, atque personæ, arbitrio Iudicis puniatur. Si quis crimen nefandum contra naturam, propter quod ira Dei uenit in filios diffidentiæ, perpetrauerit, Curiæ sæculari puniendus tradatur. Et si Clericus fuerit, omnibus ordinibus degradatus simili pœna subijciatur. Monemus præterea omnes locorum Ordinarios, & in uirtute sanctæ obedientiæ eis præcipimus, ut statuta Tridentini Concilij contra Concubinarios, tàm Clericos, quàm Laicos edita, districtè faciant obseruari, reddituri Deo ac nobis, si id omiserint, rationem. Et ut pra missorum delictorum Simoniæ, Blasphemiæ, ac Stupri nefandi notitia facilius habeatur: volumus quòd in singulis casibus, non solum per accusationem, & inquisitionem, sed etiam ad simplicem, & secretam denũciationem procedatur per quoscumque Iudices, aliàs tamen de iure competentes, tàm ratione delicti, quàm personarum, ita quòd inter eos locus sit præuentioni. Monemus præterea omnes, & singulos, ut solùm Dei timorẽ præ oculis habentes, & non alia animi praua affectione ducti, culpabiles tantùm deferant, innocentes nõ vexent. Quòd si aliqui ex calumnia aliquos denunciasse compertũ fuerint, eos ad pœnam talionis teneri uolumus, & mandamus. Mulctæ autẽ pecuniariæ applicabuntur pro duabus partibus locis pijs arbitrio nostro in Vrbe, extra uerò, Ordinariorũ, pro tertia accusatori, qui delinquentes detulerit. Mandamus autem Principibus, Comitibus, & Baronibus omnibus S. R. E. Feudatarijs, sub pœna priuationis feudorum, quæ ab ipsa Ecclesia Romana obtinent, reliquos uerò Principes Christianos, & Terrarum Dominos hortamur in domino, & in uirtute sanctæ obedientię mandamus, ut pro diuini nominis reuerentia, & honore, præmissa omnia in suis Dominijs, ac Terris exactissimè seruari faciant, uberrimam ab ipso Deo mercedem tam boni operis recepturi. Non obstantibus quibusuis Cõstitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac exemptionibus, priuilegijs, indultis, facultatibus, & literis Apostolicis quibusuis, Capitulis, Conuentibus, Militijs, Ordinibus, & personis cuiuscumq; qualitatis, & conditionis existentibus, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque effi-

cacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & alijs decretis in genere, uel in specie, etiam Motu proprio aliàs quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis, quibus, illorum tenores presentibus pro expressis habentes, specialiter, & expresse derogamus, ceterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem quòd presentium transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prelati munitis, eadem prorsus fides vbique adhibeatur, quę eisdem presentibus adhiberetur, si forent exhibitę vel ostensę. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrę innouationis, relaxationis, admonitionis, confirmationis, mandati, statuti, decreti, ordinationis, precepti, monitionis, voluntatis, & derogationis infingere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo sexto, Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

Antonius Florebellus Lauellinus.

H. Cumyn.

Constitutio confirmatoria formulæ in Concil. Mediol. Primo præscripta circa promouendos ad Cathedrales.

PIVS Papa V. Ad futuram rei memoriam.

ROmanum decet Pontificem, ijs, quæ iuxta sanctorum Patrum decreta prouidè gesta fuisse percepit, approbationis suæ firmitatem diligenter adhibere. Cum itaque sicut, dilectus filius noster Carolus tit. Sãctæ Praxedis Presbyter Cardinalis, Borrhomęus nuncupatus, qui Ecclesiæ Mediolanensi ex concessione, & dispensatione Apostolica præesse dignoscitur; nobis exposuit, præteritis mensibus, postquam sacrum Concilium Tridentinum super personis ad Cathedrales, & superiores ecclesias promouendis, certisque tunc expressis earum qualitatibus, & sufficientia requirẽ dis, solli cite tractans, ac prudẽter considerans: Quod quoniam in grau i, idoneoque bonorum & doctorum virorum testimonio,

monio, de requisitis promouendi qualitatibus huiusmodi sumendo, non vniformis ratio vbique ex nationum, populorum, ac morum varietate, poterat adhiberi, mandauerat, vt in Prouinciali Synodo per Metropolitanum habenda, quibusque locis, & Prouincijs præscriberetur propria examinis, seu inquisitionis, aut instructionis faciēdæ forma, præfati Romani Pontificis, pro tempore existentis, arbitrio approbanda, quæ magis eisdem locis vtilis, & opportuna esse videretur. Idcirco ipse Carolus Cardinalis, & Archiepiscopus, sua Prouinciali Synodo in Domino conuocata, & ipsi Synodo prouinciali, sic conuocatæ, eodem Carolo Cardinale, & Archiepiscopo præsidente, dicto Cōcilij Tridentini mandato, quo ad qualitates futuri Episcopi suæ Prouinciæ requirendas, vt par erat obediens, prescripserit super hoc formulam tenoris subsequentis. Quoniam statuit sancta Tridentina Synodus, ut in prouinciali Synodo forma examinis, seu inquisitionis, aut instructionis natalium, vitæ, ætatis, doctrinę, atque aliarum omnium qualitatum, quas sacri canones, & ipsa Tridentina Synodus in promouendo ad Episcopatum postulant, præscribatur: Nos hanc formulam, Sanctiss. D. N. arbitrio, comprobandam proponimus. Cum examen de aliquo ad Episcopatum prouinciæ nostrę promouendo, faciendum erit, Episcopus, in cuius diœcesi is maiorem eius anni partem versatus fuerit, mandato à Summo Pontifice accepto, ex quinque probatis & doctis, ac iuratis, omnique exceptione maioribus testibus, de eius fide, vita, & moribus cognoscat in hunc modum. An sit bonę existimationis. An hęresis nomine, aut schismatis suspectus sit. An hęreticorum libros legerit, habeatuè. An cum hęreticis versatus fuerit, aut eis aliquo modo fauerit. An statuto Ecclesię tempore confiteatur, & Eucharistiam sumat, ac Missę intersit. An sacris ordinibus sit initiatus, & quampridem. An sit criminosus, vel vitio, aut infamia notatus. An cum aliquo inimicitias gerat capitales, & pręsertim in loco Episcopatus. An filios habeat non legitimos, & cuius ętatis, & quot. An familiam suam prudenter, & catholicę regat. An excommunicatus, aut suspensus. An Apostata. An ei publica pœnitentia imposita fuerit. An aliquando insanierit, aut à dęmone vexatus fuerit. De natalibus vero, ętate, gradu, & corpōris habitu, à duobus, vel tribus testibus fide dignis, vel ex instrumentis publicis hoc modo cognoscat. An ex legitimo matrimonio natus sit. An hęretici filius, neposue sit. An trigesimum annum confecerit. An in vniuersitate studiorum Magistre siue Doctor, aut Licentiatus in sacra Theologia, vel iure Canonico merito sit promotus, aut publico alicuius Academię testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur. Et si regularis fuerit, an à Superioribus suæ religionis similem fidem habeat. An aliquo uitio, vel insigni de-

formitate corporis, & in qua parte laborat. An Comitiali morbo tentetur. De doctrina autem, sic periculum faciat. Adhibitis tribus Theologiæ, totidemque iuris Pontificij peritis, quos, si ibi non fuerint, ex vicinioribus locis accersat, promouendum vndecumque euocatum interroget. Quid differat inter Sacramenta veteris, & nouæ legis. Quot sint Ecclesiæ sacramenta, & quomodo singula nominentur. Quæ sit eorum materia, forma, minister. Quod officium Presbyteri, Diaconi, & Subdiaconi, quodue minorũ ordinum. Quæ præcepta diuina, quæue consilia Euangelica. Duos item locos ei proponet interpretandos, alterum veteris, alterum noui testamenti, à mane ad vesperã dato spatio ad cogitandum. Quibus interpretatis, percunctantibus etiã aliquid de iure Pontificio, ita respondebit, vt, etiam si Theologus sit, tamen se iuris Canonici in ijs, quæ ad Episcopi munus pertineant, non omnino rudem esse ostendat. His confectis, ex formula præscripta à Sanctiss. D. N. coram eodem Episcopo fidei professionẽ faciat. Quod si promouendus, in pluribus Ciuitatibus, vel Diœcesibus proximũ triennium moratus fuerit, eius fidem, vitam, & mores illi etiam Episcopi, in quorum locis sex menses manserit; à Summo Pontifice admoniti, vel ab eo, qui processum cõfecerit, rogati, suo testimonio comprobent, idque scriptum ad eundem mittant, à quo processus confectus sit. Is vero acta hæc omnia in publicum instrumentum relata ad Sanctiss. Romanum Pontificem obsignata, quamprimum mittat. Idem Carolus Cardinalis, & Archiepiscopus nobis humiliter supplicauit, vt præinsertam formulam iuxta eiusdem generalis Concilij decretum, Apostolicæ approbationis robore stabilire, ac aliàs eius obseruationi prouidere dignaremur. Nos igitur formula prædicta, singulisque illius capitibus, & articulis diligenter visis, & perpensis, illa æqua, & saluberrima, ac digna, quæ sedis Apostolicæ auctoritate stabiliatur, esse cẽsentes: huiusmodi supplicationibus inclinati, formulam, ac omnia & singula in ea contenta prædicta, eadem auctoritate, tenore præsentium confirmamus, & approbamus, ac illa in quibuscumque processibus super persona ad regimen alicuius ex Metropolitan. alijsque Cathedralibus Ecclesijs ipsius Prouinciæ Mediolanensis per cessionem, vel obitum, aut translationem, vel priuationem, seu aliàs quouis modo, etiam apud Sedem prædictam pro tempore vacantis assumenda, suisque qualitatibus, & sufficientia, tam in eadem prouincia, quam extra eam, vbilibet, & à quibuscumque faciendis, inuiolabiliter obseruari volumus, ac districtè præcipiendo, mandamus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis cæterisque contrarijs quibuscumque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris die XXIIII. Maij. M D LXVI. Pontificatus nostri anno Primo.

Cę. Glorierius.

BVLLA S. D. N. D. Pij Diuina prouidentia Papæ Quinti super clausura, & Reformatione quarumcumque Monialium.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Circa Pastoralis officij nobis meritis licet imparibus, desuper commissi curam, quamtum nobis ex alto permittitur inuigilantes, assiduè ad ea per quæ singulis erroribus, & excessibus obuiatur, ac personis quibuslibet præsertim fœminei sexus virginitatem suam Altissimo vouentibus sub Religionis iugo Christo Saluatori in Castitatis holocausto famulari affectantibus, à semita Iustitiæ, & honestatis declinantibus, ne quicquam in eis reperiatur incongruum, quod in Regularis ponat honestatis gloria maculam, & diuinam meritò possit offendere Maiestatem opportunè succurritur, libenter intendimus, ac in his nostræ vigilantiæ partes propensius impartimur, prout id in domino salubriter expedire conspicimus. Hac igitur perpetuò valitura Constitutione inhærentes etiã Constitutioni fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit, Periculoso, & decretis Concilij Tridentini super clausura Monialium editis, auctoritate Apost. tenore præsentium statuimus, atque perpetuò decernimus, vniuersas, & singulas Moniales præsentes, atque futuras, cuiuscumque Religionis, ordinis, vel Militiarum, etiam Hierosolimitan. sint, quæ vel iam receptæ sint, vel in posterum in quibusuis Monasterijs siue domibus recipientur, & tacitè, vel expressè Religionem Professæ, etiam si Conuersæ, aut quocumque alio nomine appellentur, etiam si ex institutis vel fundationibus earum Regulæ ad clausuram non teneantur, nec vnquam in earum Monasterijs, seu domibus etiam ab immemorabili tempore, ea seruata fuerit, sub perpetua in suis Monasterijs, seu domibus debere de cetero permanere clausura iuxta formam dictæ Constitutionis fel. rec. Bonifacij Papæ VIII. prædecessoris nostri, quæ incipit, Periculoso, in sacro Concilio Triden. approbatam, & innouatam, quam nos auctoritate præfata etiam approbamus, & innouamus in omnibus, & per omnia, ac illam districtè obseruari mandamus, quò si aliquæ Moniales forsan reperiantur, quæ consuetudine etiam immemorabili, aut instituto, vel fundatione regulę suę frętę animo obstinato huic clausurę resistant, aut quoquo modo reluctentur, Ordinarij vnà cum Superioribus earum omnibus iuris, & facti remedijs compellant easdem, tamquam rebelles, & incorrigibiles ad pręcisè subeundum dictam clausu-

cam, & perpetuò obseruandum. Mulieres quoque quę Tertiarię, seu de pœnitentia dicuntur, cuiuscumque fuerint ordinis in Congregatione viuentes, si & ipsę professę fuerint, ita vt solemne votum emiserint, ad clausuram precisè, vt premittitur, & ipsę teneantur. quòd si votum solemne non emiserint, Ordinarij vnà cum Superioribus earum hortentur, & persuadere studeant, vt illud emittant, & profiteantur, ac post emissionem, & professionem eidem clausurę se subijciant. Quod si recusauerint, & aliquę ex eis inuentę fuerint scandolosè viuere, seueriſſimè puniantur. Cęteris autem omnibus sic absque emissione professionis, & clausura viuere omninò volentibus interdicimus, & perpetuò prohibemus, ne in futurum vllam aliam prorsus in suum ordinem, Religionem, Congregationemue recipiant. Quod si contra huiusmodi hanc nostram prohibitionem, & decretum aliquas receperint, eas ad sic viuendum omninò inhabiles reddimus, ac illarum quaslibet professiones, & receptiones irritas, & nullas decernimus, prout etiam presenti decreto irritas facimus & annullamus. Porrò ne Moniales, vel Tertiarię prędictę, propter hanc clausuram detrimentum, aut incommodum aliquod in earum necessitatibus, maximè in pertinentibus ad illarum victum patiantur, sed vt eis opportunè consulatur, auctoritate Apost. prefata statuimus, decernimus, precipimus, atq; mandamus Ordinarijs, & Superioribus earum, vt curent colligi fidelium eleemosynas per Conuersas, quę non sint professę vel si professę fuerint, sint tamen ętatis annorum quadraginta, & in domibus contiguis, extra tamen Monasterium, degant, & non ingrediantur clausurā aliarum Monialium, nisi in casibus ex earum Constitutionibus permissis, & de earum domibus exire non possint pro huiusmodi eleemosynis colligendis, nisi de licentia Ordinarij, vel earum Superiorum. Et de cętero nullę alię Conuersę professę recipi amplius etiam de consensu suorum Superiorum, vel Prelatorum possint. quòd si aduersus hanc nostram prohibitionem receptę fuerint, illarum receptio nulla, irrita, & inanis sit, prout ex nunc nullam & irritam facimus, & annullamus. Quòd si prędicto modo necessitatibus Monialium, & Mulierum Tertiariarum prędictarum succurri sufficienter non poterit, mandamus ipsis Ordinarijs, & Superioribus earum, vt ipsi prouideant de alijs personis pijs, & Deo deuotis, quę fidelium eleemosynas colligant, vel aliàs eo meliori, & commodiori modo, quo fieri, etiam ex opere manuum ipsarum Monialium, & Mulierum prędictarum, arbitrio Ordinariorum, & Superiorum earundem, & prout eis cōgruentius expedire videbitur, prouideatur, & succurratur. Et ne propter Monialium numerum excessiuum clausurę obseruatio violetur, inhęrentes etiam similiter dispositioni dictę Cōstitutionis Bonifacij, & Concilij Triden.

decreto,

decreto, Monialibus prædictis, & illarum Superioribus, & Ordinarijs districtè inhibendo præcipimus, & mandamus, ne plures in earũ Monasterijs recipiãt, & admittãt, siue recipi, & admitti permittant, quàm ex proprijs redditibus ipsorum Monasteriorum, vel consuetis eleemosynis commodè sustentari possint, Mandantes propterea in virtute sanctę obedientię sub obtestatione diuini iudicij, & interminatione maledictionis ęternę vniuersis Venerabilibus fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis, quatenus in Ciuitatibus, & Diœc. proprijs præsentes nostras literas publicari faciant, ac in Monasterijs Monialium sibi ordinario iure subiectis, in his verò, quę ad Roman. mediatè, vel immediatè spectant Ecclesiam, Sedis Apostolicę auctoritate vnà cum Superioribus eorundem Monasteriorum clausuram, vt præmittitur, quàm primùm poterunt seruari procurent. Contradictores, atque rebelles per censuram Ecclesiasticam appellatione postposita compescendo, inuocato ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachij sæcularis. Ac vt hoc tam salutare decretum facilius obseruetur, omnes Principes sęculares, & alios Dominos, & Magistratus temporales rogamus, requirimus, & obsecramus per viscera misericordię Domini nostri Iesu Christi, eisdem in remissionem peccatorũ iniungentes, quòd in præmissis omnibus eisdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs Monialium Superioribus assistant, ac suum fauorem, & auxilium præstent. Ac impedientes pœnis etiam temporalibus afficiant præmissis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, etiã per Sedem Apostolicã approbatis & confirmatis, priuilegijs quoq; indultis, & literis Apostolicis etiam in fundatione, & institutione eisdem Monasterijs, vel domibus, & Monialibus sub quibuscumque verborum formis, & clausulis irritantibus, & alijs decretis quibuslibet concessis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam si pro sufficienti illorum derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quęuis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si verbo ad verbum insererentur, pro sufficienter expressis habentes, quò ad effectum validitatis nostræ constitutionis, tantùm derogamus contrarijs quibuscumque. Aut si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit Sede indultum, quòd interdici, aut suspendi non possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mẽtionem. Per hoc autem in Monasterijs exemptis Ordinarij locorum quò ad alia nullam sibi credant iurisdictionem, vel potestatem aliqua-

tenus eis attributam. Volumus autem quòd præsentes literæ, ad vi-
las Basilicæ beati Petri Apostolorum Principis, & in Cancellaria no-
stra, ac acie Campi Floræ publicentur, & inter Constitutiones extra-
uagantes perpetuò valituras conscribantur. Et quia difficile foret præ-
sentes, ad singula quæcumque loca deferri, volumus, & etiam declara-
mus quòd earum Transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij
subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis eadem prorsus fides vbi-
cumque adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ,
vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam no-
stræ approbationis, innouationis, statui, decreti, mandati, interdicti,
prohibitionis, annullationis, præcepti, inhibitionis, requisitionis, obse-
crationis, iniunctionis, derogationis, declarationis, & uoluntatis infrin
gere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare
præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, &
Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud S. Pe
trum anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo Quingentesimo, Sexa
gesimo sexto. Quarto Kal. Iunij, Pontificatus nostri anno primo.

Visa de Curia Io. Riuetius. ſſ.

Cæ. Glorierius.
H. Cumyn.

Constitutio confirmatoria statutorum ordinationum, & Decretorum in Prouinciæ Conc. j. Mediol. confectorum ad Cleri mores reformandos, & alia.

PIVS Papa V. ad perpetuam rei memoriam.

INter omnes Apostolicæ seruitutis, nobis iniunctæ, sollicitudines, quæ mentem nostram incessanter exercent, illa frequentior occurrit, ut ordinationes & statuta, quæ circa iamdudum labascentis, & penè conuulsæ disciplinæ Ecclesiasticæ restitutionem prudenter edita fuisse cognoscimus, ab omnibus ipsius Ecclesiæ ministris obedienter recipi, & indifferenter obseruari procuremus. Cum itaque, sicut accepimus, nuper in Prouinciali Synodo Mediolanensi, Dilecto filio nostro, Carolo tit. sanctæ Praxedis Presbytero Cardinali Borrhomæo nuncupato, qui Ecclesiæ Mediolanensi ex concessione & dispensatione Apostolica præesse dignoscitur, illi præsidente, quamplura saluberrima statuta, & decreta, ad mo-

res

res dilectorum filiorum Cleri sęcularis totius Prouinciæ Mediolanēsis reformandos pertinentia,& prę sertim honestatem,decorum, reuerentiam,ornamenta Ecclesiarū,necnon locū, tempus, modum, aliasq; circunstantias in Ecclesiarum,sacramētorum administratione, Missarūq; celebratione obseruanda, ac sepulturas, funeralia, processiones, uerbi Dei conciones,seu prędicationes,repręsentationes, & picturarū decentias,uitę honestatē,frugalitatem, morum correctionem, & moderationē,Archiuia,& alia ad scripturarum,iurium, & aliorum bonorū Ecclesiasticorum conseruationem,necnon fructuum,reddituum,& prouentuum Ecclesiasticorum dispensationem pertinentia,nō minus religiosè,quā sapienter ordinata fuerint. Quę cum non solum licita, & honesta,sed etiā Ecclesiæ Dei plurimum utilia & apprime laudabilia existāt, ab omnibus Dei ministris equaliter expedit obseruari. Hinc est, quod nos bonum ciuem utilitati, honestatiq; Reipublicę nunquam refragari,sed sanctis patrię legibus libenter obtemperare debere considerantes,ac totos statutorum,& decretorum prædictorum documentorumq; desuper confectorum & inde sequutorum tenores,de quibus plenam, & districtam informationem à præfato CAROLO Cardinale oretenus nobis factā accepimus, prę sentibus pro sufficienter expressis habentes,Motu proprio,& ex certa scientia nostra,omnia & singula statuta,ordinationes,& decreta,in Prouinciali Synodo Mediolanensi sic, ut prę fertur,edita & publicata,ac pro ut illa concernunt, alia in dictis documentis contenta,in omnibus,& singulis Ecclesijs, Monasterijs, Prioratibus,Præposituris, Hospitalibus,& alijs pijs locis Ecclesiasticis, sæcularibus, uel etiam regularibus,commendatis,etiam nobis, & Apostolicæ sedi immediate subiectis,e tiam nullius diœcesis, aut aliter quomodocumque exemptis,in uniuersa Prouincia prædicta constitutis, ac per quoscumq; earundem Ecclesiarum & locorū Prælatos, Abbates, Priores,Præpositos,Rectores,Superiores, Ministros, Capitula, Canonicos, ac personas sæculares,aut illa ex concessione, vel dispensatione Apostolica in commendam, aut administrationem obtinentes, etiam si dictæ Sedis Notarij Acoluthi, Capellani, ac Romanæ curiæ officiales, etiam officia sua actu exercentes, etiam familiares nostri, & continui commensales, etiam veri & antiqui, aut aliàs in nostris, seu Venerabilium fratrum nostrorum sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, & prædictæ Sedis seruitijs & obsequijs insistentes,existant,quos omnes ratione beneficiorum quorumcumque personalem residentiam requirentiū, in dicta prouincia per eos quomodolibet obtentorum, & obtinendorum,sub sentētijs, censuris, & pęnis à Cōcilio Tridentino alijsq; sacris Canonibus contra non residentes latis & impositis, ad personalē residentiā districtè per locorum Ordinarios, seu eorū in spiritualibus Vicarios

carios generales dictæ prouinciæ eogi & compelli volumus, nec eis constitutionem fe. re. Papæ IIII. prædecessoris nostri in fauorem curialium dictæ Sedis editam aut quæcumque priuilegia & indulta Apostolica etiam per nos ad id illis in genere, vel in specie quomodolibet concessa desuper suffragari intelligimus, vel aliàs quomodolibet exemptos, ac nobis, & dictæ Sedi, vt præfertur, immediatè subiectos, etiam si nullius diœcesis esse dicantur: dummodo tamen de prædicta prouincia existant, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, conditionis & præeminentiæ fuerint, in omnibus, & per omnia integre, ac sub sententijs, censuris, & pœnis, in eis forsitan contentis, recepi, & admitti, obseruari, præstari & debitæ executioni demandari, nec quempiam se ab eorum obseruatione, cuiusuis exemptionis, immunitatis, priuilegij, vel alio prætextu excusare debere auctoritate Apostolicæ tenore præsentium, perpetuo statuimus, & ordinamus: dictaque prouincialia statuta, ordinationes, & decreta ad Ecclesias Monasteria, & alia loca, ac eorum Superiores, Capitula, & alias personas sæculares huiusmodi extendimus, & ampliamus: Vniuersis earundem Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Præpositurarum, aliorumque locorum Prælatis, Superioribus, & Capitulis prædictis in virtute sanctæ obedientiæ districte præcipiendo, mandantes quatenus eadem prouincialia statuta, ordinationes & decreta iuxta eorum formam & tenorem in suis Ecclesijs, Monasterijs & alijs locis publicent, & publicari, ac per eorũ Capitula, canonicos aliasque personas sęculares huiusmodi integre obseruari faciant, alioquin si super hoc per locorum Ordinarios moniti in prędmissorum executione & obseruatione cessauerint, illamue locorum Ordinarij distulerint, seu aliàs neglexerint, ipsum Metropolitanum vel generalem eius in spiritualibus Vicarium negligentiam seu dilationem dictorum Ordinariorum omnino supplere volumus, committimus & mandamus; necnon eosdẽ Superiores, Prælatos, ac Commendatorios, Capitula, Canonicos, & personas sęculares prædictas ad præmissorum omnium obseruationem teneri & efficaciter obligatos esse, censurisque & pœnis tam ecclesiasticis, quam pecuniarijs præfati CAROLI Cardinalis, ac pro tempore existentis Archiepiscopi Mediolanensis, aut eius in spiritualibus Vicarij generalis arbitrio, moderandis, & & applicandis, ad id compelli posse. Sicque per quoscumque Iudices & Commissarios etiam sanctæ Romanæ ecclesiæ Cardinales, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari & diffiniri debere; ac quicquid super his secus à quoquam quauis auctoritate scienter uel ignoranter attentari contigerit, irritum & inane decernimus. Non obstantibus exemptionibus & immunitatibus alijsque prędmissis, necnon Eugenij

Papæ

Papæ IIII. prædeceſſoris huiuſmodi in fauorem Curialium dictæ ſedis edita, alijſque conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, necnon eccleſiarum & locorum prædictorum iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis, ſtatutis, conſuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis illis, eorumque Prelatis, Capitulis, Superioribus, & perſonis alijsque præmiſſis ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cum quibuſuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus & inſolitis clauſulis irritantibuſque & alijs decretis etiam iteratis vicibus, etiam per nos quomodolibet conceſſis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales, idem importantes, mentio, ſeu quętis alia expreſſio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, tenores huiuſmodi, ac ſi de verbo ad verbum, nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata, inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illis aliàs in ſuo robore permanſuris, hac vice dumtaxat ſpecialiter & expreſsè derogamus, cæterisque contrarijs quibuſcumque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris die vi. Iunij. M. D. LXVI. Pontificatus noſtri Anno Primo.

Cę. Glorierius.

Conſtitutio qua Regulares quicumque iubentur obſeruare in Concilio primo Prouinciali Mediolan. confecta ad honeſtatem, decorum, reuerentiam & ornamenta Eccl. &c.

PIVS Papa V. ad perpetuam rei memoriam.

INter omnes Apoſtolicæ ſeruitutis, nobis iunctæ, ſollicitudines, quæ mentem noſtrā inceſſanter exercent, illa frequentior occurrit, vt ordinationes, & ſtatuta, quæ tam in Generalibus, quam Prouincialibus Synodis, circa iamdudum labaſcentis, & pene conuulſæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ reſtitutionē prudenter edita fuiſſe cognoſcimus, ab omnibus ipſius Eccleſię miniſtris obedienter recipi, & indifferenter obſeruari procuremus.

remus. Cum itaque, sicut accepimus, nuper in prouinciali Synodo Mediolanensi, Dilecto filio nostro, CAROLO tit. sanctæ Praxedis Presbytero Cardinali Borrhomęo nuncupato, qui etiam Ecclesię Mediolanensi ex concessione & dispensatione Apostolica prędesse dignoscitur, illi prędidente, quam plurima saluberrima statuta, & decreta, ad honestatem, decorum, reuerentiam, ornamenta ecclesiarum, necnon locum, tempus, modum, aliasque circunstantias in ecclesiasticorum sacramentorum administratione, missarumque celebratione, obseruanda, ac sepulturas, funeralia, processiones, verbi Dei conciones, seu prędicationes, representationes, & picturarum decentias, archiuia, & alia ad scripturarum, iurium, & aliorum bonorum ecclesiasticorum conseruationem pertinentia, non minus religiosè, quam sapienter ordinata fuerint; quę cum non solum licita & honesta, sed etiam ecclesię Dei plurimum utilia, & apprimè laudabilia existant, ab omnibus Dei Ministris, tam Regularibus, quam Sæcularibus, æqualiter expedit obseruari. Hinc est, quod nos totos statutorum, & decretorum prędictorum, documentorumque desuper confectorum, & inde secutorum tenores, de quibus plenam, & distinctam informationē, à præfato CAROLO Cardinali oretenus nobis factam, accepimus, præsentibus pro sufficienter expressis habentes; a omnia & singula statuta, ordinationes, & decreta supradicta, in Prouinciali Synodo Mediolanēsi sic, vt præfertur, edita & publicata, ac, prout illa concernunt, prædicta in dictis documentis contenta, in Mediolanensis ciuitatis, diœcesis, & totius Prouinciæ omnibus & singulis regularium personarum vtriusque sexus ecclesijs, Monasterijs, Domibus quorumcumque, etiam Cisterciēn. & Humiliatorum ordinū, & alijs Regularibus locis, etiam nobis, Apostolicæ sedi immediatè subiectis, etiam nullius diœcesis, in vniuersa Prouincia prædicta constitutis, ac per quoscumque Ecclesiarum, Monasteriorum, Domorum, & aliorum Regularium locorum huiusmodi Superiores, etiam generales, ac illorum vtriusque sexus personas districtè obseruari volentes: Motu proprio & ex certa nostra scientia, eidem CAROLO Cardinali per præsentes committimus & mandamus, quatenus omnes & singulos dictarum Ecclesiarum, Monasteriorum, Domorum, & Regularium locorū Superiores, etiam generales, & personas regulares, etiam exemptas vtriusque sexus, vt infra sex mensis post præsentium publicationem, omnibus & singulis statutis, ordinationibus, & decretis prædictis realiter & cum effectu parere debeant, auctoritate nostra, moneat, & requirat: Et si ipsi sic monuti, vt præfertur, parere in omnibus uel in aliquibus distulerint, vel neglexerint, dictus CAROLVS Cardinalis, post lapsum dictorum sex mensium, nobis quamprimum significare & referri curet, vt opportunum

num desuper remedium, prout nostro incumbit officio, in his quanto citius adhibere valeamus. Non obstantibus exemptionibus & immunitatibus, alijsque præmissis, & Apostolicis Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon Ecclesiarum, Locorum, Monasteriorum, Domorum, eorumdem Superiorum, & ordinum prædictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apostolicis illis, eorumque Ordinibus, Prælatis, Superioribus etiam Generalibus, Conuentis, & personis, alijsq; præmissis, sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis, etiam iteratis vicibus, etiam per nos quomodolibet cõcessis, approbatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam si pro sufficienti eorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, non autem per clausulas generales, idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita, obseruata, inserti forent, præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, Die XXVII. Iunij M D LXVI. Ponrificatus nostri anno primo.

Cę. Glorierius.

NOS CAROLVS BORRHOMÆVS, Miseratione diuina, S. R. E. tit. Sanctæ Praxedis, Presbyter Cardinalis, Archiepiscopus Mediolanensis, ex mandato, quod à Sanctissimo D. N. PIO Papa Quinto suis his supra proximis litteris, die XXVII. Iunij datis, habuimus, Apostolica eius auctoritate, omnes & singulos Monasteriorum, & Regularium, quæ Mediolani, & in nostra Diœcesi, ac Prouincia sunt, locorum Superiores, etiam Generales, & personas Regulares, etiam exemptas, vtriusque sexus, requirimus, ac semel, iterum, tertio, trinaq; hac monitione præmissa, monemus, ut quæcumque constitutiones, & decreta, hac Prouinciali Synodo à nobis cõfecta, illis litteris expressa continentur, ijs ad sex menses, postquã in lucẽ edita sunt, re ipsa omnino obtẽperent: quod si qui ex ijs facere neglexerint, vel distulerint; eos omnes & singulos monitos esse volumus, cõfecto illo sex mensium spatio, nos, quemadmodum mandatũ est, id Sanctissimo D. N. quã primum significandum, ac referẽdum curaturos, vt eius Sãctitas pro summo suo pastorali officio, & ea singulari, qua tenet

resti-

restituendę iamdudum labascentis ecclesiasticę disciplinę cura, ac sollicitudine, opportunum huic rei remedium, ea qua solet uigilantia, adhibeat. Datum ex nostris Archiepiscopalibus ędibus, die septimo Septembris. M.D.LXVI.

BREVE S. D. N. D. Pij Diuina prouidentia Papæ V. Super reuocatione licentiarum ingrediendi Monasteria, ac Domos Carthusiensium, & aliorum quorumcumq; Regularium ordinum, etiam Mendicantium, quibusuis Mulieribus concessarum.

PIVS Papa V. ad perpetuam rei memoriam.

REgularium personarum, quæ relicto sæculo, Dei seobsequio dedicarunt, pro commisso nobis officio, quieti consulere cupientes, ad ea remouenda, quę religiosum earũ propositum impedire possunt, curam nostram libenter intendimus, ut nulla re, quæ eas à Diuino cultu auocet, præditæ, secundum ordinum suorum regularia institura, & decretum sacri Tridentini Concilij, tranquillis mentibus gratũ altissimo impendere possint famulatum. Quia igitur, & Carthusiensium ordinis, & aliorum regularem vitam professorum quies non parum soleat, sicut accepimus, perturbari: propterea quòd mulieres, modestię matronalis oblitæ, Domos, ac Monasteria eorum, contra ipsorum instituta, prætextu confessionalium, aut aliarum literarum Apostolicarum ingredi audeant, ipsis etiam Abbatibus, Præpositis, Prioribus, & alijs Præsidentibus aliquando recusantibus, & renitentibus, non sine magna eorum molestia, nec sine graui laicorum etiam offensione, ac scandalo, si quando admitti nimis facilè videantur: huic rei prouidere uolentes, Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, omnes, & singulas facultates, ac licentias ingrediendi Monasteria ac Domos Carthusien. & aliorum quorumcumque regularium ordinum, etiam Mendicantium, mulieribus, cuiuscumque status, gradus, ordinis, conditionis, & quacumque dignitate, ac præeminentia præditis, etiam Comitissis, Marchionissis, Ducissis, sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, & cum quibuscumque etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque fortioribus, efficacioribus, & insolitis clausulis: Necnon irritantibus decretis ab Apostolica Sede quomodo-

modocumque conceſſas: quarum tenores perinde, ac ſi de verbo, ad verbum præſentibus inſererentur, haberi volumus pro expreſſis, tenore præſentium, reuocamus, & caſſas, irritas, & inanes eſſe decernimus, diſtrictè prohibentes mulieribus quidem prædictas facultates, & licentias prętendentibus, ſub excommunicationis latæ ſententię pœna, poſtquàm harum literarum notitiam habuerint, à qua non poſſint, niſi à nobis, aut à Romano Pontifice, qui pro tempore fuerit, abſolui, præter quam in mortis articulo: ne dictas Domos, & Monaſteria ingredi audeant. Ipſis uerò Monaſteriorum, & Conuentuum, Abbatibus, Præpoſitis, Prioribus, & alijs Pręſidentibus quocumque nomine uocentur, & eorum Monachis, Canonicis, & Fratribus, ſiue mendicantibus, ſiue nõ mendicantibus, ſub priuationis officiorum, quę in pręſentia obtinent: & inhabilitatis in poſterum ad illa, & alia omnia, & ſuſpenſionis à diuinis, ipſo facto, ſine alia declaratione, incurrendis pœnis, ne eas introducere, admittereve pręſumant: Non obſtantibus prędictis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cęterisque cõtrarijs quibuſcumque. Volumus autem, & mandamus, ut hę literę ad valuas Baſilicę Beati Petri Apoſtolorum Principis, & in Cancellaria noſtra, atque in Acie Campi Floræ de more publicentur. Quia uerò difficile foret has literas ad omnia loca deferri, volumus, & declaramus, ut earum exemplis, & tranſumptis manuſcriptis, vel impreſſis, & manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius Prętati munitis, par ubiq; fides habeatur, ac ſi præſentes exhibitæ eſſent, uel oſtenſę. Dat. Romę apud Sanctum Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIIII. Octobris. M. D. LXVI. Pontificatus Noſtri Anno Primo.

Ant. Florebellus Lauellinus.

MOTVS PROPRIVS S. D. N. D. Pij Diuina prouidentia Papæ V. de veritate exprimenda &c. in diſpenſationibus matrimonialibus, & alijs gratijs ſub pœna falſi.

MOtu Proprio, &c. Cum ſicut accepimus, nonnulli ſuæ conſcientię prodigi, ac proprię ſalutis immemores, vt facilius à nobis, & Sede Apoſtolica diſpenſationes matrimoniales, & alias gratias, & conceſſiones obtineant gradus conſanguinitatis vel affinitatis, aut cognationis ſpiritualis ac ſcientiam illorum aliter quàm es, à principio ab ipſis partibus ſignificatum vel narratum

fuerit

fuerit, exponunt: & si matrimonia huiusmodi adhuc contracta non fuerint, pro contractis narrant, ac aliàs diuersimodè veram facti speciem, tam in ipsis dispensationibus matrimonialibus, quam pro alijs quibuscũque gratijs, & concessionibus obtinendis immutent, ac propterea cũ non solum in impetrationibus huiusmodi falsitas narretur, verum etiã in partibus plerumque pro verificatione gratiarum huiusmodi veritas immutetur, & falsitas committatur. Nos igitur huiusmodi abusibus, & erroribus obuiare cupiẽtes, Motu proprio &c. omnes, & singulos procuratores, tam officij sacræ pœnitentiariæ, seu contradictarum, quam alios quoscunque Sollicitatores, & Scriptores, quos Copistas vocant, qui veritatem facti à narratione, quam ab ipsis partibus habuerunt quo ad substantialia, & qualitates necessario exprimendas, diuersam faciunt, seu quoquo modo inuertunt, aut immutant, deprauantuè, & per subreptionem, & obreptionem gratias à nobis extorquent pœnam falsi incurrere, & ea puniri omnino debere decernimus, & declaramus: Mandantes propterea Almæ vrbis Gubernatori, Cameræ Apostolicæ Auditori, & Vicario, quatenus in prẽmissis reos, & culpabiles repertos, pœna falsi, vt præmittitur, puniant, cum potestate citãdi etiam per edictũ, constito summariè de non tuto accessu, aliaque dicendi, & faciendi in præmissis necessaria seu quomodolibet opportuna, non obstan. præmissis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis cæterisque contrarijs nequaquã obstan. irritum quoque & inane &c. dicique &c. iudicari & diffiniri debere, sublata &c. decernen. Et quòd præsentis motus proprij, & absque data, & registratura sola signatura sufficiat, & vbique fidẽ faciat in iudicio & extra, regula cõtraria non obstan. eiusque transumptis manu alicuius notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personę in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensę, quodque Cameræ, & Cancellariæ Apostolicæ, ac audientię causarum Palatij Apostolici valuis, & in Acie Cãpi Floræ dimissis inibi copijs affixis omnes ita afficiant, & arctent, ac si illis personaliter intimatæ fuissent,

Placet Motu Proprio. M.

Die quinta Decembris 1566. suprascriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt in locis suprascriptis, dimissis in eisdem locis copijs affixis. per me Nicolaum de Matthæis Curs.

Iohannes Guerardi Mag. Curs.

BVLLA

BVLLA S. D. N. D. Pij Diuina prouidentia Papæ V. Super declaratione decreti Concilij Tridentini de cognatione ſpirituali inter maritum, vel vxorem ſuſcipientis, & baptizatum, baptizatiq; patrem, & matrem, & quaſcumque alias perſonas tam ex parte ſuſcipientis, quam baptizantis, & baptizati.

PIVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

CVM illius vicem, licet minimè ſuffragantibus meritis, geramus in terris, de cuius vultu prodit Iudiciũ, & vident oculi æquitatem, officij noſtri debitã proſequimur actionem, ſi obſcuros ſacrorum Canonũ ſenſus ita aperire ſtudemus, ut pijs Chriſti fidelium mentibus nulla dubitandi occaſio relinquatur. Sanè licet ex eo quod in Concilio Tridentino decretum fuerit, cognationem ſpiritualem inter eos tantũ contrahi, qui ſuſcipiunt baptizatum de Baptiſmo, ac baptizatũ ipſum, & illius patrem & matrem, necnon baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem, in reliquis perſonis, quæ per antiquos Canones occaſione cognationis huiuſmodi contrahere prohibeantur, omne impedimentum ſublatum eſſe uideatur: adhuc tamen ab aliquibus dubitari accepimus, an ſaltem impedimentũ cognationis ſpiritualis huiuſmodi inter maritum uel uxorem ſuſcipientis, & baptizatum, necnon inter maritũ uel uxorem ſuſcipientis, & patrem ac matrem baptizati uigeat, propterea quod prohibitum de uno coniuge de altero etiam prohibitum eſſe uideatur. Nos piarum mentium quieti, & Matrimoniorum fauori (quantum ex alto nobis permittitur) conſulere uolentes, à præciſis verbis Concilij minimè diſcedendum in præmiſſis eſſe cenſuimus. Et propterea nullum amplius impedimentum ratione cognationis huiuſmodi ſubeſſe decernimus, & declaramus, quo minus inter dictos, maritum uel vxorem ſuſcipientis, & baptizatum, baptizatique patrem, & matrem, & quaſcumque alias perſonas tam ex parte ſuſcipientis quam baptizantis, & baptizati, in dicto Concilio nominatim non expreſſas, Matrimonium liberè & licitè contrahi poſſit, & ita ab omnibus iudicari debere mandamus atque ſtatuimus: decernentes irritum & inane, ſi quid ſecus à quoquam quacumque dignitate, auctoritate, & poteſtate prædito contigerit iudicari, non obſtantibus Conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, alijſque contrarijs

quibuſcumque. Volumus autem, ꝙ præſentes litteræ in Cancellaria noſtra Apoſtolica, & Acie Campi Floræ de more publicentur, & inter Conſtitutiones perpetuò valituras deſcribantur. Et quia difficile foret præſentes ad ſingula quæque loca deferri, ꝙ earum tranſumptis, etiam impreſſis, manu alicuius Notarij ſubſcriptis, ac ſigillo alicuius prælati munitis, eadē prorſus fides adhibeatur, quæ præſentibus adhiberetur, ſi forent exhibitæ, uel oſtenſæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ declarationis, decreti, mandati, ſtatuti, & voluntatis infringere, uel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę, M. D. LXVI. IV. Kal. Decemb. Pontificatus noſtri Anno Primo.

Cæ. Glorierius.
H. Cumyn.

Viſa decuria Io. Barengus.

Regiſtrata apud Cæſarem Secretarium.

Anno à natiuitate Domini Milleſimo Quingenteſimo Sexageſimo ſexto, Indictione nona, die uero decimanona menſis Decembris, Pontificatus Sanctiſs. D. N. D. Pij diuina prouidentia Papæ Quinti Anno eius primo, Retroſcriptæ literæ Apoſtolicę affixæ, & publicatę fuerunt ad ualuas Cancellariæ Apoſtolicæ, & Acie Campi Floræ, ut moris eſt, per nos Antonium Clerici, & Io. Andream Rogerium præfati S. D. N. Papæ Curſ. Stephanus de Olea Mag. Curſ.

CONSTITVTIO S. D. N. D. Pij, Diuina prouidentia Papæ V. Super confirmatione, ac reualidatione ſanctionis olim à Sanctæ memoriæ Paulo PP. IIII. contra Iudæos editæ.

PIVS Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

ROman. Pontifex Chriſti Vicarius in terris, nonnumquam ea, quæ pro zelo Religionis à cęteris Roman. Pontificibus prædeceſſoribus ſuis conceſſa dicuntur, ut illibata perſiſtant, approbat, & confirmat, prout in domino conſpicit ſalubriter expedire. Dudum fęlicis recor-

recordationis Paulus Papa IIII. prædeceſſor noſter, zelo fidei Chriſtianæ motus, certum modum viuendi, & habitandi Iudæis præſcripſit, prout in quadam eius Conſtitutione cuius tenor ſequitur, & eſt talis, videlicet: Paulus Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam. Cum nimis abſurdum, & inconueniens exiſtat, quod Iudæi quos propria culpa perpetuæ ſeruituti ſubmiſit, ſub prætextu quòd pietas Criſtiana illos receptet, & eorum cohabitationem ſuſtineat, Chriſtianis adeò ſint ingrati, vt eis pro gratia contumeliam reddant, & in eos pro ſeruitute quam illis debent, dominatum vendicare procurent: Nos ad quorum notitiam nuper deuenit eoſdem Iudæos in Alma vrbe noſtra, & nonnullis S. R. E. Ciuitatibus, Terris, & locis, in id inſolentiæ prorupiſſe, vt non ſolum mixtim cum Chriſtianis, & propè eorum Eccleſias nulla intercedente habitus diſtinctione cohabitare, verum etiam domos in nobilioribus Ciuitatum, Terrarum, & Locorum, in quibus degunt, vicis, & plateis conducere, & bona ſtabilia comparare, & poſſidere, ac nutrices, & ancillas, alioſque ſeruientes Chriſtianos, mercenarios habere, & diuerſa alia in ignominiam, & contemptum Chriſtiani nominis perpetrare præſumant, conſiderantes Eccleſiam Romanam eoſdem Iudæos tolerare in teſtimonium verę fidei Chriſtianæ, & ad hoc vt ipſi Sedis Apoſtolicæ pietate, & benignitate allecti, errores ſuos tandem recognoſcant, & ad verum catholicæ fidei lumen peruenire ſatagant, & propterea conuenire, vt quamdiu in eorum erroribus perſiſtunt effectu operis recognoſcant ſe ſeruos, Chriſtianos uero liberos per Ieſum Chriſtum Deum, & dominum noſtrum effectos fuiſſe, iniquumque exiſtere, ut filij liberæ filijs famulentur ancillæ, uolentes in præmiſſis quantum cum Deo poſſumus ſalubriter prouidere, hac noſtra perpetuò ualitura conſtitutione ſancimus, quòd de cætero perpetuis futuris temporibus tam in dicta vrbe, quam in quibuſuis alijs ipſius Rom. Eccl. Ciuitatibus, Terris, & locis Iudæi omnes in vno, & eodem, ac ſi ille capax non fuerit, in duobus, aut tribus, vel tot, quot ſatis ſint, contiguis, & ab habitationibus Chriſtianorum penitus ſeiunctis per nos in vrbe, & per Magiſtratus noſtros in alijs Ciuitatibus, Terris, & Locis prædictis deſignandis vicis, ad quos vnicus tantum ingreſſus pateat, & quibus ſolum vnicus exitus detur omnino habitent. Et in ſingulis Ciuitatibus, Terris, & Locis, in quibus habitauerint, vnicam tantum Synagogam in loco ſolito habeant, nec aliam de nouo conſtruere, aut bona immobilia poſſidere poſſint. Quinimo omnes eorum Synagogas præter vnam tantum demoliri, & deuaſtare, ac bona immobilia, quæ ad præſens poſſident, infra tempus eis per ipſos Magiſtratus præfigendum Chriſtianis vendere, & ad hoc ut pro Iudęis vbique dignoſcan-

tur, masculi biretum, fœminæ uero aliud signum patens, ita ut nullo modo celari, aut abscondi possit, glauci coloris palam deferre teneantur, & astricti sint, nec super non delatione bireti, aut alterius signi huiusmodi prætextu cuiusuis eorum gradus, vel præeminentię, seu tolerantiæ excusari, aut per eiusdem Ecclesiæ Camerarium, vel Cameræ Apostolicæ Clericos, seu aliàs illi Prælidentes personas, aut Sedis Apostolicæ Legatos, vel eorum Vicelegatos quouis modo dispensari, aut absolui possint. Nutrices quoque seu Ancillas, aut alios vtriusque sexus seruientes Christianos habere, vel eorum infantes per mulieres Christianas lactari, aut nutriri facere, seu Dominicis, vel alijs de præcepto Ecclesiæ festis diebus in publico laborare, aut laborari facere, seu Christianos quoquo modo grauare, ut contractus fictos, uel simulatos celebrare, seu cum ipsis Christianis ludere, aut comedere, vel familiaritatem, seu conuersationem habere nullatenus præsumant. Nec in libris rationum, & computorum, quæ cum Christianis pro tempore habebunt, alijs quàm latinis litteris, & alio quàm vulgari Italico sermone vti possint, & si utantur, libri huiusmodi contra Christianos nullam fidem faciant. Iudæi quoque prefati sola arte strazzariæ, seu cenciariæ, ut vulgo dicitur, contenti, aliquam mercaturam frumenti, vel hordei aut aliarum rerum vsui humano necessariarum facere. Et qui ex eis Medici fuerint etiam vocati, & rogati ad curam Christianorum accedere, aut illis interesse nequeant, nec se à pauperibus Christianis dominos uocari patiantur. Et menses in eorum rationibus, & computis ex triginta diebus completis omninò conficiant, & dies, qui ad numerum triginta non ascenderint non pro mensibus integris, sed solum pro tot diebus, quot in effectu fuerint computentur, & iuxta ipsorum dierum numerum, & non ad rationem integri mensis eorum credita exigant, ac pignora eis pro cautione pecuniarum suarum pro tempore consignata nisi transactis prius à die quo illa eis data fuerint decem, & octo integris mensibus vendere nequeant, & postquam menses prædicti effluxerint, si ipsi Iudæi pignora huiusmodi vendiderint, omnem pecuniam, quæ eorum credito superfuerit, domino pignorum consignare, & statuta Ciuitatum, Terrarum, & Locorum in quibus pro tempore habitauerint, fauorem Christianorum concernentia inuiolabiliter obseruare etiam teneantur, & si circa præmissa in aliquo quomodolibet defecerint, iuxta qualitatem delicti in vrbe per nos, seu Vicarium nostrum, aut alios à nobis deputandos, ac in Ciuitatibus, Terris, & locis prædictis per eosdem Magistratus, etiam tamquam rebelles, & criminis læsæ Maiestatis rei, ac à toto populo Christiano diffidati, nostri & ipsorum Vicarij, ac deputando-

rum,

rum, & Magistratuum arbitrio puniri possint. Non obstantibus, constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac quibusuis tolerantijs, seu priuilegijs & indultis Apostolicis eisdem Iudęis per quoscunque Romañ. Pontifices prędecessores nostros, ac Sedem prędictam, aut illius Legatos, vel ipsius Romañ. Ecclesiæ Camerarios, & Cameræ Apostolicę Clericos, seu alios illi Prędidentes sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus & alijs decretis, etiam Motu Proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine concessis, ac etiam iteratis vicibus approbatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam si pro illorum sufficienti derogatione de eis, eorũque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & indiuidua, ac de uerbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de uerbo ad uerbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata inserti forent, præsentibus pro expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac uice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ sanctionis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contrarie. Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Peri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctum Marcum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, quingentesimo, quinquagesimo quinto, Pridie Idus Iulij Pontificat. nostri Anno Primo. Nos igitur cupientes, vt constitutio, statuta, & ordinationes huiusmodi perpetuis futuris temporibus obseruentur, Motu proprio, & ex certa nostra scientia, & non ad alicuius alterius nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera nostra deliberatione, constitutionem, statuta, & ordinationes huiusmodi, & prout illa concernunt omnia, & singula in dicti prædecessoris litteris contenta, & inde secuta quæcumque auctoritate Apostolica præsentium tenore approbamus, iunouamus, & confirmamus, & robur perpetuæ firmitatis obtinere decernimus, ac volumus sub interminatione diuini iudicij præcipimus, & mandamus, ea omnia in posterum obseruari firmiter, non solũ in Terris, & Dominijs nobis subiectis, sed etiam vbique locorum, & ad omnem circa colorem Bireti per masculos, & signi per fœminas deferendorum huiusmodi submouendã hæsitationem declaramus dictũ colorem esse, qui vulgo gialdo dicitur. Mãdantes in virtute sanctę obedientię omnibus, & singulis venerabilibus Frattribus, Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis

quatenus in ciuitatibus, & Diœceſ. proprijs preſentes noſtras litteras publicari, & obſeruari faciant. Et omnes Principes ſeculares & alios Dominos, & Magiſtratus temporales rogamus, & obſecramus, per viſcera miſericordiæ Ieſu Chriſti, eiſdem in remiſſionem peccatorum nihilo minus iniungentes, quòd in præmiſsis omnibus eiſdem Patriarchis, Primatibus, Archiepiſcopis, & Epiſcopis aſſiſtant, & ſuum fauorem, & auxilium præſtent, ac contrafacientes pœnis etiam temporalibus afficiant, non obſtantibus omnibus quæ idem Paulus prædeceſſor in ſupradictis litteris voluit non obſtare, priuilegijs quoque, indultis, & litteris Apoſtolicis per recolendæ memoriæ Pium III. Rom. Pontificem prædeceſſorem noſtrum, & Sedem Apoſtolicam, etiam forſan Conſiſtorialiter, ac per viam generalis legis, & ſtatuti, ac in vim ſtipulati contractus; ex quauis, etiam vrgentiſſima, & oneroſa cauſa, ac motu proprio, & ex certa ſcientia, & de Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, etiam cum quibuſuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & inſolitis clauſulis, irritantibuſque, & alijs decretis quomodolibet conceſſis, confirmatis, & innouatis, etiam ſi in eis diſponeretur, & caueretur expreſsè, quod ad delationem bireti glauci coloris huiuſmodi in itinere, ac quod non, vt premittitur, in loco clauſo habitare tenerentur, & quòd bona ſtabilia vſque ad certam ſummam acquirere, ac ſocietatem cum Chriſtianis ſuper rebus ad annonam ſpectantibus inire, ac conuerſationem cum eiſdem Chriſtifidelibus habere, ac pignora aliàs quam preſcripto modo diſtrahere, ac plures Synagogas retinere poſſent indulſerit, aut aliàs quomodolibet eis dictas litteras Pauli prædeceſſoris in fauorem Hebreorum prædictorum limitauerit. Quibus omnibus, etiam ſi pro illorum ſufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus ſpecialis, ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clauſulas generales idem importantes, mentio, ſeu quæuis alia expreſſio habenda, aut alia exquiſita forma ſeruanda foret, & in eis caueatur quòd nullatenus derogari poſſit, illorum omnium tenores præſentibus pro ſufficienter expreſſis, ac de uerbo ad uerbum inſertis habentes necnó modos, & formas ad id ſeruandas pro indiuiduo ſeruatis habentes harum ſerie ſpecialiter, & expreſsè derogamus. Et litteras eiuſdem Pauli prædeceſſoris, & omnia in eis contenta obſeruari in omnibus, & per omnia mandamus, perinde ac ſi litteræ Pij ſimiliter prædeceſſoris noſtri non emanaſſent, aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab eadem ſit Sede indultum, quod interdici, ſuſpendi, vel ex communicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſsam, ac de uerbo ad uerbum de indulto huiuſmodi mentionem. Volumus autem quòd præſentes litteræ in Cancellaria, & Acie Camp

Floræ

Floræ publicentur, & inter Constitutiones extrauagantes perpetuò valituras conscribantur. Et quia difficile foret præsentes ad singula quæque loca deferri, volumus, & etiam declaramus, quòd earum transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorsus fides vbicunque adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ approbationis, innouationis, confirmationis, decreti, præcepti, mandati, requisitionis, obsecrationis, iniunctionis, derogationis, declarationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ. M. D. LXVII. XIII. Kal. Maij. Pont. nostri Anno Primo.

BREVE QVO S. D. N. D. Pius Papa V. hortatur locorum Ordinarios, vt in suis Ciuitatibus, & Diœcesibus Ecclesias seu loca alia, in quibus pueri in Doctrina Christiana erudiri debeant, deputent cum facultate Christi fidelium Confraternitates in Ecclesijs seu locis huiusmodi erigendi, ac Indulgentia pro Confratribus, & pueros docentibus.

PIVS, PAPA V.

Ad perpetuam rei memoriam.

EX debito pastoralis officij, nobis, meritis licet impari bus, ex alto cõmissi, ad ea libenter intendimus per q̃ diuinus cultus fideliũq; deuotio vbiq; suscipiat incrementũ, ac ipsos fideles ad id indulgentijs, remissionibus inuitamus, vt Christi fideles ipsi per temporalia, quæ egerint, consequi valeant præmia fœlicitatis æternæ. Nos igitur attendentes quòd infantes & pueri bonis moribus & exercitijs educati, quasi semper uitam pudicam, honestam, & exemplarem, ac aliquando sanctam agunt, è contrario autem qui parentum carentia, seu paupertate, aut incuria,

vel ignauia non sic educati persæpè ducuntur in exitiũ, & quod peius est, secum ducunt plures in interitum. vnde si diligenter educati & in doctrina Christiana instructi fuerint, à vitijs, & multis alijs erroribus retrahentur. Considerantes etiam, prout ex fide dignis relatibus intelleximus, quòd nonnulli approbatæ vitæ Christi fideles, charitate omnium suprema virtute, circa hoc tã pium, tamque Reipublicæ saluberrimum opus accersiti, in singulis festiuitatibus, & Dominicis diebus in diuersis Ecclesijs, & locis hoc opus sanctissimum amplexi sunt, & ibi eosdem infantes, & pueros ac alias miserabiles personas Christianę veritatis ignaras congregari faciunt, & eos bonis moribus, & sana doctrina instruunt, ac diligenter in via mandatorum Domini dirigunt, ex quo salutiferi fructus hactenus prouenerunt, & in dies magis auxiliante Domino prouenire speramus. Et quòd si ad hoc opus sanctissimum vbique locorum exercendum præfatos Christi fideles paternis fauoribus, & indulgentiarũ muneribus inuitaremus, proculdubio non solùm eorundem infantium, & puerorum, ac personarum aliarum saluti consuleretur, verùm etiam deuotio Christi fidelium omnium ad præfatum opus amplectendum multo magis augeretur. Cupientes igitur tam pio tamquè laudabili operi viribus totis fauere, & animas lucrifacere creatori, ex certe nostra scientia vniuersos, & singulos Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, cæterosque Ecclesiarum Prælatis, & locorum quorumcunque ordinarios, vbilibet constitutos præsentes & futuros rogamus, & hortamur attentè, eis ac eorum in spiritualibus, & temporalibus Vicarijs seu officialibus generalibus per Apostolica scripta mandantes, quatenus hoc opus sanctissimum toto pectore amplectens, aliquas Ecclesias in suis Ciuitatibus, & Diœcesibus respectiuè seu loca honesta, in quibus præfati infantes, & pueri ad audiendum doctrinam Christianam conuenire possint, deputent; & viros ad id idoneos vita, & moribus approbatos, qui diebus saltem Dominicis eosdem infantes, & pueros ac alias personas diuinæ legis expertes in articulis fidei, & præceptis sanctę matris Ecclesiæ instruant, confirment, & eligant: atque tot societates, seu confraternitates quot ad hoc tam sanctissimum opus exercendum eis opportunę videbuntur, inibi auctoritate nostra erigant, & instituant. Nos enim ut promptius, & alacrius ad hanc curam subeundam omnes Christi fideles alliciantur, & eo libentius curam ipsam suscipiant, quo ex hoc dono cęlestis gratię conspexerint se vberius refectos, de omnipotentis Dei misericordia ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, Omnibus, & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus uerè pœnitentibus & confessis, seu statutis à iure tęporibus firmum confitendi propositum habentibus, qui in aliqua dictarum Societatum seu Confraternitatũ, vbilibet

vbilibet constitutarum, intrauerint, & ascripti fuerint, illis videlicet tã qui alios docuerint, quàm qui alijs in articulis fidei, & pręceptis Ecclesię hmõi instructi fuerint, quotiescumque in prędicto sanctissimo exercitio se occupauerint, quadraginta dies de iniũctis pœnitẽtijs auctoritate Apostolica tenore prędictium misericorditer in domino relaxamus, prędictibus perpetuis futuris temporibus valituris. Cęterum quia difficile foret prędictes literas ad singula quęque loca in quibus de eis fides forsan facienda foret, deferri, volumus quòd ipsarũ transumptis, manu publici Notarij subscriptis, & sigillo alicuius persone in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis, in iudicio, & extra, ubi opus fuerit, eadem prorsus fides adhibeatur, quę prędictibus adhiberetur, si forent exhibitę uel ostensę. Dat Romę apud Sanctũ Petrũ, sub annulo piscatoris, Die VI. Octobris. M. D. LXVII. Pontificatus nostri anno secundo.

Cæ. Glorierius.

BVLLA S. D. N. Pij Diuina Prouindentia Papæ V. Relaxationis prohibitionis de non admittendis Resignationibus per Ordinarios, cum modificationibus.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuã rei memoriam. Quanta Ecclesiæ Dei incommoda omni tempore attulerit, & nunc quotidie magis afferat ministrorum in eam ingressio vitiosa, iam latè perspiciant, & cum mœrore expendãt Prælules omnes & pastores, quando hæc pernicies cæterarum omnium maxima, tam multas orbis Ecclesias impiè violarit. Quia uerò hoc malũ cùm in cæteris frequens, tũ maximè in beneficiorum, officiorũ Ecclesiasticorũ dimissione admittitur, nemini molestũ esse debet qꝺ pridẽ de reprimẽdis quotidianis fraudibus, quę hac in re frequẽtiores internoscuntur, certam aliquã rationem tandem inituri officij nostri partes in prohibenda omnibus interim resignationũ huiusmodi receptione paulò seuerius interposuerimus, omnesq; beneficiorum interim resignandorum dispositiones, quæ fierent, in irritum reuocauerimus, ac etiam decreuerimus nullum per eas in illis ius, neque titulum vel coloratum, tam in petitorio, quàm in possessorio ipsis prouisis tribuere, quinetiam eos ad illa deinceps obtinenda perpe-

tuò

tuò inhabiles fore; collatores verò aliàs in illorum dispositione, etiam tamquam deuolutionis iure sese interponere non posse: sed de eis vt verè vacantibus, siue per Romanum Pontificem, siue alios collatorum eorundem Superiores, vti præuentum esset, liberè prouideri. Nunc autem intendentes institutum hoc nostrum, quò sanctuarium Domini cupimus illibatum auctore Domino persequi, ac simul quantum in nobis est cauere ne resignationes ipsæ dehinc pro cuiusque arbitrio, nullisque vel certè leuibus causis passim, & temerè admittantur. Prohibitionem, & alia prædicta ac cætera omnia nostris super his literis contenta catenus relaxamus, vt posthac Episcopi, & alij facultatem habentes, eorum dumtaxat resignationes recipere, & admittere possint, qui aut senio confecti, aut valetudinarij, aut corpore impediti vel vitiati, aut crimini obnoxij, censurisque Ecclesiasticis irretiti, aut nequeunt, aut non debent Ecclesiæ, vel beneficio inseruire, seu qui vnum aliud, vel plura beneficia obtinuerint, vel quos ad aliud contigerit promoueri. Religionem quoque ingressuri, vel matrimoniũ coniracturi, si statim postea id re ipsa exequantur: denique cùm quis ex alijs casibus acciderit, qui cõstitutione fœlicis recordationis Innocentij Papæ III. de dimittendis Cathedralibus Ecclesijs, edita, continentur. Qui etiã ob capitales inimicitias nequeunt, vel nõ audent in loco beneficij residere securi, sed nec horum vllus sacro ordini mancipatus, nisi religionem ingressurus valeat vllo modo beneficium, vel officium Ecclesiasti cum resignare, nisi aliunde ei sit, quò in vita possit commodè sustentari. Ad hæc beneficiorum, & officiorum permutationes admittere, quę Canonicis sanctionibus, & Apostolicis constitutionibus permittuntur. Caueant autem Episcopi, & alij prædicti, itemquè omnes electores, præsentatores, & patroni tam ecclesiastici, quàm laici, quicumque sint, ne verbo quidem, aut nutu, uel signo futuri in huiusmodi beneficijs, ex officijs successores, ab ipsis resignantibus, aut alijs eorum significatione vel hortatu designentur, aut de his assumendis promissio inter eos, uel etiam intentio qualiscumque intercedat. Ceterum præcipimus, atque interdicimus, ne ipsi Episcopi, aut alij collatores de beneficijs, & officijs resignandis prædictis, aut suis, aut dimittentium consanguineis, affinibus, vel familiaribus etiam per fallacem circuitum multiplicatũ in extraneos collationum, audeant prouidere, quòd si secus, ac etiam quicquid præter vel contra formam prædictorum fuerit à quocumque temerè attentatum, id totum ex nunc uires, & effectum decernimus nõ habere. Qui uerò contrafecerint, ut in eo quo deliquerint puniantur, à beneficiorum, & officiorum collatione, necnon electione, præsentatione, confirmatione, & institutione, prout cuique competierit, tamdiu suspensi remaneant, donec remissionem à Romano Pontifice meruerint

rint obtinere, & qui talia beneficia, seu officia receperint, eos prædictis pœnis volumus subiacere. Et nihilominus in eos, qui sic suspensi conferre, eligere, præsentare, confirmare, vel instituere ausi fuerint, excommunicationis quò ad personas, quò verò ad Capitula, & Cõuentus à diuinis suspensionis sententias ipso facto promulgamus: quibus etiã nullus alius, quàm ipse Romanus Pontifex, siue absolutionis, siue relaxationis gratiam (excepto mortis articulo) valeat impertiri. Prohibitione, & literis nostris prędictis nihilominus in cæteris omnibus perpetuò valituris, non obstantibus quibuscumque priuilegijs, indulgentijs, & litteris Apostolicis generalibus, & specialibus quibuscumque, Episcopis, & alijs Superioribus, ac inferioribus Ecclesiarum Prælatis, necnon Ecclesijs, Monasterijs, Capitulis, Conuentibus, Collegijs, & Vniuersitatibus, eorumque, & alijs personis etiam Regia & Imperiali maiestate præditis, sub quacumque uerborum forma, & conceptione concessis, per quæ effectus pręsentium impediri posset quomodocumque, vel differri, etiam si de eis ipsorumque totis tenoribus ad uerbum, ac de proprijs nominibus eorum, necnon Ecclesijs, Monasterijs, Locis, Ordinibus, & Dignitatibus, quibus, necnon causis propter quas illa concessa sunt, specialem & expressam præsentibus fieri oporteret mentionem. Cæterum iubemus easdem præsentes ad ualuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & in Acie Campi Floræ publicari, & earum exempla affigi: uolumusque eas sic publicatas, omnes, & singulos perindè afficere, & obligare, ac si illis ipsis fuissent singulariter intimatæ: Exemplis quoque prædictis etiam impressis, manuque Notarij publici, & sigillo Pręlati Ecclesiastici vel eius Curiæ obsignatis, eandem prorsus fidem adhiberi, quæ ipsis præsentibus si forent exhibitæ vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrę relaxationis, præcepti, interdicti, decreti, promulgationis, iussionis, & uoluntatis infringere, uel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. D. LXVIII. Kal. Aprilis, Pontificatus nostri anno Tertio.

Cæ. Glorierius.

H. Cumyn.

Declaratio

Declaratio portionum assignan. Vicarijs perpetuis Parochialium pijs locis perpetuò vnitarum.

§ De huiusmodi portionibus habes in Concil. Triden. sess. 7. cap. 5. & sequentib. De Reformat.

De vnionibus autem habes ibidem. & etiam in Sess. 14. cap. 9. & Sess. 24. cap. 13. De Reformat.

PIVS Episcopus seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

AD exequendum Pastoralis officij debitum, vigilantibus studijs intendentes, ad ea, per quæ Cathedralium aliarumue Ecclesiarum, necnon Monasteriorum, beneficiorum, seu Collegiorum, ac aliorum piorum locorum prospero profectui, diuinique cultus augmento, & opportune congrueque sustentationi Parochialium Ecclesiarum eisdem vnitarum statui feliciter dirigendo, & personarum in illis curam animarum exercentium vtilitati recta ratione, & prouida moderatione consuli, & salubriter prouideri valeat, libenter interponimus nostræ sollicitudinis partes. Hinc est quod nos, ad quorum aures (quod non sine animi nostri molestia referimus) peruenit, nonnullos ex venerabilibus fratribus nostris, Patriarchis, Archiepiscopis, & Episcopis, in deputandis Vicarijs, ac in assignatione portionum Vicarijs perpetuis Parochialium dictis Ecclesijs, Monasterijs, Beneficijs, Collegijs, vel Locis pijs perpetuò vnitarum ex Concilio Tridentino facienda, ita modum excessisse, vt parum aut nihil ex fructibus, redditibus, & prouentibus Parochialium Ecclesiarum sic vnitarum Ecclesijs, Monasterijs, Beneficijs, Collegijs, alijs Locis pijs remanserit, ob idque multæ ortæ sint super hoc controuersiæ circa interpretationes decreti dicti Concilij. Nos ad eas tollendas animum intendentes, considerantesque vniones ipsas ideo à prædecessoribus nostris factas esse, ut ex redditibus, & emolumentis beneficiorum vnitorum, Ecclesijs, Monasterijs, Collegijs, Beneficijs, & Locis pijs, quibus illa uniuntur, facilius onera eisdem incumbentia supportentur, & promptius à ministris Ecclesiasticis, in eisdem diuina officia celebrentur, hospitalitas seruetur, aliaque charitatis opera exerceantur, ac etiam vt nihilominus cura animarum dictarum Parochialium laudabiliter exerceretur: Motu proprio, & ex certa nostra scientia auctoritate Apostolica hac nostra perpetuò valitura constitutione statuimus, & ordinamus, ac declaramus, quemadmodum etiam de ipsius

Concilij

Concilij mente fuisse colligimus, Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos præfatos in assignatione portionis ipsis Vicarijs perpetuis ex prę dicto Concilio ipsorum Prælatorum arbitrio facienda ita se continere & arbitrari debere, vt non maior centum, nec minor quinquaginta scutorum annuorum summa computatis omnibus etiam incertis emolumentis & alijs obuentionibus communiter percipi solitis eis omnino assignetur, nisi Vicarijs temporarijs solitum fuisset plus assignari, siue in quantitate, aut quota fructuum, pecuniaque numerata, fundo, seu alia re stabili portio huiusmodi constituatur, cuiuscumque valoris Parochialis Ecclesia vnita fuerit, & habita etiam ratione reddituum, & onerum loci, cui Parochialis ipsa vnita fuerit, ita quod portiones vltra, uel infra dictas summas scutorum centum, & scutorum quinquaginta hactenus assignatæ, vel in posterum forsan assignandæ, quo ad excessum, & defectum huiusmodi nullius roboris, & momenti existant, & ad summas prædictas reductæ & auctæ respectiuè censeantur, nisi tamen valor annuus ipsius parochialis unitæ habita ratione (ut præfertur) minor sit quinquaginta scutis, quo casu portio assignata, uel assignanda Vicario perpetuo, non habeat excedere summam annuarum ualoris dictæ parochialis, sed sufficiat quod omnes fructus eius dumtaxat attribuantur ipsi Vicario perpetuò. Et quoniam iniquum esset, eos qui cõmodis priuantur, eadem onera quæ prius sustinebant debere sufferre, volumus, & statuimus, quod Ecclesiæ, Monasteria, Collegia, Beneficia, & pia loca huiusmodi, in quorum Parochialibus Ecclesijs unitis continget Vicarias prædictas erigi, pro quantitatibus fructuum ipsis Vicarijs perpetuis assignatorum, ad solutionem quindenniorum, quam nobis & Camerę Apostol. soluunt, vlterius non teneantur sed eis detractio fiat ad ratam certorum, quæ de fructibus dictarum Parochialium percipiuntur. Ita tamen quod Vicarij perpetui, qui pro tempore deputabuntur, teneantur accipere à Sede Apostol. nouam prouisionem suæ deputationis, & soluere annatam pro portione fructuum, reddituum, & prouentuum certorum sibi assignata, & expedire literas Apostolicas, nec alias ad possessionem dictarum Vicariarum perpetuarum, & seruitium earundem parochialium admitti possint, nisi soluta Annata; & expeditis literis Apostolicis nouæ prouisionis, vt præfertur: alioquin integrum quindẽnium solui debere, nec Vicarij prædicti antea tuta conscientia fructus percipere possint. Volumus insuper, & ita mandamus, quod dicti Vicarij perpetui non ad liberã Ordinariorũ electionem, sed ad nominationem illorum, in quorum Ecclesijs vnitis ponẽtur, cum ipsorũ Ordinariorum, seu eorum Vicariorum pręuio examine approbatione deputẽtur. Et si dictæ Parochiales vnitæ erunt Monasterijs regularium mendicantium, possint à superioribus dictorum

mona-

monasteriorum nominari ex ipsis mendicatibus, quos si Ordinarij prę-
uio examine per se, aut eorum Vicarios faciendo idoneos ad curam ani
marum exercendum inuenerint, & ita pro idoneis approbauerint, te-
neantur in Vicarios, ad nutum tamen Superiorum suorum amouibi-
les, deputare. Idemque etiam seruetur in Regularibus monachis tan-
tum, dummodo in ea parochiali, in qua vnus ex eis monachis fuerit,
seruata forma prædicta, Vicarius deputatus, habitent cum eo saltem
quatuor alij ex dictis monachis. Sicque per quoscunq; iudices quauis
auctoritate fungentes, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudi-
candi, & interpretandi potestate, iudicari, & interpretari debere: Nec-
non irritum, & inane decernimus quicquid secus à quoquam quauis
auctoritate attentatum forsan est hactenus, vel in posterum contigerit
attentari. Non obstãtibus constitutionibus, & ordinationibus apostо-
licis, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem quod præ-
sentes literæ in Cancellaria nostra Apostolica, & ad valuas Principis
Apostolorũ de Vrbe de more publicentur, & inter Constitutiones per-
petuò valituras describantur. Et quia difficile foret eas ad singula quę-
que loca deferri, quod earum transumptis etiam impressis, manu ali-
cuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati munitis, ea-
dem prorsus fides adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent
exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc pagi-
nam nostræ ordinationis, declarationis, statuti, mandati, decreti, & vo-
luntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc
attentare præsumpserit, indignationem Omnipotẽtis Dei, ac beatorum
Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Domi-
nicæ, millesimo quingentesimo sexagesimo septimo, Kal. Nouembris,
Pontificatus Nostri Anno Secundo.

Cæ. Glorierius.
H. Cumyn.

Annno à Natiuitate Domini nostri Iesu Christi Millesimo Quin-
gentesimo Sexagesimo septimo, Indictione decima, die vero decima-
quinta Mensis Nouembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris,
& D. N. D. Pij, diuina prouidentia Papæ Quinti, Anno eius secundo,
Retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ & publicatę fuerunt ad valuas
Basilicę Principis Apostolorũ de vrbe, & Cancellarię Apostolicę, ibi-
dem dimissis copijs affixis per nos Io. Andream Rogerium, & Anto-
nium Cletici Cursores Apostolicos.

Ioannes Guerardi Magister Curs.
Registrata apud Cęsarem Secretarium.

BVLLA

BVLLA S. D. N. Pij Diuina prouidentia Papæ V. per quam declaratur Decretum Sacri Concilij Tridentini, ſuper impedimento publicæ honeſtatis editum.

PIVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

AD Romanum ſpectat Pontificem ſua ſolicitudine diligenter prouidere, ut ſacrorum Conciliorum decreta, ita ſuæ declarationis adminiculo dilucidentur, quòd nulla deſuper dubitandi occaſio cuiquã relinquatur. Sane ad aures noſtras peruenit, multos eſſe, qui dubitent, ac decretũ Oecumenici Concilij Tridentini Seſſione vigeſimaquarta de reformatione Matrimonij capitulo tertio, quo cauetur impedimentum publicę honeſtatis, vbi ſponſalia valida non fuerint, prorſus tolli; vbi vero valida fuerint, non excedere primum gradum; cum in vlterioribus gradibus nõ poſſit huiuſmodi prohibitio ſeruari, de Sponſalibus per verba (vt aiunt) de futuro tantum conceptis intelligatur, vel etiam conſumata, quæ interdũ Sponſalia appellantur, comprehendat, ita vt etiã eo caſu impedimentum inde proueniens ſublatum fuerit. Nos itaque vt omnis difficultas, dubitatioque tollatur, attendentes, quod Sponſaliorum appellatione, qua dictum Concilium vtitur, nõ niſi improprie Matrimonium verbis de præſenti conceptis contractum continetur, Quodque agitur de correctione iuris veteris, quo caſu ſecundum proprietatem verborum duntaxat procedendum eſt, præſentium cũ longe maiorem rationem prohibitionis in Matrimonio per verba de præſenti contracto, quam in Sponſalibus de futuro vigere à nemine dubitetur, Idcirco Motu proprio auctoritate apoſtolica tenore præſentiũ declaramus, & diffinimus decretum Concilij huiuſmodi omnino intelligendum eſſe, & procedere in Sponſalibus de futuro dumtaxat, nõ autem in Matrimonio ſic (vt præfertur) contracto, ſed in eo durare adhuc impedimentum in omnibus illis caſibus, & gradibus, quibus de iure veteri ante prędictum decretum Concilij introductum erat, & ita ab omnibus iudicari debere, mandamus, atque ſtatuimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, alijſque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem quod preſentes litteræ in Cancellaria noſtra, & Acie Campi Floræ de more publicentur, & inter Conſtitutiones perpetuò valituras deſcribantur. Et quia difficile foret præſentes ad ſingula quæque loca deferri, volumus, & etiam declaramus,

quod

quod earum Transumptis etiam impressis manu alicuius Notarij subscriptis, ac sigillo alicuius Prælati munitis, eadem prorsus fides vbicumque adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ declarationis, diffinitionis, mandati, statuti, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno incarnationis Dominicæ, Millesimo quingentesimo sexagesimo octauo Kal. Iulij, Pontificatus nostri anno tertio.

Cæ. Glorierius.

H. Cumyn.

Registrata apud Cæsarem Secretarium

DE BREVIARIO ROMANO nuper edito.

PIVS Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuã rei memoriam. Quod à nobis postulat ratio pastoralis officij, in eam curam incumbimus, vt omnes, quantum Deo adiutore fieri poterit, sacri Tridentini Concilij decreta exequantur: ac multo id etiã impensius faciendum intelligimus, cùm ea, quę in mores inducenda sunt, maximè Dei gloriã, ac debitum ecclesiasticarum personarum officium complectuntur. Quo in genere existimamus in primis numerandas esse sacras preces, laudes, & gratias Deo persoluendas, quæ Romano Breuiario cõtinentur. Quæ diuini officij formula, piè olim ac sapienter à Summis Pontificibus præsertim Gelasio, ac Gregorio primis constituta, à Gregorio autem septimo reformata, cùm, diuturnitate temporis, ab antiqua institutione deflexisset, necessaria tuisa res est, quę ad pristinam orandi regulam conformata reuocaretur. Alij enim præclaram veteris Breuiarij constitutionem, multis locis mutilatam, alibi incertis & alienis quibusdam commutatam, deformarunt. Plurimi, specie officij commodioris allecti, ad breuitatem noui Breuiarij, à Francisco Quignonio tit. S. Crucis in Hierusalem Presbytero Cardinale compositi confugerunt. Quin etiam in prouincias paulatim irrepserat praua illa consuetudo, vt Episcopi

scopi in Ecclesijs, quæ ab initio communiter cum cæteris veteri Roma no more Horas Canonicas dicere ac psallere consueuissent, priuatum sibi quisque Breuiarium conficerent, & illa communionem, vni Deo, vna & eadem formula, preces, & laudes adhibendi, dissimillimo inter se, ac penè cuiusque Episcopatus proprio officio discerperent. Hinc illa tã multis in locis diuini cultus perturbatio. Hinc summa in clero igno ratio cæremoniarum, ac rituum Ecclesiasticorũ, vt innumerabiles Ec clesiarum ministri, in suo munere indecore, non sine magna piorum offensione, uersarentur. Hanc nimirum orandi uarietatem grauissimè ferens fę. re. Paulus PP. IIII emendare cõstituerat; itaque prouisione adhibita, ne ulla in posterum noui Breuiarij licentia permitteretur, totã hanc rationem dicendi, ac psallendi horas Canonicas, ad pristinum morem, & institutum redigendam suscepit. Sed eo postea nondum ijs, quæ egregiè inchoauerat, perfectis, de uita decedente, cùm à piæ mem. Pio PP. IIII. Tridentinum Concilium, antea uariè intermissum, re-uocatum esset, Patres in illa salutari reformatione eodẽ Concilio con-stituta, Breuiarium ex ipsius Pauli Papæ ratione restituere cogitarunt. Itaque quicquid ab eo in sacro opere collectũ, elaborarũq; fuerat, Con cilij Patribus Tridentum à prædicto Pio PP. missum est. Vbi cùm do ctis quibusdam, & pijs viris à Concilio datum esset negotium, ut ad re-liquã cogitationem, Breuiarij quoque curam adiungerent, instãte iam conclusione Concilij, tota res ad auctoritatem iudiciumq; Romani Põ-tificis, ex decreto eiusdem Concilij, relata est: qui, illis ipsis Patribus, ad id munus delectis, Romam vocatis, nõnullisq; in vrbe idoneis viris ad eum numerum adiunctis, rem perficiendam curauit. Verum eo etiã in viam vniuersæ carnis ingresso, Nos, ita diuina disponente clementia, li-cet immeritò, ad Apostolatus apicem assumpti, cùm sacrum opus, adhi bitis etiã ad illud alijs peritis viris, maximè vrgeremus, magna in nos Dei benignitate, (sic enim accipimus) Romanum hoc Breuiarium vi-dimus absolutum. Cuius ratione dispositionis, ab illis ipsis, qui negotio præpositi fuerant, non semel cognita, cùm intelligeremus, eos in rei confectione ab antiquis Breuiarijs nobilium Vrbis Ecclesiarum, ac no-stræ Vaticanæ bibliothecæ, non discessisse, grauesque præterea ali-quot eo in genere scriptores sequutos esse, ac denique remotis ijs, quæ aliena & incerta essent, de propria summa veteris diuini Officij nihil omisisse, opus probauimus, & Romæ imprimi, impressumque diuul-gari iussimus. Itaque ut diuini huius operis effectus re ipsa consequa-tur, auctoritate præsentium tollimus imprimis, & abolemus Breuia-rium nouum, à Francisco Cardinale prædicto editum, & in quacumq; Ecclesia, Monasterio, Conuentu, Ordine, Militia, & Loco, virorum & mulierum, etiam exempto, tam à primæua institutione, quàm ali-

ter ab hac Sede permissum. Ac etiam abolemus quęcumque alia Breuiaria, vel antiquiora, vel quouis priuilegio munita, vel ab Episcopis in suis diœcesibus promulgata, Omnemque illorum vsum de omnibus orbis Ecclesijs, monasterijs, conuentibus, militijs, ordinibus, & locis, virorum & mulierum, etiam exemptis, in quibus aliàs Officium diuinum, Romanæ Ecclesiæ ritu dici consueuit, aut debet: illis tamen exceptis, quæ ab ipsa prima institutione à Sede Apostolica approbata, vel consuetudine, quæ vel ipsa institutio ducentos annos antecedat, aliis certis Breuiarijs vsa fuisse constiterit: quibus ut inueteratum illud ius dicendi, & psallendi suum officium non adimimus, sic eisdem, si forte hoc nostrum, quod modò promulgatum est, magis placeat, dummodo Episcopus, & vniuersum Capitulum in eo consentiant, vt id in choro dicere, & psallere possint, permittimus. Omnes verò, & quascumque Apostolicas & alias permissiones, ac consuetudines, & statuta, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel alia firmitate munita, necnon priuilegia, licentias, & indulta, precandi, & psallendi, tam in choro quam extra illud, more & ritu Breuiariorum hic suppressorum, prędictis Ecclesijs, monasterijs, conuentibus, militijs, ordinibus, & locis, necnon S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus & alijs Ecclesiarum Prælatis, cæterisque omnibus & singulis personis Ecclesiasticis, sæcularibus, & Regularibus, vtriusque sexus, quacumque causa cõcessa, approbata, & innouata, quibuscumque concepta formulis, ac decretis & clausulis roborata, omninò reuocamus, volumusque illa omnia vim & effectum de cætero non habere. Omni itaque alio vsu, quibuslibet, vt dictum est, interdicto, hoc nostrum Breuiarium ac precandi psallendique formula in omnibus vniuersi orbis Ecclesijs, monasterijs, ordinibus, & locis, etiam exemptis, in quibus officium ex more & ritu dictæ Romæ Ecclesiæ dici debet, aut consueuit, salua prædicta institutione, vel consuetudine prædictos ducentos annos superante, præcipimus obseruari. Statuentes Breuiarium ipsum, nullo vnquam tempore, vel totum vel ex parte mutandũ, vel ei aliquid addendum, vel omninò detrahendum esse: ac quoscumque qui Horas Canonicas, ex more & ritu ipsius Romanæ Ecclesiæ, iure vel consuetudine, dicere, uel psallere debent, propositis pœnis per Canonicas sanctiones constitutis, in eos, qui diuinum Officium quotidie non dixerint, ad dicendum & psallandum posthac in perpetuum, Horas ipsas diurnas & nocturnas, ex huius Romani Breuiarij præscripto, & ratione omninò teneri, neminemque ex ijs, quibus hoc dicendi psallendique munus necessariò impositum est, nisi hac sola formula, satisfacere posse. Iubemus igitur omnes, & singulos, Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & cæteros Ecclesiarum Prælatos

latos vt, omissis, quæ sic suppressimus & aboleuimus, cæteris omnibus, etiam priuatim per eos constitutis, Breuiarium ipsum in suis quisque Ecclesijs, monasterijs, conuentibus, ordinibus, militijs, diœcesibus, & locis prædictis introducant, & tam ipsi, quàm cæteri omnes presbyteri, & Clerici, Sæculares, & Regulares, utriusque sexus, necnon milites, & exempti, quibus officium dicendi, & psallendi quomodocũmque, sicut prædicitur, iniunctum est, vt ex huius nostri Breuiarij formula, tam in choro, quàm extra illum, dicere & psallere procurent. Quod verò in rubricis nostri huius officij præscribitur, quibus diebus Officium beatæ Mariæ semper virginis, & Defunctorum, item septem psalmos pœnitentiales, & Graduales dici ac psalli oporteat: Nos propter varia huius vitæ negotia, multorum occupationibus indulgentes, peccati quidem periculum ab ea præscriptione remouendum duximus; uerùm debito prouidentiæ pastoralis admoniti, omnes vehementer in Domino cohortamur, vt remissionem nostram, quantum fieri poterit, sua deuotione, ac diligentia præcurrentes, illis etiam precibus, suffragijs, & laudibus, suæ & aliorum saluti consulere studeant. Atque vt fidelium uoluntas, ac studium magis etiam ad salutarem hanc consuetudinem incitetur, de omnipotentis Dei misericordia, beatorumque Petri & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, qui illis ipsis diebus, in rubricis præfinitis, beatæ Mariæ, vel Defunctorum Officium dixerint, toties centum dies, qui verò septem psalmos, vel Graduales, Quinquaginta, de iniuncta ipsis pœnitentia relaxamus. Cæterum ut præsentes literæ omnibus plenius innotescãt, mandamus illas ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ publicari, earumque exempla de more affigi; Volumusque & Apostolica auctoritate decernimus, quòd post huiusmodi publicationem, qui in Romana curia sunt præsentes, statim lapso mense, reliqui uerò, qui intra montes, tribus, & qui ultra ubique locrum degunt sex mensibus exactis, uel cùm primum uenalium huius Breuiarij uoluminum facultatem habuerint, ad precandum, & psallendum, illius ritum, tam in choro quam extra illum, maneant obligati ipsarum autem literarum exampla manu Notarij publici, & sigillo Prælati Ecclesiastici, aut illius curiæ obsignata uel etiam ipsis uoluminibus absque prædicto, uel alio quopiam adminiculo Romæ impressa, eandem illam ubique locorum fidem faciant, quam ipsæ præsentes, si essent exhibitæ, uel ostensæ. Sed ut Breuiarium ipsum, ubique inuiolatum, & incorruptum habeatur, prohibemus ne alibi usquam, in toto orbe, sine nostra, uel specialis ad id Commissarij Apostolici, in singulis Christiani orbis regnis, & pro-

uincijs deputandi, expressa licentia, imprimatur, proponatur, vel recipiatur: Quoscumque verò, qui illud secus impresserint, proposuerint, vel receperint, excommunicationis sententia eo ipso innodamus. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ abolitionis, permissionis, reuocationis, iussionis, præcepti, statuti, indulti, mandati, decreti, relaxationis, cohortationis, prohibitionis, innodationis, & voluntatis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationē Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ, apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ M. D. LXVIII. septimo Idus Iulij, Pontificatus nostri anno tertio.

M. Dat. Cæ. Glorierius.
H. Cumyn.

BVLLA S. D. N. D. Pij Diuina prouidentia Papæ V. Super residentia facienda in Parochialibus per obtinentes eas, ac Canonicatus, aut dignitates, seu aliud beneficium.

PIVS Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

VOlentes pro nostri pastoralis officij munere Christi fidelium animarum saluti, quantum cū Deo possumus, salubriter consulere, & Parochialibus ecclesijs ab earum Parochis, prout tenentur, in diuinis debitè, & laudabiliter deseruiri, inhærendo etiam decretis sacri Concilij Tridentini, Motu proprio, & ex mera deliberatione, certaque scientia nostra, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine hac nostra perpetuò valitura Constitutione, omnes, & singulos Rectores Parochialium Ecclesiarum, cuiuscumque dignitatis, status, gradus, ordinis, conditionis, & præeminentiæ fuerint, in quibuscumque Regnis, Prouincijs, Ciuitatibus, Diœcesibus, ac alijs Christiani orbis partibus consistentes, qui Parochialem Ecclesiam, ac Canonicatum, aut dignitatem, etiam post Pontificalem maiorem, seu principalē in quibusuis patriarchalibus, aut metropo-

tropolitanis vel cathedralibus, seu collegiatis Ecclesijs seu aliud quodcumque beneficium Ecclesiasticum, etiam quorumcumque dispensationum à Romanis Pontificibus prædecessoribus nostris, seu etiam à nobis hactenus quomodolibet impetratarum, ac literarum Apostolicarum desuper expeditarum titulo, quas omnes hac præsenti Constitutione abolemus, & reuocamus, seu quocumque alio prætextu obtinent, cum prima, & præcipua debeat esse cura animarum eos ad residendum in Ecclesia Parochiali, & ibi in diuinis deseruiendum, debitoque eorum officio fungendum omninò teneri, & obligatos esse, ac ad id per Episcopos, & aliorum locorum ordinarios, etiam tamquam Apostolicæ sedis delegatos, sub sententijs, & censuris Ecclesiasticis, ac pecuniarijs arbitrio eorum declarandis, ac etiam priuationis dictarum Parochialium, & aliorum quorumcumque beneficiorum pœnis, quacumque appellatione remota, cogi, & compelli posse, & debere auctoritate Apostolica tenore præsentium statuimus, præcipimus; & ordinamus. Eos tamen sic residentes in Ecclesijs Parochialibus omnes, & singulos fructus, redditus, & prouentus, etiam Canonicatus sui, vel dignitatis, seu alterius cuiuscumque beneficij, exceptis duntaxat quotidianis distributionibus, & alijs, quæ ex iusta causa absentes percipere non solent, lucrari volumus. Sicque per quoscumque Iudices & Cõmissarios, etiã causarum palatij Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, interpretari, iudicare, & diffiniri debere. Necnon irritum, & inane quicquid secus super his à qunquam quauis auctoritate scienter, vel ignoranter attentatum forsan est hactenus, uel in posterum contigerit attentari, decernimus, & declaramus, non obstantibus præmissis, ac quibusuis dispensationibus, literique Apostolicis desuper confectis, necnon Apostolicis in Prouincialibusque & Synodalibus Concilijs editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, ordinationibus, & etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis quibusuis personis in genere vel in specie, & aliàs quomodolibet concessis, & approbatis, in posterumque concedendis, & approbandis. Quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, eorum tenores, ac si de verbo ad verbum insererentur, præsentibus, pro sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat ad effectum præsentium specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrarijs, quibuscumque.

Volumus autem quod harum literarum transumptis etiam impressis, manu Notarij publici subscriptis, ac sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in iudicio, quã extra adhibeatur, quę præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum licet hanc paginam nostræ abolitionis, reuocationis, statuti, præcepti, ordinationis, decreti, declarationis, derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romę apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicę, Millesimo Quingentesimo Sexagesimo octauo, octauo Idus Iulij Pontificatus nostri Anno Tertio.

Cæ. Glorierius.

S. D. N. D. Pij Papæ V. Extensio Decreti Concilij Tridentini, Sess. xxj. cap. ij. quod incipit, Cùm non deceat: loquentis de Clericis sæcularibus, ad Clericos regulares non professos, quòd non promoueantur ad sacros Ordines, nisi seruata forma dicti Decreti.

PIVS Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex sacrarum Conciliorum auctor & interpres, illa quę in huiusmodi Concilijs à prudentibus patribus in Spiritu sancto legitimè congregatis salubriter sancita sunt, pro sui Pastoralis officij debito dum æquitas, honestas, & decus suadet, sicuti declarare, & moderare, ita etiam ad alios casus extendere consueuit. Sanè cum non deceat diuino ministerio ascriptos cum ordinis dedecore mendicare, aut sordidum aliquem quæstum exercere, sacro Tridentino Concilio inter alia decretum fuit, ne quis deinceps Clericus Sęcularis, quamuis aliàs moribus, scientia, & ætate esset idoneus, ad sacros Ordines promoueretur, nisi prius legitimè constaret eum beneficium ecclesiasticum, quod sibi ad victum honestè sufficeret, pacificè possidere, vel aliàs ordinari non posset, nisi iuxta Decreti ab ipso Concilio desuper editi formam, &

tenorem.

tenorem. Cum aũt nulla in huiuſmodi Decreto religioſorũ Clericorum mentio facta fuerit, ac propterea nonnulli (vt moleſtè accepimus) certorum ordinum Religioſi, ſeu Canonici, vel Clerici intra clauſtra Monaſteriorum, ſeu domorum more Regularium in communi viuentes, qui numquam, ſeu non niſi ad certum tempus profeſſionem emittunt, & ex clauſtro exire, uel dimitti, & ad ſęculum redire liberè & licitè poſſunt, religionis prætextu abſque titulo ſufficientis beneficij, nec iuxta dicti Decreti tenorem, ad ſacros Ordines ſe promoueri prętendunt, & à nonnullis Epiſcopis paſſim promoueantur, atque inde plerumque illud inconueniens eueniat, ut ſic promoti, & è clauſtro exeuntes, & per ſęculum uagantes vel mendicare, uel ſordidum quæſtum exercere, non ſine ipſorum dedecore, ac ordinis vilipendio, & quamplurimorum Chriſti fidelium ſcandalo cogantur. Nos igitur qui ſingulorum Dei Miniſtrorum honorẽ, & decus (quantum in nobis eſt) ſinceris exoptamus affectibus, Motu Proprio, & ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine hac perpetuò valitura ſanctione, decretum prædictum de Clericis ſęcularibus loquens, ad omnes & ſingulos etiam cuiuſcumque ordinis Clericos religioſos, ſiue ſęculares more Religioſorum uiuentes, in communi, non profeſſos, harum ſeriè extendimus, & ampliamus, ac Religioſis, & alijs prędictis non profeſſis ut ad ſacros ordines promoueri, necnon omnibus & ſingulis Venerabilibus fratribus noſtris Patriarchis, Archiepiſcopis, & Epiſcopis gratiam, & communionem Sedis Apoſtolicę habentibus, vt ordines ipſos huiuſmodi religioſis perſonis impendere, niſi obſeruata forma dicti decreti non ualeant, in virtute ſanctę obedientiæ, & ſub indignationis noſtrę pœna interdicimus, & prohibemus, ac contrafacientes per annum à pręſtatione talium ordinum ipſo iure ſuſpendimus. Statuentes, & decernentes promotiones quarumlibet religioſarum perſonarum prędictarum ad ordines huiuſmodi contra ipſius decreti Concilij Tridentini formam, etiam cuiuſuis licentię illis ab Apoſtolica Sede, vel illarum ſuperioribus cuiuſcumque dignitatis, ſtatus, gradus, & prœeminentiæ exiſtant, etiam ſi Pontificali dignitate fungantur, vel Cardinalatus honore prefulgeant conceſſę, prętextu factas, exequutione prędictorum ordinum omninò carere, nullasque prorſus, & irritas exiſtere, ſicque promotas perſonas in Altaris miniſterio miniſtrare non poſſe: Quinimmo miniſtrantes, priuilegijs, exemptionibus, immunitatibus, & alijs gratijs Clericis conceſſis, omninò priuari, & irregularitatis, aliasque in dicto decreto contentas pœnas eo ipſo incurrere, à quibus, niſi à Roman. Pont. vel in mortis articulo minimè abſolui poſſint. Non obſtantibus quibuſuis conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtoli-

cis, ac quorumuis Monasteriorum, & ordinum etiam iuramento, & confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, illis, illorumque superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus & formis, ac cum quibusuis, etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, efficacissimis, restitutiuis, & insolitis clausulis, irritantibusque & alijs decretis in genere vel in specie, ac aliàs quomodolibet etiam iteratis vicibus concessis, confirmatis, & innouatis. Quibus omnibus etiam si aliàs pro illorum sufficienti derogatione de illis illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc seruanda foret, illorum tenores, formas, datas, & decreta in illis apposita, ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Et vt præsentes literæ ad omnium notitiam perueniant, neuè quis illarum ignorantia excusari possit, volumus, & Apostolica auctoritate decernimus, præsentes literas ad valuas Principis Apostolorum de Vrbe, & Cancellariæ Apostolicę, ac in Acie Campi Floræ, publicari, & earum exempla affigi, & imprimi, illarumque exemplis etiam impressis manu alicuius Notarij publici, & Sigillo Prælati Ecclesiastici, vel eius Curiæ obsignatis, eandem prorsus fidem adhiberi quę ipsis præsentibus adhiberetur si forent exhibitæ, vel ostensæ. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrę extensionis, ampliationis, interdicti, prohibitionis, appositionis, statuti, decreti, derogationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, Quingentesimo, Sexagesimo octauo, Pridie idus Octobris. Pontificatus Nostri Anno Tertio.

Cæ. Glorierius.

H. Cumyn.

S. D. N.

S. D. N. Pij Papæ V. Constitutio contra offendentes statum, Res, & personas Officij Inquisitionis hæreticæ prauitatis.

PIVS Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

SI de protegendis cęteris omnibus ecclesię ministris, quos in fidem & clientelam nostram à Domino recepimus, cura nobis quotidiana insidet, quanto maiore studio eam nos solicitudinem capescere necesse est, vt qui in sacro Inquisitionis Hęreticæ prauitatis officio uersantur, sub tutela inuiolatæ auctoritatis huius Sedis periculorum omnium expertes, quęque munera ad exaltationem fidei Catholicæ exequantur? Cum itaque eius generis impiorum vis quotidie magis inualescat, qui omnibus malis artibus prædictum officium subuertere, ministrosque functionibus disturbare moliuntur, eo iam nos detrusit necessitas, vt nefariam, & scelestam illorum audaciam acerbiore castigationis verbere reprimamus. Hac igitur generali Constitutione de fratrum nostrorum consilio sancimus, vt quicumque siue priuatus, siue cuncta Ciuitas, siue Populus, siue Dominus, Comes, Marchio, Dux, vel potiore titulo illustris, quemuis ex Inquisitoribus, Aduocatis, Promotoribus, Notarijs, alijsuè ministris prædicti officij, vel Episcoporum id munus in sua Diœcesi, aut Prouincia obeuntium, seu accusatorem, denunciatorem, aut testem in causa fidei quomodocumque productum, vel euocatum, verberauerit, deiecerit, seu perterrefecerit, quiuè Ecclesias, ædes, aliasue res siue publicas, siue priuatas officij, aut ministrorum expugnauerit, inuaserit, incenderit, expilauerit: aut libros, literas, auctoritates, exemplaria, regesta, protocolla, exempla, scripturas, aliauè instrumenta, siue publica, siue priuata vbicumque posita combusserit, diripuerit, seu interuerterit; seu ex incendio, aut direptione, aut alio quocumque modo illa exportauerit, seu qui conflagratione, expugnatione, aut direptione, etiam inermis, siue capiēdi, siue cōburendi, siue supprimendi causa fuerit, siue res, aut personas seruari, defendiuè prohibuerit: quiuè carcerem, aut aliam custodiā, seu priuatā effregerit, vinctum extraxerit, seu emiserit, capiendum prohibuerit, captumuè eripuerit, receperit, occuluerit, seu facultatem effugiendi dederit, seu iusserit id fieri, qui cœtū, cōcursumuè fecerit, siue vt aliquid prædictorum fieret, homines accommodauerit, siue alias auxiliū, consilium,

silium aut fauorem publicè, vel occultè in quolibet prædictorum scienter præstiterit, licet nemo occisus, nemo verberatus, nemo extractus, emissus, vel ereptus, nihil expugnatum, nihil effractum, succensum, direptumuè, nullum denique damnum re ipsa sit sequutum; nihilominus is sit anathemate pręsentis Canonis auctoritate ligatus, idem quoque legis maiestatis reus, dominio, dignitate, honore, feudo, ac quocumque alio beneficio tẽporali, & perpetuo eo ipso, priuatus, sęcularis iudicis arbitrio relinquatur, qui de eo illas ipsas pœnas exigat, quæ damnatis primo capite dictæ legis per constitutiones legitimas irrogantur, bonis, rebusque omnibus fisci iuribus applicatis vti etiam est de damnatis hæreticis per sanctiones Canonicas constitutum: eius filij paterna infamia subiecti, omnis, & cuiuscumque hæreditatis, successionis, donationis, & legati siue propinquorum, siue extraneorum omninò sint expertes, eisdem præterea portæ nunquam pateans dignitatum. Nemo autem expurgationem habere, aut causam vllam proponere, vel prætendere possit, quin tantum nefas in contemptum; & odium huius officij admiserit, nisi contrarium per claras probationes docuerit se fecisse. Quod de prædictis eorumque filijs statuimus, illud idem de omnibus Clericis, & presbiteris sæcularibus, & quorumuis ordinum, etiam exemptorum, regularibus, & quacumque etiam Episcopali, & maiori dignitate prędītis, ac etiam priuilegio quomodocumque suffultis, decernimus exequendum ita vt ipsi beneficijs, & officijs omnibus Ecclesiasticis præsentium auctoritate priuati, per Iudicem Ecclesiasticum Hęreticorum more degradentur, demum potestati sęculari traditi, pœnis prædictis laicorum instar subijciantur; Pontificum tamen causis nobis, & successoribus nostris reseruatis ut re quęsita, & nobis renunciata contra eos ad depositionem, & alias pœnas prędictas procedamus, uti criminis atrocitas videbitur postulare. Quicumque autem pro talibus veniam petere, aut aliàs intercedere tentauerint, in easdem illas pœnas, quę in Hęreticorum fautores à sacris constitutionibus inferuntur, ipso facto se nouerint incidisse Verum si quis etiam huiusmodi criminum conscius, uel affinis, siue religionis studio, siue pœnitentia ductus rem adhuc incognitam retexerit, supplicio liberetur. Cæterum eam omnium, & quorumcumque absolutionem rationem à prædictis criminibus, necnon habilitationum, & restitutionũ etiam ad famam, & honores, ita deinceps habendam optamus, vt successores nostri nullas nisi saltem semestri post cuiusque assumptionem ad huius dignitatis fastigium excurso, ac precibus apud supremum officium Inquisitionis hic institutum verificatis, concedant. Decernentes omnes, & quascumque huiusmodi absolutiones, habilitationes, & restitutiones quæ precibus sic non verificatis de cætero fient, nemini

prorsus

prorſus prodeſſe, ſed nec præſentibus, niſi toto ipſarum tenore ad verbum inſerto, & gratia ex certa Romani Pontificis ſcientia facta, & propria manu ſubſignata, vlla in parte derogari, nec derogatum cenſeri debere, & ſi illis ex quacumque cauſa aliter derogari contigerit, derogationes huiuſmodi nullius prorſus fore roboris, & momenti. Iubemus igitur vniuerſos, & ſingulos Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos, Epiſcopos, & cæteros Eccleſiarum Prælatos per vniuerſum orbem conſtitutos, vt per ſe, vel alium, ſeu alios præſentes literas, aut earum exempla in ſuis quiſque Prouincijs, Ciuitatibus, Diœceſibus, & Locis ſolemniter publicare, & quantum in ſe eſt, firmiter obſeruari procurent, contradictores quoſcumque per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas appellatione poſtpoſita, compeſcendo, ipſasque cenſuras, & pœnas etiam iteratis vicibus aggrauando, inuocato etiam ad hoc, ſi opus fuerit, auxilio brachij ſæcularis: Non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, cæterisque contrarijs quibuſcumque. Volumus autem, vt præſentium exemplа etiam impreſſa edantur, eaque. Notarij publici manu, & cuiuſcumque curię Eccleſiaſticæ, vel Prælati Sigillo obſignata, eandem illam prorſus fidem vbique locorum faciant, quam ipſæ præſentes facerent, ſi eſſent exhibitę vel oſtenſæ. Cæterum omnes Orbis terrarum Principes, quibus gladij ſæcularis poteſtas ad malorum vindictam eſt permiſſa: per eam, quam ſe tueri promiſerunt fidem, obteſtamur, ita ſuas quiſque partes ſiue in præſtando miniſtris prædictis auxilio, ſiue in criminum poſt Ecclesiæ ſententiam animaduerſione interponere, vt eorum quoque præſidijs miniſtri ipſi tanti officij munus pro Dei ęterni gloria, & religionis incremento fęliciter exequantur, ampliſſimum à Domino præmium recepturi, quod fidei prædictæ aſſertoribus in ęternæ beatitudinis conſortio præparauit. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ ſanctionis, legationis, ſtatuti, decreti, iuſſionis, obteſtationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo Quingenteſimo Sexageſimo Nono. Kal. Aprilis, Pontificatus noſtri, Anno Quarto.

SAN-

SANCTISSIMI D. N. D. Pij, Papæ V. Constitutio, Super recitatione officij Beatæ Mariæ Virginis, cum Decretis, & Indulgentijs.

PIVS Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

SVperni Omnipotentis Dei prouidentiæ, ac benignitatis exemplo excitati, qui vt humanum genus ab errorũ tenebris vendicaret, & in veritatis semitam perduceret, suę gloriæ splendorem à cœlis in terram dimittere, lucisque æternæ radijs bonos pariter & malos perfundere dignatus est: Meditatio cordis nostri ad id potissimum tendit, vt fides catholica non solùm vbique augeatur, & floreat, sed etiam ne errorum tenebræ, atque superstitionum abusus pijs Christi fidelium mentibus inducantur, & si quæ irrepserunt, protinus euellantur. Cum itaque in exequutionem decretorum sacri Concilij Tridentini, gratia diuina assistente, Catechismo ad populi eruditionem edito, Breuiario ad sacras preces, laudes, & gratias Deo optimo maximo ab vtriusque sexus Ecclesiasticis persoluendas reformato, atque Missali, vt Sacerdotes intelligerent, quibus precibus, vti, qui ritus, quæuè cerimoniæ in missarum celebratione obseruandæ sint, ad pristinam sanctorum patrum normam restituto, eandem curam & operam adhiberi mandauerimus in emendando ac corrigendo glorioſissimæ Dei genitricis beatæ Mariæ Virginis officio, cuius recitatio sicut pusillis, & rudibus Christi fidelibus peculiaris esse dignoscitur, ita multis superfluis non sine legentium etiam scandalo, & quæ ad varias superstitiones facilè rudes ipsos inducere possunt, auaritia impressorum fuit refertum, qui vt Christi fideles ad emendos eiusdem officij libros à se impressos facilè allicerent, multa sub colore pietatis, & animarum spiritualis consolationis, ex eorum capite addiderunt, iamque ad antedicti Breuiarij vniformitatem eiusdem Dei genitricis, vt credimus, intercessione, eruditorum & piorum virorum, quos ad hoc delegimus, studio officium ipsum, resecatis, quæ aliena & incerta erant, correctum fuerit, & à nobis probatum Romæ impri, & impressum diuulgari iusserimus, vt inde spiritualis, quam optamus, Christi fidelium animabus proueniat consolatio: Motu proprio, &c. & ex certa scientia nostris, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine officia quæcumque in primis Italico, seu quouis alio vulgari idiomate & sermone quomodolibet composita, atque officium anno proximè præterito 1570. Venetijs apud Iunctas impressum, his verbis, licet falso inscriptum; Officium Beatæ Mariæ Virginis per Concilium Triden-

Tridentinum Pio V. Pontifice maximo reformatum, denique & omnia & singula alia officia huiusmodi etiam Latino sermone sub Hortuli animæ, seu Thesauri spiritualis, compendij, aut quouis alio titulo & nomine quomodolibet peruulgata, omnemque illorum vsum approbatione Apostolica ac consuetudine & institutione, inueteratis infra dicendis semper saluis, harum nostrarum seriè perpetuò ab omnibus & singulis vtriusque sexus Christi fidelibus Sæcularibus vel Ecclesiasticis, etiam quorũuis Ordinum Regularium, & Militiarum Religiosis; qui de iure, consuetudine, usu, statuto, institutione, ac constitutionibus etiam eorundem Ordinũ, Militiarum, & Regulæ, seu aliàs quomodolibet ad recitationem officij Beatæ Mariæ tenentur, & obligati sunt, tollimus, & abolemus; ipsisq; in uirtute sanctæ obœdientiæ interdicimus, ne aliud quàm hoc de mandato nostro emendatum Beatæ Mariæ Virginis officium, & in impressoria officina Populi Romani, pro fideliter, & incorruptè imprimẽdis libris sacris in alma Vrbe nostra erecta, impressum, quouis prætextu dicere, recitare, legere, seu tenere quoquo modo audeant uel præsumãt; omni verò alio vsu ipsis (vt vniformiter ab omnibus sic astrictis & obligatis recitetur, nec inter eos diuersitas illud recitandi vllo vnquam tempore oriatur) interdicto, præfatum hoc nostrum officium, ac precandi, psallendique formulam per vniuersum orbem in priuatis domibus, ac Ecclesijs, Monasterijs, Conuentibus, Capellis, Oratorijs, Ordinibus, Militijs, & Locis etiam exemptis, tam virorũ, quàm mulierum, in quibus officium ipsum Beatæ Mariæ Virginis recitari (vt præmittitur) quomodolibet debet, præcipimus legi, dici, & obseruari, illis tamen officijs exceptis (dummodo vulgari sermone, vt præfertur, non sint composita) quæ ab ipsa prima eorum institutione à Sede Apostolica expressè approbata fuerunt, vel quorum officiorum certum vsum consuetudine, aut ipsa institutione, supra tamẽ ducentos annos, assiduè in Ecclesijs, Monasterijs, domibus, & locis vtriusque sexus Ecclesiasticorum obseruatum fuisse constiterit: quibus sic astrictis, & obligatis, ut inueteratum illum ritum dicendi & psallendi suum officium (dummodo, ut præmittitur, vulgari sermone non sit compositũ) non adimimus, sic eisdem, si fortè hoc nostrum, quod modo peruulgatum est, magis placet (dummodo Episcopus, vel prælatus, & vniuersum Capitulum in eo consentiant) vt illud etiam in choro dicere, & psallere possint, permittimus. Ab eis verò qui ad eiusdem officij Beatæ Mariæ Virginis recitationem non aliqua obligatione tenentur, omnem eorundem officiorum vulgari sermone quomodolibet compositorum, atque similis idiomatis vulgaris orationum, etiam alijs officijs Latini sermonis insertarum, vsum penitus etiam auferrimus: illos nihilominus, ne vanis inuoluantur superstitionũ erroribus, quibus alia ferè omnia huiusmodi

modi officia etiam Latino sermone referta esse deprehensum fuit, in Domino hortantes, vt ab aliorum Beatæ Mariæ, quàm huius nostri officij lectione ac vsu abstineant, firmiterque credant eisdem alijs officijs multas sua falsis & confictis sanctorum nominibus confictas orationes fuisse insertas: de quibus sicut de indulgentis, peccatorumque remissionibus, quæ recitantibus plerasque ex orationibus alijs officijs huiusmodi insertis, prout rubricis ibidem appositis designatur, conceduntur, nullam certam extare apud Ecclesiam rationem, propterea ritui & ordinationi in huius officij recitatione sic à nobis in uniuersali Ecclesia institutis, se conformantes, aliud eiusdem Beatæ Mariæ, quàm hoc nostrum officium non perlegant vel recitent. Ac vt ipsorum officiorum vulgaris idiomatis & sermonis abusus re ipsa penitus aboleatur, eadem omnia per omnes & singulos sæculares vel Ecclesiasticos etiam ad recitationem antedictam nequaquam astrictos, Inquisitoribus haereticæ pranitatis absque spe illorum vmquam recuperationis, alia verò Latino sermone, & alijs libris inserta, ad effectum emendandi, & a maculis seu erroribus expurgandi, sibi postmodum, cum sic per eosdem Inquisitores expurgata fuerint, restituenda consignari quà primum iubemus: statuentes huic nostro officio nuper edito nihil ullo vn quam tempore per quemcumque quauis auctoritate fungentē quouis prætextu addi, detrahi, uel immutari debere; ac omnes & singulos qui ipsum Beatę Mariæ Officium (vt præfertur) dicere, psallere, & recitare tenentur, ex huius nostri Romani officij prescripto & ratione ad id omninò obligatos esse, & neminem muneri suo nisi hac formula satisfacere posse. Ac vt fidelium omnium voluntas & studium magis ad salutarem huius nostri Officij Beatę Mariæ Virginis, & orationum in eo reductarum lectionem & usum incitetur, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, auctoritate confisi, omnibus, & singulis qui ad recitationem huiusmodi non tenentur, quoties istud sic de mandato nostro reformatum quinquaginta dies: qui verò Defunctorum officium eodem uolumine insertum, alios quinquaginta: qui Septem Psalmos, aut Graduales etiā eodem volumine insertos, alios quadraginta: & qui aliquam ex orationibus ibidem pariter insertis deuotè recitauerint, alios quindecim dies de iniunctis sibi pœnitentijs misericorditer in domino relaxamus: obligatis verò eas dumtaxat indulgentias concedimus, quę literis nostris super reformatione noui Breuiarij editis designantur, & huiusmodi Beatæ Mariæ Virginis, aut defunctorum officium, vel septem Psalmos, aut Graduales recitantibus conceduntur. Mandantes omnibus & singulis Venerabilibus fratribus nostris, Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & dilectis filijs Abbatibus, Prioribus, & cæteris Eccle-

fiarum prælatis, vt reliqua omnia Beatæ Mariæ Virginis etiam per nos priuatim constituta, ab omnibus ad recitationem huiusmodi quomodolibet astrictis, ipsa uerò uulgaris idiomatis, & sermonis officia etiã ab his, qui nullo pacto ad id astricti sunt, penitus omitti, reijci: atque uulgari, sic & pariter alia etiam Latino sermone composita, etiam alijs libris inserta, inquisitoribus prædictis ad effectum antedictum tradi & consignari, iuris opportunis remedijs curent: officium verò istud nostrum Beatæ Mariæ Virginis in omnibus & singulis suarum Ciuitatum, & Diœcesum Ecclesijs, Monasterijs, Conuentibus, Ordinibus, militijs Oratorijs, Domibus, & Locis etiam laicorum introducant: & tam ipsis, quàm cæteris omnibus Presbyteris, Clericis, & alijs utriusque sexus Sæcularibus & Regularibus personis Ecclesiasticis, necnon militibus etiam exemptis, quibus dicendi, recitandi, psallendique, officium huiusmodi quomodolibet (vt præfertur) iniunctum est, vt ex huiusmodi formula vbique illud recitare & psallere procurent, prædicta institutione vel consuetudine ducentos annos superante (non tamen quò ad vulgaris sermonis officia) semper salua. Concionatoribus quoque verbi Dei, atque Confessoribus, ut in eorum prædicationibus, atque confessionibus omnibus utriusque sexus Christi fidelibus prohibitionem & abolitionem dictorum officiorum vulgari idiomate, & sermone compositorum, quodque Inquisitoribus hæreticæ prauitatis quàm primum consignari debeant. Insuper alterius quàm huius nostri officij usum & lectionem periculo superstitionum non carere; ac illud & alia eo inserta (vt præfertur) recitantibus supradictam de iniunctis sibi pœnitentijs relaxationem nostram significare, & eos ad cõforman. se in hoc prompta deuotione ritui, & ordinationi a nobis institutis excitare, ad usumque & recitationem huiusmodi nostri officij pietatis zelo hortari studeant. Cæterum hæreticæ prauitatis Inquisitores quibus officia hæc, & libros tradi & consignari continget, munus & officium præcipuum erit, omnia, superstitiones, & errores in fide catholica redolentia omninò delere. Quod nostrum Beatæ Mariæ Virginis officium, ut ubique terrarum incorruptum, ac mendis & erroribus purgatum præseruetur, ac omnibus in nostro & S. R. E. dominio mediatè uel immediatè subiecto commorantibus, vel ad illud quouis prætextu aduenientibus impressoribus, & alijs quibuscumq; sub amissionis librorum, ac quingentorum ducatorum aurì de Camera ipso facto quoties contrauenerint officio Sanctissimę Inquisitionis applican. reliquis uerò in quacumque orbis parte consisten. sub excommunicationis latæ sententiæ, & alijs arbitrij nostri pœnis inhibemus, ne illud infra sex annos proximos separatim, vel alijs libris insertum, sub prædictis Hortuli animæ, Thesauri spiritualis compendij, vel alijs quibusuis

nomi-

nominibas & titulis imprimere, aut alibi quàm in alma Vrbe nostrâ, & antedicta Po. R. officina impressum, tenere, recipere, donare aut venundare publicè vel occultè audeant, vel præsumât. Dictis verò sex annis elapsis id etiam aliter non liceat nisi cum nostra, & Romani Pontificis pro tempore, vel specialis ad id commissarij Apostolici in singulis Christiani orbis regnis & Prouincijs deputandi, expressa licentia. Quas quidem nostras perpetua roboris firmitate subsistere, & nullo vnquam tempore reuocari, alterari, suspendi, limitari, aut moderari posse, in valuisque principis Apostolorum de vrbe, necnon Cancellariæ Apostolicæ, & in Acie Campi Floræ de more publicari & affigi, per huiusmodique publicationem & affixionem, omnes & singulos in eis comprehensos, videlicet, qui in Ro. Cur. adsunt, lapso mense; qui verò alia loca intra montes, post tres, & qui vltra incolunt, post sex menses, aut cùm primum sibi officium hoc nostrum venale propositum fuerit, ita volumus obligatos esse, & astrictos, ac si ipsimet illæ coram lectæ & intimatæ essent; ipsarum quoque exempla manu Notarij publici, & sigillo prælati Ecclesiastici aut illius curiæ obsignata, vel etiam dicti officij nostri beatæ Mariæ Virginis voluminibus absque prædicto vel alio quopiam adminiculo, Romæ tamen, & in officina antedicta impressa, eandem prorsus vbique fidem facere, quæ præsentibus adhiberetur, si essent ostensæ vel exhibitæ. Et sic in præmissis omnibus & singulis per quoscumque iudices & commissarios etiam S. R. E. Cardinales, & causarum Palatij Apostolici Auditores in quauis causa, & instantia, sublata eis & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi & interpretandi facultate & auctoritate, iudicari, & interpretari debere, necnon irritum & inane decernimus, quicquid secus super ijs à quoquam quauis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus præmissis ac in quibusuis Synodalibus, Prouincialibus, vel generalibus, ac uniuersalibus Concilijs editis, alijsque etiam Apostolicis constitutionibus & ordinationibus, necnon Ecclesiarum, militiarum, & ordinum quorumcumque statutis, vsibus, moribus, & consuetudinibus, etiam iuramento roboratis, quibus omnibus, & singulis etiã si de illis eorũque totis tenoribus specialis expressa & indiuidua mentio habenda esset, in illis aliàs in suo robore permansuris, specialiter & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscumque. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostræ abolitionis, interdicti, præcepti, permissionis, ablationis, iussionis, statuti, mandati, voluntatis, decreti, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Domi-

Dominicæ, Milleſimo, Quingenteſimo, Septuageſimo quinto, Idus Martij. Pontificatus Noſtri, Anno Sexto.

Cæ. Glorierius.

Conceſsio Indulgentiarum, omnibus & ſingulis vtriuſq; ſexus Chriſti fidelibus, Ciuitatis, Diœceſis, & Prouinciæ Mediolanenſis, qui alicui doctrinæ Chriſtianæ Sodalitati ſe adſcripſerint, vt debitam in ea operam præſtent. 30. Octob. 1572.

GREGORIVS PP. XIII. *Ad perpetuam rei memoriam.*

IESV CHRISTI Redemptoris, qui in lucem gẽtium Doctor iuſtitiæ à benigniſſimo Patre Deo datus eſt, doctrina, in diuinis illis virtutibus, fide, ſpe, & charitate elucens, dum hominum mentes in terris inſtruit, certiſſimum eiſdem iter commõſtrat ad cœleſtem, & ęternam vitam: ad quam nati cùm ſint fideles, diligenti cura opus eſt, vt ab ineunte vſque ętate, cùm pręſertim ſenſus hominis ad vitia procliues ſint, ſalutaribus illis fidei, doctrinęque Chriſtianę inſtitutis, ac pręceptis imbuantur, atque conformentur: Quocirca poſt Lateranen. Concilij ea de re decretum nuper Tridentina Sancta Synodus id piè ſtatuit, vt ſaltẽ Dominicis, & alijs feſtis diebus in ſingulis Parochijs Chriſtianę fidei rudimenta pueris tradantur, ijdemq; ad obediẽtiam Deo, & parentibus præſtandã, accuratè erudiantur: cumq; Epiſcoporum in primis ſit videre, ne, cũ paruuli petant panẽ, deſit, qui frangat eis, illius rei exequendę curã Paſtorali eorum vigilantię magnoperè commendauit, cenſurisq; Eccleſiaſticis per eos, ſi opus ſit, agi contra illos uoluit, qui hoc, quod deberent, officiũ non pręſtiterint. Itaque ſaluberrimo hoc decreto incitatus, & Eccleſiaſticę diſciplinæ zelo incenſus, Dilectus filius noſter, Carolus Borrhomæus, tituli Sanctæ Praxedis, Sanctę Romanæ Eccleſiæ presbyter Cardinalis, Archiepiſcopus Mediolani, iam cum, ſicut accepimus, priori ſuo Prouinciali Concilio unà cũ ſuę Prouincię Epiſcopis aliquid hac ipſa de re ex Tridentini eiuſdẽ Synodi auctoritate conſtituerit; altero ſuo Prouinciali Concilio, quò diligentius & vtilius Parochi in illud ſuũ tradendæ doctrinæ munus incumberent, aliorũ ope-

ra adiuti, piorum hominũ ſodalitates, eo nomine in ſua, & in quibuſdem alijs Prouinciæ Mediolanenſis Eccleſijs iam pridem inſtitutas, ac vehementius ibidem Paſtoralibus ſtudijs excitatas, in reliquis ſingulis eiuſdem Prouinciæ vrbibus, uicis, ac locis de Prouincialium Epiſcoporum conſilio, & aſſenſu conſtitui decreuit. Nos igitur, qui pro officij noſtri munere uehementer hoc optamus, vt Chriſtifideles ſemper, tum maxime feſtis diebus in ijs ſtudijs, atque exercitationibus uerſentur, quæ ad excitandam pietatem, ad informandos mores, ad procurandam æternam uitam pertinent, primùm quidem ipſius Caroli Cardinalis, & Venerabilium fratrum noſtrorum Prouinciæ Mediolanenſis Epiſcoporum diligentiam, ſolicitudinemque Paſtoralem plurimum in Domino laudamus: deinde cum cupiamus, ut, quæ Deo auctore piè ſanctèque inſtitutæ ſunt, & propagatæ illo nomine ſodalitates, eæ in dies magis, adiutrice diuina gratia, ad Chriſti Domini gloriam, & animarum ſalutem augeantur; uniuerſas eas ſodalitates in Ciuitate, Diœceceſi, & Prouincia eadem Mediolanenſi, iam inſtitutas, & in poſterum inſtituendas, tum ſingulos utriuſque ſexus in illis adſcriptos adſcribendoſuè ſpecialibus fauoribus, & ſpiritualibus gratijs complecti uoluimus. Quamobrem de Omnipotentis Dei miſericordia, & beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis Chriſti fidelibus, uiris, & fœminis, qui, quęuæ in eadem, & Vrbe, & Diœceſi, & Prouincia Mediolani alicui doctrinæ Chriſtianę ſodalitati ſe adſcripſerint, ut debitam in ea operam pręſtent, eis uerè pœnitentibus, & confeſſis annos decem, & totidem quadragenas, cùm uerò ijdem in officio ſuo perſeuerantes, confeſſi, & contriti, Domini corpus ſumpſerint, illis alios decem, & quadragenas totidem, quoties autem in doctrinæ Chriſtianæ ſcholis operam nauauerint, centum dies de iunctis pœnitentijs, vel aliàs quomodolibet debitis miſericorditer in Domino relaxamus, ac præterea cum ijdem certo die, quẽ vnum in anno idem Cardinalis Archiepiſcopus, eiuſuè pro tempore ſucceſſor, aut alibi in Prouincia Epiſcopus, in ſua quiſque Eccleſia præſcripſerit, ſacram Communionem ſumpſerit, plenariam omnium, ſingulorumque peccatorum ſuorum Indulgentiam, & remiſſionem, ac plenariam item ijſdem in mortis articulo conſtitutis, ſanctum Ieſu nomenter inuocantibus, uel orationem Dominicam, Salutationemque Angelicam ſemel recitantibus, etiã miſericorditer in Domino concedimus atque elargimur his literis, quas ſub quibuſuis ſimilium, uel diſſimilium Indulgentiarũ reuocationibus, ſuſpenſionibus, uel derogationibus, per nos, ſeu Sedẽ Apoſtolicam, ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, ac cũ quibuſuis clauſulis, & decretis, pro tẽpore editis, & edendis nullatenus comprehenſas, ſed ſemper ab illis exceptas, & quotiens illa

illa edentur, in pristino statu esse & censeri, atque eisdem Christi fidelibus perpetuo suffragari debere decernimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annullo Piscatoris die. XXX. Octobris M. D. LXXII. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Cæ. Glorierius.

LITERAE.

De Indulgentijs disciplinatorum, pœnitentium, & aliorum huiusmodi sodalitatibus, quæ in vrbe, Diœcesi, & Prouincia Mediolanensi sunt, à S. D. N. Gregorio XIII. concessis.

GREGORIVS PAPA XIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

ROmanus Pontifex, cui per beatum Petrum Apostolorũ Principem in terris à Deo collata est animas ligandi, atque soluendi potestas, ad deuotionẽ Christi fidelium, suæ curæ commissorum, excitandam, eos quandoque proposita peccatorum suorum remissione, seu relaxatione ad pia, & meritoria opera exercenda benigne inuitat, vt ipsi se in huiusmodi pijs operibus exercentes, quod suis meritis in Regno cœlesti consequi non possunt, Indulgentijs, & remissionibus, vel relaxationibus peccatorum de thesauro Ecclesię depromptis adiuti fœliciter impetrare mæreantur. Cum igitur sicut accepimus in Ciuitate, Diœcesi, & Prouincia Mediolanensi multis adhinc annis plures Sodalitates, Confraternitates, seu Scholæ Pœnitentiũ, Disciplinatorum, aut alio certo nomine institutæ sint, quarum Sodales, & Confratres salutari excitatione certis, statutisque diebus sibi ipsis seperatim, vel communiter flagella adhibere solent, cumque Sodalitates prædictæ, earumque Leges, & Constitutiones in proxima Synodo Mediolanensi, quemadmodum etiam accepimus, Dilecti filij nostri Caroli Borrhomæi S. R. E. Presbyteri Cardinalis, Archiepiscopi Mediolani, & Prouincialium Episcoporum cura, & diligentia ita excultæ, & conformatæ sint, vt vberiores deuotionis fructus ferre indies possint, Cupientes nos pro nostra pastorali sollicitudine, omnes homines, quantum cum Domino pos-

sumus his, præsertim miseris afflictisque temporibus ad pœnitentiæ studium inflammare, & fidelium pietatem spiritualibus Ecclesiæ sanctæ thesauris, quibus fideliter dispensandis à Diuina clementia præfecti sumus, uehementius excitare, de omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Apostolorum eius Petri, & Pauli auctoritate confisi, uniuersis, & singulis dictarum Sodalitatum in Ciuitate, & Prouincia Mediolanensi iam erectarum, quæque in posterum prædictis alijsue nominibus Apostolica, uel ordinaria auctoritate erigentur Sodalibus, & Confratribus, præfatam consuetudinem se flagellandi retinentibus, & illis, qui pro tempore illam amplectentur, cùm in prædictis ut supra Confraternitatibus, se conscribi fecerint, ac earum habitum deuotè acceperint, si contriti, & confessi sacram Eucharistiam sumpserint, plenariam omnium peccatorum suorum remissionem misericorditer concedimus, & elargimur. Et quoties ad sese flagellis cædendos contriti pariter, & confessi in vnum conuenerint, Decem annos, & totidem quadragenas: cum in Processionibus in habitu propriæ Confraternitatis incesserint, septem annos, & totidem quadragenas: illis autem, qui in prædictis Confraternitatibus vt supra, Apostolica, vel Ordinaria auctoritatibus approbatis, semper perseuerauerint, & sese cædendi pium institutum retinuerint, confessis, & contritis in articulo mortis sanctum Iesu nomen ore, uel saltem corde inuocantibus, plenariam, ut supra, Indulgentiam & remissionem omnium peccatorum suorum eadem auctoritate in forma Ecclesiæ consueta condonamus. Præsentibus, quas sub quibusuis similium, vel dissimilium Indulgentiarum reuocationibus, suspensionibus, vel derogationibus, per nos, seu Sedem Apostolicam, sub quibusuis tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, pro tempore editis, vel edendis, nullatenus comprehendi, sed semper ab illis exceptas, & quoties illa edentur in pristino statu censeri, atque eisdem Christi fidelibus suffragari debere decernimus, perpetuò duraturis. Volumus autem, vt earundem præsentium transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & Sigillo alicuius in Ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ, uel ostensæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die XXII. Decembris. Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo secundo, Pontificatus Nostri, Anno Primo.

Cæ. Glorierius.

Reuo-

Reuocatio Priuilegiorum, consuetudinum, & statutorum præstandi, seu recipiendi fructus, distributiones, seu dulciaria.

PIVS Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

DVrum nimis, & incommodum arbitramur, quòd Ecclesiarum ministri in ijs, quæ ad ipsorum sustentationem suppeditant, dispendia patiantur. Quocirca cum hanc ad rem, simulque prohibendam ab Ecclesia Dei auaritiæ prauitatem, editas ante hac sanctiones minimè satis esse intelligimus, nouæ constitutionis subsidio cogimur prouidere. Cum itaque aliàs ex plurium Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum Constitutionibus, aut ex praua consuetudine obseruari intelligeretur, vt in electione, præsentatione, nominatione, institutione, confirmatione, collatione, vel alia prouisione, siue admissione ad possessionem alicuius Cathedralis Ecclesiæ, vel Beneficij, Canonicatuum, aut præbendarum, vel partem prouentuum, seu ad distributiones quotidianas certæ conditiones, seu deductiones ex fructibus, solutiones, promissiones, compensationesue illicitæ, aut etiam quæ in aliquibus Ecclesijs dicuntur turnorum lucra interponerentur, licet sancta Synodus Tridentina hæc detestata mandauerit Episcopis, vt quæcumque huiusmodi, quæ in vsus pios non conuerterentur, atque ingressus eos, qui symoniacæ labis, aut sordidæ auaritiæ suspicionem haberent, fieri non permitterent, ipsique diligenter de eorum constitutionibus, siue consuetudinibus super prædictis cognoscerent, & illis tantum, quas probarent exceptis, reliquas vt prauas, & scandalosas reijcerent; eos verò, qui aduersus prædicta quauis ratione commisissent, pœnis contra symoniacos editis teneri decreuerit: multorum tamen indomita cupiditate, tàm prædicta, quàm alia ad beneficium, & commodum ipsorum ministrorum edita, aut omninò contemnuntur, aut in varios sensus traducta perperam eluduntur. Quare nos pro diuini cultus exercitio, simulque euocatorum ad illum auxilio plenius, euidentiusque consulendum fore, rati, reuocamus, & abolemus omnia, & quæcumque priuilegia, consuetudines, & statuta quarumcunque Ecclesiarum Cathedralium, & Metropolitanarum, ac maiorum, necnon Collegiatarũ, etiam iuramento confirmatione Apostolica, aut alio quouis præsidio munita, ac etiam supra hominum memoriam, & longissimo, ac

quantumcumque tempore etiam continuo obseruata, siue pro persoluendis Ecclesiarum, vel Prælatorum debitis, siue pro supportandis illorum oneribus, siue alijs etiam maioribus, maximis, & vrgentissimis causis concessa, & approbata, ac etiam multiplicatis vicibus innouata, extensa, & moderata, quòd vacantibus ipsarum Ecclesiarum dignitatibus, Canonicatibus, præbendis, portionibus, beneficijs, & officijs, fructus, ac etiam quotidianæ distributiones ex eis primo ab ipsa vacatione Anno, aut longiore, vel etiam breuiore tempore prouenturi, mense Episcopali, seu capitulari, alioue loco integrè, uel partim remaneant, seu applicentur, aut in communes vsus cedant, seu inter alios Canonicos, & personas Ecclesiæ, seu capituli diuidantur. Quodque nullus etiam Apostolica auctoritate prouisus in Canonicum recipi, aut ad dignitatem, seu portionem, beneficium, vel officium admitti, vel aliàs in eius possessionem induci possit, nisi prius de obseruandis huiusmodi priuilegijs, consuetudinibus, & statutis iuramentum præstiterit, & obtentæ illorum derogationi, ac fructuum, & distributionum perceptioni renunciauerit, seu capitulo, & personis prædictis cesserit, seu (vt appellant) dulciaria, aut quid aliud præstiterit. Quorum omnium tenores, causas, & effectus habemus præsentibus pro expressis, quibuscumque illa concepta sint formulis, necnon irritantibus, & alijs decretis roborata: Volentes ea omnia uires, & effectum de cætero non habere. Præcipimus igitur, & interdicimus omnibus Episcopis, Capitulis, Collegijs, & personis, ad quos id pertinet, ne posthac fructus, aut distributiones huiusmodi, nec prorsus vllam eorum partem retineant, neue ipsorum cessionem, uel renunciationem, aut dulciaria, vel alia quomodocumque petant, vel exigant, aut quemquam siue ordinaria, siue Apostolica auctoritate prouisum, ad præstandum huiusmodi iuramentum inducant, aut illi prædicta non facienti possessionem impediant, vel remorentur. Quicumque contrafecerint, si Ecclesiarum Antistes, tam diu à Pontificalis officij exercitio sint suspensi, donec satisfactione præuia illis per sedem Apostolicam suspensio relaxatur: capitula verò, & collegia quæcumque Ecclesiastico subiaceant interdicto, ac singulares personæ in excommunicationis sententiam incurrant, à qua, nisi in mortis articulo constituti, ab alio, quàm à Romano Pontifice absolutionis beneficium nequeant obtinere. Decernentes huiusmodi præstita iuramenta non tenere, nec quemquam illis obligari, quin imo iurantes in huiusmodi censuram incidere, necnon irritum, & inane quicquid secus super his per quoscumque scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Et nihilominus statuimus, vt vbicumque huiusmodi fructus, & distributiones fabricæ, vel sacristiæ, aut alterius pij loci vsibus vltra seme-

stre

ſtre tempus reperiuntur conceſſi, horum dumtaxat dimidia pars ipſi ſacriſtiæ, vel fabricæ, aut pio loco deinceps tribuatur, alteram verò beneficiati prædicti integrè percipiant. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis contrarijs quibuſcumque, aut ſi aliquibus communiter, vel diuiſim ab Apoſtolica ſit ſede indultum, quòd interdici, ſuſpendi, vel excommunicari non poſſint per litteras Apoſtolicas non facientes plenam, & expreſſam, ac de verbo ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem, Decreto prædictæ Synodi, ac etiam conſtitutionis felicis recordationis Ioannis Papæ XXII. quæ incipit, Suſcepti, & alijs iuribus hac de re diſponentibus nihilominus aliàs in ſuo robore duraturis. Cæterum per prædicta non intendimus illis præiudicare capitulis, collegijs, menſis, aut perſonis, fructus, & diſtributiones inter vacationem beneficiorum, & eorum collationem, ſiue poſſeſſionis apprehenſionem prouenientes ex ſtatuto, conſuetudine, vel priuilegio huiuſmodi percipientibus, vel retinentibus, quominus ipſi illos interim, vt antea, exigere valeant, & habere. Poſtremo volumus, vt præſentium exempla etiam impreſſa, Notarij publici manu & Prælati Eccleſiaſtici, eiuſue curiæ ſigillo obſignata eandem illam prorſus fidem vbique locorum in iudicio, & extra illud faciant, quam facerent ipſæmet præſentes ſi eſſent exhibitæ, vel oſtenſæ. Nulli ergo: omnino hominum liceat hanc paginam noſtræ reuocationis, abolitionis, præcepti, interdicti, decreti ſtatuti, intentionis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorū Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, ſe nouerit incurſurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo, pridiè Kal. Iunij. Pontificatus noſtri anno quinto.

S. D. N. D. Pij Papæ V. noua conſtitutio, de confidentijs beneficialibus, earumq; caſibus, præſumptionibus, & probationibus, cum relaxatione cognitionis cauſarum, præterquam pendentium. Itemque futurarum, de collatoribus Epiſcopis, & ſuperioribus, beneficijsque Conſiſtorialibus.

PIVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

INtolerabilis multorum peruerſitas, qui ſacroſanctas conſtitutiones nouis quotidie fraudibus eludere nituntur, ſæpe illarum authores in neceſſitatem adducit cautius prouidendi, quo pertinaciam animi ab

improbis conatibus grauiore sanctione proposita reprimantur. Bene quidem & prouidenter fel. recor. Pius Papa III. Prędecessor noster ad tollendam fiduciarię mancipationis beneficiorum Ecclesiasticorum corruptelam, statuit & decreuit, ut ipso iure uacarēt Ecclesię, Monasteria, cęteraque beneficia Ecclesiastica in confidentiam à quibuscumque, etiā S. R. E. Cardinalibus cuiusuis persone comtemplatione uel intuitu recepta, liberam illorum dispositionem sibi & Apostolicę Sedi reseruando, nec ualerent ipsorum collationes, seu concessiones, nec fructuum, nec pensionum reseruationes, nec facultates illas transferendi, nec regrediendi seu accedendi, & ingrediendi, ad Ecclesias, Monasteria, & Beneficia supradicta, illaque recipientes, fructus, pensiones, & alias res eorundem indebitè perciperent, prohibens quibuscumq; etiā sub censuris Ecclesiasticis, ne quid huiusmodi amplius auderent. Ac etiam decreuit omnes & quascumque prouisiones, præfectiones, collationes, commendas, & alias dispositiones de Ecclesijs, Monasterijs, & Beneficijs, necnon reseruationes fructuum, pensionū, rerum, & iuriū, ac etiam transferendi, regrediendi, accedendi, & ingrediendi, aliasque facultates, siue per se, siue futuros Romanos Pontifices, etiam Motu proprio, ac consistorialiter, siue etiam per Ordinarios Collatores, etiam ad patronorum prędentationem, cum interuentu confidentię huiusmodi, siue expresè, siue occultè, ac de iure præsumpto, & aliàs contra prędicta pro tempore factas, nullius momenti fore, nec cuiquam suffragari: sed Ecclesias, Monasteria, & Beneficia huiusmodi ipso iure vacare, ac prædictæ dispositioni reseruata esse, sicque per quoscumque etiam per præsumptiones & coniecturas legitimas, & alias eorū arbitrio procedendo (cùm alioqui confidentias huiusmodi in lucem erui, & probari non posse constaret) iudicari, & diffiniri debere. Necnon irritum & inane quicquid secus contingeret attentari, quemadmodū confectis super his literis suis plenius continetur. Verumtamen propter improbas multorum cupiditates, prędicta, quę ad purgandam hac pernicie Ecclesiam, & animarum salutem ab ipso prędecessore edita sunt, in multis deprehendimus viam aperuisse grauius delinquendi: siquidē cùm frequentibus plurium querelis pridem concitati, quod iudices in causis huiusmodi confidentiarum expediendis remissiores essent, omnes & singulas causas ipsas ubicumque, & inter quoscumque motas ad nos aduocauissemus, ac omnimodam huiusmodi causarum prędentiū, & futurarum, rerumque omnium ex ipsis resultantium cognitionem nobis & successoribus nostris reseruauissemus & super quibusdam coram nobis processum fuisset, uarijs inde nec leuibus coniecturis intelleximus vitium quidem confidentiæ occultè irrepsisse, sed in plerisque, causis præsumptiones, & coniecturas, quę ad illud probandum dedu-

deducuntur, minimè sufficere, eiusque rei causa plurimos, qui ante literarum prędictarum editionem huiusmodi confidentias exercent, ubi cognouerunt obstructam ueritatem propter difficultates probandi in iudicio confidentias ipsas, contempta constitutione prędicta, Ecclesias, Monasteria, & Beneficia sic recepta ut prius retinere; alios fructus, pẽsiones, & alias res percipere: alios eorum exemplo ad similia & grauiora fidentius cõmoueri: Multi enim ipsa beneficia iure retinere nequeũtes; alij ne cogantur ad sacros ordines, ad residentiam, ad incedendum in habitu Clericali, ut ad bellum proficiscantur, vt inimicos occidant: alij ut alieno nomine lites agant, aut defendant: alij propter crimina incapaces: quidam vt purgato delicto, uel absolutione consequuta illa repetant, eadem in alios deponunt, & in plerisque fructus ipsorum aut eis ministrantur, aut quibus ipsi statuunt, sępe laicis & inhabilibus: plerique vel senes, vel infirmi, vt beneficia in domibus suis perpetuent, illa renunciarunt & renunciant in alios, qui uel profanam familiam cedentium de fructibus Ecclesiasticis alant, vel illa etiam nunc infantibus, aut nascituris asseruent, facto interdum circuitu retrocessionis, cum reseruatione fructuum & aliarum rerum, aut accessũ, presertim ab his qui prędstandorum iurium Cameræ Apostolicę sunt immunes: alij aut incapaces, aut alijs beneficijs Ecclesiasticis onusti, aut Ecclesiastico ordini sese mãcipare refugientes, aut merè laici beneficia Ecclesiastica alijs conferenda procurant, ut de illis postmodum ad libitum suum disponatur, fructus etiam percipientes illorum. Ad hęc plerique Ordinarij, & alij Collatores, ac etiam patroni laici curãt deponenda beneficia, ut fructus, seu pensiones capiant eorundem, alijsue faciant ministrari. Alia item permulta eiuscemodi admittuntur, quibus immaculata rerum diuinarum puritas impiè uiolatur, disciplinæ Ecclesiasticæ neruus dirumpitur, & imminens patratur exitium animarum. Quare nos uolentes periculosam talium audaciam noui iuris subsidio cohibere, præsentiũ auctoritate statuimus, vt si quis quacumque auctoritate Ecclesiam, uel Monasterium, aut aliud beneficium Ecclesiasticum qualecumque, ex resignatione, uel cessione cuiuscumque personę simpliciter, aut cum circuitu retrocessionis, cum regressu vel accessu, etiam sola dimittentis intentione receperit, ut illa ne illud etiam in euentum regressus, uel accessus, eidem dimittenti, uel alteri postea conferatur, aut illius fructus, uel eorum pars alij vel alijs concedantur, uel pensiones soluantur ex eisdẽ hæc confidentia censeatur. Itidem si Ordinarius, uel alius Collator cõtulerit antehac, aut conferat in futurum beneficium Ecclesiasticũ quouis modo uacans, ea conditione tacita, uel expressa, ut postea in alterum pro arbitrio Collatoris, seu alterius cuiuscumq; contra iuris cõmunis ordinationẽ disponatur, siue, ut de eo prouisus, fructus illius, uel partem

tem ad utilitatem, uel libitum conferentis uel cedentis, aut alterius relinquat & remittat, seu pensionem illi, uel illis, quem uel quos idem collator aut cedens, uel alius per se uel alium scripto, aut verbo iusserit seu significauerit, persoluat, & pariter si à patrono etiam laico, uel alteri præsentatori, seu electori contigerit, aut contingat id fieri. Ad hæc si Clericus prædictæ Cameræ, aut Cardinalis, aut alius à solutione iurium ipsius Cameræ, vel etiam Cancellariæ Apostolicæ exemptus, post resignationem, uel cessionem alicuius extranei, de Ecclesia, Monasterio, vel alio beneficio Ecclesiastico in se, Apostolica vel alia auctoritate factam & admissam, illam vel illud, etiam confectis literis Apostolicis, & possessione apprehensa, in eundem resignantem, vel cedentem, modico spatio interiecto, veluti duorum aut trium mensium retrocesserit, aut retrocedat in futurum, & ex illa retrocessione fructus Ecclesiæ, seu Monasterij, aut beneficij, vel eorum pars, seu pensio, seu quid aliud super illis reseruatum, aut regressus, seu accessus, & ingressus ad illam vel illud, ipsi Clerico, vel Cardinali, aut alij exempto sit, fuerit uè concessus: Postremò si quis crimine aliquo absolutus, aut cum quo super irregularitate dispensatum est, denuo receperit, quacumque auctoritate Ecclesiam, Monasterium, vel aliud beneficium Ecclesiasticum, quod ante, vel post commissum delictum, aut contractum irregularitatem dimiserit, in quouis horum casuum confidentiæ prauitas sit contracta, casusque huiusmodi literis prædictis comprehendantur ac si illis speciatim expressi fuissent, licet ipsum confidentiæ crimen alterius tantùm partis conscientia sit admissum. Ad probandum uerò plenè cõ fidẽtiarum abusum, inter aliàs etiam hæ præsumptiones, & coniecturæ habeantur legitimæ. Videlicet, Si quis post cessam ab se Ecclesiam, uel Monasterium, aut beneficium, & publicatam resignationem, seu cessionem, captamque à successore possessionem, sese in illa, vel illo, seu rebus illius, per se, vel alium, seu alios de facto ingesserit, aut fructus perceperit, aut quicumque successor, vel eius propinquis, ipsos, aut partem aliquam remiserit eorumdem. Si recipiens beneficium constituerit dimittendum, vel eius parentes, aut propinquos procuratores ad percipiendum, vel locandum fructus beneficij dimissi, & illi vel illis de fructibus perceptis, aut percipiendis donationem fecerit; Si vel sola procuratoris depositione, vel libris rationalibus mensariorum ex parte dimittentis, expeditio, quæ personam recipientis concernit, prosecuta sit, simulque expensæ pro ea necessariæ ab illo factæ fuerint. Denique si quis pro concessione alicui facta, quacumque auctoritate de beneficio Ecclesiastico per se, vel alium, seu alios, interceserit, vel aliàs in negotio concessionis sese immiscuerit quoquo modo, deinde aliquid de fructibus talis beneficij de facto, etiam per manus possessoris, ac etiam

simplicis

simplicis donationis titulo perceperit, seu de illo postmodum ad voluntatem intercessoris fuerit dispositum quandocumque. Testes autem de quaque re singulares singulas probare maleant pręsumptiones, & coniecturas pluraſque huiusmodi præsumptiones, coniecturę plenā probationem faciant in prædictis. Cæterum criminosi, & cæteri omnes qui ad perhibendum, in casibus Simoniæ testimonium recipi possunt, ad prædicta omnia admittantur. Sed ne quisquam etiam vana fiducia fretus, non intendendi contra se iudicij in crimine perseueret, vtque hoc malum grauioris censuræ stimulo vsquequaque prohibeatur, omnes & singulos qui hucusque Ecclesias, Monasteria, beneficia fructus, pensiones, aliasue res, intercedente hoc confidentiæ vitio receperunt, ac retinent, nisi statim ad se reuersi, & resipiscentes celeri dimissione sibi prospexerint, & qui quid tale admiserint in futurum, etiā omnibus & singulis alijs Ecclesijs Monasterijs, dignitatibus, administrationibus, officijs, & beneficijs obtentis, quæ pariter sub dicta reseruatione comprehendi volumus, necnon fructibus pensionibus, & alijs rebus Ecclesiasticis, ac etiam Romanæ Curiæ, & alijs officijs temporalibus, pręsentium auctoritate priuamus, & ad futura inhabiles decernimus, & in iuris subsidium excommunicationis sententia innodamus, à qua nullus, nisi in mortis articulo constitutus ab alio quam à Romano Pontifice, absolutionis beneficium valeat obtinere. Nos enim aduocatione causarum huiusmodi, & reseruatione cognitionis illarū, rerumque omnium inde emergentium, nobis, & prædictis successoribus vt prædictum est, facta (causis illis dumtaxat exceptis, quæ iam coram nobis pendere noscuntur, ac etiam ijs, quas ratione Ecclesiarum, & Monasteriorum, quorū dispositio in Consistorio fieri consueuit, aut debet, itemque contra ordinarios Collatores, Episcopos, & alios superiores prælatos, etiam Cardinales, haberi contigerit, vt iam alijs nostris literis statutum est, audiendis, decidendis, & terminandis) harum serie prorsus relaxata, decernimus ita deinceps quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatij Apostolici Auditores, ac prædictæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales sublata eis, & illarum quicumque quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, ubique iudicare, interpretari, & diffinire debere, necnon irritum & inane quicquid secus in prædictis per quoscumque quauis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Quocirca omnibus locorum Ordinarijs districtius iniungimus, vt in suis quisque Ecclesijs, Ciuitatibus, Diœcesibus, & Locis etiam exemptis, ad prædicta studiosè attendant, & quatenus illis relaxauimus, in delinquentes seuerè animaduertant, si Diuinæ Maiestatis iudicium, dictæque Sedis censuram voluerint euitare. In cęteris verò causis, negotijs nobis, & prædictis

ctis ſucceſſoribus exceptis, eoſdem locorũ Ordinarios præſentium auctoritate delegamus vt gratia & fauore poſtpoſitis, pro ſe quiſque, cum venerit vſus, contra prędictos omnes ſub ipſa exceptione comprehenſos diligenter inquirant, ſuoque inquiſitiones omnes ſigillo obſignatas ad prędictam Sedem quàm primũ transferant, vt nos & prędicti ſucceſſores in cauſis huiuſmodi procedentes, quod iuſtum fuerit, decernamus. Nos enim ſingulis ordinarijs ipſis, prędictos omnes & quoſcumque alios, etiam exemptos, etiam per edictum publicum, conſtito prius ſummarie, & extraiudicialiter de non tuto ad illos acceſſu, citandi, & monendi, eiſque, ac iudicibus ordinarijs, & delegatis, alijsq; perſonis quibuſcumque, nè prædictorũ exequutionem quoquomodo impediant, val aliàs in illis ſeſe interponant, etiam per ſimile edictum inhibendi, eoſdemque alios contradictores, & rebelles quoſcumque per cenſuras, & pœnas Eccleſiaſticas, ac omnia alia iuris & facti remedia opportuna compellendi, auxilium brachij ſęcularis, quandocumque opus erit, inuocandi, cęteraque in prędictis omnibus & ſingulis neceſſaria faciendi, & exequendi, plenã, & liberam tenore præſentium concedimus facultatem: Non obſtantibus fœl. recordat Bonifacij Papę VIII. prędeceſſoris noſtri vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, alijsque Apoſtolicis conſtitutionibus, & ordinationibus, quodque Epiſcopis, Collatoribus, & Prælatis prędictis, etiam Cardinalibus, vel quibuſuis alijs communiter vel diuiſim à prędicta ſit Sede indultum, uel in poſterum indulgeri contingat, quòd interdici, ſuſpendi, uel excommunicari, aut contra indulta huiuſmodi ad iudiciũ trahi non poſſint per literas Apoſtolicas non facientes plenam & expreſſam, & ad verbum de indulto huiuſmodi mentionem, & quibuslibet alijs priuilegijs, indulgentijs, & literis Apoſtolicis, generalibus, uel ſpecialibus, quorumcumque tenorum exiſtant, per quę præſentibus non expreſſa, aut in totum non inſerta effectus præſentiũ, aut attributę prędictis Ordinarijs iuriſdictionis explicatio, ſeu exercitiũ, uel exequutio impediri ualeat, quomodocumque uel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus habenda ſit in noſtris literis mentio ſpecialis, cęterisque contrarijs quibuſcumque literis prędeceſſoris huiuſmodi nihilominus in ſuo robore duraturis. Volumus autem vt præſentium exempla etiam impreſſa edantur, eaque Notarij publici manu, & cuiuſcumque Curię Eccleſiaſticę eiusdè Prælati ſigillo obſignata, eandem illam prorſus fidem in iudicio, & extra ubique locorum faciant, quam ipſę præſentes facerent, ſi eſſent exhibitę uel oſtenſę. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrę priuationis, ſtatuti, decreti, innodationis, iniunctionis, delegationis, conceſſionis, & uoluntatis, infringere, uel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare

præ-

præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Datum Romę apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę, Millesimo, Quingẽtesimo, Sexagesimo nono, Kal. Iunij, Pontificatus nostri, Anno Quarto.

Cę. Glorierius.

S. D. N. Pij Papæ V. Statutum, de fructibus, quos amittunt, qui horas Canonicas non recitant.

PIVS Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

EX proximo Lateranen. Concilio pia & salubris sanctio emanauit, vt quicumque habens beneficiũ Ecclesiasticum cum cura, & sine cura, si post sex menses quam illud obtinuerit, diuinum officium, legitimo cessante impedimento, non dixerit, beneficiorum suorum fructus pro rata omissionis officij & tẽporis, suos non faciat: sed eos, tãquam iniustè perceptos, in fabricas ipsorum beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur. Veruntamen multorum animi suspensione tenentur, cuiusmodi ratæ prędictæ ratio sit habenda: Nos huic rei euidentius, atque expressius prouidere volentes, statuimus, vt qui horas omnes Canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, omnes beneficij seu beneficiorum suorum fructus, qui illi, vel illis diebus responderent, si quotidie diuiderentur: qui verò matutinum tantùm, dimidiam: qui cęteras omnes horas, aliam dimidiam: qui harum singulas, sextam partẽ fructuum eiusdẽ diei amittat: tametsi aliquis Choro adstrictus, non recitans, omnibus horis Canonicis cũ alijs præsens adsit, fructusque, & distributiones fortè aliter assignatas, sola præsentia iuxta statuta consuetudinẽ, fundationem, vel aliàs sibi lucrifecisse prętendat. Is etiã pręter fructuum, & distributionum amissionẽ: Item ille qui primis sex mensibus officium non dixerit, nisi legitimum impedimentũ ipsum excusauerit, graue peccatum intelligat admisisse. Declarãtes prębstimonia, prębstimoniales portiones, & qualiacunque alia beneficia, etiam nullum omninò seruitiũ habentia, obtinentes, cũ prædictis pariter contineri. At quicũque pensionẽ fructus, aut alias res Ecclesiasticas vt Clericus percipit, eũ modo prædicto ad dicendũ officium paruum B. Marię Virginis decernimus obligatũ; & pensionũ, fructuum, rerumq; ipsarũ amissioni obnoxium.

noxium. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam nostrorum, statuti, declarationis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, se nouerit incursurum. Dat. Romę Apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę, Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo primo, Duodecimo Kal. Octobris. Pontificatus Nostri Anno Sexto.

Cæ. Glorierius.

S. D. N. D. GREGORII PAPAE XIII. CONSTITVTIO.

Ne Agnus Dei benedicti minio inficiantur, nec venales proponantur.

GREGORIVS Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

OMni certe studio & opera à nobis procurandum est, vt ea tollantur, quæ non conueniunt, ac nostrum & aliorum bonorum piorumque Christi fidelium animos offendunt. Itaque prouidè considerantes certas formas innocentissimi Agni imagine figuratas, & per Romanos Pontifices statis temporibus consecrari solitas, sicut Agni puri & mundi à Summo Pontifice benedicuntur, ita ab omnibus postmodum immaculatas, nó autem raro & coloribus vllis depictas, sed in sua albedinis munditiæ sanctificatas congruenti cum reuerentia teneri & conseruari debere: Statuimus & ordinamus, ac sub excommunicationis pœna, ipso facto incurrenda, prohibemus & interdicimus, ne quispiam siue vir, siue mulier, Sæcularis aut Ecclesiastici, etiam Regularis, Ordinis ille sit, & quocumque gradu, conditione, statu, nomine, dignitate, & honore præcellat, posthac in perpetuum Agnos Dei per Romanum Pontificem pro tempore existentem benedictos depingere, inficere, minio notare, vel aurum, aut colorem aliquē illis imponere, aut quidquam, aliud superinducere, neque depingi, aut miniari facere, nec illos venales proponere, seu tenere quouis prætextu, qualibetuè de causa audeat: verum eos albos, & mundos, Agnum illum purum & innocentem representantes, qui

qui occisus pretiosissimo sanguine suo nos redemit, decenter ac reuerenter à cunctis haberi, deferri, & custodiri præcipimus, & ita ab omnibus fieri & censeri debere decernimus. Mandantes omnibus & singulis locorum Ordinarijs per vniuersum Christianum orbem constitutis, eorumque Vicarijs in spiritualibus generalibus, vt præsentem nostram constitutionem, & prohibitionem in suis quisque Ciuitatibus, & Diœcesibus statim publicare procurent, ita vt ad omnium notitiam quamprimum peruenire possit. Quicumque verò inobedientes fuerint, præter excommunicationis pœnam quam, vt præfertur, incurrent, etiam alijs pœnis, ipsorum Ordinariorum seu Vicariorum arbitrio plecti & mulctari volumus & iubemus. Non obstantibus constitutionibus & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrarijs quibuscumque. Volumus etiam quòd præsentium literarum exemplis, etiam impressis manu Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati Ecclesiastici obsignatis plena, eademque prorsus fides vbique adhibeatur, quæ ipsis præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo secundo, Octauo Kal. Iunij. Pontificatus nostri, Anno Primo.

Cæ. Glorierius.

LITTERAE, quod Regulares non possint absoluere confitentes, à casibus Episcopo reseruatis

Illustriss. & Reuerendiss. Domine.

CVm à sacra congregatione Cardinalium, qui præpositi sunt decretis Tridentini Concilij interpretãdis, Illustrissima Amplitudo tua quæsiuerit, an Regulares ex Priuilegijs à Sede Apostolica impetratis, præsertim autem ex eo, quod nominant Mare magnũ, possint in ijs casibus, quos sibi Episcopus reseruauit, absoluere confitentes; hac de re vbi congregatio accuratè egisset, deinde ad Sanctissimum D. N. retulisset, illius Sãctitas etiam de sententia Congregationis censuit, ex facultatibus per hoc Mare magnum, aliauè Priuilegia Regularibus concessis, factam eis non esse potestatem absoluendi in casibus sibi ab Episcopo reseruatis. Deus Illustrissimæ Amplitudini tuæ perpetuam uitæ tranquil-

litatem

litatem & incolumitatem largiatur. Romæ die decima, Septembris; Milleſimo, Quingenteſimo, Septuageſimo ſecundo.

Illuſtriſs. & Reuer. Amplit. tuæ.

Humiliſs. Seruus Philipp. Boncomp. Cardinalis S. Sixti.

à tergo

All'Illuſtriſs. & Reuer. Sig. mio oſſeruandiſſimo Monſignor il Cardinale Borrhomeo.

S. D. N. D. GREGORII PAPAE XIII. CONSTITVTIO,

De eleemoſynis Monialibus præſtandis.

GREGORIVS Epiſcopus, ſeruus ſeruorum Dei, Ad futuram rei memoriam.

DEO ſacris virginibus, quæ contemptis illecebris ſæculi, diuinis ſe obſequijs manciparunt, æquiſſimum eſt, præcipua quadam à nobis ac ſingulari ſollicitudine prouideri, tum vt ab eis omnia, quę ſanctũ ipſarum propoſitum impedire poſſent, remoueantur, tum etiam vt eis in cultu Dei caſte ac religioſè permanentibus, quæ ad uictũ neceſſaria ſunt, ſubminiſtrentur. Et quidem poſt ſacri Concilij Tridentini decretum, quo conſtitutio fel. recor. Bonifacij Papæ VIII. prędeceſſoris noſtri, quę incipit, Periculoſo renouatur, prohibens ne aut ipſis monialibus ex monaſterijs ſuis egredi, aut ulli cuiuſcumque ſexus, aut ordinis perſonę ad eas ingredi liceat. Et præterea uniuerſis Epiſcopis pręcipitur, vt in omnibus monaſterijs ſibi ſubiectis, in alijs verò ſedis Apoſtolicę auctoritate clauſuram ſanctimonialium, ubi violata, diligenter reſtitui, ubi uerò inuiolata, conſeruari maximè procurent. Pię memoriæ Pius Papa V. etiam prędeceſſor noſter uictui quoque & neceſſitatibus ipſarum proſpicere cupiens, cum ſuperiora illa approbaſſet, atque innouaſſet, eademque omnia etiam in monialibus quarumcumque

Mili-

Militiarum etiam Hierosolymitanę, omnibusq; alijs tacitè vel expressè religionem professis, quocumque nomine censerentur, locum habere decreuisset: ne illę quicquam detrimenti in necessitatibus suis ac occasione paterentur, etiam prȩcepit locorum ordinarijs; & superioribus earum, vt fidelium eleemosynas per conuersas non professas, vel professas quidem, sed ętatis saltem quadraginta annorum, & iam pridem conuersas, quę in domibus contiguis, extra tamen monasterium degerent, colligendas curarent; ita tamen vt prędictæ Conuersæ neq; clausuram aliarum monialium, nisi in casibus permissis, ingrederentur, nec ex illis ipsis habitationibus suis ad tales eleemosynas colligendas sine permissu Ordinariorum, aut Superiorum suorum exire possent. Quod sine hoc quidem sufficere videretur, idem Pius prędecessor mandauit ipsis Ordinarijs, & Superioribus, vt negotium darent aliquibus personis pijs tales eleemosynas colligendi, aliaque arbitratu suo prospicerẽt, quę ad subleuandam Monialium inopiam expedire iudicarent. Cum autem, sicut accepimus, multę Moniales, etiam quę Tertiarię vocantur, sub solenni religionis voto, perpetuaque clausura degentes, alięque talibus literis comprehensę, & in ipsa clausura permanentes multis prȩterea ad se sustentandas necessarijs egeant; neque vsque ad hoc tẽpus vllo sufficienti remedio earum necessitatibus subuentum sit; quin etiã alię Tertiarię citrà vllum solenne hucusque votum viuant, quę ad suas suorumuè domos neutiquam redirurę essent, sed sub solenni religionis voto, & clausura prędictis permanerent, si earum congruę sustentationi prouideretur: Nos, qui illas necessarijs rebus destitui nolumus, certioresque facti sumus in multis Ciuitatibus, oppidis, villis, aut alijs locis tam in Ecclesijs, & Monasterijs, quam Hospitalibus, Collegijs, Confraternitatibus, & alijs locis pijs, etiam quæ à priuatis hominibus, tum Ecclesiasticis, tum Laicis multas ac diuersas eleemosynas Christi pauperibus erogari, Considerantes in huiusmodi personas vel in primis exercendam esse charitatem, quæ voluntaria paupertate susceptа ab omni hominum commercio segregatæ, Deo seruiunt, & assiduis precibus iram ipsius, ob peccata conceptam, à Christiano populo deprecantur: Illud quoq; cogitãtes, si eis ad tales eleemosynas petendas ad loca prędicta conferre se liceret, vix fore, vt prędicta Monasteria, Ecclesię, loca, ac personæ, eis singulis non tantum saltem tribuerent, quantum singulis alijs pauperibus eodem concurrentibus solent, Vniuerso illi Deo deuotarum mulierum generi de opportunæ ac susticientis subuentionis auxilio prouidere cupientes, De nobis attributæ potestatis plenitudine, statuimus, & ordinamus, vt omnes, & quicũq; Patriarchæ, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, & alij Ecclesiarũ Prȩlati, necnon Abbates, Priores, Præpositi, & alij Ecclesias Patriarchales, Primatiales, Metropo-

 politanas,

politanas, Cathedrales, & alias Ecclesias, necnon Monasteria, Prioratus, Pręposituras, Canonicatus, præbendas, dignitates, personatus, administrationes, officia, cęteraque beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura sæcularia, & Sancti Benedicti, Sancti Augustini Cistercien. Cluniacen. Pręmonstranten. Cartusien. Camaldulen. Sancti Basilij. Cassinen. aliàs Sanctæ Iustinę, Montis Oliueti, Sancti Saluatoris, ac Lateranen. & Cruciferorum, seu Fratrum Sancti Hieronymi, necnon Prædicatorum, Minorum, Minimorum, & Carmelitarũ, Eremitarum eiusdem S. Augustini, Seruorum Beatę Mariæ, Sanctę Clarę, & quorumcumque aliorum tam virorum quàm mulierum Mendicantium ordinum, & Congregationum, & Militiarum regularia, etiã de iure patronatus Laicorum, etiam nobilium, Ducum, Regum, & aliorum Principum existentia, in titulum, commendam, administrationem, & aliàs quomodocumque obtinentes, necnon Rectores, Gubernatores, Confratres, Administratores, cęterique omnes, qui ratione illorum, necnon Capitulorum, Conuentuum, Mensarum, Hospitalium etiam Laicorum, & per Laicos administrari solitorum, Christi fidelium Confraternitatum, Scholarum, Collegiorum, ac aliorum piorum locorum quocumque nomine nuncupatorum, & in quibuscuis mundi partibus consistentium, quę singulis annis, mensibus, hebdomadis, vel diebus ex Ecclesiarum, Monasteriorum, Prioratuum, Officiorum, dignitatum, & beneficiorum, ac Congregationum, Hospitalium, Confraternitatum, Scholarum, Collegiorum piorum, & aliorum locorum prędictorum fructibus, redditibus, & prouentibus pauperibus Christi aliquas eleemosynas in pane, frumento, farina, vino, edulijs, pecunia, seu alijs ad victum, vel vestitum pertinentibus, etiam ad supplicationem, & preces & per cedulas, & bolletinos, aut aliàs distribuere, & elargiri ab immemorabili tempore consueuerunt, aut alio quocumque iure tenentur, ex dictis fructibus, redditibus, & prouentibus, & quoad Hospitalia prędicta ex ijs, quę, seruata in illis actuali Hospitalitate, supersunt, seu supererint, necnon quęcumque personę particulares, etiam laicę, vel vniuersitates etiam laicorum, quę testamento, vltima voluntate, vel alia dispositione, etiam inter viuos, aliquas tales eleemosynas facere tenentur, dimidiam partem omnium, & quarumcũq; eleemosynarum, & largitionum huiusmodi quocumq; nomine nuncupatarum, quocumque tempore & modo distribui solitarũ, etiamsi speciali nota dignę, & secundum pias defunctorũ, aut aliorum voluntates sub certa forma ab eis testamento, vel alia quacunq; dispositione distribuendę sint, dummodo non in certas personas, nec ad certos vsus pios alios, quam victus, & alimenta pauperum distribuantur, quibuslibet prędictarum Monialium, etiam Tertiariarum sub solenni religionis voto

voto,& perpetua clausura de cætero viuentibus,& in terris & locis,quorum pauperibus huiusmodi eleemosynæ distribuuntur, cõsistentibus, verè,realiter, & cũ effectu, & absq; vlla eleemosynarũ & largitionum huiusmodi petitione,exactione,& conquisitione,aut alia desuper à nobis expectata iussione,aut mentis nostræ declaratione,ac quibusuis mora,subterfugio,ac exceptione,cessantibus, reiectis, dare atq; distribuere omninò teneantur,& quã dimidiam partem nos illis applicamus. Vt aũt præmissa omnia cum charitate, & pietate procedant, & efficaciter suum effectum sortiãtur,vniuersis & singulis Patriarchis,Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorũ ordinarijs per Apostolica scripta mandamus, vt quisque per se vel alium seu alios ad præsentium exequutionẽ in suis Ciuitatibus,& Diœcesib. procedẽs,ab Ecclesijs,Monasterijs,Hospitalibus,Cõfraternitatibus,Scholis,Collegijs,Locis, & Ecclesiasticis, ac Laicis personis prædictis,etiã quomodolibet exẽptis,dimidium eleemosynarum hmõi exigant, ac pro portione, vt Ordinarijs ipsis locorũ æquum esse videbitur, singulis pauperũ Monialiũ etiã Tertiarum Monasterijs hmõi suarũ Ciuitatũ,& Diœcesum,etiã si alijs superioribus subiectæ sint,cũ effectu distribuant. Nos.n.eisdẽ locorum Ordinarijs etiã tanquã Apostolicæ Sedis delegatis,ac cuilibet illorũ tã per se, quã aliũ vel alios præmissa faciendi,ac etiã contradictores quoslibet & rebelles per penas pecuniarias eorundem Ordinariorũ,& cuiuslibet illorum arbitrio infrigendas,& applicandas, ac in subsidium sententias, cẽsuras, & pœnas Ecclesiasticas, aliaq; opportuna iuris & facti remedia quacũque appellatione postposita respectiuè cõpescendi auxiliumq; brachij Sæcularis inuocandi, aliaque in præmissis & circa ea necessaria, & opportuna faciendi,gerendi, mandandi, & exequendi, plenã,& liberam facultatẽ,& auctoritatẽ concedimus,& impartimur. Insuper,quia valde rationi consonũ est,vt etiã ij,qui ipsis Monialibus etiã Tertiarijs indigentibus præfatis consanguinitate aliqua sunt coniuncti, aliquod in præmissis subsidium conferant,cum ratio sanguinis,& debitum charitatis & honestatis id expostulet,singulis locorum Ordinarijs committimus,vt omni eos officio & diligentia monere,eisq; persuadere studeãt, parentes verò & fratres ac alios,ad quos illas,si in sæculo permãsissent, dotare pertinebat, vel ad quos bona & successiones deuenerunt, & qui si eas nuptui tradidissent,multo amplius, quàm ingredientibus Monasterium dedissent,uel si qui eas nunc domi retinerent, vel si ad illorum domos redirent, eas alere tenerentur quibuscũque vijs ipsis beneuisis inducant, vt Monialibus etiam Tertiarijs prædictis iuxta eorum facultates charitatiue subueniant, scituri id sibi etiam ad animarum salutem plurimum profuturum. Cæterũ quod attinet ad Conuersas professas, quas prædictus Pius prædecessor per prædictas literas sub certis condi-

tionibus ibi contentis permiſit poſſe manere extra Monaſteria pro colligẽdis eleemoſynis eiſdem locorum ordinarijs iniungimus, ut quibus Monaſterijs prædictarum Monialium quotidianis laboribus computatis ſupradicta,uel alia qualibet ratione de ſufficienti ſubuentione, & ſuſtentatione prouiſſum eſſe cognouerint, eaſdem Cõuerſas ſub eadem clauſura cum alijs Monialibus reducant, neque à ſuis Monaſterijs amplius exire permittant,Conuerſas uerò non profeſſas,& profiteri nolẽtes dimiſſo habitu domum remittant; neque alias in futurum,niſi profeſſionem ſuo tempore emiſſuras, atque ſub perpetua clauſura manſuras,in Monaſteria huiuſmodi recipi permittant. Quod aũt idem Pius prędeceſſor ſtatuit de cætero nullas alias Cõuerſas profeſſas recipi amplius,etiam de conſenſu ſuorum ſuperiorum, poſſe, ita eſſe intelligendum declaramus,pręter illas Conuerſas,quę extra Monaſterium in domibus contiguis degerent. Eleemoſynarum uerò prædictarum contributionem & applicationem durare, & ualere decernimus, ac ſuos effectus ad plenum ſortiri debere,donec numerus Monialium etiã Tertiariarum huiuſmodi (quem per illos locorum ordinarios, etiã in Monaſterijs ab eorum cura,& regimine quomodocũq; exemptis, cum illarũ ſuperiorum interuentu ſtabiliri,& ordinari,neque ſupra illum numerũ alias recipi poſſe, etiam de conſenſu ſuperiorum ſuorum, volumus & mandamus) ita imminutus fuerit,vt reliquæ Moniales & Tertiarię ex proprijs redditibus Monaſteriorum ipſorum, vel conſuetis eleemoſynis ſe commodè ſuſtentare queant; ſuper quo eorundem ordinariorũ conſcientiam oneramus: ita tamen ut decedentibus ſingulis ex tribus earundem Monialium partibus,tertiæ quoque earundem eleemoſynarum,partis diſtributio,& ſic ſucceſſiuè in totum extinguantur, atque in priſtinum ſtatum ſub debitis,aut ſolitis oneribus reuertantur, & remaneant. Declaramus pręterea nullis Monialibus etiam Tertiarijs licere habere oſtium, per quod ex Monaſterio introiri poſſit in ipſarum Monialium Eccleſiam exteriorem, in quam ſęcularibus ad Miſſas & Diuina officia patere ſolet acceſſus,ſed omninò muro obſtruendum:neque itidem licere Monialibus etiam Tertiarijs egredi à ianua Monaſterij, quę eſt pro clauſura ipſius Monaſterij, etiam ad claudendum aliam Vlteriorem ianuam, qua patere ſolet aditus ſæcularibus venientibus vel ad rotam, vel ad crates, ſeu loca colloquijs deſtinata,quę vulgo parlatoria vocantur, vel ad pulſandum ipſam ianuam clauſuræ: quę loca, cum ſaltem pro cauſis prędictis patere ſolent ſęcularibus, extra clauſuram cenſeri debent, etiam quo tempore clauſa ſunt. Inſuper quoſcumque Dominos & Magiſtratus temporales in Domino hortamur, monemus, & requirimus, vt ad omnem ipſorum Ordinariorum, aut alicuius ipſorum petitionem, vel ſimplicem requiſitionẽ illis in prę

miſſis

missis assistentes omnem opportunum fauorem, & auxilium præstent, & exhibeant, Ipsis denique Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & alijs locorum ordinarijs præcipimus, & mandamus, vt has præsentes nostras literas (quarum transumptis, etiã impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo personę in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis eandem vbique fidem in iudicio & extra adhiberi debere volumus, quæ ipsis originalibus literis adhiberetur, si forent exhibitæ vel ostensæ) singuli in sua Ciuitate & diœcesi publicent ac publicari eas quę iuxta earum continentiam, & tenorem vnà cum prædictis ac alijs prędicti Pij V. & aliorum prędecessorum nostrorum literis, & constitutionibus, & iussionibus pro integra clausurę instauratione, custodia, & firmitate editis inuiolabiliter obseruent, & obseruari faciant. Non obstantibus testatorum, & aliorũ uoluntatibus, ac fundationibus, & Bonifacij prędicti de una, & Concilij generalis de duabus, non tamen tribus dictis, ac quibusuis alijs Apostolicis, necnon in Prouincialibus, & Synodalibus Concilijs editis specialibus uel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, ac quibusuis Ecclesiarum Monasteriorum, & illorum ordinum, Hospitalium, Militiarum, Confraternitatũ, Collegiorum, & aliorum piorum locorum prędictorum, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, priuilegijs quoque, indultis, exemptionibus, libertatibus, gratijs, & literis Apostolicis; Ecclesijs, Monasterijs, & ordinibus, Hospitalibus, Confraternitatibus, Collegijs, & Pijs locis, ac eorum superioribus, & personis sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, irritantibusque, & alijs decretis in genere vel in specie ac aliàs quomodolibet cõcessis, confirmatis, approbatis, & pluries innouatis; etiam si in eis caueatur expressè, quòd illis nisi sub certa inibi expressa forma, aut aliàs derogari non possit: Quibus omnibus & singulis, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quæuis alia expressio habenda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum insererentur præsentibus, pro plenè & sufficienter expressis habentes, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, contrarijs quibuscumque: aut si supradictis vel quibusuis alijs ab Apostolica sit Sede indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per literas Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli ergo omninò homi num liceat hãc paginam nostræ ordinationis, statuti, applicationis, cõ-

ceſſionis, impartitionis, commiſſionis, iniunctionis, declarationum, decreti, voluntatis, onerationis, hortationis, monitionis, requiſitionis, præcepti, mandatorum, & derogationis, infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Milleſimo, Quingenteſimo, Septuageſimo ſecundo, tertio Kal. Ianuarij. Pontificatus noſtri Anno primo.

Cæ. Glorierius.

Indulgentiæ à S. D. N. D. GREGORIO XIII. Perpetuò conceſſæ, omnibus Ciuitatis, Diœceſis, & Prouinciæ Mediolanenſis, Chriſti fidelibus, qui datis campanę ſignis, certo temporis ſpatio, ab Illuſtriſsimo Archiepiſcopo Mediolani in Eccleſia ſua, & ab vnoquoq; eiuſdem Prouinciæ Epiſcopo in ſuis Eccleſijs præſcripto, aut præſcribendo, orationi vacauerint.

GREGORIVS PAPA XIII. Vniuerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus Ciuitatis, & Diœceſis Prouinciæque Mediolanenſi, Salutem, & Apoſtolicam benedictionem.

COEleſtia arma, quibus inter cætera, dum in hoc ſæculo nequam peregrinantur Chriſti fideles, aduerſus ſuæ ſalutis hoſtes, in colluctatione aſſiduè vtendum eis eſt, preces ſunt, & oratio ſancta. Cuius quidem orationis ſtudium, cum & perpetuum, & proprium, & neceſſarium eiſdem eſſe, non ſolum verbis, ſed exempli ſui conteſtatione docuerit vnigenitus Dei filius, Chriſtus, virtus, & ſapientia patris: nos, quæ ad ſanctam illam precandi, orandique exercitationem piè ac, religioſè, inſpirante Deo, inſtituta ſunt, in ijs illos ſollicitè verſari, ſpiritaliq; uirtute longius indies ſemper progredi, ſummoperè in Domino cupimus. Quare cum inter alia, quæ ad exercendam populi ſui pietatem, ſollicitudinis ſtudio, dilectus filius noſter Carolus Borrhomæus tituli ſanctæ Praxe-

dis

dis S. R. E. presbyter Cardinalis, Ecclesiæ Mediolanensis Archiepiscopus, vtiliter instituit, illud ab eodem nuper introductum esse acceperimus, vt, singulis diebus, dato certo campanatum signo, patres familias, tum in vrbe Mediolano, tum in diœcesi, vnà cum reliquis, qui de familia sunt, suæ quisque domi, ad orandum in locum vnum conueniant: salutare hoc institutum, nos illius commendantes charitatem in vobis, vt in consuetudinem, vsumque perpetuum recipiatis per Crucem Christi Domini vos nostra Apostolica auctoritate hortamur. Quo autem ardentiori pietatis zelo, ac frequentissimè in ea re, tam religiosè instituta, perseueretis; spiritualibus uos gratijs prosequi, & sanctæ Matris Ecclesię amplioribus etiam donis, ac thesauris cumulare voluimus. Itaque de Omnipotentis Dei, cuius Vicariam in terris gerimus, misericordia, & beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis, vtriusque sexus Christi fidelibus, humili, & contrito corde ad Deum conuersis, qui, datis campanæ signis, certo eo temporis spatio ab eodem Cardinale, & Archiepiscopo, præscripto, aut pro tempore præscribendo, orationi vacauerint, quoties id fecerint, dies centum; qui verò singulis diebus per totam hebdomadam ad præscriptum illud temporis spatium, in ea orandi exercitatione perseuerauerint, ijs annum præterea; qui per mensem, illis annos septem; & totidem quadragenas de iunctis, vel aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs; qui autem salutaris huius instituti vsum retinuerint, si contriti, & confessi, die Dominico Quadragesimam proximè præcedente. Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum deuotè sumpserint, ijs plenariam omnium, & singulorum peccatorum suorum Indulgentiam; ac plenariam item in articulo mortis, misericorditer in Domino concedimus, & elargimur.

Vtque ad alias etiam eiusdē Mediolanensis Prouinciæ Vrbes, Oppida, vicos, & loca quæuis, orandi hęc instituta exercitatio sanctæ deriuetur; & quę vsquam instituta, piè retineatur, & conseruetur: nos pro ea, quam gerimus, omnium Ecclesiarum sollicitudine, hanc ipsam Indulgentiam omnibus, & singulis alijs Christi fidelibus, qui vsquam in eadem Prouincia hoc precandi institutum, ab suo Episcopo iam introductum, vel in posterum introducendum amplexi sunt aut amplectentur, eodem, vt supra, modo in Domino concedimus his literis; quas sub quibusuis similium, vel dissimilium Indulgentiarum reuocationibus, suspensionibus, vel derogationibus per nos, seu Sedem Apostolicam, sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, pro tempore editis, & edendis nullatenus comprehensas, sed ab illis exceptas, & quoties illa,

edentur, in pristino statu esse, & censeri, atque eisdem Christi fidelibus perpetuò suffragari debere decernimus. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo, Piscatoris die xxiiij. Octobris, Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo secundo, Pontificatus nostri, Anno Primo.

Cæ. Glorierius.

LITERAE. S.D.N.D. GREGORII PP. XIII. Concessionis indulgentiarum, & gratiarum Confraternitatibus Sanctiss. Corporis Christi, in Ciuitate, & Diœcesi, ac Prouincia Mediolanensi.

PIVS Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

VNiuersis Christi fidelibus præsentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem. Licet is, de cuius munere venit, vt sibi à suis fidelibus dignè, & laudabiliter seruiatur, de abundantia suę pietatis, quæ merita supplicum excedit, & vota; benè seruientibus sibi multò maiora retribuat, quam valeant promereri: Nihilominus desiderantes, Domino populum reddere acceptabilem, & bonorum operum sectatorem, fideles ipsos ad complacendum sibi, quibusdem allectiuis muneribus, Indulgentijs videlicet & peccatorũ remissionibus inuitamus, vt exinde reddantur diuinę gratię aptiores, Vt igitur Christi fideles ad ingrediendas confraternitates sub inuocatione sanctissimi Corporis Christi, in Ciuitate, & diœcesi, ac Prouincia Mediolanen. hactenus Canonicè erectas, & imposterũ erigendas eò libentius inducantur, quò exinde vberiori cœlestis gratię dono conspexerint se refectos; De omnipotentis Dei misericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, omnibus, & singulis Christi fidelibus, qui dictas confraternitates ingrediẽtur, illorum ingressus, Plenariã, ac confratribus ipsis nunc, & pro tempore existentibus, ac eorum singulis ter in uita, eorum peccatis prius confessis, & Eucharistię sacramento deuotè recepto, similiter plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam concedimus: ipsisque confratribus qui prædictum Sacramentum infirmis ministrandũ associauerint, seu impediti, associari fecerint, ac processionibus, & diuinis officijs, quæ per eosdem confratres celebrari facere contigerit, interfuerint quoties id fecerint, centum dies: qui verò

Ecclesiam,

Ecclesiam, in qua aliqua confraternitas eiusdem sanctissimi corporis Christi instituta fuerit, diebus Veneris cuiuslibet hebdomadę totius anni deuotè visitauerint, alios centum dies de iniunctis eis, seu quę iniungi deberẽt, pœnitentijs misericorditer in Domino relaxamus; præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, priuilegijs quoque indultis, & literis Apostolicis Confraternitati de Minerua, illiusque Confratribus sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibuscumque clausulis, & decretis, tam per fœlicis recordationis Paulum III. quam alios Romanos Pontifices prędecessores nostros cõcessis. Quibus omnibus, etiam si de illis, & illorum tenoribus mentio habenda foret, illis aliàs in suo robore permansuris, hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, cęterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem, ꝙ si confraternitates prędictas ingredientibus, & confratribus ipsis Eucharistiæ Sacramentum associantibus, vel associari facientibus, ac interessentibus, & Ecclesias huiusmodi visitantibus, seu aliàs aliqua alia indulgentia in perpetuum, vel ad certum tempus nondum elapsum duratura per nos concessa fuerit, præsentes litteræ nullius existant roboris, vel momenti. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ, Millesimo, Quingentesimo, Septuagesimo quinto, Idibus Aprilis, Pontificatus nostri, Anno tertio.

Cæ. Glorierius.

S. D. N. D. GREGORII PAPAE XIII. Reuocatio omnium licentiarum ingrediendi Monasteria Monialium & virorum, & prohibitio, ne habentes licentias ab Episcopis vel Superioribus in casibus necessarijs, ingrediantur Monasteria Monialium, nisi vrgentibus necessitatibus.

GREGORIVS Episcopus, seruus seruorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

VBi gratiæ & indulta ab hac Sede concessa successu temporis incommodum afferre noscuntur; expedit illa salubri præsidentis consilio submoueri. Proinde Sanctimonialium quieti, & tranquillitati consulere, ac omnia quæ illas à spiritualium rerum cogitatione, & exercitio

exercitio auocant, impedimenta tollere, periculaque, & scandala ab eis remouere cupientes, auctoritate præsentium reuocamus, & abolemus omnes & quascumque licentias ac facultates ingrediendi Monasteria, Domos, & loca Monialium, ac etiam Virorum ordinum, quibusuis etiã Comitissis, Marchionissis, Ducissis, & alijs cuiuscumque status, & conditionis mulieribus, ac etiam omnes, & quascumque licentias ingrediendi Monasteria, Domos, & loca ipsarum Sanctimonialium, quibuscumque viris etiam eiusdem status, & dignitatis tàm à prædecessoribus nostris, quàm etiam à nobis, & Sedis Apostolicæ Legatis, aut alijs ex quibus quantumcumque ꝟrgentibus causis sub quibuscumque tenoribus, etiam derogatoriarum derogatorijs, reuocatoriarum restitutorijs, alijsque efficacioribus clausulis, irritantibusque & alijs decretis etiam motu proprio, & ex certa scientia, deque Apostolicę potestatis plenitudine, atque ad Imperatoris, Regum, Reginarum, aliorumue Principum contemplationem, vel supplicationem concessas, confirmatas, ac etiam iteratis ꝟicibus renouatas, cassamusque, & annullamus literas desuper confectas, & processus habitos per easdem. Inhibentes eisdem, qui illas obtinuerunt, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrẽda, super qua à nemine nisi à Romano Pontefice (præterquàm in mortis articulo) absolutionis beneficium possit impertiri, ne ipsarum licentiarum prętextu Monasteria huiusmodi quouismodo ingredi audeant. Abbatissis ꝟerò, necnon Abbatibus, Conuentibus, & alijs Monasteriorum ꝟtriusque sexus superioribus, & personis quocumque nomine ꝟocentur, districtè præcipimus sub eadem excommunicationis pœna, necnon priuationis dignitatum, beneficiorum, & officiorũ suorum, ac inhabilitatis ad illa, & alia in posterum obtinenda, ne in Monasteria, Domos, & loca sua quempiam prætextu huiusmodi licentiarum, & facultatum ingredi faciant ꝟel permittant. Quin etiam sub eisdem pœnis ipso facto incurrendis prohibemus atque interdicimus omnibus, & quibuscumque personis Ecclesiasticis, & Sæcularibus, ac etiam ordinem quorumcumque etiam mendicantium Regularibus, ne prætextu licentiarum ab Episcopis, ꝟel Superioribus, quibus illas concedendi in casibus necessarijs tantum ex decreto Concilij Tridentini tribuitur, ne Monasteria ipsa Monialium pro libito, sed necessitatibus ꝟrgentibus dumtaxat ingredi, neuè Moniales sub eisdem pœnis illos aliter admittere præsumant. Non obstantibus præmissis, ac constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, Monasteriorumque & ordinum prędictorum iuramento, confirmatione Apostolicis, ꝟel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, priuilegijs quoque, exemptionibus, & indultis Apostolicis, illis eorumque Superioribus, prędictis ac alijs quibuscumque per quoscumque Romanos Pontifices

ufices prędeceſſores noſtros,ac nos,& dictam Sedem ſub quibuſcumque tenoribus, & formis, accum quibuſuis clauſulis, & decretis conceſſis,confirmatis,ac etiam iteratis vicibus innouatis, quibus omnibus, eorum tenores,perinde ac ſi ad verbum inſererentur, præſentibus pro ſufficienter expreſſis habentes, illas alias in ſuo robore permãſuris hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cęteriſque contrarijs quibuſcumque. Quoniam autem difficile eſſet pręſentes ad omnia loca perferri, volumus earum exemplis etiam impreſſis manu Notarij publici, & ſigillo perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis,eandem fidem in iudicio, & extra illud vbique locorum adhiberi,quę adhiberetur præſentibus,ſi eſſent exhibitę uel oſtenſę. Nulli ergo omninò hominum liceat hanc paginam noſtrę reuocationis,abolitionis,ceſſationis, annullationis, inhibitionis præcepti, prohibitionis, interdicti,derogationis, & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare pręſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei,ac Beatorum Petri,& Pauli Apoſtolorum eius,ſe nouerit incurſurum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicę,Milleſimo,Quingenteſimo,Septuageſimoquinto. Idibus Iunij. Pontificatus noſtri,Anno quarto.

M. Datarius.

Cæ. Glorierius.

A. de Alexijs.

CONCESSIO INDVLGENTIAE cauſa orationis ſine intermiſsione.

GREGORIVS PAPA XIII.

VNiuerſis Chriſti fidelibus pręſentes literas inſpecturis ſalutem,& Apoſtolicam benedictionem. Cum ad diuinam miſericordiam implorandam, calamitatesq; propulſandas pręcipuum ſit deuotę ad Deũ orationis remedium, illudque Venerabiles fratres Epiſcopi Prouincię Mediolanenſis prouidè vſurpare ſoleant,orationem ſine intermiſſione quando q; indicendo & proponendo. Nos vt fideles ipſi ad orationem huiuſmodi eo libentius, & frequentius conueniant, quo ex hoc dono cœleſtis

ſtis gratiæ vberius conſpexerint ſe refectos: precibus quoque dilecti filij noſtri Caroli tituli ſanctæ Praxedis presbyteri Cardinalis Eccleſię Mediolanenſis Pręſulis nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati: De omnipotentis Dei miſericordia ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius, auctoritate confiſi, omnibus vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus in dicta Prouincia Mediolane. exiſten. qui orationi ſine intermiſſione iuſſu Epiſcopi pro tempore indicendę per horę ſpatiũ vacauerint, tres annos: qui vero proceſſioni interfuerint initio, vel in fine orationis celebratę huiuſmodi in Cathedralibus decem; in alijs vero Eccleſijs quinque annos indulgentię in forma Eccleſiæ conſueta concedimus. Ac vero ſemel in anno die ab Epiſcopo pręſcribendo ſi ſacram etiam Euchariſtiam vere pœnitentes, & confeſſi ſumpſerint, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remmiſſionem tenore pręſentium elargimur. Pręſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Dat. Romę apud Sanctum Petrum ſub annullo piſcatoris. Die V. Aprilis. M. D. LXXX. Pontificatus Noſtri anno octauo. ſubſcripta.

Cęſ. Glorierius.

CONCESSIO INDVLGENTIAE vniuerſis fidelibus Prouinciæ Mediolanen. conuenientibus ad orationem quadraginta horarum.

GREGORIVS PAPA XIII.

VNiuerſis, & ſingulis Chriſti fidelibus Prouinciæ Mediolanen. pręſentes literas inſpecturis ſalutem, & Apoſtolicam benedictionem. Quam vberes ex orationis inſtituto ad populum Chriſtianũ ſemper prouenerint fructus, animo reuoluentes, ea libenter concedimus quibus fideles ad orationem maximè excitentur. Itaque de Omnipotentis Dei miſericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi, omnibus, & ſingulis vtriuſque ſexus Chriſti fidelibus in dicta Prouincia Mediolanen. conſtitutis, qui orationi quadraginta horarum ordinarię vel extraordinarię iuſſu Epiſcopi expoſitę per horę ſpatium vacauerint, tres annos, qui vero proceſſioni interfuerint initio, vel in fine orationis celebratæ huiuſmodi, in Cathedralibus decem, in alijs

vero

vero Ecclesijs quinque annos indulgentiæ in forma Ecclesiæ consueta concedimus; ac vero semel in anno die ab Episcopo præscribendo si sacram etiam Eucharistiam verè pœnitentes, & confessi sumpserint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, & remissionem, tenore præsentium elargimur. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Dat. Romę apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die V. Apr. M D LXXX. Pōtificatus nostri, Anno octauo.

Cæ. Glorierius.

CONCESSIO INDVLGENTIAE conuenientibus ad concionem, & Missam maiorem, & ad orationem, & processionem sub vexillo.

GREGORIVS PAPA XIII.

AD perpetuam rei memoriam, Cum nihil Pastorali nostrę sollicitudini ęque cordi sit, quam salus animarum, id circo, quibus possumus, rationib. Christi fideles ad exercitationes spirituales, piaque officia incitamus, vt hac via incidentes per obseruationem mandatorum Domini, diuinam misericordiam, & gratiam consequi mereantur. Itaque de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius, auctoritate confisi, omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus in Prouincia Mediolanense pro tempore existentem qui sacrū sermonem, concionemue audierint, quoties id egerint, toties quinquaginta dierum; qui vero die festo Missę maiori interfuerint, trium annorum, & totidem quadragenarum; qui Vesperis vnius anni; qui Cōpletorio quinquaginta dierum indulgentiam in forma Ecclesię consueta concedimus. Præterea ijs, qui collegiatim sub vexillo suę Ecclesię conuenerint ad vīsitationem alicuius Ecclesię, aut sacrę Reliquię, toties centum dierum, si ad processionem generalem quinquaginta dierum; si ad processionem particularem, vigintiquinque dierum: si ad stationem orationis publicę celebrandę centum dierum: Iis vero qui consueuerint, vt plurimum hęc officia, & exercitationes spirituales cum Parochiali vicinia collegiatim obire, semel in anno, & sanctissima Communione sumpta in die festo proprio, & præcipuo suę Parochię plenariam omnium peccatorum suorum indulgen-

dulgentiam, & remissionem concedimus, & elargimur. Contrarijs non obstantibus quibuscumque. Præsentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die quinto Aprilis, Millesimo, Quingentesimo, Octuagesimo. Pontificatus nostri, Anno octauo.

Cæ. Glorierius.

CONCESSIO INDVLGENTIAE celebrantibus, & conuenientibus ad Missam congregationum foranearum.

GREGORIVS PAPA XIII.

VNiuersis Christi fidelibus presentes literas inspecturis salutem, & Apostolicam benedictionem. Ad augendam fidelium religionem, & animarum salutem cœlestibus Ecclesię thesauris pia charitate intenti, omnibus, & singulis Sacerdotibus Prouinciæ Mediolanensis, qui Missam congregationis quæ quolibet mense à Sacerdotibus foraneis ad præscriptum Decreti Prouincialis Mediolanen. habetur, celebrauerint, nec non omnibus Christi fidelibus qui dictæ Missæ interfuerint, vnũ annum de iniunctis eis, seu aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs misericorditer in Domino relaxamus. Præsentibus perpetuò valituris. Dat. Romę apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die X. Aprilis, Millesimo, Quingentesimo, Octogesimo. Pontificatus Nostri, Anno octauo.

Cæ. Glorierius.

CONCESSIO INDVLGENTIAE certa hora orantibus pro defunctis.

GREGORIVS PAPA XIII.

VNiuersis Christi fidelibus in Prouincia Mediolanen. constitutis præsentes literas inspecturis, salutem, & Apostolicam benedictionem. fidelium defunctorum animas viuorum suffragijs iuuari pia charitate cupientes, spiritualia munera libenter proponimus, vt ijs allecti

lecti Christi fideles, deuota studiosius ipsis defunctis præstēt suffragia. Itaque omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus, qui pulsante campana alicuius Ecclesię dictę Prouincię Mediolanen. ad significationem orationis pro animabus defunctorum recitauerint psalmum De profundis, vel ter orationem Dominicam, & salutationē angelicam, quocumque die id fecerint, indulgentiam centum dierum misericorditer in Domino perpetuò concedimus, & elargimur. Contrarijs non obstantibus quibuscumque. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, sub annulo piscatoris, Die X. Aprilis M. D. LXXX. Pontificatus nostri anno octauo.

Cæ. Glorierius.

CONCESSIO INDVLGENTIAE orantibus in eleuatione S. Corp. Domini, & ijs qui dum ad infirmos defertur deuotè prosecuti fuerint; ac illis item qui diebus festis, & frequenter communicauerint.

GREGORIVS PAPA XIII.

AD perpetuam rei memoriam. Ad excitandam populorum deuotionem, ac pietatem erga sanctissimū Eucharistiæ sacramentum, pro nostra pastorali sollicitudine intenti, precibus quoque dilecti filij nostri Caroli tit. sanctæ Praxedis presbyteri Cardinalis Ecclesiæ Mediolanen. Præsulis nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, omnibus vtriusque sexus Christi fidelibus Prouinciæ Mediolanen. qui pulsante campana in ciuitatibus, vel diœcesibus dictæ Prouinciæ ad significationem eleuationis Sanctissimi Sacramenti in Missa conuentuali, uel Parochiali, siue domi, siue in agro, siue in uia, aut alibi fuerint genuflexi orauerint, quoties id fecerint, unum annum: qui ad Ecclesiam ea de causa accurrerint, & ibi adorauerint, duos annos: qui uero sanctissimum sacramentum, cum ad ægrotum à Sacerdote defertur eundo, uel redeundo prosecuti fuerint, tres annos, qui die festo sanctissimam Eucharistiam uerè pœnitentes, & confessi sumpserint, quinque annos; qui consueuerint id facere saltem semel singulis mensibus, ac præterea in festis diebus Domini Nostri Iesu Christi, B. Marię Virginis, omnium Apostolorū,

&

& ſancti Ioannis Baptiſtæ, decem annos de iniunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentijs toties quoties, miſericorditer in Domino relaxamus, ac ſemel in anno die feſto ſancti præcipui patroni Ciuitatis verè pœnitentibus, & confeſſis, idem ſanctiſſimum Euchariſtiæ ſacramentum ſumentibus, plenariam omnium peccatorum ſuorum indulgentiam, & remiſſionem miſericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Contrarijs non obſtantibus quibuſcumque. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo piſcatoris Die X. Aprilis. M. D. LXXX. Pontificatus noſtri anno octauo.

Cæ. Glorierius.

FACVLTAS INDVLGENTIAE AEGROtis concedendæ ab Epiſcopis Prouin. Mediol.

GREGORIVS PAPA XIII.

VEnerabilibus fratribus Archiepiſcopo, & ſuffraganeis Prouin. Mediolanen. ſalutem, & Apoſtolicam ben. Quemadmodum medicos corporis ſanitatē, egrotantibus, quos inuiſunt, maximè procurare cōuenit, ita etiam animarum medelæ à Deo Præfectos Antiſtites omni quidem tempore, ſed præcipuè corporis mole, grauibus morbis obſeſſa, illarū curæ, & ſanitati plurimum decet ſtudere. Vt igitur id commodius, & alacrius facera valeatis, veſtramque ſalutarem ægrotantes ipſi ſentiant medicinam, vobis, & vnicuique veſtrum, quotieſcumque in veſtri Ciuitate, & Diœceſi ęgrotantes aliquos Chriſti fideles in Domino viſitaueritis, ut eiſdem contritis, & confeſſis, plenariam omnium ſuorū peccatorum Indulgentiam; quandocumque verò eoſdem ſic egrotantes, per alios cenſueritis, ueſtro nomine uiſitandos, ſeptem annos Indulgentiæ, ſemel tantùm in illa infirmitate concedere valeatis, de omnipotentis Dei miſericordia, ac beatorum Petri, & Pauli Apoſtolorum eius auctoritate confiſi amplam liberam, & omnimodam facultatem, & auctoritatem concedimus, & elargimur. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, cæteriſque cōtrarijs quibuſcumque. Dat. Romę apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die XXX. Decemb. M D LXXX. Pontificatus noſtri, anno oct.

Cæ. Glorierius.

De

DE TAXIS IN IVDICIIS ECCLESIATICIS Prouinciæ Mediol. seruandis.

GREGORIVS PAPA XIII. Ad perpetuam rei memoriam. Romanum decet Pontificem prouidentiæ suę partes impendere efficaces, vt illa, quę pro bono publico, & plurimorum indemnitate prudenter facta, & circunspectè disposita esse noscuntur, perpetuò firma, & illibata subsistant, & ab omnibus quos concernunt, etiam inconcussè obseruentur. Cum itaque, sicut accepimus dilectus filius noster Carolus tituli sanctæ Praxedis presbyter Cardinalis, Borromæus nuncupatus, ex dispensatione Apostolica Archiepiscopus Mediolanen. quasdam ordinationes, & taxas in tota Prouincia sua obseruandas per Iudices in Synodis diœcesanis deputatos pro causis commissarijs, necnon per conseruatores regularium exemptorumve quoruncunque in causis, coram eis quouis modo pendentibus, ac eorundem Notarijs, non tamen ubi ex aliquo statuto, aut consuetudine laudabili, nihil uel minor taxa exigeretur, ediderit, statuens siquidem, & ordinans, quòd Iudices prælati non pronuncient, prout in cedula, neque habeant terminum pro seruato, sed sententias suas liberè proferant, & descripto in die termini, vt statim publicent, easque recitent, uel recitari iubeant, propinas non accipiant, si salarium ordinarium aliquod habent, aliàs moderatas capiant, iuxta taxam inferius descriptam, & eo casu per manus Notarij causæ, sententia tamen prius nedum subscripta, sed etiam Notario consignata, & publicata, Quę sportulæ apud Notarium causæ post subscriptionem, & Notario traditam sententiam, & non antea deponantur, Notariusque huiusmodi depositionem in actis notare, & specificare teneatur. Pro interlocutorijs, aut alijs decretis uim diffinitiuæ non habentibus ante diffinitiuã, & prouidendis scripturis, informationibus, aut processibus, nihil prorsus accipiãt, munera, uel xenia à litigantibus nõ accipiãt, nec quidem esculẽta, & poculẽta, nisi quę triduò consumi possint. Aduocatos, Procuratores, aut Sollicitatores, quorum opera ad patrocinandũ coram ipsis cupiant quemquã uti, neq; uerbis nominent, neq; ullo modo significent, Aduocãtes, procurantes, aut sollicitantes in causis coram eis pendentibus domi non retineant, neq; ẽt Notariũ causę: Notarios assumãt ab Ordinarijs locorũ approbatos, qui non solum cauere debeant de scripturis fideliter custodiendis, sed etiã finitis causis de eisdem consignan. in Archiuijs Ordinariorum absque tñ præiudicio Notariorũ eorundem habitis ab eorũ Notariis quietantijs ne morte cuiusquam deperdãtur; Assessores arbitrive, qui in causa

uſpitionis Iudicibus Ordinaris, uel alijs etiam delegatis adiungũtur nihil, aut quid minimum pro uidendis ſcripturis, & proceſſibus, nec etiam pro uoto deciſiuo accipiant: cum in vna, & eadem cauſa contra diuerſos unica citatione agitur, plures non dentur expeditiones, niſi ipſimet petierint, ſed unica tantum, & pro ea merces unica ſoluatur: qd ſi ex neceſſitate duplicata occurrant, Notario tantum pro labore ſcripturę ſoluatur, idemq; ſeruetur in ſententijs quibuſcunque etiam abſolutorijs ſi id commode præſtari poterit, attenta qualitate, & diuerſitate cauſarum, ut ſcilicet omnes reos in una cauſa unica comprehendat ſententia, & pro unica tantum ſoluatur. In cauſis criminalibus, in quibus de iure Fiſcus citari debet, non procedatur, nec ſententia feratur, niſi ipſo legitime citato: pro ſigillo tàm in ciuilibus, quàm in criminalibus ad ſummum capiant realem unũ, & in mandatis de excarcerando in capitalibus, & pro relaxatione teſtiũ nihil, & in expeditionibus etiam quę fiunt in ciuitate cũ clauſula ſi quis, nihil prouiatico Iudicis in ciuitate nihil, ſi extra ciuitatẽ, ultra milliare, ſcuta duo, pro prima die, & ſi ſcutũ unum auri pro qualibet die ultra expẽſas honeſtas cibarias, & equorum uecturã, Notariuſq; capiat pro medietate: Notarij oẽs prædictorum Iudiciũ obſeruent taxas Notarij fori cuiuſlibet ordinarij preſcriptas, ac ſecundũ illas exigant, prętereq; in caſibus in preſenti reformatione expreſſis, in quibus eis liceat capere, qd hic determinatũ eſt, niſi ordinariorum taxæ minores, & moderatiores hic ſint: Quo caſu illas in totum, etiam quoad expreſſa in præſenti reformatione ſequi debeant: Notarij nullum quantumuis leuem terminum per ſe ipſos etiã in forma, ut dicunt, ſine Iudicis decreto ſeruent; ubicunque procuratoré aliquem ad lites conſtitutum à principali ſuo lite pendẽte reuocare cõtingat, tunc Notarij nullo modo reuocationes huiuſmodi recipere poſſint, aut de illis rogari, niſi ſimul alter procurator, qui munus illud procurationis ſuſcipiat ab eodem legitimè conſtituatur, & de alterius conſtitutione eiuſque ſuſceptione apud acta doceatur, Notarius cum Iudici acta, ſeu alias ſcripturas detulerit, nihil omnino ultra duos ſolidos, etiam à ſponte dantibus ſub prætextu bibaliorum, ſeu regaliorum recipiat: Notarij, eorumq; ne ſubſtituti, uel ſcribæ non poſſint eſſe procuratores in Curia, ſeu tribunali, in quo Notarij ſunt, & officium ſubſtituti exercent, uel ſcribunt: Iudices non ſint participes aliquo modo emolumentorum, quæ Notarij ex ſuis laboribus in cauſis coram eis pendentibus percipiunt. Ac inſuper propinas à præfatis Iudicibus obſeruandas limitauit in hunc modum, uidelicet, quòd in cauſis, ubi de ſumma vigintiquinque ſcutorum agitur ſupra decem reales nihil percipi debeat, A uigintiquinque autem ſcutis, vſque ad centum ſcuta tria ſcuta percipiantur, ſeu percipi poſſint, A centum uſque ad ducenta ſcuta

ſex,

sex, A ducentis usque ad quamcunque summam non ultra scuta decē, Pro sententia declaratoria ob non paritionem monitorij in contumaciam non ultra realia septem cum dimidio, pro declaratoria in uim litterarum, aut aliàs haben. vim diffinitiuæ si summa sit certa, accipiāt, ut supra taxatum fuit. Vbi autem non est certa sed agitur ad ipsarum litterarum executionem accipiant secundum causæ, & personæ qualitatē, dummodo non ultra quinque aureos. In beneficialibus verò si reditus annuus de quo agitur nō excedat summam centum ducatorū, capiant scuta sex, A centum uero, usque ad mille scuta duodecim, abinde supra non ultra scuta uiginti accipere ualeant. Quod si causæ ęstimationem facilè non recipiant, moderatæ sportulæ pro rerum, & personarum qualitate iuxta taxas prædictas recipi possint. In causis criminalibus, in quibus pœna à deportatione supra ueniret imponenda, non ultra quinque. In causis autem capitalibus, in quibus fit traditio curiæ sęculari, uel alia pęna corporalis imponitur, etiamsi in illa indemnitati partis consulitur, & in illius fauorem nisi fuerit diues, à qua usque ad uigintiquinque aureos possit accipi, etiam pronuntietur, non ultra quinque scuta accipiant. Caueant autem Iudices ne pro extorquendis sportulis aliquem nolentem quouis modo absolui ad petendam sententiā huiusmodi per causarum expeditionis dilationem, uel Rei in carceribus detentionem, uel per cautionis de se representando, uel non discedendo, ubi aliàs illis de iure locus, non sit præstādi cautionem, aut aliàs quoquo modo inducant. Quæ omnia decreta, seu taxę, Iudicibus synodalibus, & conseruatoribus sic pręscriptas seruent etiam Iudices ordinarij in omnibus causis delegatis, nisi ubi de consuetudine, decretis uel constitutionibus Episcopalibus minor taxa ipsis seruanda proposita esset, quam seruare teneantur, possintque locorum Ordinarij dictæ Prouinciæ Mediolanen. tanquam sedis Apostolicæ delegati, prędictorum omnium cōtemptores, ac ipsis quoquomodo contrauenientes admonere, & si se emendare neglexerint, informationem de excessibus huiusmodi sumant, ac ad Romanum Pontificem pro tempore existentem, seu Curiæ causarum Cameræ Apostolicæ Auditorem transmittāt, ut ea ad unguem non obseruantes, iuxta excessuum exigentiam corrigi, & puniri possint, nisi ipsi Iudices magis ab Ordinariis iudicari cōsenserint, ac aliàs prout in instrumento, uel instrumentis publico, seu publicis, aut alio, uel aliis documento, seu documētis, aut scriptura, uēl scripturis desuper confectis plenius dicitur contineri. Cumque sicut etiam accepimus idē Carolus Cardinalis, & Archiepiscopus, seu Præsul ordinationes, & taxas prædictas per eum sic, ut prēmittitur pro bono publico suæ Prouincię factas à nobis, & dicta sede Apostolica confirmari, & approbari desideret: Nos in præmissis opportunè etiam

prouidere uolentes, Motu proprio non ad ipsius Caroli Cardinalis, & Archiepiscopi, seu Præsulis, uel alicuius pro eo nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed ex mera voluntate, & deliberatione, ac ex certa scientia nostra, & de Apostolicæ potestatis plenitudine omnes, & singulas ordinationes, & taxas huõi per ipsum Carolũ Cardinalẽ, & Archiepiscopũ, seu Præsulem sic ut præmittitur factas, prædictas Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuò confirmamus, & approbamus, ac etiam innouamus, & ẽt de nouo perpetuo facimus, nec nõ illis plenarię, inuiolabilis, & ppetuę firmitatis Apostolicę robur adijcimus, omnesq; & singulos tàm iuris, q̃ facti defectus, si qui interuenerint in eisdẽ supplemus, illasque ualidas, & efficaces perpetuò existere, & fore, ac suos plenarios effectus sortiri, & obtinere, nec nõ à Iudicibus Synodalibus, & Conseruatoribus, ac etiam Ordinarijs, & delegatis, ac Notarijs, ceterisq; supradictis, ac alijs oĩbus, & singulis dictæ Prouincię ad quos spectat, & spectabit, quosq; præmissa concernunt pro tpe quomodolibet in futurum, inuiolabiliter perpetuò obseruari, licq; in præmissis a b oĩbus censeri, ac ita, & non aliter per prędictos, & quoscunq; Iudices, & Cõmissarios ẽt quauis auctoritate fungentes, ẽt nostri sacri Palatij causarum Auditores, sanctæq; Romanæ Ecclesiæ Cardinales etiã legatos de latere, & Sedis prędictè Nuncios etiam cum facultate legati delatere, sublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritatę in quauis causa, & instantia iudicari, sententiari, & diffiniri debere, nec non quicquid secus super his à quoquam quauis auctoritate scienter, uel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus, & declaramus; sicque etiam uolumus, & perpetuò statuimus, mandamus, præcipimus, taxamus, & ordinamus, nec non etiam perpetuum desuper silentiũ imponimus. Quocirca Venerabili Fratri Episcopo Alexandrin. ac dilectis filiis causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Generali Auditori, & Archipresbytero Ecclesiæ Mediol. per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipsi, uel duo, aus unus eorum per se, uel alium, seu alios, præsentes litteras, & in eis cõtenta quæcunq; ubi, & quãdo opus fuerit, ac quoties pro parte dicti Caroli Cardinalis Archiepiscopi, seu Præsulis, uel cuiuscunq; aut quorumcunq; aliorum, quorum interest, intererit, uel interesse poterit pro tempore quomodolibet in futurum solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant auctoritate nostra omnes, & singulas ordinationes, & taxas prædictas, ac præsentes nostras litteras, & in eis contenta huiusmodi à Iudicibus Synodalibus, & Conseruatoribus ac ẽt Ordinarijs, & delegatis, ac Notarijs, cæterisque supradictis in dicta Prouincia, oĩbusq; alijs, & singulis ad quos spectat, & spectabit, quosq; premissa concernunt, & tangũt, ac concernẽ,

& tan-

& tangent pro tempore quomodolibet in futurum inuiolabiliter perpetuo obseruari, ac Carolum Cardinalem, & Archiepiscopum, seu Præsulem, ordinariosque omnes dictæ Prouinciæ Mediolanen. præsentes, ac pro tempore existentes, aliosque prædictos, quorum, vt præfertur, interest, & intererit, ac quemlibet ipsorum illis pacificè, & quiete frui, & gaudere, non permittentes eos per Iudices synodales, & Conseruatores, ac Ordinarios, & delegatos, ac Notarios, cæterosque prædictos, aut quoscunque alios de super quomodolibet molestari, inquietari, impediri, vel perturbari, contradictores quoslibet, & rebelles per Ecclesiasticas sententias, censuras, & etiam pecuniarias pœnas, aliaque opportuna iuris, & facti remedia auctoritate nostra, appellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendis seruatis processibus sententias, censuras, & pœnas prædictas incidisse, & incurrisse declarando, aliasque etiam iteratis vicibus aggrauando, excommunicando, interdicendo, & interdictum Ecclesiasticum apponendo, inuocato etiam ad hoc si opus fuerit, auxilio brachij secularis. Non obstan. fe. re. Bonifacij Papæ. VIII. prędecessoris nostri de vna, & in Concilio generali edita de duabus dietis, dumniodo vltra tres dietas quis auctoritate præsentium extra suam ciuitatem, & diœcesim ad iudicium non trahatur, alijsque Apostolicis, necnon etiam in alijs vniuersalibus, pro Prouincialibusque & Synodalibus Concilijs editis, & edendis specialibus, vel generalibus constitutionibus, & ordinationibus, necnon etiam ciuitatis, diocesi. & Prouinciæ Mediolanen. ac quarumcumque aliarum ciuitatū, diocesi. & locorum, necnon etiam Ecclesiarum, Monasteriorum, & ordinum etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus decretis, & præscriptionibus etiam immemorabilibus, ac legibus etiam Pontificijs, Imperialibus, Regijs, Ducalibus, & Municipalibus, priuilegijs quoque indultis, & litteris Apostolicis etiam ciuitatibus, diocesibus, Prouinciæ, & locis, ac etiam Ecclesijs, Monasterijs. & ordinibus prædictis, illorumque Superioribus, Magistratibus, ciuibus, & incolis, ac Pręsulibus, Capitulis, Abbatibus, conuentibus, & superioribus, necnon Iudicibus Synodalibus, Conseruatoribus, Ordinarijs, Delegatis, & Notarijs, cęterisque supradictis, & quibusuis alijs personis in genere, vel in specie sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cumquibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis irritantibusq; & alijs etiam vim contractus, & statuti etiam perpetui, atque legis inducentibus decretis, ac etiam motu scientia, & potestatis plenitudine similibus, & etiam consistorialiter, ac alias etiā pluries, & iteratis vicibus in contrarium quomodolibet concessis, con-

firmatis, approbatis, & innouatis, in posterumque etiam concedendis, confirman. approban. & innouan. Quibus omnibus, & singulis etiam si pro illorum sufficienti derogatione aliàs de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, individua, & expressa, non autem per clausulas generales idem importan. mentio, seu quæuis alia expressio ad hoc habenda, aut quęuis aliàs exquisita forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac fide verbo ad verbum inserti forent, præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes illis aliàs in suo robore permansuris hac vice dumtaxat specialiter, & expresè derogamus, ac sufficienter derogatum esse, & fore decernimus, cæterisque contrarijs quibuscumque, Aut si Iudicibus Synodalibus, Conseruatoribus, Ordinarijs, & delegatis, ac Notarijs, cæterisque supradictis, vel quibusuis alijs communiter, vel diuisim ab eadem sit sede indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam, & expressam, ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, Die IIII. Iunij. M. D. LXXX. Pontificatus nostri anno nono.

Cæ. Glorierius.

ILlustrissimus, & Reuerendissimus D. D. Carolus S. R. E. tit. S. Praxedis, Presbyter Cardinalis, Dei, & Apostolicæ sedis gratia Archiepiscopus sanctæ Mediolanen. Ecclesiæ, Quò facilius ad omnium, quorum interest, notitiam præinsertæ litteræ Apostolicæ cum originali cõcordantes, deducãtur, & ne aliquis, sub prætextu ignorantię, se valeat excusare, eas imprimi, & publicari, copiasque illarum sigillo Sancti Ambrosij, ac Cancellarij Archiepiscopalis infrascripti subscriptione munitas, ad valuas Metropolitanæ Ecclesiæ, ac Palatij Archiepiscopalis, & S. Ambrosij, ac aliarum huius Ciuitatis Collegiatarum Ecclesiarum, affigi mandauit, publicationemque ac affixionem huiusmodi, perinde omnes, & singulos, ad quos spectant, arctare, & afficere, decreuit, ac si personaliter omnibus præsentatæ forent, pariterque exemplum vnum, tàm constitutionis Pontificiæ prædictæ, quàm præsentis decreti, singulis Reuerendiss. Comprouincialibus Episcopis transmitti iussit. Dat. ex Palatio Archiepiscopali, Die XXV. Iunij. M. D. LXXX.

M. Ant. Bellinus Med. Ecc. Can.
Ord. Archiep. Cancell.

Reuocatio

Reuocatio quarundam literarum Pij V. pro militibus S. Ioannis Hierosolymitani, ad terminos Decretorum Concilij Tridentini.

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

CIrcumspecta in omnibus actibus suis Romani Pontificis prouidentia, interdum ea quæ certis etiam rationalibus tunc suadentibus causis à sede Apostolica emanata reperiuntur, alia superueniente ratione, qua præsertim populorum offensioni occurritur, & Episcoporum iurisdictioni ritè consuliter, reducere, ac suam declarationem interponere consueuit, & aliàs disuper disponit, prout temporum, rerum, & personarum qualitate pensata, perspicit in Domino salubriter expedire. Cum itaque compertum sit, quamplurimos Clericos sęculares, necnon Laicos, gratijs, & priuilegijs, quibus Sedes Apostolica dilectos filios Magistrum, Conuentum, & milites Hospitalis S. Ioannis Hierosolymitani de Republica Christiana optimè semper meritos, ac eorum Ecclesias, & loca liberaliter prosequuta est, abutentes, vnde sibi religiosius viuendi legem imponere deberent, inde laxioris vitæ occasionem arripere, dum varios, sæpe etiam vanos exemptionis libertatisque titulos prætexunt: alij quidem quod pro Vicarijs, Capellanis, ministris, & inseruientibus Ecclesijs dicti Hospitalis quomodolibet ascripti sint, alij vero quod coloni, procuratores, & familiares ipsorum militum existant, quamuis in proprijs domibus licenter degant, nihilominus ex prædictorum militum priuilegijs, illorumque confirmatione etiam post Concilium Tridentinum à fœli. re. Pio Papa V. prędecessore nostro obtenta, prętendant se ab omni iurisdictione ordinariorum exemptos esse, nec ab illis inquiri, uisitari, puniri, aut corrigi posse, eoque ipso delictorum suorum sibi impunitate promissa, grauem in populo offensionem prębere, & in Episcoporum iurisdictione perturbationem indies maiorem excitare dignoscantur. Idcirco nos huic malo, quod à prędicto Concilio multò ante prouisum fuerat, salubriter prouidere volentes, Motu proprio, non ad alicuius nobis super hoc oblatę petitionis instantiam, sed ex mera nostra voluntate, ac deliberatione, & certa scientia, deque Apostolicę potestatis plenitudine omnia, & singula priuilegia, exemptiones, gratias, & indulta, Magistro, Conuentui, Militibus, & militię dicti Hospitalis per

quoſcunq; Romanos Pontifices peædeceſſores noſtros, & ſedem prædictam in genere vel in ſpecie quomodolibet conceſſa, & confirmata, nec non Pij Quinti litteras ſuper eorundē confirmatione emanatas ſub Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die xxix. Nouembris. M D LXVIII. Pontificatus ſui Anno Tertio, ad prædicti Concilij decretorum terminos tenore præſentium reducimus, ac reducta eſſe, nihilque ex ipſis priuilegijs, exemptionibus, gratijs, & indultis Ordinarijs, locorum detractum eſſe, quominus ipſorum militum uicarij, capellani, miniſtri, ſeruientes, aſcripti, coloni, procuratores, & familiares militum huiuſmodi, quibus ea iam conceſſa ſunt, & in poſterum concedi contigerit, ab ipſis Ordinarijs tanquam Apoſtolicæ ſedis delegatis de eorum exceſſibus, criminibus, & delictis etiam extra viſitationem, quando, & quoties opus fuerit, inquiri, uiſitari, puniri, & corrigi poſſint, ipſorumque Ordinariorum iuriſdictioni plenè in prædictis ſubiecti exiſtant (exceptis tamen ijs, qui eccleſijs, alijsque locis dictorum militum actū ſeruiunt, & intra eorum ſepta, & domos reſident, ac ſub eorum obedientia uiuunt, quæ omnia debere ſimul concurrere intelligantur, ſiue ijs, qui legitimè, & ſecundum regulam prædictæ religionis profeſſionem fecerint, de qua loci Ordinario conſtare debeat) & ita in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quoſcunque Iudices ordinarios, & delegatos quauis auctoritate fungētes, etiam cauſarum Palatij Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate in quauis cauſa, & inſtantia iudicari, & definiri debere, præſenteſque litteras de ſubreptionis, uel obreptionis uitio, ſeu intentionis noſtræ defectu notari, vel impugnari non poſſe, ſed illas ſemper validas, & efficaces eſſe, nec per Magiſtrum, Conuētum, & milites prędictos quorumcunque priuilegiorum, ſtatutorum, conſuetudinum, & ſtyli prætextu ullatenus infringi, vel contra illas, & in eis cōtenta uenirī nō poſſe, neq; debere, irritumq;, quoq; & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate ſcienter, vel ignoranter contigerit attentari decernimus, & declaramus. Non obſtantibus præmiſſis, ac conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dicti hoſpitalis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, ſtabilimentis, uſibus, & naturis, necnon declarationibus, ſententiis, iuramētis, concordijs, priuilegijs quoq;, indultis, & litteris Apoſtolicis Magiſtro, & Conuentui, ac militibus prędictis, & eorum Vicariis, capellanis, colonis familiaribus, procuratoribus, & alijs quibuslibet ipſorū militum intuitu, uel contemplatione per quoſcunque Romanos Pōtifices, & ſedem prædictam quomodolibet conceſſis, cōfirmatis, & innouatis; Quibus omnibus, & ſingulis, ēt ſi pro ſufficienti

ficienti eorum derogatione de illis, eorumq; totis tenoribus ſpecialis ſpecifica, expreſſa, & indiuidua, non autem per clauſulas generales idē importantes mentio habenda, aut aliqua alia exquiſita forma ad hoc ſeruanda foret, illorum tenores, ac ſi de uerbo ad uerbū nihil penitus omiſſo, & forma in illis tradita obſeruata inſerti forent, præſentibus pro ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes ad effectum præſentium duntaxat ſpecialiter, & expreſſe motu ſimili derogamus, cęteriſque contrarijs quibuſcumque. Eiſdem Pij Papę V. litteris memoratis quoad alia, & in eo maximè, quod uoluit prędictorum militum priuilegia, illorumque confirmationem non comprehendere, neque eccleſias, neque perſonas in his, quæ ad curam animarum pertinent, ſed in his dicti Concilij Tridentini decreta omnino ſeruari debere, in ſuo robore permanentibus. Volumus autem, quòd præſentium tranſumptis etiam impreſſis manu Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo perſonæ in dignitate eccleſiaſtica conſtitutę munitis, eadem ubique fides, tam in iudicio, quam extra adhibeatur, quæ eiſdem pręſentibus adhiberetur ſi forent exhibitæ uel oſtenſæ. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die xxv. Nouembris. M. D LXXX. Pontificatus noſtri Anno Nono.

Cæ. Glorierius.

ILluſtriſſimus, & Reuerendiſſimus in Chriſto Pater, & D. D. Carolus S.R.E. Presbyter Card. tit. S. Praxedis Archiepiſcopus Mediolani. Volens prædictas litteras, & in eis contenta ad omnium notitiam peruenire, mandauit earum exempla per infraſcriptum R. Cancell. Archiepiſcopalem ſubſignatas, ſigilloque Archiepiſcopali S. Ambroſij munitas, Baſilicæ Metropolitanæ, & Palatij Archiepiſcopalis ualuis, ac alijs locis ſolitis affigi, ac ad Reuerendiſſimos D. Epiſcopos Comprouinciales mitti. Dat. Ex Palatio Archiepiſcopali, Die x. Ianuari. M. D. LXXXI.

N. Gal. Vic. Generalis.

M. Ant. Bellinus Med. Ecc. Can. Ord. Archiep. Cancell.

De

De Blasphemijs, & flagitijs Iudæorum, in quæ hæreticæ prauitatis Inquisitores animaduertunt.

GREGORIVS Episcopus, seruus seruorum Dei, Ad perpetuam rei memoriam.

ANtiqua Iudęorum improbitas, qua diuinę bonitati semper restiterunt, tanto execratior consistit in filijs, quanto ipsi ad cumulandam patrum suorum mensuram in Dei filio repudiando, eiusque in mortem nefarie conspirando grauius deliquerunt: qui propterea suis effecti maioribus nequiores, proprijs sedibus expulsi, atque in omnes dispersi orbis terrarum regiones, seruitutique perpetuę mancipati, non maiorem in cuiusquam ditione clementiam, quam in Christianorum Prouincijs, maximè verò in Apostolicę pietatis gremio inuenerunt; quę pro eorum conuersione laborans, eos misericorditer excepti, atque in cohabitatione vnà cum filijs suis sustinuit, ad veritatisque lumen allicere pio semper studio conata est, rebusque ad vitam necessarijs iuuit, iniurijs, & contumelijs prohibuit; multis denique beneficentię suę priuilegijs circummuniuit: illi vero nullis beneficijs mansuefacti, nihilque de suo pristino scelere, remittentes, Dominum nostrum Iesum Christum in cœlo triumphantem adhuc in synagogis suis, & vbique persequuntur: Christi quoque membris infensissimi, non desinunt in religionem Christianam horrenda facinora quotidie magis augere; quibus nos, ne pietatis nostrę puritas polluatur, aut à fœdis mancipijs Christo, Christianorumue nomini impunè illudatur obuiare volentes, Statuimus, ac etiam declaramus, Inquisitores hæreticę prauitatis, liberè procedere posse in omnibus causis, & casibus, qui sequuntur. Si quis Iudęus, aut infidelis in ijs, quę circa fidem cum illis nobis sunt communia, veluti Deum vnum, ęternum, omnipotentem, creatorem omnium visibilium, & inuisibilium, & similia non esse asseruerit, prędicauerit, vel priuatim alicui insinuauerit. Si dęmones inuocauerit, consulueritue, aut eorum responsa acceperit, ad illosue sacrificia, aut preces ob diuinationem, aliamue causam direxerit, aut quid eis immolauerit, vel thuris, alteriusue rei fumigationes obtulerit, aut alia quęuis impietatis obsequia pręstiterit. Si Christianos, verbo, facto, vel exemplo, aut alio quouis modo nefaria huiusmodi docuerit, vel ad ea perpetranda perduxerit, aut perducere attentauerit. Si Saluatorem, & Dominum nostrum Iesum Christum purum hominem, vel etiam peccatorem fuisse, Matremue Dei

non

non esse Virginem, & alias huiusmodi blasphemias, quę per se hęreticæ dici solent, in Christianę fidei ignominiam, contemptum, aut corruptionem impiè protulerit. Si cuiusuis eorum opera, auxilio, consilio, vel fauore, aliquis Christianus à fide desciuerit, quamque semel susceperat, abnegauerit, vel ad Iudęorum, seu aliorum infidelium ritus, ceremonias, superstitiones, vel impias sectas transierit; vel redierit, seu in hęresim aliquam inciderit; aut qui, vt Christi fidem abneget, seu in hęresim incidat, opem, consilium, auxilium, vel fauorē quomodolibet pręstiterit. Si quis Catechumenum, vel quemcumque ex Iudæis, aut infidelibus, Deo inspirante, ad fidem Christianam venire volentem, post declaratam nutu, verbo, facto, aut quocumquo alio modo eius voluntatē à fide, uel fidei instructione, aut à sacri baptismi susceptione, retrahere, auertere, uel dehortari, aut ne ad fidē ueniat, neue regenerationis lauacro abluatur; quouis modo impediuerit. Si quis apostatas, hęreticosue scienter domi suę acceptauerit, aluerit, commeatu iuuerit, seu quouis modo eis cibaria ubicumque prębuerit, aut dona, vel munera pederit, uel miserit, aut de loco ad locum deduxerit, seu associauerit, uel deducendos, seu associandos curauerit, aut sumptus ministrauerit, duces comitesue illis adiunxerit, uel ne ab eis perpetrata deprehendi, aut inuestigari queant, fecerit. Quique dictos apostatas, aut hęreticos scienter aliquo modo receptauerit, occultauerit, defenderit, aut eis opem, consilium, auxilium, vel fauorem quomodolibet præstiterit. Si libros hæreticos, vel Thalmudicos, aut alios Iudaicos quomodolibet damnatos, aut aliàs prohibitos tenuerit, custodierit, uel diuulgauerit, uel in quęcumque loca detulerit, aut ad eam rem operam suam accomodauerit. Si Christianos deriserit, redemptionisque nostrę hostiam salutarem in ara crucis immolatam, Christum Dominum ludibrio, & despectui habens, quandocumque, maxime uero in sacro Parasceues die agnum, siue ouem, aut quid aliud cruci affixerit, aut appenderit, in eamue conspuerit, seu quodcumque contra ipsam fecerit. Si nutrices Christianas contra Sacrorum Canonum statuta, diuersorumque Romanorum Pontificū, prędecessorum nostrorum, sanctiones adhuc retinuerit, aut eas retinens, die, qua Sanctissimum Eucharistię sacramentum sumpserint, lac, uno, uel pluribus diebus in latrinas, cloacas, uel alia loca effundere coegerit. In quibus casibus uniuersis, & singulis omnes prędictæ prauitatis inquisitores, omnium Regnorum, Prouinciarum: Ciuitatum, Dominiorum, & locorum uniuersi orbis Christiani Iudices, in suis quemque locis perpetuo delegamus, ut super his contra Iudęos, atque infideles quoscumque simul, uel separatim, prout in causis fidei iuxta sacrorum Canonum formam, necnon officij Inquisitionis huiusmodi Constitutionis, diligenter inquirant,

quirant, & procedant, & quos in aliquo vel aliquibus horum flagitiorum excessibus culpabiles repererint, in eos pro culpę modo, ac etiam pro criminum numero, vel multiplicatione, aut consuetudine delinquendi, flagra, remigia, etiam perpetua, rerum quoque publicationes, exilia, aliaque atrociora decernant, & aliàs de eis exempla edant, quę sceleratos illos deterreant ab huiusmodi flagitijs in posterum admittendis. Nos enim venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus Inquisitoribus generalibus, necnon Patriarchis, Archiepiscopis Episcopis, & alijs locorvm Prælatis, ac etiam illis prędictis Inquisitoribus in virtute sanctę obedientię prącipimus, & mandamus, vt prąsentes nostras litteras in Ciuitatibus, & locis cuique subiectis publicare, & iuxta illarum tenorem procedere, ipsasque debitę executioni mandare procurent. Decernentes irritum, & inane, quicqnid secus per qoęscumque scienter, uel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon exemptionibus, priuilegijs, immunitatibus, commeatibus, in fidem publicam receptionibus, & tolerantijs prædictis, Iudęis, & alijs infidelibus, Maranis, & Apostatis, tam in Dominijs, Terris, & locis nostris, & sedi Apostolicę mediate, uel immediate subiectis, quàm alia ubicunque Regnorum, Prouinciarum, & Dominiorum, gentium, & locorum commorantibus, uel in ea ex quibusuis Regnis, & partibus tam fidelium quàm infidelium confluentibus, eorumque Iudicibus, Aduocatis, & defensoribus quacumque auctoritate, potestate, & dignitate fungantur, etiam ad instantiam Imperatoris, Regum, Ducum, & quorumuis aliorum Principum tã per fel. rec. Paulum III. Decimo Kal. Martij, & Iulium etiam III. Non. Decem. Tertio anno sui cuiusque Pontificatus, quàm etiam quoscumque alios anteriores, & posteriores Romanos Pontifices, ac nos, & sedem Apostolicam, eiusque legatos, ac etiam Cameram Apostolicam sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, & decretis, etiam Motu proprio, & aliàs quomodocumque hactenus concessis, confirmatis, & innouatis, atque in posterum concedendis, confirmandis, & innouandis, quę omnia, etiam si de illis, illorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua mentio, aut aliqua alia forma ad hoc seruanda foret, tenores huiusmodi, ac si ad uerbum insererentur prąsentibus pro plenè expressis habentes, harum serie specialiter, & expresse reuocamus, abrogamus, & omnino abolemus, cęterisque contrarijs quibuscumque. Volumus autem prąsentes in locis urbis consuetis de more publicari, & earum exemplis, etiam impressis, manu Notarij publici, & sigillo Sãctæ Romanę & uniuersalis Inquisitionis, uel personę in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis, eandem prorsus fidem vbique tam

tam in iudicio, quàm extra illud adhiberi, quæ adhiberetur eisdē præsentibus si essent exhibitæ, uel ostensę. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum statuti, declarationis, delegationis, præcepti, mandati, decreti, reuocationis, abrogationis, abolitionis, & uoluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationē Omnipotentis Dei ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se nouerit incursurum. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicę millesimo quingentesimo octuagesimoprimo, Kal. Iunij. Pontificatus nostri Anno Decimo.

M. Datarius.

Cæs. Glorierius.

A. de Alexijs.

Anno à Natiuitate Domini Millesimo quingentesimo octuagesimoprimo, Indictione nona, die uero decima mensis Iunij, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Nostri Domini Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno Decimo, retroscriptæ litteræ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad ualuas ecclesiæ Sancti Ioannis Lateranensis, Basilicę Principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Florę, ac etiam ad ualuas sepți Hebręorum, per nos Petrum Aloysium Gaytam, & Nicolaum Taglietum Apostolicos Curs.

Antonius Lodouicus Magister Cursorum.

ILlustris. & Reuerendis. in Christo Pater, & Dominus, D. Carolus, S.R.E. Tit. S. Praxedis, presbyter Cardinalis, Archiepiscopus S. Ecclesiæ Mediolanensis, vbi primum hoc statutum S. D. N. D. Gregorij Papæ XIII. accepit, Mediolani imprimi, & de more promulgari, tùm ad Reuerendis. Episcopos huius Prouinciæ mitti mandauit. In cuius rei fidem, ego Marcus Anto. Cancellarius manu mea subscripsi. Ex Cancellaria Archiepiscopali die vij. Octobris. M D LXXXI.

M. Ant. Bellinus Canc. Archiepisc.

DE-

DECLARATIO SVPER facultate quam habent Ordinarii, & alij monialium Superiores ingrediendi earum monasteria.

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad futuram rei memoriam.

DVbijs, quæ emergunt, declarationis remedium expedit adhibere. Cum igitur super eo quod optima primum ratione Concilium sanxit Tridentinum, deinde in constitutione fol. re. Pij Papæ V. prędecessoris nostri Nonis Iulij Pontificatus sui anno tertio, atque item nostra Idibus Iunij Pontificatus nostri anno quarto editis, fuit prouisum, ne cui in posterum, nisi in casibus necessarijs septa monasteriorum monialium ingrediendi concederetur licentia, à nonnullis dubitatum fuisse sciamus circa personas, quę alterius ad id licentia non indigent: sed sui auctoritate officij nituntur, an liceat eis pro libito suæ uoluntatis huiusmodi sepța ingredi, vel potius seruare debeant ipsi quoque regulam à Concilio prędscriptam. Nos omnem hæsitationis materiam tollere, & uiam scandalis prędcidere, ac sanctimonialium quieti consulere uolentes, harum tenore auctoritate Apostolica declaramus Prędatos omnes tam Sęculares quã Regulares, quibus cura, & regimẽ monasteriorum monialium quouis modo incumbit, facultate sibi ex officio attributa ingrediendi monasteria prædicta ita demum uti posse, si id faciant in casibus necessarijs, & à paucis, ijsque senioribus; ac religiosis personis comitari. Quo circa uniuersos & singulos Episcopali, seu maiori, ac etiam Cardinalatus dignitate prædictos, necnon quorumuis ordinũ Abbates, Præpositos, Priores, Ministros, & alios quoscunq; Superiores Regulares serio monemus, ut facultate huiusmodi, qui eam habent, præter quam in casibus, ut præfertur, necessarijs neutiquam vtantur. Quod si contrafecerint, eadem auctoritate Apostolica statuimus, atq; decernimus, qui Pontificalis dignitatis fuerint, eos pro prima uice, qua contrafecerint, ingressu Ecclesię interdictos, pro secũda à munere Pontificali, & a diuinis suspensos, ac deinceps ipso facto absque alia declaratione excõmunicatos existere: Regulares uero omni officio, ac ministerio priuatos, excommunicationi similiter subiacere.

re. Non obstantibus Apostolicis,ac in generalibus,& prouincialibus concilijs editis,generalibus, vel specialibus constitutionibus, & ordinationibus, priuilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis quibuscuis Ecclesijs, earumve Prælatis,aut Ordinibus in genere, uel in specie sub quibuscunque tenoribus,& formis,ac cum quibusuis etiam derogatoriarum derogatorijs,alijsque fortioribus,efficacioribus, & insolitis clausulis, necnon irritantibus decretis quouis modo concessis, approbatis,& innouatis,etiam si illis caueretur expresse, quòd nemo interdici, suspendi, uel excommunicari posset per litteras Apostolicas non facientes plenam,& expressam de indulto huiusmodi mentionē, quibus, eorumque totis tenoribus, perinde ac si de uerbo ad uerbum infererentur præsentibus,specialiter,& expresse derogamus, cæterisq; contrarijs quiscunque. Quoniam uero difficile esset præsentes ad singula loca perferri, uolumus earum exemplis etiam impressis, manuq; Notarij publici, ac sigillo personæ in dignitate ecclesiastica constitutæ munitis, eandem fidem in iudicio, & extra illud ubique locorum haberi, quæ haberetur ipsis præsentibus, si essent exhibitæ uel ostensæ. Datum Romæ apud Sāctum Petrum sub annulo Piscatoris, Die xxiij. Decembris. M. D. LXXXI. Pontificatus nostri Anno decimo.

Cæ. Glorierius.

Anno à Natiuitate Domini Millesimo Quingentesimo Octuagesimo secundo, Indictione undecima, Die uero Sabbati trigesima Mensis Decembris, Pontificatus S. D. N. Gregorij diuina prouidentia Papæ XIII. Anno decimo, Retroscriptæ literæ in forma Breuis publicatę, & affixæ fuerunt in acie Campi Florę, ut moris est, per me Scipionem de Octauianis Apostolicum Cursorem.

Calixtus Brunettus Magister Cursorum.

ILlustrissimus, & Reuerendissimus in Christo Pater, & D. D. Carolus S. R. E. Cardinalis tit. S. Prad. S. Eccl. Mediolan. Archiepiscopus, ubi primum hanc S. D. N. declarationem accepit, Mediolani imprimi, & ad Reuerendissimos Dominos Episcopos comprouinciales mitti, ac illis superioribus Regularibus, qui in hac Ciuitate, & Diœcesi, aliquam Monasteriorum monialium curam habent, eorum singulis dimisso exēplo solito Archiepiscopali sigillo S. Ambrosij communito

nito intimati, mandauit. In quorum omnium fidem, & atteſtationem, ego Canc. Archiepiſcopalis infraſcriptus manu mea ſubſcripſi. Ex Cancellaria Archiepiſcopali die xix. Ianuarij. M D LXXXII.

M. Ant. Bellinus Canc. Archiep.

CONSTITVTIO QVA CONCILII Tridentini pœnis ſubijciuntur Duellum priuatim committentes, locum dantes, ac etiam ſuadentes, auxiliantes, & ſpectantes.

GREGORIVS Epiſcopus Seruus Seruorum Dei ad perpetuam rei memoriam.

AD tollendum deteſtabilem Duellorum uſum Concilium Tridētinum excommunicationem, & alias grauiſſimas pœnas in concedentes locum ad Monomachiam, ac pariter in pugnantes, necnon patrinos, conſulentes, ſuadentes, & ſpectatores ſalubriter quidem decreuit: ſed creſcente hominum malitia facinoroſi non deſunt, qui quod publicè prohibitum eſt, priuatim exequi non dubitent, dum ſe pœnas prædictas hoc modo eludere poſſe arbitrantur. Nos ad hæc coercenda plenius, euidentiuſque prouidendum eſſe rati, conſideranteſque Duellum priuatum non minus cruentum, & animæ, & corpori noxium eſſe, quàm quod publicè perpetratur: Auctoritate Apoſtolica ſtatuimus omnes illos, qui ex condicto ſtatuto tempore, & in loco conuento Monomachiam commiſerint, etiam ſi nulli patrini, ſociiue ad id uocati fuerint, nec loci ſecuritas habita; nullæue prouocatoriæ litteræ, aut denuntiationis chartulę præceſſerint, cenſuris, & pœnis omnibus à dicto Cōcilio propoſitis teneri perinde, ac ſi publico, & conſueto abuſu ſingulare certamen iniuiſſent. Volentes etiam locorum dominos, ſi certamen ex condicto huiuſmodi permiſerint, aut quantum in ſe fuerit, nō prohibuerint, omneſque illud fieri mandantes, inſtigantes, auxilium, conſilium, uel fauorem dantes, equos, arma, pecuniam, commeatum, & alia ſubſidia ſcienter ſubminiſtrantes, aut ex compoſito ſpectatores, uel ſocios quouis modo ſeſe præbentes, eiſdem cenſuris, & pœnis ſubiacere, etiam ſi illi, qui ad locum deſtinatum pugnaturi acceſſerunt,

impediti

impediti pugnã non commiserint, si per ipsos non steterit, quominus illa committatur. Non obstantibus priuilegijs, immunitatibus, & exemptionibus tamen, & aliis sanctionibus Apostolicis, ac de re disponentibus in suo robore duraturis. Dat. Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ. M D LXXXII. Non. Decembris, Pontificatus nostri anno Vndecimo.

M. Datarius.

Cæs. Glorierius.

A. de Alexijs.

Anno à Natiuitate Domini Millesimo quingentesimo octuagesimosecundo, indictione Decima, die uero Veneris uigesimaquarta mensis Decembris, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini nostri Domini Gregori diuina prouidentia Papæ XIII. anno undecimo, retroscriptæ literæ Apostolicæ affixæ, & publicatæ fuerunt ad ualuas Ecclesiæ Sancti Io. Lateranen. Basilicæ Principis Apostolorum de Vrbe, Cancellariæ Apostolicæ, & in acie Campi Floræ per nos Petrum Aloysium Gaytam, & Nicolaum Tallietum Apostolicos Cur. Pet. Delbequez Magister Cur.

Publicatæ Mediolani die x. Martij. M D LXXXIII.

M. Ant. Bellinus Cancell. Archiepisc.

CONSTITVTIO DE ABBATISSIS & alijs monasteriorum Monialium Præfectis, non ultra triennium per uniuersam Italiam in futurum eligendis.

GREGORIVS PAPA XIII.
Ad perpetuam rei memoriam.

EXposcit debitum pastoralis officij quod disponente Domino gerimus, ut ad ea sollicite intendamus, per quæ Monasteria. & alia religiosa loca, præsertim Deo dicatarum Sanctimonialium, secundum regularis disciplinę normam regantur, & gubernentur. Perpendentes igitur uaria, & multiplicia damna, quibus plerumque afficiuntur Monasteria Monialium, quæ per Abbatis, uel alias Præfectas perpetuas reguntur,

 ècontra

ècontra uero Abbatiſſas, & alias Præfectas triennales ſcientes ſe lapſo triennio ſuæ adminiſtrationis rationem eſſe reddituras, ac ſperantes de bene geſtis laudem promereri, pœnam uero, ſi male geſſerint, metuentes, maiori ſtudio, ac diligentia regimen, & adminiſtrationẽ Monaſteriorum ſibi commiſſorum gerere. His, & alijs rationabilibus cauſis adducti, hac noſtra perpetuo ualitura conſtitutione ſtatuimus, & ordinamus, quod de cætero perpetuis futuris temporibus in omnibus, & ſingulis Monaſterijs Monialium Sancti Benedicti, Ciſtercien. Carthuſien. & aliorum quorumcunq; ordinum in uniuerſa Italia, & præſertim in utriuſque Sicilię Regnis conſiſtentibus, quæ nunc per Abbatiſſas, uel alias Prę fectas perpetuas reguntur, & gubernantur, cum primum Abbatiſſæ, aut aliæ Prę fectę huiuſmodi regimini, & adminiſtrationi ipſorum Monaſteriorum ceſſerint, etiam apud Sedem Apoſtolicam, uel deceſſerint, eorum Abbatiſſatus, ſeu Præfecturas uacare contigerit, Abbatiſſæ, aut alię Præfectæ non amplius perpetuę, ſeu ad uitam (quarum nomen, ac titulum, ex nunc prout ex tunc Apoſtolica auctoritate ex certa noſtra ſcientia, deque Apoſtolicę poteſtatis plenitudine tenore præſentium perpetuo extinguimus, & abolemus) ſed triennales tantum à Conuentu uniuſcuiuſque Monaſterij, & alias iuxta decreta ſacri Concilij Tridentini, & regularia ſuorum ordinum inſtituta eligantur, & præficiantur, quæ poſtmodum elapſo triennio, ſuis officijs perfunctę, præeſſe deſinant, omnique prorſus careant auctoritate, ac a regimine & adminiſtratione Monaſterij per triennium à die finitæ adminiſtrationis inchoandum abſtineant, quo elapſo, ſeruata eadẽ forma Concilij Tridentini, iterum, & pluries eligi poſſint. Diſtrictius inhibentes omnibus, & ſingulis dictorum Monaſteriorum Conuentibus, Superioribus, & perſonis, ne aliquam Abbatiſſam, aut aliã Prę fectam perpetuam, ſeu ad uitam, ſed triẽnalem tantum eligere, & præficere ullo modo audeant, uel præſumant. Quod ſi ſecus à quoquam quauis auctoritate fuerit attentatum; Electionem, & Præfectionem huiuſmodi, ac omnia, & ſingula, quæ inde ſequentur, irrita, nulla, & inania, nulliuſque roboris, uel momenti fore: Sicque per quoſcumque Iudices ordinarios, & delegatos quauis auctoritate fungentes, etiam cauſarũ Palatij Apoſtolici Auditores, ac Sanctæ Romanę Eccleſiæ Cardinales, ſublata eis, & eorum cuilibet quauis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, in quauis cauſa, & inſtantia iudicari, & diffiniri debere decernimus. Non obſtantibus conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac dictorum Monaſteriorum, & ordinum iuramento, confirmatione Apoſtolica, uel quauis firmitate alia roboris ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoq;, indultis, & literis Apoſtolicis eiidem Monaſterijs, eorumque Superioribus, & perſonis ſub

quibuſcun-

quibuſcunque tenoribus,& formis, ac cum quibuſuis clauſulis, & decretis in genere, uel in ſpecie, alias in contrarium quomodolibet concessis, confirmatis,& innouatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum tenores,ac ſi ad uerbum inſererentur præſentibus,pro ſufficienter expreſſis habentes,illis alias in ſuo robore permanſuris,hac uice dumtaxat ſpecialiter,& expreſſe derogamus,cæteriſq; contrarijs quibuſcunque. Cęterum quia difficile foret præſentes noſtras ad ſingula quęque loca,ubi neceſſarium fuerit deferre, uolumus quòd illarum trāſumptis manu alicuius Notarij publici ſubſcriptis, & ſigillo alicuius perſonę in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutę munitis,eadem prorſus fides in iudicio,& extra adhibeatur,quę præſentibus adhiberetur, ſi forēt exhibitę,uel oſtenſę. Dat.Romæ apud Sanctum Petrum,ſub annulo Piſcatoris, die prima Ianuarij. M D LXXXIII. Pontificatus Noſtri Anno Vndecimo.

Cæſ.Glorierius.

Anno à Natiuitate Domini milleſimo quingenteſimo octuageſimo tertio,indictione undecima, die uero quarta Menſis Ianuarij, Pontificatus Sanctiſſimi Domini noſtri Domini Gregorij diuina prouidentia Papę Decimitertij,Anno vndecimo,retroſcriptę litterę affixę,& publicatę fuerunt in acie campi Florę dimiſſa earum copia aufcultata, & collationata cum dictis literis in ualuis eiuſdem aciei affixę per me Ioannem Freile,curſ.S.D.N. Papæ.

Petrus Delbequez Magiſter Curſ.

ILluſtriſs.& Reuerediſs.in Chriſto Pater,& D. D. Carolus S. R. E. Cardinalis tit.S.Praxed.S. Eccl. Mediol. Archiepiſcopus,ubi primum hanc S.D.N.conſtitutionem accepit,ut omnibus ad quos ſpectat innoteſcat,primum Mediolani imprimi,tum Baſilicę Metropolitanę, acędium Archiepiſcopalium ualuis, alijsq; locis ſolitis publicè affigi, & ad Ruerendiſs.Dom.Epiſcopos comprouinciales mitti, omnibuſq; & ſingulis Monaſteriorum monialium conuentibus iu hac Ciuitate,& Diœceſi Mediolanenſi conſiſtētibus,& illis ſuperioribus regularibus, hic aliquam eiuſmodi Monaſteriorum curam habentibus eorum ſingulis dimiſſo exemplo autentico, ſolito Archiepiſcopali ſigillo Sancti Ambroſij communito, intimari mandauit. In quorum omnium fidem,& atteſtationem,ego Cancell. Archiepiſcopalis infraſcriptus manu mea ſubſcripſi. Ex Cancellaria Archiepiſcopali die x. Februarij. M D LXXXIII.

M.Ant.Bellinus Cancell.Archiep.

CONSTITVTIONES, ET DECRETA

De Cura Peſtilentiæ.

EX CONCILIO PROVINCIALI QVINTO MEDIOLANENSI EXTRACTA,

Et in hoc libello ſeparatim a Conſtitutionibus & Decretis alijs collocata.

Summarijs vnicuique Capiti præpoſitis.

Per Reuer. Presbyterum Dominicum Zucchinettum à Suna, Verbani Lacus Nouarienſis Diœceſis.

Indice rerum, & materiarum omnium hoc ipſo in libello contentarum copioſiſsimo.

CVM PRIVILEGIIS.

VENETIIS,
Apud Franciſcum de Franciſcis Senenſem.
M D XCV.

DE CVRA PESTILENTIAE.

CAP. I.

SVMMARIVM.

1 *Pestilentia, quæ loca inuaserit.*
2 *Pestilentiæ ius.*
3 *Pestis, ob Dei offensiones irruit.*

1 SVperioribus proximis annis funesta pestilentiæ contagio primùm vrbes aliquot Italiæ celeberrimas, oppida permulta, & pagos complures, deinde sensim longè, latèque dimanans, Mediolanum, eiusque Diœcesim ferè omnem, & aliquã Prouinciæ partẽ ità vehementer inuasit, vt multiplicem, variamque stragem ediderit. Quo afflictissimo tempore res multas commiseratione, lachrymis, luctuque dignas, & aliunde audiuimus, & oculis nostris in vrbe, Diœcesique Mediolanensi adspeximus.

2 Tanta enim illius uis est, tàmque vehemens, vt, cùm occultè in omnes partes progrediens, breui momento temporis, quasi repentino quodam impetu turbidæ tempestatis, homines obruat, teterrimi contagij metu omnes ferè consternentur. Quamobrem eo pauore animi commoti, atque obstupefacti plerique tantum abest, vt officij sui partes fortiter amplectantur, vt, quasi è mentis suæ statu repente dimoti, ne cogitare quidem, ne dùm deliberationes, consiliaque suscipere possint, quid in calamitate publica expediat, & quid planè necessarium sit. Alij verò eo metu affecti, dùm humanæ prudentiæ cautionibus se tueri volunt, eã sibi sollicitudinem, quæ tota mundanæ diligentiæ præsidijs nititur, ità præposterè struunt, vt religionis, pietatisque Christianæ, si omninò non obliuiscuntur, eius tamen officia intermittant: nàm sæpè fit, vt Missę sacrificio interesse, sacramenta suscipere, Ecclesiam frequentare, ad conciones sacras conuenire, supplicationes publicas, publicęque orationis munus obire negligant, & quos cognationis gradu coniunctissimos, quosque charos habent, si quãdo fortasse ij in pestiferam labem, aut in suspicionem eius inciderint; non modo illos non curent; sed etiam ab

ijs ipſis longè admodum refugiunt. Atque hęc quidem ipſa animi perculſio cùm eos inuadit, qui poteſtate, auctoritate, & opibus præſtant, certè multis partibus calamitoſior eſt, quàm omnis peſtis cõtagio, cùm inde non mora ſolum aliqua, ſed etiam impedimentum non mediocre procurationi, & apparatui remediorum afferatur, & alia deinde multa pernicioſa damna exiſtant. Immò, quod graue eſt, inde accidit, vt egẽtibus aliquando alimenta neceſſaria non ſuppeditentur; peſtiferis plagis medicina non adhibeatur, & ſubſidia ſpiritualia, id quod grauiſſimum eſt, interdum non miniſtrentur, Eccleſiaſticę ſtationes nonnullis in locis deſerantur, diuinorum officiorum cultus ſępè negligentior ſit, pietatisque Chriſtianę exercitationes langueſcant. In tanta igitur rerum difficultate pro paternę caritatis ſtudio, proque Archiepiſcopalis officij noſtri munere neceſſe habuimus multiplicem ſollicitudinem ſuſcipere, multos labores ſubire, multas functiones exequi, quas à paſtore gregi ſibi commiſſo præſtari, & Chriſtiana caritas, & Paſtoralis cura ratio efflagitabat. At omni rationi planè conſentaneum eſt, vt quemadmodum parens optimus, qui filios vnicè diligit, cùm in præſenti, tùm in futurum eis proſpicit, ac parat, quę ſunt ad vitæ cultum neceſſaria: ità nos paternę caritatis officio adducti, omni præcautione fidelibus Prouincię noſtrę, in hoc Concilio Prouinciali quinto conſulamus, prouideamusque deinceps, quę experiendo cognouimus, peſtilentię tempore ſalutaria eſſe adiumenta.

3 Id verò etiam maximè faciendum cenſuimus, cùm præſertim ſubuerendum ſit, nè aliquando ob eaſdem Dei offenſiones, ob malèq; facta, quorum ſeminaria nondum euulſa ſunt, iterum illa peſtifera labes in Prouinciam noſtram irruat. Atque hęc quidem ipſa ob eam præterea cauſam precauere voluimus, quòd cùm peſtis ius ſubito irrumpat, atque dimanet, non modo de ijs, quę opportuna ſunt, maturè deliberandi, conſultandique tempus relinquit, ſed celerrimè agendi neceſſitatem omnem imponit. Accedit etiam, quòd illius calamitatis, atque incommodorum recens memoria cùm ſit, ac recordatio, hoc tempore facilius multò eſt, quàm multis poſt annis eo de genere adiumenta opportuna excogitare, conſiliaque adhibere, dum præſertim ſuperſtites adhuc ſunt, qui ſemel peſtiferę contagionis mala, & detrimenta experti ſunt. Eſt verò illa item ratio, quod, cùm nos in hoc Prouinciali cõuentu, ſpiritualibus præſidijs, miſericordięque operibus, è caritatis fonte manantibus, vniuerſos, & ſingulos omnis generis, & ordinis homines in peſtilentię tempore inſtruimus; hęc tota noſtra, vel inſtructio, vel precautio eò refertur, vt officiorum ſanctitate, & operũ religione, quaſi pro publicę valetudinis recuperatę munere, grati animi erga Deum teſtimonia demus, atque offeramus.

Partitio

Partitio officiorum, quæ peſtilentiæ tempore præſtanda ſunt. Cap. II.

SVMMARIVM.

1 *Caritatis officia multa peſtilentiæ tempore præſtanda.*
2 *Officiorum ipſorum alia propria, & alia communia: & ad quos illa ſpectent.*

1 Vnt igitur permulta officia, quę peſtilentibus tẽporibus Chriſtiana charitas docet præſtanda eſſe, ſiue tempus ſpectetur, quò primùm peſtis ſuſpicio, periculumuè imminet; ſiue locus inſpiciatur; in cuius viſcera, illa miſerandum in modum ſeſe infudit; ſiue hoc ipſum conſideretur, cùm ſcilicet, ea paulatim langueſcente, non ſolũ ſpes recuperandę publicę ualetudinis oſtenditur, ſed, cùm omnem à morbo confirmationem maior in dies progreſſio fiat, demùm omnis inde conualeſcentia exiſtit.

2 Atque in ijs quidem officijs alia propria vniuſcuiuſque ſunt, vtpotè Epiſcopi, & Parochi, & Cleri, tàm ſęcularis, quàm Regularis, & Magiſtratus, & patrisfamilias, & omnis deniq; populi: alia uerò quędam communia, quę eiuſmodi ſunt, unde illa, quę propriè, pręcipuèque à ſingulis præſtanda ſunt, proficiſcuntur, atque emanant.

Officia multiplicis conſiderationis communia. Cap. III.

SVMMARIVM.

1 *Officia Communia cuius conſiderationis.* 2. 3.
2 *Peccatum, peſtilentiæ cauſa.*
4 *Ad eam auertendam, quæ remedia adhibenda: Quodque ea in re Epiſcopi, Parochi, & Concionatoris officium.* 5.

1 N communibus porrò officijs, in quorũ aſſidua cogitatione, atque vſu omnes ſeſe piè exercebunt, hęc ſanè erunt. Primùm ſecum tota mentis cogitatione, totoq; animo reputabunt omnes homines, quę, & quanta peſtilentię uis ſit, quàm tetra illius contagio, quantas, & quàm uarias

ſtrages breui edat; quàm multas miſerias, quàmque horribiles calamitates rebus publicis importet; quàm breui animi conſternatione cunctos uel fortiſſimos uiros aliquando afficiat; quàm ualdè ob eã cauſam formidoloſa, quòd ità de repentè ab hoc ſæculo ad tremendum illud Chriſti Domini iudicium animas abripit.

Deinde attentiſſima meditatione conſiderabunt, à quo peſtifera illa lues exiſtat, nempè à Deo, cuius uoluntati in primis illam acceptam referent. Dauid enim, optione data trium calamitatum, peſtis, famis, & belli, in ea deliberandi facultate peſtilentiam maluit, cùm dixerit, malle ſe in manus Dei, quàm hominum incidere.

2 Tùm cauſas, quamobrem peſte Deus mortales affligat, diligenti indagatione perquirent. Atque in ijs quidem cauſis cùm multę alię afferantur, ob quas calamitatibus, miſerijs, aduerſisque rebus homines ille diuexet, tamen hoc ſibi certò perſuadeant, quod à ſanctiſſimis patribus traditum eſt, cùm Dei maieſtatem multis hominum peccatis, flagitijsque lędi, ac uiolari uident, hanc ipſam cauſam potius eſſe, cur is calamitates, & plagas infligat; eo tamen Concilio, ut in uiam reducat homines, ne, ut ait S. Paulus, cum hoc mundo damnentur.

3 In eã prętereà cogitationem incumbent, quàm multiplex, quàmque ampla materia, & quaſi ſeges Chriſtianę uirtutis, caritatisque exercendę detur illa tam graui afflictione, grauiſſimisque illis, & permultis difficultatibus, quas ſecum peſtilentia inuehit. Qua in cogitatione uideant ſimul meritorũ, quibus adiutrice diuina gratia, ad cœlũ via munitur, fructus inde extare poſſe, & ampliſſimos, & uberrimos.

Hæc porrò per ſe ſatis explorata ſunt, meditationum, cogitationũque officia, in quibus peſtilenti tempore fideles aſſiduè verſabuntur: ſed multa inde conſequuntur, quæ eo ipſo præſertim tempore in omnium animis, mentibuſque perpetuò infixa inhærere debent.

Atqui in ijs illud maximè ſibi propoſitum habebunt, quantò anima corpori præſtat, tantò ſtudioſius animæ cura, & ſollicitudo, corporis incolumitati, & ſtudio in periculo præferenda eſt, in quo, & anima, & corpus eo peſtilenti tempore verſatur.

Immò verò illud pro certo, exploratoque habeant, à Deo potiſſimùm, & publicam, & priuatam ſingulorum incolumitatem, proſperãque corporis valetudinem omni pietatis officio implorari oportere: niſi Dominus cuſtodierit ciuitatem, fruſtrà vigilat, qui cuſtodit eam, inquit propheta. Quamobrem ſciant, ſpem omnem irritam, atque inanem eſſe, quæ Dei ope inprimis non nititur, ſed tota ſolum, uel in humana prudentia, diligentiauè, aut in rerum copia, atque opibus, aut in corporis robore & viribus, aut in alijs id generis preſidijs collocatur.

4 In animum autem perpetuò inducent, recuperandę, & publicę & priuatę

priuatę valetudinis,incolumitatisque eas potissimùm rationes esse,quę ad Dei gratiam reconciliandam, ad veram peccatorum pœnitentiam, ad prauos vsus emendandos diligentissimè conferuntur. Iis porrò officijs, & rationibus neglectis, aut prætermissis,cætera putabunt parum valere, imò planè inutilia esse,illa verò etiam pernicioſa admodùm remedia,quæ secum peccatum coniunctum habent.

Hæc omnia cùm sibi quisq; perpetuò persuasa habeat, tùm maximè & priuatis colloquijs, & publicis concionibus non solùm Episcopus, sed Parochi, & concionatores pro suo quisque munere, hominum mentibus quàm diligentissimè inserere studebunt, tamquàm semina quædam officiorum ferè omnium Christianorum,quæ infrà explicata,& demonstrata pestilentibus temporibus præstanda sunt. His porrò officijs cogitationum meditationumque certarum, quas eo de genere sibi fideles animo rectissimè conceperint,instructi,non modo nō languescent; sed valdè etiam se excitabunt in omnes partes præstandi Christianæ caritatis opera.

De Præsentia, & Constantia omnium. Cap. IIII.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi, Parochorum. 3. Sacerdotum. 4. Clericorum, Magistratuum. Populi. 5.* } *præsentia, & constantia tempore pestis.*

2 *Episcopi exemplum, & officium in alijs ad constantiam cohortandis.*

1 NVllo vmquam tempore, vel afflictissimo, aut Episcopi sollicitudo, aut Sacerdotum ministerium, aut magistratuum, decurionum, & aliorum omnium, qui præsertim prudentia, fortitudine,constantia,caritate, alijsque virtutibus præstant, studio quàm diligentissimo opus est; certè in pestilentia, cuius immanissima vi, repentinoque impetu cuncta, nisi eorum virtute fulciantur,breui labuntur,atque ruunt,est maximè necessarium. Itaque ij omnes,singulique laboranti patriæ,& auctoritate,& exemplo,& muneris commissi officiō opem

necessario tempore ferre studebunt: proindeq; non modo illam non deserent, vt imperita multitudo aliquando factitare consueuit, vtpotè quæ ab omni consilio inops vulgo consternata, ac sola tantum pestis voce perculsa longè refugit; sed in eius custodia, quasique vigilia ità permanebunt, vt à rebus, & publicis, & priuatis, quibus eorum potestate, aut officio, virtuteque succurrendum est, oculos nunquàm deijciant.

Nec verò in tanta omnium perturbatione, ac trepidatione, animo demisso, & contracto erunt, sed forti, magno, atque adeò paratissimo ad omnia caritatis officia, & ministeria. Neque propterea in ancipiti deliberatione versabuntur, aut in quæstionem adducent, quæ ipsi officia necessario præstare debeant, quæ rursùs minùs necessaria, quouè illis præstandis deuincti, sed ardenti dilectionis, & pietatis studio incensi, cuncta potius ijs officijs metientur, quæ sibi, in summa ea necessitate, periculouè constitutis, præstari ab alijs maximè velint.

Hanc ipsam porrò rationem, atque vsum in populis, etiam finitimis peste, aliauè calamitate ob pestem afflictis, subleuandis, & adiuuandis adhibebunt.

Et quoniam cunctis alijs studijs, atque officijs potior, multisque partibus præstantior est spiritualis cura, paternaque caritas, quam Episcopus, Parochi, animarum Curatores, & Sacerdotes, tamquàm optimi parentes de filiorum salute solliciti, omni paterno studio conferunt: ideo ipsos in primis admonemus, vt præsentes adsint pestilentiæ tempore, quo fideles opus admodum habent, & ipsius Episcopi auxilio, & eorundem Parochorum, Sacerdotumuè ministerio, cùm ad cætera omnia caritatis, misericordiæque opera, atque officia, tùm maximè ad spiritualia adiumenta, & ad Deum non solum precibus, sanctissimisque orationibus, sed etiam omni alia ratione placandum.

2 Quamobrem ob oculos sibi proposito tàm magno populi sibi commissi, periculo, paternæ caritatis viscera indutus, constantique illa Episcopalis animi virtute præditus, quæcumque pietatis officia à parente optimo, filijs præstari afflictissimo illo tempore oporteat, ea studio, & ministerio suo ità præstabit, vt ad omnia caritatis Christianæ opera cæteri homines inflammentur, cùm maximè singulari, & egregia illo suo exemplo, tùm verò etiam pio quodam ardore sanctarum cohortationum, quas ad Clerum, ad populum, ad magistratus, decurionesq; præsertim adhibebit, vt vniuscuiusque studium officiumque tùm vniuersè, tùm sigillatim excitet, & inflammet, cunctosque in curæ suæ officijs constantissimè contineat.

3 Parochi autem, animarumuè curatores, tantum abest, vt necessario eo tempore populum, cuius curam gerunt, aliquo modo destituant, vt fixa animi deliberatione sibi statuendum putent, omnia prorsùs, etiam

mortis

mortis pericula paratissimo animo subire potius, quàm fideles, Christi sanguine redemptos, ac sibi præcipuè in curam traditos, in summa penè omnium adiumentorum necessitate deserere.

4 Reliqui etiam Sacerdotes,& Clerici, qui Ecclesiæ stipendio aluntur,vt Dei laudes concelebrent,precesque pro populo adhibeant, tunc maximè intelligent, sibi in statione, & quasi in perenni vigilia quadã Sacerdotali, & Clericali manendũ esse; cùm diuinæ iræ placatio exoretur oportet,supplicationibus,litanijs, sacrificijs, frequenti sacramentorum vsu, & alijs Christianæ religionis ministerijs,quæ potissimùm sacerdotalis officij sunt.

5 Populus uerò non modo longius à patria, quę una omnes omniũ charitates complectitur, non refugiet; sed prę illius amore persistet; hocque unum sibi præscribet,ut ereptis morum erroribus, conuulsisq; uitiorum seminibus, unde pestiferam labem,atque exitium comparatum esse existimare debet,criminum, & peccatorum, quæcumque cõceperit,admiserituè,uerè sanctèque pœniteat, & uitæ emendandę propositum, fixa deliberatione suscipiat, supplex item quàm frequentissimè ad Deum confugiat, qui in medio etiam nubis, & afflictionis arcum propitiationis suæ ostendit, funestaque ęrumna oppressos,suę itẽ diuinę benignitatis ope subleuat.

Episcopi sollicitudo in orationibus publicis. Cap. V.

SVMMARIVM.

1 *Processiones triduanæ ab Episcopo indicendæ.*
2 *Et qua humilitate agendæ.*
3 *Oratio quadraginta horarum celebranda; in qua sermo singulis horis habendus.*
4 *Peccatorum confessio, & communio.*
5 *Processiones vniuscuiusque Collegij.*
6 *Statio certarum Ecclesiarum.*
7 *Oratio matutina, & vespertina.*
8 *Oratio sine intermissione.*
9 *Litaniæ quotidianæ.*
10 *Ieiunium, feria sexta, & Sabbatho.*
11 *Benedictio ædium.*
12 *Litteræ ad Metropolitanum,& alios Episcopos.*

Iam

1 IAm uerò Episcopus, ad quem gregis custodiendi perpetua cura refertur, ut uniuersi populi supplicantis religiosa, solemnique oratione Deum
2 placet, cùm primùm in locis finitimis pestis grassatur, certas, statasque publicas processiones triduanas non semel; sed iterum, atque adeò sæpius, si opus erit, & in urbe, & Diœcesi indicet, quas ieiunio, eleemosyna, sacco, cilicio, omniq; mœsto, & lugubri amictu, pedibus nudis, capite aperto, omni pœnitentiæ publicæ modo, uocibus ex intimo animo ad misericordiæ implorationem emissis, gemitu, lachrymis profusis, intentissimo assiduarum precum studio, & omni denique non externo solum, sed interno pietatis religioseq; officio sanctè agi, atque celebrari studebit.

Ad quas processiones etiam sanctorum reliquias sacras, præsertim, quæ insigniores sunt, uniuersè aliquando adhibebit.

3 Statam illam, & solemnem orationem quadraginta horarum, religiosè celebrabit: ad quam uniuersus Clerus, & populus, per certas regiones, & Parochias distinctus, ex Concilij Prouincialis quarti decreto, piè, & ordine conueniat. Atque in eius quidem celebritate, quò religiosius omnis Clerus, populusque ad publicæ precationis studium excitetur, sermo breuis statis singulis horis à perito Sacerdote, qui orátes ꝛehementius inflammet.

4 Curabit etiam, ut omnes, & singuli peccata confessi, certo dominico: alioquè festo die, sacram communionem sanctè sumant.

5 Statas præterea processiones, quæ speciatim ab uniuerso uniuscuiusq; Collegiatæ Ecclesiæ Clero, etiam Regulari, & ab unaquaque Ciuitatis, uel Diœcesis regione in singulas hebdomadas fiant, certo præscripto modo instituet.

6 Certarum Ecclesiarum, in quibus præsertim insignia pietatis & religionis monimenta extant, uisitationem constituet, ut ad eas scilicet supplicandi causa, ac studio, uniuscuiusque uicinię Parochialis populus collegiatim certis diebus conueniat.

7 Orationem matutinam, ac vespertinam ardentius excitabit: & verò, vbi intermissa est, restituet quàm diligentissimè.

8 Orationem item sine intermissione, vbique, & in vrbe, & in Diœcesi, certa Parochialium, Collegiatarumque Ecclesiarum, ac Monasteriorum præterea distinctione indicet, atque statuet.

9 Litaniarum etiam quotidianarum, quas, & domi, & foris, certis locis, in Ecclesijsque præsertim adhiberi curabit, certam rationem inibit.

10 Ieiunium, si minus in hebdomada pluribus diebus, at in feria sexta sal-

ta ſaltem, vel Sabbatho, præter ſtatos vigiliarum dies à populo agi ſuadebit: alia prętereà verę pœnitentiæ ſigna, diuinę miſericordiæ implorandę ſtudio ſuſcipienda, demonſtrabit.

11 In ijs quoque religioſis adiumentis illud etiam adhibebit, vt vniuſcuiuſque Parochię ędibus, domicilijs, & habitationibus Parochi ſinguli, ſtata religioſa prece ritè benedicant, ad inſtructionis, eo de genere in hoc Concilio editę, preſcriptum.

12 Vt autem denique totius Prouincię populi ſupplicatione etiam adiuuetur, eo neceſſario tempore litteras de periculo, ſuſpicioneuè peſtilentię ad Metropolitanum, cęteroſque Prouincię Epiſcopos celerrimè ſcribet.

Cura Metropolitani, & Prouincialium Epiſcoporum. Cap. VI.

SVMMARIVM.

1 *Metropolitani cura, quæ pietatis opera indicenda, Diœceſi Prouinciæ peſte affecta. 3.*
2 *Coepiſcoporum quæ item officia præſtanda.*

1 PEſtilentiæ, quæ vrbi, locouè Prouinciali immineat, periculo audito, Metropolitanus eam curã, cogitationemque ſuſcipiet, vt non ſolum in Metropolitana vrbe, eiuſque Diœceſi; ſed in vniuerſa Prouincia ſupplicationem, orationem, & alia pietatis opera indicat, litteris omni cohortatione plenis.

2 Reliqui Prouinciæ Epiſcopi ei, cuius Diœceſis ex peſtis periculo laborat, caritatis officia nauare non different.

Illi animum, ſpiritumque addent, & maiorem omni officiorum oratione facient, ad Epiſcopalis, paternęque caritatis partes in peſtilentia, ſi irrepſerit, exercendas. Quod officium ſępius pręſtabit vicinior Eps.

Propoſito etiam exemplo ſanctiſſimi Pontificis Cornelij, & beati Cypriani Epiſcopi, martyrum, quorum alter alteri, in laboribus, & periculis verſanti, litteras plenas conſolationis ſcribebat, Epiſcopum crebris litteris conſolabuntur item, & confirmabunt.

Curam etiam aliquam inibunt, ut de illius, & Diœceſis, & urbis ſtatu certiores aliquando fiant, quo ardentiori ſtudio flagrent ſubleuandi neceſſitates.

Stude-

Studebunt in primis ei opem afferre tùm oratione, publicisque supplicationibus, tum etiam eleemosynarum, prout vnusquisque poterit, largitionibus.

Omnem aliam prętereà rationem quisque diligentissimè exquiret, qua fratris Episcopi, eiusque etiam populi periculo, & difficultatibus, cum eo coniunctis, opportunè, ac benignè succurratur.

3 Id omne pietatis officium Metropolitanus longè flagrantiori studio præstabit, ut eius exemplo, ac documento cæteri Prouincialis inflammentur ad rei pię inuitationem.

Sollicitudo Episcopi in morum corruptelis eripiendis. Cap. VII.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi, quæ sollicitudo in morum corruptelis eripiendis.*
2 *In officijs pietatis ad vsum reuocandis.*
3 *Vitæ Episcopalis conformatio.*
4 *Familiæ Episcopalis disciplina sanctior.*
5 *Fori Episcopalis recognitio.*
6 *Inuestigatio Clericalis disciplinæ.*
7 *Synodi Diœcesanæ celebratio.*
8 *Vicariorum foraneorum euocatio.*
9 *Confessariorum, & Concionatorum congregatio.*
10 *Cleri, & Parochorum conuocatio.*
11 *Monasteriorum virorum & Monialium Locorum piorum* } *reformatio.*
12 *Confratriarum.*
13 *Ciuitatis, & populi vniuersi morum conformatio.*

1 EPiscopus prętereà, cuius Diœcesis in periculo pestis versatur, tunc in primis accuratè inuestiget, quę potissimùm corruptelę, quę publica peccata sint, & quę scelera, flagitiaue, quibus Deus maximè offendatur, eiusque ira concitetur. Hęc igitur cùm funditus cõuellere studeat, tùm verò ea, quęcumq, sint diuino cultui repugnantia.

2 Ac rursùs, omnia pietatis officia in vsum vt diligentissimè reuocentur, sedulò curabit.

San-

3 Sanctioris disciplinæ initium à se faciet, perinde ac si peccatis suis potissimùm pestilentiæ, qua populus affligitur, causam dedisset; proinde in eo attentè figet oculos, vt accuratè perspiciat, quid à se velit Deus, quid iubeat, quid prohibeat.

Ad normam voluntatis diuinæ omnia sua consilia, omnes cogitationes, omnia opera, & verba, omnes denique vitæ suæ rationes cõformabit: & officij sui pastoralis momenta diuini iudicij legibus perpendet. Et sua, & populi peccata pijs, & crebris gemitibus deplorabit.

Assidua prece, summaque sanctissimę orationibus contentione, diuini luminis illustrationem sibi deposcet, vt omnia videre, omnibus cõsulere, esse pro omnibus vehementer sollicitus; & omnia denique quę ad populi sui curam rectissimam pertinent, circumspicere, & mentis oculos collustrare, necessario tempore possit, supplex perpetuò Deum orabit, vt disiectis peccatorum nubibus, pluuiam, & rorem diuinę suę misericordię effundat in populum suę curę commissum.

4 Cùm igitur vitę suę rationes diligenter examinabit, cunctaque videbit, quę à se prestari oportet, vt nõ modo in graui culpa; sed in nulla quidem, vel minima offensa sit apud Deum; tùm familię institutа, mores, omnem denique disciplinam recognoscet; & omnia non tantum vniuersè, sed speciatim, sigillatimque diligentissimè perlustrabit.

Tantumque quò ad eius fieri humanitus poterit, aberit, vt quicquàm offensionis, culpæue in illo quoquàm residere patiatur, vt statuat potius, quasi nexu disciplinę sanctissimæ deuincire omnem familiam, ac domum Episcopalem, quę, tamquàm officina Christianarum virtutum, cæteris exposita esse debet ad imitationem.

5 Fori prętereà sui Ecclesiastici rationem, atque vsum omnem explorabit, hocque attentius, ac diligentius, quò grauiores Dei offensiones, & iniquè factis iniquisque iudicijs existere solent.

6 Perueltigabit etiam, ac dispiciet attentissimè Ecclesię suę Cathedralis, & Cleri illius disciplinam; in qua, si quid vel vniuersè, vel speciatim offendi animaduerterit, studiosissimè emendabit, & corriget; cùm pręsertim inde documenta omnis optimę institutionis, & normę sumi conueniat.

7 Vt verò reliquis omnibus, in quibus aliqua offensio subesse possit, prospiciatuè, & consulatur, Synodum Diœcesanam, si expedire censuerit, diligentissimè habebit, in qua pręcauebit, quę opportuna, quæ necessaria, quæque salutaria maximè erunt, pro temporis ratione.

8 At si minùs Synodum coget, saltem Vicarios foraneos ob eam ipsam causam euocabit, vt non in vrbe solum, sed in omni Diœcesis parte, etiam diligenter, depulsis morum erroribus, profligatis publicis offensionibus, euulsisque malefactorum seminibus omnis vitę emendatio,

tio,& disciplinę Christiano nomine dignę instauratio, atque adeò institutio, procuretur.

9 Hoc idem,quò in omnes partes rectè, sanctèque agendi studium vehementius excitetur, cùm Sacerdotibus confessarijs, & concionatoribus aget quam diligentissimè.

10 Reliquum etiam Ciuitatis Clerum sęcularem,& Parochos potissimùm sępius conuocabit; quos omnes cùm ad uitę innocentiã, tùm ad uirtutes, quæ in Sacerdotali, Clericalique ordine elucere debent, eorumque officia, vsque adeò excitabit, vt salutaris inde fructus in populum deriuetur.

11 Præfectos item monasteriorum cuiusuis ordinis, quæ in ciuitate sunt, ad se aliquando accerset; quibus cum omni cohortatione, sanctisq; admonitionibus, & ijs quidem frequentibus,vbi opus erit,aget, ut in omni monasterio, tùm virorum, tùm etiam feminarum, si quæ illorum curæ commissę sunt, sanctè, religiosèque viuatur, quemadmodum ex susceptI ordinis instituto ab ijs fieri oportet, qui in religionem se Deo dicarunt. Monialium verò, quarum curam gerit, reformationis rationem omnem suscipiet,& exequetur: quò sanctius illæ religionis officijs deditæ, calamitati publicæ,& vitæ meritis, & oratione, precationibusque succurant.

12 Itidem agere non desistet cum præfectis, curatoribus, ministrisuè locorum piorum, & cum cæteris item piarum confratriarum, scholarumuè hominibus.

13 Nec verò peccata, & offensiones publicas dissimulabit, si quis in eo,qui ciuitati præest, in magistratibus, in decurionibusque inesse perspexerit: sed annunciabit eis errata, in quibus offendunt. Nihilque ad salutem publicam potius esse ostendet, quàm ab illis in primis pietatis Christianæ opera vnicè coli,quàmque iustitiæ munus,& officium depulso omnis cupiditatis dominatu, rectissimè, atque æquissimè omnibus administrari.

Omni etiam officij genere cum eisdem aget, atque hoc sedulò instabit, & vrgebit, ut publica auctoritate, publicoque decreto, si modo res eiusmodi est, de qua per illos decerni liceat, tollantur, & radicitus extirpentur, quæcumque sunt, ob quæ Deus palàm præsertim ac publicè offendatur.

De populi denique vniuersi disciplina conformanda,& peccatis tollendis, ad quę procliuius, frequentiusuè prolabitur, omnem rationem etiam cum Sacerdotibus inibit,totus in ea cura defixus, vt à Dei offensionibus ad virtutum Christianarum officia illum planè reuocet.

Immò verò hoc etiam valdè studebit, vt voluptariæ omnes actiones, in quibus vulgi multitudo aliquando versatur, inani opinatione,

cum

cùm putet, pestilentiam mundanis lætitijs facilius caueri, omninò abijciantur, quales sunt saltationes, profanæ cantiones, commessationes, crapulæ, & cætera eius generis: quibus plerumque multa peccata coniuncta sunt.

Populum quoque inducere procurabit, & ad constituendum profusis sumptibus modum, & ad inueteretas malas consuetudines detestandas, atque planè abijciendas.

Id omne non solùm cum populo Ciuitatis; sed etiam cum Diœcesano paterna sollicitudine aget.

Accerset prætereà ad se omnes præfectos vniuscuiusque collegij, etiam artificum; quorum operam, & diligentiam adhibebit ad rescindendos prauos vsus, si qui in eorum collegijs, aut artificijs sunt, vnde aliqua Dei offensio existat.

Patribus familias illud magnoperè suadebit, vt aleatorij ludi, imprecationes, blasphemiæ, verba impura, & turpia, impudicę choreę, saltationes, pompæ, luxus, profusa conuiuia, & cætera, quę ab intemperantia manant, procul ab omni domo arceantur.

Omnes verò, & vrbis, & Diœcesis partes cùm ipse accurrendo inuiset; tùm alios probatos viros Ecclesiasticos ob eam causam nomine suo mittet: & verò quæ opportuna sunt, curabit, atque adeò exequetur, vt nulla ex parte optimi parentis, vigilantisque pastoris cura, studium, vel ministerium desideretur.

Singulorum crimina diligentius inuestigabit, quæ præsertim cùm diuturnioria sint, ad iræ diuinæ concitationem plus roboris habent, ut adulteria, concubinatus, vsuræ, nefarij contractus, bonorum Ecclesiasticorum vsurpationes, res malè partæ, & alia eiusdem generis, quibus præsens, salutareque remedium accommodabit.

Quamobrem vnumquemque, quasi somno obliuionis in peccatis dormientem excitabit, ut opus erit, ad pœnitẽtiam, ad lachrymas, & flagitiorum detestationem, depulsionemque ut re ipsa præstet, quæ cum disciplinæ Christianæ rationibus, & studijs conueniunt.

Pacem, & concordiam inter dissidentes reconciliabit.

Lites componere, controuersias dirimere, cuncta cuiusuis generis discidia tollere, tumultatem, & odia restinguere, factionum semina conuellere studebit.

Quæ malè parta sunt, malèque ablata restitui curabit.

Omnes denique pastoralis officij, atque auctoritatis neruos eò intendet, vt & offensis publicis sublatis, & disciplinæ Christianę sanctionibus institutis, & omni rectè agendi studio, omnique Christianarum virtutum vsu, & exercitatione ab uniuerso Clero, populoque implorentur, atque exoretur misericordia Dei.

Cura

Cura in alijs cautionibus tuendæ publicæ valetudinis. Cap. VIII.

SVMMARIVM.

1 *Tuendæ publicæ valetudinis causa edicta, & qualia ab Episcopo proponenda.* 2.
Præfecto Regionario.
3 *Vicario foraneo.* } *quæ facultates concedendæ.*
Visitatoribus.
Parochi
4 *Ecclesiasticorum aliorum* } *cura, & cautio in publica valetudine*
Magistratus } *procuranda.*
5 *Decurionum.*

1 IIs adiumentis spiritualibus alias cautiones Episcopus adhibebit. Atque in primis quidem edictis Episcopalibus, aliaque omni ratione de publica ualetudine tuenda certas rationes inibit, atq; edicet, quas cùm in locis Ecclesiasticis, tùm ab hominibus Clericalis ordinis, ab alijsque Episcopali iurisdictioni subiectis inuiolatè ob bonum publicum seruari mandabit.

2 In omni autem deliberatione, & cautione, quam tuendæ publicæ incolumitatis causa suscipiet, id studebit, vt consulationibus cum magistratu sanitatis habitis, quicquid ipse eo nomine cauerit, cum illius publicis edictis, ad ualetudinis publicæ commodum, piè & rectè pertinentibus, non dissentiat, nec discrepet; sed in omni eius generis ratione, quæ ad bonum publicum tota refertur, vnus, idemque sit vtriusque consensus, summaque in re adiuuanda publica charitatis conspiratio.

3 Idem præter ea, quæ hac instructione demõstrata sunt, potestatem etiam præfecto regionario, & Vicario foraneo, ac alijs visitatoribus faciet, alia non modo generatim, sed speciatim statuendi, atque exequendi, quę in pestifera contagione vtilia opportuna, & necessaria illi viderint ad publicam ualetudinem tuendam, quę ab Episcopalibus præscriptis, & regulis non discrepent.

Quicquid verò illi agent, opportunèque ac necessariò statuent, id quàm primùm Episcopo significabunt.

In omni autem re, quam Magistratus sanitatis aget, vel cauebit, publicæ

blicæ valetudinis cauſa, operam dabunt, vt diligentem eius cautionem, ſtudiaque imitentur ad Epiſcopalium regularum præſcriptum.

4 Parochi etiam, cæterique Eccleſiaſtici homines id vnum quoque maximè ſtudebunt, vt publicam ualetudinem omni charitatis officio curent, ac prætereà in executionis vſum accuratiſſimè perducant quæcumque non ſolùm hac inſtructione explicata ſunt; ſed quę Epiſcopus hoc ipſo de genere, prout opportuna viderit, publicæ ſalutis cauſa ſtatuerit, & quæ item præfectus regionarius, aut Vicarius foraneus, aliuſuè viſitator monuerit, mandarituè: immo etiam ſi Clericalis ordinis homines ſunt, qui intrà alicuius Parochię fines habitant, illa quoque ſeruabunt, quęcumque vel ex hac inſtructione, vel ex Epiſcopi voluntate, vel alia iuſta ratione Parochus commune fecerit.

Quæ prętereà à magiſtratibus Decurionibuſuè ad eam publicę incolumitatis rationem piè, ac vtiliter conſtituentur, eadem, vt à populo planè ſeruentur, omni cohortationis officio monebunt.

5 Magiſtratus autem, & decuriones, vt eidem publicę valetudini proſpiciatur, & conſulatur, cùm omnia ſapienter Chriſtianęque pietati congruenter agent, tùm valdè cauebunt, quę diuino cultui, & caritatis officijs cùm impedimentum afferre poſſint, illa maximè fugienda, ſuo loco infrà demonſtramus, ac vehementer in Domino monemus.

Sollicitudo in vniuſcuiuſque præparatione ſpirituali. Cap. IX.

SVMMARIVM.

1 *Epiſcopi ſollicitudo in confirmationis ſacramento miniſtrando.*
2 *In generali peccatorum confeſſione agenda.*
3 *In ſacramentorum pœnitentiæ, & Euchariſtiæ frequentatione.*
4 *In hortando ad pietatis operum exercitationem.*
In ſuadendo, vt æs alienum diſſoluatur.
Vt lites componantur.
5 *Vt teſtamenta conficiantur.*
Vt res domeſticæ, ante mortem, explicentur.
Præfectorum Regionariorum.
Vicariorum foraneorum.
6 *Viſitatorum.*
Parochorum.
Præfectorum Collegijs, & Confraternitatibus.
} *ſollicitudo eadem, quæ ſuprà Epiſcopo præſcripta.*

1 SOllicitus prętereà in eo Episcopus erit, vt imminenti illo pestis periculo, confirmationis sacramentum, quibus per ætatem, ex doctrina Romani Cathechismi ministrandum est, vbique ministret; cùm illi, si pestis irruet, in eo statu futuri sint, vt periculum mortis non modo in singulas horas, sed in singula momẽta pertimescãt.

2 Id etiam sedulò curabit, vt suę quisque conscientię latebris diligentissimè discussis, omnis antè actę vitę peccata confiteatur.

3 Tùm etiam, vt ad tàm salutare pœnitentię sacramentum omnis frequenter accedat; ità vt cùm quis se peccati mortalis labe inquinatum esse conscius erit eo sacramento illud expiare quàm primùm studeat: nec verò ad extremum differat, cùm non modo suspiciari sed certè omninò timere possit, ac debeat, si pestis Dei permissu irruerit, illo pestilenti tẽpore maxima cum difficultate ibi pręstò fore subsidia tàm corporis, quàm animę.

Itidem ad frequentem sanctissimæ Eucharistię vsum fideles omni studio accendet; & vt saltem semel in hebdomada illam sumant.

4 Ad ea, quibus Dei iram placari, eiusque misericordiam implorari compertum est, pietatis opera, præsertim ad assiduam orationem, ad ieiunium, ad eleemosynam crebrò hortetur. Ad cuius largitiones vberiores populum fidelem valde etiam incendet, illud singulare exemplum Ethnicorum, qui euangelicę lucis expertes, cùm in grauissimam pestem olim inciderint, opinione persuasi, eam sibi calamitatem inflictam esse, quòd nullum pietatis studium, nullumque beneficentię, liberalitatisque officium egentibus hominibus contulerint, ad eà propulsandam id Cõsilij adhibuerunt, vt eorum domus, officinę, tabernę, indigentibus, ac pauperibus paterent, qui inde res, quas propterea palam omnibus exposuerant, ad vitæ vsum necessarias, gratis, liberèque sumerent.

5 Ab omnibus, eo pestis imminentis periculo proposito, domui suæ disponi, & consuli suadebit, vt scilicet vnusquisque æs alienum, si quod contraxit, rectè dissoluat, nomina quæcumque explicet; lites componat, transigatuè: testamentum conficiat; nec denique res domesticas contractas, difficultatibusq; implicatas relinquat; nè fortasse, si mors, vt in pestilentia euenire solet, continuò oppresserit, sibi, liberis, bonisque suis rectè consulere minus possit: indeque propterea vel litium, discordiarumuè inter filios, agnatosuè semina, vel æris alieni soluendi difficultates, tardioresuè solutiones, vel controuersiæ aliæ, & quod graue est, spiritualia incommoda existant, quæ animæ saluti detrimentum, perniciemuè afferant.

Hæc

6 Hæc eadē sanè omnia, & singula officia, in regione sibi commissa, & præfecti regionarij, & Vicarij foranei, & visitatores, & Parochi in Parochiali vicinia ex Episcopi instructione, & præscripto pro suo quisque munere præstare, atque exequi studebunt.

Hæc itidem ipsa pro sui muneris partibus cùm in collegijs, confraternitatibusque præfecti, tùm in ædibus priuatis curabunt diligēti studio, omnique caritatis contentione.

Præparatio adiumentorum spiritualium peste imminente. Cap. X.

SVMMARIVM.

1 *Confessariorum. Concionatorum. 2 Sacerdotum. 3. 3 Visitatorum.* } *præparatio, & deputatio, curante Episcopo.*
4 *Indulgentiarum à Summo Pontifice procuratio, & pro quibus.*
5 *Librorum spiritualium delectus.*
6 *Facultatum à Summo Pont. impetratio, & quarum.*
7 *A Metropolitano item; & quibus illæ concedendæ.*

1 EPiscopus verò omnia adiumenta, antequàm pestis populum inuadat, diligenter conquirat, & parare studeat, quibus fiat, vt, si pestis ingrueret, nè quid illis populis, quos inuaserit, desit; neque ad animæ salutem, neque ad corporis medicamentum victum, & curam.

Confessarios, concionatoréque quorum ministerio, operaue necessario eo tēpore adiuuetur, aliūde, vt diligētissimè potest, ad se accersere, & cōducere, tùm ad vrbem, tùm ad Diœcesis oppida, & loca præsertim insigniora curabit.

2 Ac præter Parochorū curā, certos etiā alios Sacerdotes vndique, quantùm poterit, omni pietatis officio cōquiret, qui caritatis ardore inflammati, paratissimi sint ad omnia Ecclesiastica ministeria illis præstanda, quos, vel pestis morbus, vel suspicio inuaserit.

Iis, & concionatoribus, & confessarijs, & alijs Sacerdotibus necessaria alimenta, vt subministrentur, omni ratione curabit.

3 Alios præterea Clericalis ordinis homines, caritatis studio flagran

tis deliget, qui modo huc, modo illuc visitando accurere possint.

Delectum item habebit aliquorum Sacerdotum, atque aliorũ quos potissimùm adhibere possit ad curam Ecclesiasticorum hominum, pestis morbo suspicioneuè laborantium.

4 Ad omnem porrò curam, quò vehementius vniuersi, & singuli pestilentiæ tempore incendantur, indulgentiam à Summo Pontifice ijs procurabit, vtpotè

Sacerdotibus, qui peste affectis sacramenta ministrarint.

Medicis, eos curantibus.

Chirurgis, tonsoribusuè, qui venam secant, quiuè plagis medicamentum apponunt.

Nutricibus, quæ infantibus peste laborãtibus, suspectisuè lac præbẽt.

Obstetricibus, quæ mulierum in eo morbo, suspicioneuè versantium, partum adiuuant.

Ministris, qui peste ægrotantibus assistunt.

Baiulis, qui pestiferè affectos, suspectosuè ad curationis locum perducunt, feruntuè.

Illis item, qui peste mortuorum corpora sepeliunt.

Iis denique omnibus, quicumque sint, vel mares, vel fœminæ, qui illorum sustentationi, & curationi aliquo modo seruiunt; qui item eleemosynam, pro facultatum ratione, in eorum adiumentum contulerint.

Facultatem item sibi ab eodem dari curabit, adiunctis ad eam certis priuilegijs, vt Regularium cuiusuis ordinis opera, ministerioue sine vlla mora aut impedimento superiorum, pestilentiæ tempore vti possit.

5 Vt præterea populi caritas ad pauperum, pestilentiæque morbo, si Deus permiserit, laborantium curam, piumque studium accendatur, & longè, latèque progrediatur; libros, eo de genere grauissimè conscriptos, quos necessario eo tempore studiosè legat, ad vsum proponet, vt pote Gregorij Nazianzeni homiliam, sermones duos Gregorij Nyssẽi de pauperibus subleuandis, & Cypriani martyris sermonem vnũ de mortalitate, & alterum item de eleemosyna; atque aliorum præterea patrum libros eiusdem generis. Vt verò, quę ab illis, vel præcepta sunt, in morẽ, atque vsum afflictissimo præsertim pestilẽtiæ tẽpore inducantur; eos libellos, vulgariter conuersos, exiguoque volumine comprehensos, typis impressos, atque editos extare voluimus.

Iis præterea libris alios de rerum spiritualium officijs, studijsque rectè conscriptos, prout opus esse viderit, ad legendum, cùm ob alios fructus, vtilitatesque adiunget, tùm etiam, vt nè populus, propter intermissas magna ex parte, in pestilentiæ periculis artes, & negotiationes, otio langueſcens, ad turpes, inanesque voluptates tempus traducat.

Alias

6 Alias verò facultetes, quæcumque peſtis tempore vel neceſſariæ, vel opportunæ à Summo Pontifice impetrandæ erunt, ità in tempore diligenter impetrare ſtudebit, vt ſi peſte ſtatim irruente litterarum curſus intercludatur, aut retardetur, ne mora vlla ijs adiumentis interponatur, quæ in peſtilentia opus eſſe poſſunt.

In ijs facultatibus erunt hæ ſcilicet.

Facultas concedendi plenariam indulgentiam peſte laborantibus confeſſis, aut contritionis ſigna oſtendentibus.

Facultas concedendi indulgentiam ijs, qui in quotidiana oratione, per ſeptem horas diſtincta, verſantur.

Facultas, priuilegiumue aliquot altarium, vt cùm in eis ſ. Sacerdos pro aliquo defuncto Miſſæ Sacrificium obtulerit, eius animæ ſuffragetur ad liberationem à pœnis purgatorij.

Facultas, quæ etiam delegari poſſit, abſoluendi ſaltem in foro Conſcientiæ à peccatis, delictis, & cenſuris, Summo Pontifici reſeruatis, etiam in litteris, die cœnæ Domini promulgatis.

Facultas etiam aliqua abſoluendi in foro exteriori.

Diſpenſandi item cum Sacerdotibus in quibuſdam irregularitatibus, etiam ob mortem ſecutam contractis, id quod facile euenire peſtilentiæ tempore poteſt in curatione ægrotorum etiam ſine vlla delicti culpa.

Conuertendi etiam alicuius eleemoſynę legatæ vſum, ſaltem ad tẽpus, ſi quando ad pauperum neceſſitates ſubleuandas illud expedire, vel neceſſarium cenſuerit.

Quæ enim ob piam aliquam cauſam legata, relictaue ſunt, vt videlicet, vel in diuinum cultum, vel in puellarum nubentium dotem, vel in alium eius generis vſum erogentur; ea tunc ſæpè expedit ad egentium hominum victum, & ſuſtentationem conuerti.

Decernendi, ſtatuẽdiue vtilitatis publicæ cauſa quicquid opus erit, atque adeò compellandi etiam, vt Eccleſiaſtici homines ab Epiſcopali iuriſdictione exempti, & Regulares etiam, ac locorum præterea piorum, ſi quę eiuſmodi loca, ab Epiſcopi iuriſdictione immunia ſunt, prę fecti, curatoresue ſeruent, atque adeò præſtent, quæcumque is ob publicã vtilitatẽ decreuerit ſtatueritue, pœnis etiã, & cenſuris propoſitis.

7 A Metropolitano etiam facultatem impetrabit, qua dum peſtis eſt, ſibi permiſſum ſit ab aliquorum decretorum Prouincialium præſcriptis rationibus, quę in peſtilentia ſeruari minùs poſſunt, aliquando diſcedere; vtpotè à conditionibus loci, & Altaris, in quo Miſſa celebranda erit; à regulis item, quibus vetitum eſt, extrà ſedem confeſſionalem in Eccleſia confeſſiones audire; & ab inſtitutis etiam celebrandi foraneos conuentus; & ab alijs quàmpluribus eiuſmodi decretis

Prouincialibus; quorum potestatem sibi à Metropolitano fieri opus esse, aut expedire ipse viderit.

Et quoniam pestis tempore tùm in ciuitate difficilis, tùm in Diœcesi difficilior ad Episcopũ aditus esse potest; id propterea in ijs, quæ Episcopalem auctoritatem requirunt, tunc expedit, ampliores facultates, & Parochis, & reliquis confessarijs Sacerdotibus, & Vicarijs præsertim foraneis concedi, permittiuè. Itaque pro locorum, personarumque ratione, proque pestis periculosius imminentis grauitate, liberius præsertim Vicarijs foraneis facultates varias delegabit; in quibus erunt hæ.

Facultas absoluendi, etiam in vtroque foro, à peccatis, criminibusue, interdicto, & censuris, sibi reseruatis; ea adiuncta etiam facultate, vt cui delegarit, is saltem in foro conscientiæ eandem subdelegare possit.

Permittendi sacram confessionem audire extrà Ecclesiæ fines atque adeò etiam fœminis extrà confessionalem sedem.

Concedendi, vt Missa celebrari possit in omni Ecclesia & Altari, etiam ligneo, vt in vijs locisque eiusmodi, & prorogandi rursus facultatem datam.

Constituendi, & approbandi, etiam sine examine, confessarios, etiã qui Clericorum confessiones audiant.

Intermittendi Sacerdotales, Clericalesue illos conuentus singulis mensibus præscriptos.

Præparatio annonæ, & Ministrorum ad curationem, & sustentationem publicam. Cap. XI.

SVMMARIVM.

1 *Episcopi sollicitudo in præparatione annonæ: & ministrorum ad publicam curationem necessariorum.*7.
2 *Gregorij Magni exemplum in caritate annonæ.*
3 *Eleemosynæ colligendæ causa Episcopi officium cum Magistratibus.*
4 *Exemplum Episcopale in erogatione eleemosynarum.*
5 *Pauperum, & piorum locorum descriptio; pauperumque in locum vnum congregatio.*
6 *Confratria caritatis pestis tempore instituenda.*
Supellectilis, librorum, & scripturarum locus, & situs.

Nec

1 NEc verò eâ præparatio, atque adeò præcautio negligenda est, vt à pestis contagione incolumis, & tuta supellex, vel Ecclesiæ vel Sacristiæ conseruetur.

Ideò, quę præsertim preciosior est, diligenter seligatur, & loco benè munito, & remotiori cautissimè foribus etiã obsignatis, asseruetur. Quo etiam loco monimenta iurium, libri volumina, scriptaque grauiora, quę ad Ecclesias pertinẽt, in armario, aut arca custodiantur diligenter.

Omni officij genere Episcopus cum Magistratibus, decurionibusuè aget, atque adeò omni sollicitudine instabit, vt propius accedente pestilentiæ periculo, patrię, quæ ex horribili, funestaque illa contagione, multis, varijsque detrimentis affici potest, quàm opportunissimè, celerrimèque omni sua ope succurant.

Videant in primis, omniq; ratione præcaueant, vt cùm in peste difficultas annonæ simul inesse soleat, ne quid ad rei frumentarię, omnisque annonę vbertatem desit, ac proinde cautionem diligentissimam adhibeant, vt nemo quisquam sit, qui necessario eo tempore frumentũ supprimat, cùm præsertim sæpè fiat, vt grauissimo illo tempore, longè plures, quemadmodum vsu compertum, litterisque traditum est, fame necentur, quàm pestilentię vi extinguantur.

2 Quamobrem omnes, qui opibus circumfluunt, & ipsi magistratus præsertim, qui ciuitati præsunt, propositum sibi aliquando habebunt, clarum illud exemplum Sanctissimi Pontificis Gregorij Magni, qui & in peste, & in annonę caritate, apertis publicis horreis frumẽtaria largitione vsus est ad populi laborantis sustentationem.

3 Rationem prętereà Episcopus cum eisdem magistratibus inibit, vt tùm ex publico ærario, censuuè, tùm etiam eleemosynis, & omni alia subueniendi via, multorum inopia, egestateuè laborantium, victui necessario succuratur; eo prę sertim afflicto tempore, quo prę pestis periculo, & metu, artificia, negotiationes, nundinationes, & quæstus, mercaturæuè commertium, agrorũ cultura, omnes alię cuiuscumque opificij exercitationes langueścant, aut etiam magna ex parte cessant, vnde homines sibi victum parare solent: quò fit, vt innumerabiles homines, qui aliàs ab omni re inopes non sunt, sæpissimè ex fame laborent.

4 Quo in officio omni ità Episcopus se geret, vt cùm se eleemosynarum largitionibus, pauperum, miserabiliumque hominum, verè parentem, pastoremque ostenderit exemplo etiam suo, non minùs, quàm cohortationibus, omnique alio officio cæteros ad illorum sustentationem alliciat, atque inflammet.

5 Vt verò, quod ad sustentationem satis esse possit, omninò procure-

tur ; omnes, & singuli, quibus subueniendum erit certo libro, rectè ordineque describantur. Qua in re monasteriorum etiam, & piorũ collegiorum, tàm virorum, quàm fœminarum, ac pauperum Clericorum ratio habebitur, quibus necessario eo tempore aliquid in eleemosynam conferendum erit.

Tantùm verò absit, vt inopes, & pauperes, pro quibus etiam Christus Dominus sanguinem profudit, è ciuitate, oppidis, pagisue, ab omni ope de destituti exturbentur, vt non modò aliorum, sed mendicantium etiam ratio habeatur, ea scilicet, ut in vnum locum congregentur omnes; vbi, cùm alimenta corporis, tùm maximè omnia adiumenta spiritualia suppeditentur.

6 Parochi etiam, vbi instituta non est, in sua quisque regione Parochiali, confraternitatẽ, scholamue hominum, charitatis nomine, Episcopali auctoritate instituent. Cuius confraternitatis erit, necessario illo tempore, & eleemosynas colligere, & cętera charitatis officia obire, ac præstare, quibus pauperes, & egentissimi homines subleuentur.

7 Instabit prętereà Episcopus, vt ijdem Magistratus medicos certos conducant, cõscribantue, ac paratos habeãt, qui peste laborantes curẽt.

Chirurgos, tonsoresue certos deligant, qui venam secent, medicamentaque apponant.

Medicamenta, resque ad eorum victum necessarias parent, ac subministrent.

Famulos, famulasque & alios homines caritate Christiana prædictos conquirant, qui operam, curationisue sollicitudinem eisdem nauẽt.

Obstetrices certas habeant, quæ partum mulierum, peste ægrotantium, eoue nomine suspectarum excipiant.

Nutrices item certas ad eorundem liberos lacte alendos.

Caprarum etiam certum aliquem numerum ad lactis eisdem prębendi vsum, si quando nutricum copia non datur.

Vespillones item, quos Monattos dicunt, plures conducant, quorum alij illa officia pręstent, quæ à contagio integra sunt, & ab omni suspicione vacua: alij sint, qui peste affectis se duces, ac ministros prębeant; qui mortuorum corpora sepeliant; qui infecta domicilia expurgent & pannos itidem infectos, & alia id generis exequantur.

Præparatio locorum curationis publicæ. Cap. XII.

SVMMARIVM.

1 *Loca publicæ curationis complura; & qualia.*
2 *Eorundem distinctio.*

Situs

3 *Situs eorum, & qualis.* 4.
5 *Tuguriorum exſtructio.*
6 *Crucis erectio.*
7 *Capellarum ædificatio: quæque illarum forma.* 8.
9 *Sacerdotum conſtitutio.* 13.
Victualium illis ſuppeditatio; & à quibus, & cuius opera. 14. 15.
10 *Domicilium Sacerdotale, & ſitus.* 16.
11 *Cœmiterij conſtitutio, & ſitus.*
12 *Capellarum ſupellex.*
15 *Epiſcopi officium cum Magiſtratibus de Victualibus præſtandis.*
16 *Eccleſiaſticorum hominum, & quorum domicilia alia.*

1 DOmos publicas hoſpitales, locauè complura, ampla, & diſtincta, quę, alia ſcilicet peſte affectis, alia eo nomine grauiter ſuſpectis, alia minus ſuſpectis, alia cõualeſcentibus vſui ſint, apparent, neceſſariaque ſupellectile inſtruant.

Quæ diſtincta partim peſte tabeſcentibus, partim ſuſpectis, partim miniſtris, tùm in re cibaria, tùm in lectiſternijs, tùm in pannorum purgatione, & lotione vſui ſint.

Veſtes prętereà, & lectiſternia ad commutationis vſum parent illis, qui, vel à peſte conualeſcentes, confirmatiuè, aut à ſuſpicione planè libri, inde migrant.

3 Situm etiam tuguriorum ad multiplicem illum vſum deligant, & præfiniant. Qua in re etiam, atque etiam caueant, ne loca, ædes, domicilia, aream, ac ſitus vllos quicumque ſint, qui ad Eccleſiæ, lociuè pij cuiuſcumque ius pertinent, vſurpent, occupent, impediant, aut aliqua ſeruitute implicent, nè ad breue quidem tempus. Quod ſi aliquo modo attentent, id nè committant, Epiſcopus inhibebit, atque interdicet.

Si verò nullo modo aliunde ſitus, locauè haberi poſſunt, ſed ad eam rem neceſſario vſui Eccleſiaſtica ſunt: tunc ei, vel Eccleſiæ, vel loco, cuius ſunt, ſcriptis publicis, à notario, rectè, ritèque confectis, omninò caueatur, vt quicquid dãni, detrimẽtiuè eo nomine fecerit, id reſarciatur.

4 Qui ſitus amplus ſit, vt ægroti à grauiter ſuſpectis, hi à leuiter ſuſpectis, qui etiam à conualeſcentibus ſeparatim, aliquo ſcilicet interiecto ſepimento, habitare poſſint.

Loco ſit non humido, non vliginoſo, ſed editiori, & aprico, ſicco, & ſalubri. Propè aquam fluentem ſit, non torrentem tamen, vnde inundatio, eluuioue aliquando extare poſſit.

Extrà vrbem, oppidum, pagumue, loco tamen propinquo, & commodo

modo, vt adiumenta ad animæ curationem, & corporis vsum, aliaque caritatis officia, atque subsidia facilè, & opportunè illis subministrari, ac præstari possint.

Parent item materiam omnem, quæ idonea, quæque satis sit, ad tuguria, capellas, & domicilia, in eo situ benè exstruenda, vt infrà.

5 In eo situ cùm tuguria exstruenda erunt, hoc videant, & studeant. Vt ità vel densissima palea, vel tabularum sectilium apta inter se commissura struantur, vt ab omni, aut pluuia, aut venti impetu, turbine, iniuriaue temporis tuta sint.

Vt ordine recto collocentur, &, si fieri potest, ab parte anteriori, ad septentrionem versus, vel in aliam partem salubrem spectent.

Vt singula, quò magis ab omni vligine, humiditateque defendantur, exiguo riuulo cingantur, per quem aqua pluuia ex eorum culmine defluens, aliò extra illorum situm deriuetur.

Vt eorum solum subiectis transuersis lignis, aut tabulis, palea insuper multa stratis, ab humo altius saltem tribus palmis extet.

Domicilia, seu casas extrà sæpta tuguriorum parent ad vsum laicorum præfectorum, curatorum, custodum, & ministrorum.

Loca item distincta lauationis, & purgationis vestium, & pannorum cuiuscumque generis.

Habitationem item distinctam, ad eorum vsum, qui illis purgandis, abluendisue operam nauabunt.

Supellectilem etiam necessariam suprà demonstratam, necessariaque instrumenta præparent ad horum locorum publicæ curationis vsum.

Prospiciant quoque nè peste ingrauescente, palea desit, ad quotidianam tuguriorum subministrationem.

6 In omni autem domo hospitali, publicouè tuguriorum loco, tùm Crux alta, curante Episcopo, benè firmiterque humi suffixa erigetur loco medio, eoque editiori, & conspicuo: tùm ea in primis ratio habeatur, vt si ibi capella ex pariete iàm non est, ea cum Altari ex tabulis sectilibus, & asseribus exstruatur.

7 Immò verò vbi plures Sacerdotes constituendi erunt, si minùs totidem capellæ, at saltem duæ omninò exstruantur.

8 Atque in earum quidem exstructione hæ rationes mox infrà demonstratæ adhibebuntur.

Situ eminentiore struantur, ab omnique parte conspicuo, vt qui in tuguriolis, cellisue sunt, ab eorum ostio, quò ad eius fieri potest, Sacerdotem celebrantem prospiciant.

Eo præterea loco sint, si fieri potest, vt qui foris sunt, ministri, famuli, custodesue, Missæ etiam sacrificium aspiciant.

Erunt

Erunt item forma, quæ quadri speciem exhibeat, longè, latèque brachia sex, aut minimum quinque patebunt.

Partes autem à latere ad ingressum capellæ versùs, ampliores etiam fiant licet, vsque adeò, vt pars anterior latè patens sit, brachia octo, aut rectè septem.

Pauimentum capellæ à tuguriorum solo altius extabit brachia quattuor, vel quinq; : ad cuius altitudinẽ ascensus fiet gradibus ligneis, vt Sacerdos celebrans è tugurijs paulò remotioribus prospici rectè queat.

Ligna verò, tignaue, quibus vapellæ structura sustentatur, ità firma, solida, fixa, atque inter se benè, aptèque compacta erunt, vt ventorum impetu, ac vi non modo non corruat, sed nè labascat quidem.

Ab omni latere capella fenestram cum valuis habebit, per quã Missæ sacrificium spectetur, cùm sudum, serenumue erit: alioqui valuis occludetur, ne ex vento, pluuia, iniuriaue temporis, aliquid incommodi, indecori, offensioniue accidat. Quæ verò fenestra à parte posteriori Altaris struetur, si quando struatur necesse est, ab Altaris superficie extabit altius vno brachio.

Pars anterior illius capellæ ità exstruetur, vt sera, claui, pessulo, vecte, & valuis benè firmis instructa, à furti, rapinæ alteriusue iniuriæ periculo tuta sit, quò cautius sacræ vestes, sacraque vasa ad Missæ cultum pertinentia in capella seruentur; & sanctissimum etiam Sacramentum, quod ministrandum est ibidem custodiatur.

9 At verò vbi certus Sacerdos, qui assiduè assistat spirituali tuguriorum curationi, non constituetur, tunc capella non intra, sed extrà eorũ fines, loco paulò remotiore, ità procul struetur, ut Sacerdos, aliunde accersitus, qui ibi Missæ sacrificium celebret, à contagionis periculo, ac suspicione tutus, pestilentiæ lege, ab Episcopo præscripta, non debent statos illos dies separatim ab aliorum uitæ commertio manere.

10 Vbi Sacerdotes constituentur, qui præcipuè illis tuguriorum locis in cura spirituali inuigilent, domicilium eis parabitur loco finitimo, ac segregato aliquantulum à tugurijs; & ut fieri potest, ab alijs domicilijs incolarum, propè habitantium.

Si uerò tale domiciliũ, lapidibus exstructum inueniri non potest, ex tabulis sectilibus, asseribusue fiet loco nõ longè à positura capellarũ.

At si quando illud Sacerdotum domicilium à finibus tuguriorum aliquantulum aberit; eorum unicuique parabitur etiam propinquiori loco tugurìolum forma decenti, ex tabulis sectilibus, paleisuè confectum, ubi interdiu per pluuiam maneat, & cibum, ac somnum aliquando capiat, quò diligentiori assiduitate curæ sibi commissæ incumbat.

Domicilium Sacerdotale tale omninò erit, vt in eo Sacerdos separatim à Clerico habitare possit, itidemque ab alio Sacerdote, si plu-

res.

res ibi constituendi erunt.

11 Si ad mortuorum sepulturam cæmiterium Parochiale & alia antiqua cæmiteria, locauè sacra ab Episcopo ad eum vsum constituta, satis nonfore existimabitur, situs alius parabitur, qui tuguriorum loco finitimus sit, quique peste ingraueſcente mortuorum numerum capiat; & appositus prætereà sit, vt pariete cingi, & vbi aliquando deinceps extrui sacellum commodè possit.

Situs hic & ab Episcopo ritè consecrabitur, & firmissima sepe saltem, aut densis asseribus, aut macerie vndique ità cingetur, vt & lupis, & reliquis bestijs aditus omninò obstruatur.

12 Capella vnaquæque vbi Sacerdos constituendus erit, instruetur hac supellectile; vtpotè lapide sacro, calice, patena, cruce, & alia prætereà sacra imagine, candelabris binis, vestiū apparatu ad Missę vsum necessario, & mappis itē eo numero, vt suo tēpore commutari queant.

Habebit prætereà vasculum aquæ sanctę, aspergillum, & tintinabulum.

Superpellicea etiam numero saltem totidem, quot Sacerdotes sunt, & quot item Clerici.

Laternas item quattuor cum cereis: quę ad sanctissimi sacramenti, cùm fertur, cultum adhibebuntur.

Pixis etiam comparabitur, & tabernaculum ligneum, vbi sanctissimum sacramentum custodiatur, & umbella item, quæ saltem exigua, ab vno tantum homine gestetur.

Sacri olei vas etiam sit, ad vsum ministrandę extremæ vnctionis.

Libri rituales sacramentorum totidem, quot Sacerdotes.

Nec porrò supellex etiam, quod ad mappas attinet, conduplicabitur, vbi Sacerdotes plures residebunt, prout erit eorum numerus, saltem, quæ attinet ad mappas, & vestes.

Feretrum prætereà, vnum, duo, pluraue.

Pallium etiam præcipuum apparabitur, quod ad efferenda corpora eorum, qui peste mortem obierint, vsui erit; & plura item; eaque loco distincto, & separato ab omni alia supellectile, asseruabuntur.

Armarium sub Altari extructum, ad vsum asseruandi supellectilem sacrarum Missæ vestium.

13 Hospitalibus domicilijs, lociſue tuguriorum, vbi hominum exiguus numerus, peste irruente, collocandus erit, Sacerdotem saltem vnū Episcopus præficiet: vbi verò aliqua multitudo, duos, atque adeò plures, pro multiplici varietate, & multitudine illorum, qui eò perducendi erunt; vt vnus peste affectis, pluresue etiam, si quando morientium multitudo plures postulat, alter suspectis; alius minùs suspectis, vel conualescentibus, vel ministris quoque operam spirituale nauet: eam-

que

que ob causam omnes in locis curationis resideant, assiduique sint, quibus singuli Clerici adiungentur, qui eisdem in Missæ sacrificio, alijsque functionibus ministrent.

14 Iis Sacerdotibus, & Clericis, quæ ad victum, vestitumque necessaria sunt, suppeditabuntur à ministris publicis ex eo sumptu, vnde alimenta alijs præbentur, qui in eadem hospitali domo, locouè sunt.

15 Cum eisdem magistratibus, & decurionibus Episcopus aget, vt nihil denique in sumptibus faciendis, alijsque officijs præstandis prætermittant, aut negligant: vt omni externa cura omnique externa administratione opportunè prospiciant inmminentibus necessitatibus. Id porrò studium cùm laudabile est, ac nomine Christiano, & commemorabili pietate dignum, tùm planè necessarium.

16 Episcopus præterea certas domos, aut domicilia, locauè ampla, & à cæteris distincta parari studebit, quæ vsui esse possint, aut Ecclesiastici ordinis hominibus, qui præsertim collegiatim viuunt, aut monialibus, aut ijs, qui in hospitalibus curantur, si fortè pestis in monasteria, hospitaliauè loca inuaserit. Ad quæ domicilia, locauè, vel ij omnes, qui in pestem, suspicionemuè inciderint, perducantur, asportenturuè; vel contrà fiat, ut scilicet peste affectis remanentibus, ad illa ipsa domicilia cæteri benè valentes & ab omni suspicione liberi, qui sunt eiusdem vel collegij vel monasterij, vel hospitalis ædis, habitatum veniant, nè illorum contagione inficiantur.

Officia, ipso pestilentiæ tempore ministranda, & constans in primis ministratio. Cap. XIII.

SVMMARIVM.

1 *Pestilentiæ tempore ab Episcopo sollicitudo laboriosior adhibenda: quæque officia tunc ab illo præstanda cum Parochis, Sacerdotibus, Magistratibus, populo.*

2 *Parochi* } *constantia, & quibus argumentis, ac rationibus illam*
Episcopi } *sibi comparent.*

3 *Eorundem ardentior caritatis zelus, multorum sanctorum exemplo.*

4 *Populi constantia, & officia.*

1 CVm pestilens contagio, vel in ciuitate, vel in aliquam eius partem uel in Diœcesim, eiusuè locum aliquem sese infuderit, eò diligentior cura, & sollicitudo laboriosior proposita Episcopo erit, quò grauius, certiusque periculum fidelibus, suæ curæ commissis, instat.

Paro-

Parochorum,& Sacerdotum,quos conquisierit,sollicitudinem omni cohortatione, omnique officio, atque imitationis exemplo, quo alijs præibit, ardentius accendet.

Quem verò locum pestis peruaserit, eò quàm primùm Episcopus certos Sacerdotes mittet,qui spirituali curationi incumbant. Cui curationi interea Vicarius foraneus, si locus Diœcesis sit, prouidebit, dum Episcopus illos mittet.

Magistratuum,decurionumque studium, & procurationem, quam pestis periculo imminente paulò anta exercitarat,uehementius eo ipso tempore inflamare nō desistet, quo pestifera lues iàm serpere incepit.

Populi item caritatem,& pietatem sanctissimis, tùm orationum,piarumque exercitationum, tùm misericordiæ operum institutis, eò diligentius, studiosiusque incendet, quò vehementius illum, pestilentiæ metu perculsum, afflictum, ac penè prostratum cernit.

Quo in genere illam animi consternationem, ac stupiditatem quasi uecordiam quandam, quæ ex repentinis illis funestæ labis euentibus quàm sępissimè accidit, ex hominum mentibus ità euellere studebit,ut & summi, & medij, & infimi non modo præ timore partes officij sui non deserant; sed ergà Deum religione,& pietate in patriam,& amore ergà suos, & caritate in ciues,ualdè accensi, in omni fortitudinis, constantięque officio sese contineant, atque excitent,non solum ad labores, Christi Domini causa necessario tempore fortiter sustinendos, sed ad pericula etiam subeunda constantissimè. Itaque omnium animos confirmabit, non dictis tantum, sed factis, Episcopali robore, Episcopalisque uirtutis uerè dignis.

Perpetuò igitur huc,atque illuc accurret,afflictos eriget, mærentes, męstosque consolabitur, egentes subleuabit, orationis studium excitabit,opera,atque officia pietatis languere non sinet; & omnia denique tuebitur, quibus animi exsuscitantur, & maiores fiunt ad omnem sanctarum uirtutum exercitationem.

2 Parochi autem,& Episcopi pręclaro documento,exemploque instructi,& proposita in primis etiam sibi illa immēsa caritate, qua animas sibi in curam traditas, Christus Dominus dilexit, pręciosoque sanguine,in ara Crucis profuso, redemit, nō modo umquàm non erūt in ancipiti deliberatione officiorum, quę eis necessario pręstare debeant,sed nihil potius statuent, quàm illis in discrimine,calamitateque uersantibus, omne spirituale pabulum ministrare, etiam si uitę periculum subeant, memoria, & recordatione ea excitati, quòd sibi specialis cura commissa est, illas pascendi.

Et uerò meminerint,multò conuenientius,negligens quoddam studium obijci,q̄ ipso ad Parochiales suos spiritualibus adiumētis neces-

sario

ſario tempore ſubleuandos adhibent, quàm quòd uitio ijs dari ſolet, qui langueſcente caritate ſunt, nullaque cura ducuntur eoſdem adiuuandi rebus ad corporis uſum neceſſarijs.

In ea etiam recordatione verſabuntur, magnam ſibi oblatam opportunitatem, & accommodatam, cùm ad vitam pro grege profundendam, tùm ad operam ei vtiliter, neceſſarioque nauandam, non ſine prę clara teſtificatione deſiderij, & zeli, quo exardeſcere debent ſalutis animarum.

In contagionis etiam periculo, quod certè hominum opinione longè minus eſt, ob oculos ſibi ponent præcipuam illam curam, qua ſuos miniſtros Deus admirabiliter tuetur, ab omnique periculo incolumes conſeruent, dum ad diuinę maieſtatis gloriam, animarumque ſalutem procurandam, miniſteria ſua religioſè conferunt. Id quod peſtilentię ſuperiori tempore animaduerti licet, quo perpauci, aut ferè nulli animarum curatores, qui in ſuę curæ benè gerendæ officio, conſtantiſſimi, Parochialibus ſuis peſte tabeſcentibus cùm alia ſacramenta, tùm extremam etiam vnctionem miniſtrarint, mortem obierunt: contrà verò qui à ſui miniſterij functione longè refugerunt, cumplures morte erepti fuerunt.

Si rursùs contrà eueniſſet, hoc ſecum ſtatuent, nihil Sacerdoti, curam animarum gerenti, optabilius, nihilque ad caritatis meritum ferè præſtantius, quàm pro animarum, quæ ſibi, ſuæque fidei creditæ ſunt, ſalute mortem oppetere. Immò verò non defuerunt ſanctiſſimi viri, qui ſcripſerunt tale mortis genus, à martyrij gloria non longè admodum abeſſe.

His, atque adeò alijs huius generis commentationibus, & rationibus, quę permultæ, illæ quidem ſacrarum litterarum monimentis conſignatæ ſunt, & ſanctorum patrum documentis, exempliſque explicatæ, Parochi, quaſi ſtimulis curæ ſuę incitati in dies ardentiori zelo ſeſe inflammabunt, ad rectè, cumulatèque exequendas Parochialis ſui muneris partes.

3 Iàm verò igitur, & Epiſcopus paſtoralis officij ſui religione adductus, & ijdem Parochi, animarumue curatores, muneris ſuſcepti rationibus commoti, ſtudioſè, ſollicitèque præſtabunt, muneris, miniſterij ſui officia: ad quæ etiam, atque etiam vehementius ſeſe excitabunt, exemplo accenſi ſanctorum virorum, Cypriani martyris, Baſilij Magni, & Nicolai Epiſcoporum, Bernardini Senenſis, beatique Rochi, quorum omnium mirifica in contagioſo morbo cura extitit, & præterea Aguſtini ſanctiſſimi epiſtola ad Honoratum conſcripta, & pręclaris item illis Dionyſij Alexandrini litteris, ex quibus Sacerdotalis, Clericaliſque officij functiones, quas in grauiſſimo peſte Sacerdotes, Diaconique

conique executi sunt, à se etiam omni caritatis studio, susciendas præstandasque facilè intelligent.

Sed nè longè solùm exempla petantur, domi etiam sunt, quorum documentis homines Ecclesiastici ordinis ad omne caritatis officiorum genus in pestifera labe exequendum instruantur.

Atque ij quidem sunt, Metropolitanæ Ecclesiæ Mediolanensis Archiepiscopi duo, omni laude florentes, Benedictus, & Aspertus. Hic in teterrima peste, quæ suo tempore omnem Italiam, populumque Mediolanensem præcipuè inuaserat, pestilenti lue tabescentes perpetuo studio visitasse, eisque sacramenta omnia ministrasse fertur: idque ipsum officium, eius exemplo, & iussu Parochi etiam accuratè præstitisse dicuntur, ille omni Europa, Italia, & vrbe, ditioneque Mediolanensi præsertim pestilentiæ morbo vexata, atque afflicta, cùm ea ipsa officia præstitisset, tùm cibum etiam, ac victum tabe languentibus manu sua ministrasse commemoratur.

4 Populus denique fidelis, Ecclesiasticorum hominum studijs, atque exemplis inflammatus, & eiusdem Dionysij præcipuis litteris commonitus, non afflictione, quasi tabescens, sed immenso quodam caritatis Christianæ, beneuolentiæque fraternę ardore incensus, patriam non destituet, coniunctissimos non deseret, fidelium corpora insepulta non proiciet, neque cætera aget, quę à deliberationis Christianæ officio aliena, olim gentes, à fidei religione auersas in pestilētia egisse ijsdem Dionysij litteris, proditum est.

Immò is occasionem nactus sanctè exercendi officia caritatis, omnisque religiosę virtutis talem se præstare studebit, quales in tetertima illa peste, quam ipsius item Dionysij litterę narrant, extitisse dicuntur, qui minimè perterrefacti, postis morbo afflictos frequentissimè inuisebant, illis sedulò inseruiebant, curationemque omnem ob Christi amorem pro viribus adhibebant.

Cautiones adhibendæ nè pestis latius serpat. Cap. XIIII.

SVMMARIVM.

1 *Cautiones, quæ ab Episcopo adhibendæ nè pestis latius serpat.*
2 *Processionum vsus, & ordo.* 3.
4 *Scholæ institutionis Christianæ, quo loco pestis tempore habendæ. Officia Parochialia qua in Ecclesia gerenda, vbi Ecclesia Parochialis sit extrà septa.*

Sanctissi-

Sanctissimum etiam sacramentum vbi asseruandum.
6 *Altare, vbi collocandum tempore pestis, & quando in eo celebrandũ.*
7 *Parochialibus extrà cancellos degentibus, quæ ecclesia statuenda, vt Missam audiant, & aliis officijs intersint.*
8 *Sacerdos illis constituendus, & quorum sumptu.*
Quando etiam Parochus illis operam nauet: quæque alia ratio circa id ineunda.
9 *Cancellorum ratio, quæ adhibenda, vbi ab existentibus intrà, & extrà cancellos, Missa, concioque sit audienda.*
10 *Aquæ benedictæ vas extrà cancellos collocandum.*
11 *Oratorij, loco publico deputandi, ad Missam celebrandam, visitatio, & cautio.*
12 *Oratorij in ipsis, quæ à Parocho denuncianda populo significanda.* 13.
14 *Quæ ab eodem cum Syndicis agenda.*
15 *Quæ item cum patribus familias.*
16 *Quæ etiam cum populo.* 18.
17 *Liber Parochialis peste mortuorum, & liberatorum.*
19 *Magistratus officium, nè pestis latius serpat.*
20 *Quarantena pestis tempore.*
22 *In ea quid præuidendum.*
23 *Illius ineundæ ratio.*
Magistratus deliberatio de ea habenda. 21.

1 VBi pestis contagio aliquam, vel vrbis, vel Diœcesis partem inuadere cæpit, eam diligentem cautionem Episcopus adhibebit, primùm vt & in Parochis, & in omnibus Ecclesiastici ordinis hominibus, & vniuerso populo, pietatis Christianæ officia, studia, atque exercitationes, non solũ aliqua ex parte non minuantur, & languefiant; sed quàm maximè fieri potest, diligenti sollicitudine augeantur, & sancto religionis zelo ardentius inflammentur. Deinde hoc sedulò maximè cauebit, vt dùm in eo excitandæ pietatis officio, ac studio versatur, dumque hoc enixè curat, vt celebritate summa, vniuersique populi conuentu, & religioso hominum cœtu res omnis Christiana eo tempore peragetur; at huic necessario in primis studio adiungat etiã omnem sollicitudinem, & cautionem, nè pestilentiæ vis latius serpat, sed reprimatur, atque extinguatur.

2 Et quoniam sanctarum processionum vsus afflictissimo quoque tẽpore, & in pestilentia præsertim, grauissimoq; morbo ab Ecclesia Dei perpetuò adhibitus est; ideò Episcopus non solùm imminente, vt nar-

ratum est,sed ingraueſcente in dies peſte, proceſſiones, & ſupplicationes ſolẽnes toties inſtituet, atq; adeò peraget, quoties opus eſſe viderit.

Quo in proceſſionum officio præſtando, hoc ſtudioſius inhærebit, quod præter ſanctiſſimorum patrũ Baſilij Epiſcopi, & Mamerti Viennenſis documenta, ex quibus eæ proceſſiones, quàm vtiles ad omnem calamitatem propellendam,quàm ſalutares ſint, facilè intelligi poteſt, exemplis etiam vehementius inflammare debet,duorũ ſanctiſſimorũ virorum Gregorij Magni,Pontificis, & Eutichij Conſtantinopolitani.

Hic vbi primùm proceſſiones inſtituit, peſtis vis rãdiù extincta eſt, dum ille ex hac uita migrauit. Ille verò Pontifice Pelagio, peſtilentia mortuo, non modo non intermittendas, ſed certo diſtincto fidelium ordine,ac ſolemni prece celebrandas illas cenſuit, nõ repentina morte deterritus hominum, qui octuaginta cum illo in proceſſione obierant. Ad quod ſanè officium perpetuò retinendũ, pièque excitandum, apud nos in primis valere debet,vel plurimũ, hoc etiam præclarum,luculentumque exemplum,quòd cùm ſcilicet ſexaginta ferè antè hæc tempora annis ciuitas Mediolanenſis eo funeſtæ peſtis contagio varia, multiplicique ſtrage diu affecta, atque afflicta, tandem nullo alio remedio ſuſtentaretur,diuinitus liberata eſt,publicarum proceſſionum, & triduanarum ſupplicationum officijs, & ardentiſſimis pietatis, pœnitentiæq; ſtudijs, atque operibus.

3 Et ſi,inquit Cyprianus martyr ſanctiſſimus,plurimorum mens ſolida eſt, & anima deuota, quæ peſtilentiæ impetu non mouetur, ſed tãquam petra fortis,& ſtabilis turbidam,violentamque eius tempeſtatem frangit: tamen quia nonnulli, vel præ imbecillitate animi, vel præ dulcedine ſęcularis vitæ,ac quadam quaſi mollitie minùs ſtare fortiter,nec pectoris ſui inuictum robur neceſſario tẽpore præſtare poſſunt: ideò vt ijs, qui in peſte valde ſibi cauendũ putãt ad cautiones deſcendimus, quas mox intrà demonſtramus.

Id igitur Epiſcopus curabit, atq; efficiet, vt cùm in omni Eccleſia, omniq; celebritate, tùm in proceſſionibus homines nõ cõferti, nõ dẽſi ſimul,& compreſſi inter ſe ſint,ſed ordine diſtincti,& aliquo intervallo ſeparati, vt contagioni locus non detur.

Qua verò in Eccleſia pluries manè diebus ſingulis miſſæ ſacrificiũ celebrabit,hoc cauebit,vt nõ eodẽ tẽpore ad eandẽ Eccleſiã, cùm præſertim peranguſta eſt, populus conueniat, ſed diuerſo tempore tamen, niſi neceſſaria cauſa aliter poſtulet.

4 Scholæ præterea inſtitutionis Chriſtianæ, loco aperto, & amplo, vtpotè in cemeterio, foro, triuio,habebuntur; idem expẽdire videtur, cùm in orationis communis, aliorumque pietatis officiorum exercitatione, tùm in concionibus aliquo modo.

Eccleſia

5 Eccleſia Parochialis, ſi extrà illa ſepta eſt, quibus hominũ aliundè venientium,& viatorum peregrinorumuè aditus,& ingreſſus peſtis tẽporibus præcludi, atq; obſtrui ſolet; Parochus ſi intrà illa ſepta vel intrà oppidi lociuè mœnia, Eccleſiam aliam idoneam, & domicilium propinquũ vbi ipſe habitet, inuenerit, eo ſanctiſſimum ſacramentum & curæ Parochialis munus de Vicarij foranei conſenſu transferat, licebit. At ſi aliò iuſtis de cauſis minus expediret, ibi tamen ea Parochialia munera geret, ad quę frequens populi concurſus eſt, qualis eſt diebus feſtis Miſſæ Parochialis celebratio, prædicatio, veſperarum officium, & orationis communis, ac rei huiuſmodi exercitatio. Id porrò omne, Epiſcopi iudicio, & voluntate ſtatuetur.

6 Eiuſdem iudicium erit, ſi quando peſtis vel periculum, vel contagio aliquem locum vexare incipit, an propterea, vt populo locus amplus, & commodus detur, Altare extrà Eccleſiæ parietes, aut intra, ſed in ipſo ianuæ ingreſſu collocabitur, præſertim cùm vel Sacerdos, qui celebrat, peſtis nomine ſuſpectus admodũ ſit, & Eccleſia peranguſta ſatis, vel cõtagio ad illius loci complures domos familiaſuè dimanarit.

Quod ſi Epiſcopus ità faciendũ cenſuerit, tunc Vicarius foraneus, eiuſdem conceſſu Miſſæ ſacrificiũ in Altari portatili, quod ob eas cauſas intus in Eccleſia propè ianuã collocabitur, aliquoties celebrare permittet, idque præſertim die feſto, & in Eccleſia præſertim, quæ exigua, & anguſta valde eſt pro ratione multitudinis, quæ confertiſſima eò ad Miſſæ ſacrificium vno tempore conueniet. Cùm verò Altaris portatilis facultatem dabit, eam cautionem præſcribet, vt eo loco, & ità collocetur, vt ab omni uenti, temporiſuè iniuria, ab omnique rei incidentis, atque offenſionem præbentis, periculo tutum ſit.

7 Parochialibus ſuis, qui quoniam extrà cuſtodiæ fines, & cancellorum ſepta habitant, ſuſpicionem aliquando maiorẽ prębent, cùm nullus ad eos aditus uiatorũ, peregrinorũuè p̃cluſus ſit, ſed ualde apertus, at planè liber Ep̃i conceſſũ, & auctoritate ità proſpiciet, atq; conſulet, vt in aliqua propinqua Eccleſia, ſacelloue probato ad Miſſæ ſacrificiũ conueniant; vbi itidem ſermonibus, ſtatis denunciationibus, cohortationibus, ſcholis Chriſtianę inſtitutionis, feſto ſolẽmniq; officio veſperarum, proceſſionibus, litanijs, orationi communi, & alijs pietatis Chriſtianæ exercitationibus interſint.

8 Quam ob cauſam eis certum aliquem proprium Sacerdotem Diœceſanum conſtituet: cuius ſuſtentationi ſuccuretur eleemoſynis, quas, vel ipſi, uel omnes illius Parochiæ homines ad eã conferent, aut certè alia inita eius ſuſtẽtandi ratione, ut commodius fieri poterit. Sin hac via non ſuccedet; hanc aliam aggredietur, ut, dùm peſtilentiæ ſuſpicio, & periculum eſt, aliquem Sacerdotem Capellanum illius oppidi,

lociuè, qui idoneus ad Parochialia officia præstet, Episcopi concessu ad illos homines eo potissimum tempore mittet, quo tantũ illius ministerio opus est. Si uerò complures Parochi sunt, unus aliquis eorũ curæ causa illuc se conferet. Immò si vel unus tantum Parochus, animarumque curator est, eam aliquando cogitationẽ atque laborẽ suscipiet, vt ad Parochiales illos suos, cùm per alias curæ occupationes licet, ctebrò proficiscatur, ut tùm Missæ sacrificium celebret, sermonem habeat, & id generis officia omnibus uniuersè præstet, tùm etiam speciatim singulis, quibus opus est, sacramenta ministret & alia adiumenta spiritualia præbeat, quæ à se inprimis prẽstari, susceptι officij Parochialis munus deposcit.

Sed demùm si omni ea ratione, ac uia spiritualibus illorum necessitatibus non satis prospectum, consultũque esse potest, nullo tamen modo Vicarius foraneus, aut præfectus, aut Parochus patietur, Parochiales illos, qui uerè pestilentię morbo non laborant, nec uerò certis causis in suspicione contagij uerè sunt, Ecclesiæ Parochialis communis, aliarũue, quę illius membra sunt, aut intrà eius fines positę, aditu, & ingressu excludi, atq; adeò prohiberi, quo minùs ibi missę sacrificio, sacris concionibus, & cęteris Christianę pietatis actionibus uniuersè interfint, atque prętereà unusquisque speciatim sacramenta ibidem, aliaque spiritualia adiumenta à Parocho sumat.

9 Eam quoque rationem Parochus Episcopi concessu inire poterit, vt si quando præsertim, qui extrà custodiæ septa habitant pauciores sunt, quàm illi, qui intrà eiusdem fines domicilium habent, aliqui cancelli, per quos missæ sacrificium inspici possit, intus in Ecclesia Parochiali, si eius amplitudo hoc tulerit; alioquin in ipso vestibulo præfigantur, vt distincti, & separati inter se sint, qui intrà sepra morantur, ab illis qui pauciores foris manent: atque hac quidem necessaria causa Parochus permittet eos Parochiales extrà Ecclesiæ ostium missæ sacrificiũ tũc spectare nullo decreto vel Prouinciali, vel Diœcesano obstãte.

Hæc ipsa cancellorum ratio, & viatorũ, & illorũ etiam causa adhiberi poterit, qui alienæ curæ homines ad aliquã aliam Ecclesiam, Vicarij foranei iussu conuenient, quod licet fortasse locus, vbi habitant, ab omni contagione, suspicioneue liber sit; tamen ubi Ecclesia Parochialis sita est, ad quã conuenire debent, locus pestilentiæ morbo laborat.

Cancellorum etiam sepimento eos quoq; Parochus separabit, quos ex aliena Parochia ad Missæ sacrificiũ, diuina officia, & concionẽ accedere animaduerterit. Verùm cũ istis, ut maximè potest, admonitione omni aget, ut ad propriam eorum Ecclesiam Parochialẽ conueniant.

10 Iis, qui extrà præfixos in Ecclesia cancellos manent, aquæ sanctę vas præcipuum ab alio distinctum, ac separato loco collocatum, apparabitur.

rabitur. Quod extrà Eccleſiam, dùm peſtis ſuſpicio eſt, ponatur licet, modo tamen à canibus, alijſque brutis animantibus, & omni rei indecentis periculo tutum ſit, aut inde in Eccleſiam, locumuè tutum aſportari poſſit, Miſſæ ſacrificio, diuiniſque officijs peractis.

11 Vbi vel vniuerſus populus, vel magna pars eius, aut vniuerſa vicinia ædium ſuarum exitu prohibetur; Miſſæ ſacrificium in oratorijs, Altaribuſuè, quæ iàm parietibus exædificata ſunt, quæuè tunc ex aſſeribus in vicinia, foro, via publica, locouè opportuniori exſtruentur, celebrari Epiſcopus permittet: qui locum, vbi illa ſtruentur, cùm primùm inſpiciet, arbitratuque ſuo deliget, tùm cauebit ſic extrui, vt ſuprà cautum eſt, de omni periculo euitando.

Hanc porrò curam is, cùm per alias occupationes non poteſt, in vrbe præfectis regionarijs, alijſuè, quos maluerit, & in Diœceſi vicarijs foraneis relinquet.

12 In ijs oratorijs, Altaribuſuè, atque adeò ſingulis vicinijs Parochus, prout opus erit, ſtatas denunciationes dierum feſtorum, vigiliarum, matrimoniorum, & rerum aliarum, quas de more enunciare ſolet, promulgabit, atque edicet, ediciuè curabit.

13 Parochus quàm ſæpiſſimè Parochiales ſuos, etiam de Altari moneat quàm grauiter peccent, qui præ metu alicuius vel incommodi, vel detrimenti, aut alia cauſa peſtiferam, contagioſamque labem, qua infecti ſunt, occultè cælant, quamque exitioſum vitæ ſuæ detrimentum inferant, propterea quòd ſi ab initio curationi ſe darent, facilius morbū depellerent; ac rurſùs quàm vehementius alijs noceant, qui ob eam cauſam, quoniam illos non cauent, ſe facilè contagione inficiunt: & verò, quod maximè omnium intereſt, certo repentinæ mortis periculo ſeſe ipſi offerunt, vt nè contritionem quidem, qua ſua peccata doleant, animo concipiendi, nedum ſanctiſſima ſacramenta ſumendi ſpacium, vel exiguum habeant.

14 Parochialis vicinię, lociuè Decanis, vel Syndicis, Conſulibusuè id curæ Epiſcopi nomine commendabit, vt diligenter, vigilantique ſtudio ſingulorum morbum explorent, & ſi quem in contagionem incidiſſe compererint, quàm primùm ſe, & laicos, etiam eo nomine conſtitutos, certiores faciat, quibus, ex legibus magiſtratus ſanitatis id denunciare debent.

15 Idipſum patres familias monebit, vt hoc itidem de ijs ipſis ſingulis ſedulò præſtent, qui in ſua familia, famulatuuè ſunt.

16 Populo prætereà ſuadebit, vt omnes, & ſinguli valetudinis publicę zelum, ſtudiumque ſuſcipiant; ità vt ſi quis aliquem vicinię ſuę hominem, aliumuè ex peſte laborare certò ſcit, aut probabiliter ſuſpicatur, rem omnem confeſtim, & ſibi, & laicis illis à magiſtratu conſtitutis

denunciet. Ad quod sanè officium quò vehementius incitet, certis argumentis demonstrabit, quàm graues pœnas Deus ab ijs reposcet, quorum negligentia, culpauè, tot, tàmque acerba damna, & mala non modo illis peste tabescentibus, quorum morbum patefacere debuerant; sed alijs etiam singulis, qui contagionem contraxerunt, & vniuersitati denique importata sint.

Aliam præterea rationem omnem idem Parochus adhibebit, vt de cuiusque morbo certior quàm primùm fiat.

Illud verò præter cætera populo significabit, sibi ab Episcopo illud præscriptum esse, vt si quem in Parochiali vicinia ægrè se habere senserit, illum statim inuisat: quò diligentius in tempore sanctissima sacramenta ministret, omneque aliud adiumentum, cùm ad animę salutem in primis, tùm ad corporis etiam curationem conferat.

17 Certo libro omnes, & singulos Parochiales suos notabit, non modò eos, qui pestilentia, suspicioneuè laborarint, ac demùm liberati fuerint, vbicumque vel domi vel in locis publicę curationis degerint, sed illos etiam qui pestifera labe affecti, mortem obierint, vbicumque manserint.

18 Denique opportunè Episcopus, tamquàm populi pater, vt multis rebus, quæ pestis tempore incommodè, acerbèque de repentè accidunt, paterna cura prospicere possit, per Parochos, & alios tùm Ecclesiasticos homines, quos huic curæ præfecerit, tùm per pios etiam laicos sibi nunciari, & significari curet, quæcumque Episcopalis officij sollicitudinem, operam, & studium requirunt.

19 Magistratus porrò, & Decuriones ad eas sollicitudines, quas maximas, prudenterque excogitatas in peste propulsanda ponunt, illam vnã maximè omnium necessariam curã adiungẽt, vt primò pietatis opera, atq; officia promouere studeant; tùm illa summoperè caueãt, quæ pijs officijs, diuino cultui, sanctis caritatis Christianæ exercitationibus, & religiosis publicis orationibus, aliquo modo vel repugnant, vel certè obstant; cũ hæc istius modi sint, quæ non imminuant, aut depellant, sed vehementius excitent, prouocentuè vim, impetumque pestilentiæ. Cõtrà verò illud certum, atque exploratum est, illam restingui frequenti piorum operum vsu, religioso diuinæ caritatis cultu, & publicis supplicationibus. Hoc ex antiquis Christianę religionis exemplis, quæ narrata sunt, planè declaratur.

Quamobrem hæc, præter cetera videbunt omni studio.

Vt in supplicationibus publicis frequentissimè sint.

Vt sanctarum, spiritualiumq; exercitationum studia, atque officia, nè quidquàm impediant.

Vt nihil obstent, quominùs ad Missæ sacrificium fideles conueniãt, concio-

conciones adeant, proceſſionibus publicis interſint, orationes item publicas obeant, & priuatim quoque precentur.

Nec præterea quidquam impedimenti afferant, quo minùs funera, Eccleſiaſtico more ducantur, & ſepulturæ locus ſacer detur, eiuſdemque item officium peragatur.

Nec verò prohibeant liberis parentes, rursûsque parentibus liberos, & cognatis cognatos, cùm vel peſtilentia affecti ſunt, vel contagionis nomine ſuſpecti, inſeruire: neque publicorum miniſtrorum ſuorũ, aut eorum, qui oppidorum, vel vniuerſitatum adminiſtrationi, curationique præſunt, minitationibus, aut perterrefactione patiantur illos ab ijs pietatis, caritatiſque officijs auocari, abduci, abſtrahiuè.

Vt caueant, nè Parochos, animarumque curatores, & certos illos Sacerdotes, qui in publicis curationum locis ad ſacramenta miniſtranda conſtituentur, alioſuè Eccleſiaſtici ordinis homines vllo quouis modo, vel nomine, vel prætextu impediant, quin, & ſacramentorum adminiſtrationem, & debitas muneris Parochialis functiones, debitauè curæ officia, tùm vniuersè, generatimque populo, tùm ſpeciatim ſingulis, contagione etiam affectis, ſuſpectiſuè præſtent.

Hoc item ab illis in Domino vehementer petimus.

Vt nè aditu, exituuè oppidorum, pagorum, locorumuè eoſdem prohibeant, contrà Eccleſiaſticæ libertatis iura, & Epiſcopi præſcripta, cui ſalutem, incolumitatemque populi, ſuę curæ commiſſi, nõ minùs ſibi, q̃ ipſis cordi eſſe perſuaſum habere debent. Quo in genere tanto grauius peccarent eo periculoſo tempore, quo Eccleſiæ miniſtros huc, atque illuc cõfeſtim die, noctuque in ſingulas horas, vel in momenta potius ad ſalutem animarum procurandam accurrere magis neceſſarium eſt, quàm alios etiam publicos præfectos, curatoreſuè valetudinis corporũ, quibus aditus, atque exitus in omnes partes dari, & patere ſolet.

Vt longè refugiant ab eo deteſtabili vſu, peſte affectos, ſuſpectoſuè, tamquàm pro derelicto habitos, abiecta ſcilicet omni eorum cura, ab vrbe, municipio, oppidouè inhumanè exturbandi.

Vt ne in ijs ipſis è domicilio ad tuguriola abripiendis plus exquiſitæ diligentiæ adhibeant, quàm pro caritatis Chriſtianæ ratione adhiberi par eſt.

Vt nè in illis ſecludendis, domique cuſtodiendis ſeuerius agant, quàm cum Chriſtiana caritate conueniens eſt.

Vt denique in omni cautione non magis prudentiæ ſuæ, quàm diuino auxilio innitantur.

2o Cùm verò ex Eccleſiaſticis monimentis nuſquam compertum ſit, fidelem populum vnius ciuitatis, oppidiuè, vniuerſum, vmquam in peſtilentia, vt contagionem euitaret, hoc commiſſiſſe, vt diuturno admo-

dum tempore totus ab Ecclesiæ conuentu penitùs abstineret, eiusque stationes planè desereret: immò verò contrà perspici possit, crebrius, ardentiorique diuinæ caritatis studio, quàm anteà consueuerat, Ecclesias frequentare: ob eam causam Magistratus diligenter videbit, vt ne quarantenæ, quam dicunt, lege, illum vniuersum domo exire prohibeat, quò fiat, vt diutius, quàm religionis pietas postulet, officia prętermittat, quæ in Ecclesia Deo præstare debet. Nã vt silentio prætereantur difficultates, incommoda, detrimenta, damna, mala, quæ inde multa Reipublicę gubernationi euenire possent, cauendum etiam maximè est, nè, cùm populi multitudo sanctarum ceremoniarum, quæ oculorum aspectu cernuntur, vsu, & ritu, ad pietatis studium incendatur, si domi recluſa, aliquamdiù ad Ecclesiam non conueniat, magna ex parte religionis officia non modo in ea inculta sint, sed planè deflorescant. Qua quidem ex re longè grauior pernicies pertimescenda est, quam ex omni vel funestissima pestilentia.

21 Quare Magistratus de quarantena diligenter, accuratè, & piè in primis, etiam atque etiam videbit, matura deliberatione, & re omni cũ Episcopo communicata, vt non minùs animarum pesti, quàm corporum contagioni, quę infinitis partibus inferior est, rectè prospiciatur.

22 Quòd si aliquando indicetur, illud maximè prævidendum erit, nè in Aduentum, Quadragesimam, solemnitates Domini, sacraque alia tempora incidat, quibus pro sacrosancta diuinorum officiorum celebritate populi fidelis conuentus in Ecclesia, & frequens, & solemnis itidem esse debet, vt solemnia sacra sunt, quę ex spiritus sancti doctrina, religiosis cęrimonijs, diuinoque ritu celebrantur.

23 Ea prętereà ratio ineunda erit, vt speciatim, potiùs, quàm vniuersè, & in summa instanti necessitate quarantena fiat; ità vt vel fœminę solùm cum pueris, vel aliquando viri, vel unius vicinię tantùm, quę grauius è suspicione laborat, homines certo illo temporis spatio, eoque nõ diuturniori domi se contineant.

Cautio in Sacerdote ministrante. Cap. XV.

SVMMARIVM.

1 *Parochus & Sacerdos in suspicionem pestis incidens, quam adhibeat cautionem.*

2 *Quæ item adhibenda cautio in audienda confessione, ministranda Eucharistia, & Sacramentis alijs in pestilentiæ suspicionem incidentibus. 3.*

3 *Sacerdotum plurium deputatio, ministeriorumque inter eos diuisio.*

Si

1 SI Parochus ob aliam cauſam, quàm ob miniſterij ſui Parochialis occaſionem in peſtis ſuſpicionē inciderit, plures ſanè dies domi ſe continebit, quot ſcilicet pro ſuſpicionis ratione Epiſcopus boni publici cauſa ſtatuerit. Quod verò ad miniſteria Parochialibus ſuis pręſtanda attinet, ea ipſa ratio ſeruabitur quę Parocho ſuprà propoſita eſt, ſi quando miniſterij ſui occaſione in ſuſpicionem incidit.

2 Idem Parochus, aliuſuè Sacerdos, qui peſte laborantium curam gerit, quoties hominem ſibi commiſſum habet, qui in peſtilentiam, ſuſpicionemuè inciderit, vt & nullo loco officijs deſit, quę in eum conferre debet, & quàm cautiſſimè poteſt, omne periculum euitet, vbi ſe ad Dei voluntatem totum accommodarit, deliberationemque ſuſceperit mortis in ſingulas horas obeundę, vt animabus ſibi in curam traditis, ad ſalutem proſit: pręſidium verò incolumitatis ſuæ in Dei potiſſimùm cuſtodia poſuerit; has etiam cautiones adhibere poterit.

Vt ſi quando hominis peſte affecti, ſuſpectiuve confeſſionem audit, loco audiat, qui aliquantulum à lecto diſtet.

Cùm verò ſine magno illius incommodo id fieri poteſt, curet licet, vt ad feneſtram, aut oſtium, aut in porticum, veſtibulumve, aut ad impluuium, aliumve locum apertum accedat, vbi illum confitentē audiat, vt cubiculum declinet, in quo contagionis periculum timeri ſolet.

Vt eadem cautione in ſanctiſſimæ Euchariſtię miniſtratione vtatur.

Vt alijs remedijs ſe præmuniat, quę religioſorum hominum in primis conſilio probata, medicorū iudicio vim aliquam repellendę contagionis habent.

Vt dùm intrà ſepta curationis publicę ſunt, veſtes contractiores, aut ità ſuccintas, quę infrà genua vix protendant, adhibeat.

Vt in ijs miniſtrationibus non pluuiali, ſed ſolum ſuperpelliceo, & ſtola vtatur.

Sacræ hoſtię particulam vnā, aut plures, quę ad communicantium vſum tunc ſatis erunt, ferre poterit: nec verò aliam prætereà, quę de more reportetur, dùm ad Eccleſiam, capellamuè redit.

At verò in omni ſacramento, multòque magis in ſanctiſſima Euchariſtia miniſtranda, cauebit, vt euitandi periculi, vel ſuſpicionis cauſa, nè quid vel minimum, quod nociuū ſit, adminiſtrationis ritum introducat; neuè inſtrumentum, aliudve quid ſimile ad miniſtrationem pro digitis, vel adeò in ijs ipſis adhibeat.

Extrà domicilij ianuam, aut tuguriorum ſepta eos conſiſtere iubebit, qui ſanctiſſimum ſacramentum luminibus proſequuntur, Clerico excepto.

Quorum

Quorum luminum loco aliqua, si fieri potest, per eos accendi mandet, qui intrà illud domicilium, eave septa habitant, cùm iàm suspecti sint.

Sacerdotes, prefecti curationi spirituali hospitalis domus, alteriusue loco, vbi morbo infecti, suspectiuè curantur, abstineant ab omni vel consuetudine, uel alio cõtrahendę contagionis periculo, quod aliũdè existere possit, quàm ex sacris functionibus, & ministerijs, & alijs caritatis officijs, quę prestanda susceperunt.

3 Eorum Sacerdotum, si plures sunt, vnus deligetur, qui ęgrotis sacram communionem prębeat, ceteraque ministeria prestet, quibus obeundis propius accedat necesse est: at verò plures etiam pro multitudine ęgrotorum; alius autem, qui peste suspectis curam, operamque suam in ijs ipsis ministerijs nauet; alius minùs suspectis, & conualescentibus, custodibusve, & famulis, cæterisque ministrabit, qui à suspicione liberi, in hospitalis domus, aut loci tuguriorum finibus extra septa degunt.

In sacramento autem pœnitentiæ ministrando; in sacra concione habenda; in doctrina Christiana tradenda; & alijs functionibus, quibus præstandis ad eos peste, vel affectos, vel suspectos appropinquare non est necesse, vnus, & item alter vicissim, prout inter se conuenerint, aut prout Episcopus maluerit, operam suam, curamque non ægrotis solum, suspectisue nauare poterit; sed ceteris etiã, atque adeò illis, qui rectè valentes, extrà tuguriorum fines collocati constitutique sunt ad locorum eorum custodiam, vsum, & famulatum.

Cùm eorum Sacerdotum vnus ægrotis curam, ministeriumque nauat, alter ijs, qui tantum in suspectis habentur; cautè etiam ijs ambo mutua inter se consuetudine vtentur; nè præ suspicione fideles à suscipiendo eorum ministerio auertantur. Atque si in ijsdem domicilijs habitant, eorum tamen commertium aliquo interuallo disiunctum erit.

Eorum vnusquisque ad Missæ sacrificij vsum distinctas sacras vestes, mappas Altaris, distinctosue etiam calices, si fieri potest, habebunt.

In capellis quoque Altaribusue distinctis celebrabunt.

Si verò vna tantum Capella est, vnumue Altare, nè vnus alterius indumenta, mappasue adhibeat, tangatue.

Si aliquando, vel in Missæ sacrificio, vel in sanctissimæ eucharistiæ ministratione, cùm Clericus desit, qui ministret, alter alteri ministrare necesse habet; vtriusque cautio eadem erit.

Cautio

Cautio in Sacerdote, qui ministrauit. Cap. XVI.

SVMMARIVM.

1 *Parochus Sacerdos* } *ob ministrationem sacramentorum, & aliorum ministeriorum in pestis suspicionẽ incidens, quid faciat; à quibus abstineat; quæque caueat. 8. 9.*

2 *Parochus, Sacerdos Clericus Famulus.* 6. } *extrà Parochiam, & è loco illis deputato egredi prohibentur. 9. & quando egredi possint. 7.*

3 *Egrediens, quo signo vtatur: & quando vti desinet. 7. Et quando iterum vtatur. 9.*

4 *Baptismus, quo ritu, durante suspicione, ministrandus.*

5 *Deputatio Sacerdotis idonei ad sacramenta peste liberis ministrãda.*

1 PArochus, aliusue Sacerdos, cùm vel peste tabescẽti extremam vnctionẽ ministrauerit, vel in eius cubiculo confessionẽ propius audierit, aut aliud denique egerit, vnde apud populum in probabilem pestis suspicionem inciderit, tunc aliorum commercio consuetudineue per aliquot dies abstineat, nè benè valentibus contagij periculum, aut certè timorem injciat.

Dùm is, tãquàm suspectus, domi se continet, si fortè acciderit opus esse alicui, itidem suspecto, aut infecto, qui Parochiæ suæ sit, aut alienę, at curæ suæ commissus, huic ministerium suum, operamue sacramentis ministrandis præstabit.

Quo tempore ab aliorum commercio abstinet, in Parochiali tantũ Ecclesia, aliaue, quam præfectus regionarius, aut Vicarius foraneus cõstituerit, Missam celebrabit, & in eo prætereà solum Altare, in quo nemo alius Sacerdos eo tempore celebrabit.

Quod Altare si fieri potest, Cancellis munietur, quibus populo ingressus præcludatur.

Quo ipso tempore ad Missæ celebrationem vestes sacras & mappas Altaris adhibebit, quæ separatim loco distincto asseruabuntur; nec alijs Sacerdotibus tunc vsui erunt.

De suggestu, alioue eius generis loco, qui à populi frequẽtia aliquo

inter-

interuallo disiunctus sit, sermonem, concionemuè habere poterit.

Confessionē in Ecclesia intus,& foris,at in sede cōfessionali audiet; quæ præter laminam perforatam, aliquid etiam intermedium,interiectumuè habeat, opere chartaceo confectum. Extrà etiam confessionalem sedem audiat licet; ità tamen vt confitens ab eo distet tribus, quattuoruè cubitis.

Parochialem etiam viciniam, aliamuè curæ suæ commissam, obeat licè,'cùm vel funus curare, vel alia Parochialia officia præstare necesse habebit.

Alia præterea loca adire poterit, cùm peccata confessurus ad alium Parochum,confessariumuè, qui propius absit, se conferat,opus est.

At sanè expediet eum confessarium ad eum potius in Parochiæ finibus accedere.

Cauebit autem,nè in chorum Ecclesię, vbi alij Sacerdotes sunt; neque aliò item, vbi frequens hominum conuentus est, proximè ad eos accedat.

2 Nec uerò idem Sacerdos extrà Parochię fines, excepta causa, quæ commemorata est, sine Episcopi, aut prefecti regionarij, Vicarijve foranei facultate scripta discedet.

Neque porrò facultas dabitur, nisi cùm alijs suspectis sacramenta ministraturus est; aut bene ualentium etiam adhibita paulò ante demonstrata cautione,confessionem,Episcopi iussu,auditurus,aut ad Episcopum res,ad curam suam pertinentes relaturus, aut aliquid acturus, quod sua causa agi necesse est.

3 Quàm diu verò ab aliorum consuetudine suspicionis causa abstinet, cùm domo, aliqua causa, facultateve egredietur; semper,præterquàm cum sanctissimam Eucharistiam feret, ferulam albi coloris,quatuor cubitis longam, quod signum suspicionis erit, manu gestabit, vt omnes eius congressum proximumque accessum cauere possint.

4 Eo ipso tempore,dum suspectus est,baptismum infusionis,non immersionis ritu, vbi huius ritus consuetudo alijs temporibus est, ministrabit; statas uerò baptismi cerimonias ad id tempus differet, quo à suspicione liber erit: aut alium Sacerdotem adhibebit, qui baptismum statis cerimonijs ministret.

5 Alterius etiam Sacerdotis ministerio utetur, ad sanctissimam Eucharistiam, extremamque unctionem, Parochialibus suis ministrandam pestis suspicione non laborantibus.

Quamobrem Parocho,dum eo loco pestis est, ubi curam gerit,facultas detur, alium Sacerdotem substituendi, qui ab ordinis munere non sit suspensus,ut Parochialis curæ munera obeat. Ne tamen audiendis confessionibus alium Sacerdotem substituere possit, quem antea Epi-

scopus

scopus non probarit; nisi huius substitutionis potestatem idē fecisset.

6 Clericus, famulusue Parochi suspecti, aliusue, cuius opera uti uelit, quo tempore ille domi se continet, inde etiam nè ipsi quidem egrediātur ad præscriptum: si quando autem exire necesse habebunt, ferulam de more gestabunt.

7 Vbi septimus dies, aut aliud tēpus, ab Episcopo præscriptū prout uiderit expedire, præterijt, quo Parochus in pestis suspicionem ob ministerium incidit, neque aliqua parte se læsum sentit; nec uerò suspicatur se contagione infectum esse; liberè, ut anteà, & sine ferula omnia loca adire, Parochialisque cutæ munera obire poterit, nisi aliter Episcopus iusserit. Idem de Parochi Clerico, famulo, familiaue censendū erit: quæ ex Parochi, ob ministeriū, suspicione sese domi cōtinuit.

8 Parochus autem, & Sacerdotes in loco curationis publicæ constituti, caueant, nè propiùs accedant, congredianturue cum ijs, qui à pestis suspicione liberi sunt: neue alia ratione eis periculum, aut suspicionem contagionis afferant.

9 Quamobrem è loco, in quo collocati sunt, facultate ab Episcopo, præfectoue regionario, aut à Vicario foraneo in Diœcesi non impetrata, nè discedant. Nec uerò illi præfectus scilicet regionarius, & Vicarius foraneus, Episcopo incōsulto, dent nisi ob causam, quę uel ad spirituale ministerium, uel ad publicam curationem spectet: ob quas causas sępè accidit, eos ad alia loca mitti oportere. Cùm autē foras quauis causa facultateue exeunt, ferulam albam, Parochis suprà constitutam gestabunt.

Cautio in homine Ecclesiastico, ob aliam causam suspecto, aut peste etiam infecto, adhibenda. Cap. XVII.

SVMMARIVM.

1 *Cautio ab Ecclesiastico peste infecto, hæc adhibenda; vt domi ipse, & sua familia se contineat, neminemque intrà eam admittat.*

2 *Et quorum cura id ab ipsis exequendum. 9.*

3 *Parochi officium cum Ecclesiastico peste laborante: deque eodem cum Episcopo vel præfecto regionario, Vicarioue foraneo. 4. Et curatoribus publicæ valetudinis. 5.*

6 *Regionarij præfecti. & cura in procuranda purgatione domorum, & Vicarijque foranei. & supellectilis Ecclesiarum, & Ecclesiasticorū. Supellectilis Ecclesiasticæ index, & locus. 3.*

Medici

7 *Medici à Parocho adhibendi, ad cognoscendum an quis peste mortuus, vel nè.*

8 *Vicarij foranei officium in prohibendo Ecclesiasticis egressu è loco suspecto; & in adhibendis cautionibus prædictis. 9.*

1 AD tuendam publicam valetudinẽ Episcopus eã facultatem Parocho dabit, vt non modò Ecclesiasticis hominibus, qui in Parochiali vicinia habitant; sed etiam socio curæ Parochialis, & Parocho item, proximè habitanti, si quis eorum in pestilentiam, eiusque suspicionẽ inciderit, hęc, vt infrà, præcipere, iubereuè possit.

Vt is scilicet vel infectus, vel suspectus intrà domicilium, certi præscripti temporis lege, se contineat, aliorumque consuetudine abstineat.

Vt neminem alium intrò ad se domum recipiat ad mittatuè.

Vt illius familia hoc ipsum omne itidem præstet.

2 Hanc eandem potestatem præfectus regionarius cùm in reliquos Ecclesiasticos homines, tùm in Parochos ipsos exequetur, non solum si quando eorum quispiam peste afficitur, pestisuè suspicionem prębet, verùm etiam alia de causa. Ad cuius rei exequendæ vsum pœnis arbitrij sui contrà contumaces aget.

Hæc ipsa facultas erit etiam vniuscuiusque Vicarij foranei, cui præterea laicos homines, cum Ecclesiasticos idoneos non habebit, qui hæc exequantur, substituere licebit; si quid præsertim de repentè acciderit, quod aliena opera opus habeat.

Eisdem præterea singulis licebit, etiam laicorum ministrorum custodiam, si ità quandoque expedire censuerint, adhibere.

3 Parochus igitur, vbi primùm Ecclesiasticus homo in suspicionem pestis incidit, facultate sibi data, vt opus esse viderit, statim diligenter, & prudenter vtetur.

Ecclesiæ autem vestes, & præcipuè, quibus ille propriè vtebatur, vnde contagiũ existere possit, omni diligentissima cautione, vt nihil planè amittatur, certo loco, ab aliorum consuetudine semoto, reponi, & custodiri curabit. Qui locus benè sepietur, & munietur, & supellectilis, quæ in eo recondetur, index, omnisque alia opportuna cautio adhibebitur.

4 Episcopum præterea, aut præfectum regionarium, aut Vicarium foraneum de tota re certiorem itidem faciet, vt, vbi rem ipsam diligenter cognouerit, vel aliquid aliud, vel idipsum diligentius statuat, prout expedire videbitur.

5 Rem item omnem curatoribus publicæ valetudinis, in ea vicinia consti-

constitutis, quàm primùm significabit, vt & submini-strentur, quæ eorũ opera, ministerioue ei tunc submini-strare necesse est, & omnis alia dili gens cautio ab illis adhibeatur, quæ necessaria esset ad alios homines conquirendos, qui cum eo, alijsue illius familiæ, domusue commertiũ habuissent; aut alio modo eius rei causa suspecti esse possunt.

Si verò Parochus est, aut eius Clericus, aut familia domusue, quæ in suspicionem incidit; hæc ipsa officia socius Parochialis curæ, si quem habet, alioqui Parochus propinquior præstabit.

6 Curabit porrò præfectus regionarius, aut Vicarius foraneus impensè admodum, vt & domicilia, & supellex E ccleſiarum, vel Eccleſia sticorum hominum quam diligentissimè expurgentur.

Ad cuius expurgationis rationem omne exquisiti studij, cautionisque genus Episcopus adhiberi iubebit, quod ex Magistratus præscripto in laicalibus rebus expurgãdis adhiberi solet. Et vbi opus esse censuerit, ad expurgationem eorundem ministrorũ operã vtendã curabit.

7 Cùm ex facti, quod euenerit, ratione, dubium existit, an quis peste mortuus sit, anuè illius supellex eo nomine suspecta, anuè alio genere morbi affectus; tunc Parochus medicos in consilium adhibebit, aliosue peritos, eosque potissimùm, quos Magistratus curæ eiusmodi præfecerit; vt de re tota certius statuatur.

8 Parochus, aliusue Ecclesiastici ordinis homo, qui loca incolit, quorum commertium ob suspicionis causam vetitum edicto publico est, nè inde egrediatur, prohibeat Vicarius foraneus, sicut cæteris eorum locorum incolis prohibitum est: ità tamen vt certis ijs regulis, & facultatibus, quę Ecclesiasticis hominibus peste suspectis, suprà constitutæ sunt, vtatur, & fruatur, præsertim, qui animarum curam quouis modo, aut nomine gerit.

9 Hæc omnis cautio tùm in Sacerdote ministrante, tùm in eo, qui ministrauit, tùm etiam in Ecclesiastico homine peste suspecto, quicũque sit, vt diligentissimè adhibeatur, atque seruetur, Parochi, vt suprà, cura erit. Quæ sanè cura omnis, cautioque in vrbe ad præfectum regionarium, & in Diœcesi ad vicarium foraneum maximè pertinebit.

Cautio in Monasterijs, & Collegijs pijs adhibenda. Cap. XVIII.

SVMMARIVM.

1 *Cautio in Monasterijs, & locis pijs quæ adhibenda.*
2 *Diuina officia,* } *non omittenda.*
3 *Missæ celebratio* }

Eleemosyna

4 *Eleemosyna illis facienda, & vnde. Vide etiam cap. seq. nu. 5.*
5 *Monasterio incapace, ad continendum suspectos, & liberos, quæ via ineunda.*
6 *Monasterijs Monialium peste suspectis, quæ alia cautio adhibenda. Clausuramque quando ob pestem egredi liceat.*

1 SI regularium hominum monasterium, aliudue Collegium Ecclesiasticum, aut domus, vbi collegiatim viuitur, in pestilentiam, eiusue suspicionem inciderit, eadem tota ratio, & cautio, quæ mox suprà demonstrata est, ab Episcopo, & præfecto regionario, Vicariouè foraneo ipsius Episcopi nomine ità diligenter adhibeatur; vt omnes qui in eo monasterio, collegiouè habitãt; nisi aliquos solùm peste suspectos esse, manifestò constet, ab aliorum hominum consuetudine, commertiouè abstineant, & intrà monasterij, domusue sepia se contineant, ad Episcopi præscriptum. Eam verò cautionem inter se adhibebunt, vt alter ab altero ità separatim in consuetudine versetur, vt nè contagium contrahere possit. Quamobrem etiam in hortis tuguria strui expediet.

2 Verùm nè propterea in eorum Ecclesia diuinus cultus intermittatur: sed diuina officia in choro, vt moris est, obeant; ità tamen, vt ibi alter ab altero separatim aliquo exiguo spacio interiecto sit.

3 Missas singuli in singulis Altaribus distinctis celebrẽt, sacris adhibitis indumentis, & instrumentis, quę ex communi sacristię supellectile sumpta, ad suum quisque vsum eo tempore sigillatim locoque separato seruabit, & custodiet.

Ne verò vllum populo periculum inde existat, à capellis, vbi celebrabitur, & choro aditus ipsius populi secludatur, cancellis ferreis, ligneisue, aut alio eiusmodi sepimento.

At nè dum se intra sepia ab aliorum consuetudine abstineat, quicquam ad victum eis desit, è publico illo sumptu, qui necessario eo tempore ad pauperum sustentationẽ constitutus est, eleemosynam, vt opus erit, subministrari, curandum erit.

5 Si Ecclesiasticorum hominum in eodem monasterio, locouè collegiatim viuentium, magnus admodum numerus est, qui pestis nomine suspectus sit, nec verò domus, habitationisue amplitudo eiusmodi est, vt omnes tugurijs etiam extructis commodè separatim habitare possint: expedit, vel eos omnes, qui ex peste, suspicioneue laborant, vel, his relictis, alios rectè valentes, suspicionèque liberos ad aliam domum, monasteriumue, aut etiã ad plura traduci, quę tamen vacua sint,

& ità

& ità cõstructa, vt dùm curationis, aut suspicionis causa in illis manẽt, regularem modestiam Ecclesiasticamque ordinis sui disciplinam rectè seruare possint.

6 Hæc ipsa cura, & cautio adhibebitur, si quando fortasse monialium, in eodem monasterio viuentium, magnum numerum pestis peruaserit.

Sed in earum monasterijs, pestis nomine suspectis, magna ab Episcopo cautio adhibenda erit, nè ex ea occasione intrà septa monasterij aditus sit, sine necessaria causa.

Nec verò extrà clausuræ septa, finesuè egrediendi facultas, nisi vrgente, necessariaque item causa monialibus permittatur.

Si verò aliquando necessitas efflagitat, vt illę intus visitentur, aut inspiciãtur; hoc nè à viris fiat, sed à fœminis honestis, curabit Episcopus.

Hoc ipsum itidem seruabit, si quando Monattorum opera, aut alia eiusmodi necessaria erunt.

De Baptismo infanti peste laboranti, suspectouè ministrando. Cap. XIX.

SVMMARIVM.

1 *Baptismus, infantibus peste affectis, vel suspectis, vt ministrandus.*
2 *Liber baptizatorum pestis tempore.*

1 INfans nuper natus, peste laborans, aut eo nomine suspectus, quia à matre, pestifero morbo affecta ortus est, quàm primùm ob instans mortis periculum à Sacerdote, peste laborantium curam gerente, infusionis ritu baptizabitur, alijs statis cerimonijs tunc non adhibitis. Si Sacerdos abest, idem confestim ab alio præstabitur, qui præsens baptizandi formam norit: nec verò compater adhibeatur; aut talis, qualis infans est, compater, aut commater afciscetur, nempè ex morbo laborans, aut ex eadem causę origine suspectus si alij, qui liberi sũt, suspicione cõtagionis deterriti, id munus refugerint.

Posteà, si infans superstes erit, quàm primùm ab omni suspicione liber erit, in Ecclesiã Parochialem suam Sacerdoti Parocho offeretur, qui Ecclesię instituto reliquas statas cerimonias ei adhibebit.

Idem in baptismo seruabitur infantum, qui expositi, dubium est, an pestilentia suspecti sint.

Hoc ipsum quoque prestabitur in baptismo infantum, qui non ità

manifestò suspecti videntur, quales ij sunt, qui è milieribus benè valentibus nascuntur; quę tamen ex aliqua suspicione vel domi includę, uel ad loca publicæ curationis perductæ sunt, quoniam vel in loco suspecto fuerunt, vel cum homine suspecto consuetudinem habuerunt.

2 Sacerdotes locorum curationis publicæ, quibus baptismum ministrarint, eorum, & parentum nomina, & reliqua de more in librum certum referant: quem deinceps à pestifera lue purgatum ad archiuium Episcopale ferant. Vniuscuiusque autem, quē baptizarint, baptismū exscriptum proprio etiam eius Parocho tradant: quē etiam, cùm primùm inde illi emittuntur, certiorem faciant de cerimonijs reliquis, quas non adhibuerint, vt ille in Parochiali Ecclesia ritè suppleat.

Officia Confratrum caritatis, & collectio eleemosynarum, ac distributio. Cap. XX.

SVMMARIVM.

1 *Collectio eleemosynarum pestis tempore; & à quibus; & qua ratione facienda.* 5.
2 *Capsæ ad eleemosynas colligendas vbi affigendæ.*
3 *Eleemosynæ distribuendæ modus.* 5. *Eiusdem distributio Parocho vetita.* 6. *Et quando permissa.* 7.
4 *Piorum locorum bona non alienanda; nec obligandas.*
8 *Eleemosynarum participes qui sint; quique non.*

1 SCholæ caritatis homines Parocho describendis Parochiæ pauperibus operam nauabunt, quos semel diligenter descriptos, sepè generatim recognoscent. Qua in recognitione si quid vel addendum, vel mutandum viderint, id Parocho nunciabunt, qui in descriptionis libro notabit, quod eo in genere opus erit, & Epo etiā referet. Idem singulis diebus sedulò pauperes inuisent, eosque præsertim, qui peste tabescunt, suspectiuè sunt.

Si quos inuenerint, qui recenter in morbum inciderint, quiuè spiritualis alicuius adiumēti indigeāt, de ijs eundē Parochū certiorē facient. Ipsi verò sollicito studio in id incumbent, vt quæ ad corporis vsum necessaria sunt, pauperibus, pesteque affectis vndique conquirant.

Vt aūt omni exparte cumulatiora caritatis subsidia compa rent, cùm ad Episcopum, tùm ad præfectos regionarios, vicariosuè foraneos, & Parochos perfugium sæpissimè habebunt: quorum etiam au ctoritate

ad

ad omnem eleemosynæ, pijque subsidij conquisitionem, atque apparatū vtētur; sæpè etiā magistratū, & decuriones, cōueniēt, vt opus erit.

Id Parochus præter cætera maximè Parochiales suos cohortabitur, vt his præsertim pestilentiæ temporibus, omni commisseratione dignis, quantam maximam per facultates possunt, eleemosynam conferant ad subleuandas necessitates, non solum peste laborantium, suspectorumuè; sed aliorum etiam omnium, qui rerum inopia premuntur.

Quam ob causam singulis hebdomadis, semel, atque adeò sæpius, rariusuè, prout necessitas vrget, Parochialiumque opes ferunt, viciniam suam, adhibitis caritatis sodalibus, in omnes partes obibit, omnique studio, & caritatis pia contentione eleemosynam, quæ in eorum miserabilium vsum erogetur, ab omnibus efflagitabit.

2 In Ecclesia præterea Parochiali, in omnique viciniæ parte, præsertim pro foribus eorum, qui peste infecti, suspectiuè sunt, capsulas, duabus clauibus, inter se diuersis singulas clausas, certoq; signo, quod præcipuū Episcopus constituerit, notatasque & distinctas publicè proponet, atque affiget: in quas oblatę eleemosynę eo nomine conijciantur E clauibus illis duabus vnam ipse Parochus, & alteram ille ex confratribus caritatis asseruabit, quem Episcopus, præfectusuè, vel Vicarius foraneus delegerit.

Si qua in Parochiali vicinia cū plures sunt, vel pestifera labe inquinati, vel suspecti, vel alij inopes homines, quibus aliūde nō satis succurri possit; Parochus ad Ep̄m cōfugiet, cuius cōcessu in finitima etiā vicinia Parochiali capsulā eleemosynæ proponere, aut alia ratione subsidia caritatis comparari possit ad illorum sustentationem.

3 Vt autem necessario eo tempore pauperū egestati vndiq; succurratur; eam facultatē, si ità necessitas tulerit, Ep̄s aliquādo permittet, vt piorū locorū præfecti, curatoresuè eleemosynarū, quas certo præscripto tempore dari moris est, distributionē anticipient, vtpotè quę eleemosynam semestri, aut longioris temporis spacio in egentium vsum erogari consueuerat, ea omnis duobus, tribusuè mensibus, aut breuiori tempore, prout opus erit, distribuatur.

Ea autem cautio adhibebitur, vt ne eleemosynę distribuendæ ratio, atque vsus sine legitima auctoritate, & facultate vmquam immutetur, verbi gratia, quod puellis, virginibusuè nuptuidandis in dotem pia liberalitate erogari solet, aut debet, nè in panis eleemosynam, aliudue genus conuertatur.

4 Nec verò piorum locorum prædia, aliaue bona immobilia hypothecę, pignoriuè dentur, aut alienentur, contrà ac testatorum voluntate, Canonum iure, pontificijs constitutionibus, & conciliorum, aut Synodi Prouincialis nostræ primæ decretis cautum est.

5 Omnis eleemosyna, quæ à caritatis confratribus congeretur, de Parochi, aut præfecti regionarij, aut Vicarij foranei consilio, & assensu, in eorum hominum vsum necessarium erogabitur.

In eleemosynæ autem erogatione habebitur ratio cùm in primis inopię, paupertatisque Sacerdotum, & monasteriorum cuiusuis generis, & ordinis, tum hospitalium ædium, locorumuè, quæ intrà Parochialis vicinię fines sita sunt.

Quibus Sacerdotibus, & monasterijs, ex ærario etiã publico, aut censu, vndè reliqui pauperes sustẽtãtur, necessaria alimẽta subministrari oportebit, cùm ob alias causas, tùm quia publico Ecclesiæ nomine religiosi illi homines quotidianis sacrificijs, supplicationibus, diuinorũque officiorũ cultu, & moniales etiã sacræ lachrymarum ui, peccatorũ deploratione, gemitu, vigilijs, ieiunio, atque assidua oratione, Dei iram afflictissimo illo tempore placare contendunt.

6 Cauebit aũt Parochus, ne rei cuiusquàm, quæ ad corporales quorũuis hominũ, etiã peste laborantiũ, suspectorumuè necessitates perineat, præcipuã curã, præcipuumque onus sibi suscipiat, quo retardetur, aut impediatur, quin proprium curæ suæ officium exequatur: quod totum in rerũ spiritualium procuratione, atque administratione versari in primis debet. Ideò ab ordinario munere eleemosynę distribuendę, subuentionisque publicæ abstinebit.

7 Si quo autem in loco, & pauperum ingens necessitas, & penuria hominum vt id muneris rectè gerere possit, aliquando hoc suadebit; vt istius modi pondus ipse suscipiat, ac sustineat, ad Episcopum adibit, cuius facultate illud subeat, ac gerat.

Adhibere autẽ secum semper studebit pios aliquot Parochialis vicinię homines, aut confratres caritatis, quos tùm adiutores, tùm etiam testes fidelis dispensationis habebit. Hoc etiam ipsum, & præfectus regionarius, & Vicarius foraneus exequi pręstareque curabunt.

8 Vt omnis eleemosyna, quæcumque sit, quę colligetur, quibus oportet, rectèque distribuatur; nec verò imprudenter vsurpetur, atque absorbeatur ab ijs, qui aliunde cùm habeãt, vnde viuant, iniqua illa vsurpatione exitium animę suę pariunt, & vitę periculum illis prębent, qui summa rerum omnium angustia premuntur; ideò regionarius prefectus, Vicarius foraneus, Visitator Episcopalis, & Parochus in primis omni opportuna ratione vbicũque sunt, qui pestis, suspicionisue causa domi inclusi, aut etiam inopię nomine illam etiam pro foribus, aut de fenestris efflagitant, istos, & aliquando populum vniuersum, prout occasio tulerit, id grauiter monebit, docebitque peccati mortalis vinculo irretitos teneri, si qui sunt, qui consequendę eleemosynę causam aliquam prętexunt, & assimulant; atque adeò, si quã eo nomine, & causæ

simu-

simulatione consequuntur, planè restituere debent.

Quamobrem grauissimè peccabunt, quicumque eleemosynam capient, illis egentibus hominibus solùm constitutam, qui aliunde certo reclusionis, alioquè præstituto tempore non habent, vnde victum sibi parent: si re uera ipsi in eo paupertatis statu non sunt: nec uerò eã eleemosynam sine conscientiæ offensione, & labe retinere ullo modo poterunt, præsertim, si ipsius eleemosynę curatores aliqua significatione, rationeuè præcauerint, se constituisse ijs tantum, qui ea inopia, paupertateuè præmuntur, illam distribuere.

Cura præstandæ & exercendæ pietatis in locis publicæ curationis, ac domibus occlusis. Cap. XXI.

SVMMARIVM.

1 *Crux* } *in triuijs erigenda.*
2 *Altaria* }
3 *Asseruatio sanctissimi sacramenti, & vbi.*
4 *Oratio sine intermissione.*
5 *Sacerdotibus deficientibus, quid agendum, & à quibus.*
6 *Sumptio sanctæ Eucharistiæ.*
7 *Certa Christianæ vitæ disciplina in domibus occlusis.*
9 *Oratio septies in die certis horis.*
10 *Orationis signum campanis dandum; & quomodo; & quibus in Ecclesijs.*
11 *Litaniæ cantandæ, recitandæuè; & vbi.*
Litaniarum libelli, quibus, & à quibus distribuendi. 13.
12 *Officium beatæ virginis quando recitandum, cum publicatione indulgentiarum.*
1 *Parochorum* } *studium, vt prædicta præstentur.*
Sacerdotum }

1 IN omni triuio crux loco decenti erigetur, ad quã orantes, & precantes spectent.

Ibidem, ad Episcopi præscriptum, altaria exstruantur, in quibus Missę sacrificium offeratur; ità ut, qui Sacerdos, etiam regularis in illis obtulerit, celebraueritue Episcopi iussu, satisfeciſſe censeatur muneri, quo astrictus est, celebrandi in alio cuiusuis Ecclesię Altari.

3 In Capella domus hospitalis, lociuè publicę curationis perpetuò sanctissimum sacramentum asseruetur: cui lampas accensa præluceat.

4 In qua Capella Sacerdos, qui spirituali curationi præest, aliquando orationem sine intermissione instituet, religiosèque atque ordine haberi studebit.

5 Vbi ob pestilentiæ propagationem, obitumuè, vel ægritudinẽ Sacerdotum, desunt, qui spiritualem pestẽ languentium, vel suspectorum curam sustineat, gerantuè, vt quàm diligentissimè conquirantur, Vicarius foraneus in Diœcesi Episcopum certiorem celerrimè, & sæpissimè faciet, præfectus, in ciuitate: intereà verò eorum curam Parochis, alijsuè Sacerdotibus probatis, qui proximè habitant, magnoperè commendabit.

Idem officium præstabunt, si quando ob suspicionem pestis in Parocho, vel etiam infectionem inciderit, vt scilicet alium Sacerdotem in eius locum substituat, qui Parochialis curæ partes necessario tempore exequatur, quas ille per suspicionem ijs, qui suspicione carent, præstare minùs potest.

Cùm nemo Sacerdos est, qui publici tuguriorum loci curationem gerat; hoc saltem curabitur, vt die festo, & in hebdomada etiam certis alijs diebus eò loci, aliquis Sacerdos Ecclesiæ, aut viciniæ Parochialis Missæ sacrificium in oratorio ob eam causam extrà tuguriorum septa extructo offerat. Si verò nè id quidem fieri potest, quoniam nemo alius Sacerdos est, nisi vnus tantum Parochus, hic ipse aliquando per hebdomadam eò se conferet ad Missæ sacrum celebrandum.

Vbi in eo tuguriorum loco Sacerdotes plures sunt, tùm id curabunt, vt omnes quicumque ibi sunt, Missam spectent, audiantuè; tùm ipsi ob eam causam inter se rationem inibunt, vt cùm præsertim vna tantum Capella sit, alius benè mane, alius paulò tardius Missam celebret; aut certa alia hora commodiore id quisque præstet.

6 Præcipuè Parochus hoc valdè curabit, vt si quando, vel vniuersi ciues, vel aliqua vicinia, familiauè Parochialis domo egredi prohibentur; omnes, & singuli, antequàm se in suis quisque domicilijs per illud dierum spatium includant, peccata confessi, sacram communionem sumant. Si verò præ temporis exiguitate id tunc non præstabunt, præstent saltem eo ipso ineunte tempore, & deinceps prætereà singulis hebdomadis, aut quintodecimo quoq; die, prout se illis per alias occupationes posse sacramenta ministrare viderit.

At pro curæ suę ratione, quæ ad ægrorum salutem spiritualia adiumenta spectant, hæc omnibus alijs anteponet.

7 Certam aliquam Christianæ vitæ normam eo tempore, cùm populus intrà domesticos parietes aliquamdiù se continet, pastoralibus litteris Episcopus commostrabit, vt quotidianas habeat pietatis Christianæ exercitationes, quibus perpetuum cursum teneat in via salutis.

Pietatis

Pietatis autem ea officia proponet patribus familias, vt non ſolùm mane, ſed veſperi, & meridie, ſinguliſque horis ac momentis habeant ſpirituales exercitationes, in quibus omnis familia piè verſetur.

8 Quamobrem, præter cætera, libros in ſingulas familias introducendos curabit, non ſolùm eos, quos ſuprà commemorauimus, ſed ſacrorum bibliorum partem aliquam, vt pote hiſtoriam Iob, libros Thobiæ, Epiſtolam ſancti Iacobi, & volumen prætereà de vitis ſanctorum: è quibus ſeliget præſertim vitam ſancti Sebaſtiani, S. Gregorij Magni, S. Rochi, S. Macarij, S. Euthichij Patriarchæ Conſtantinopolitani, S. Nicolai Epiſcopi, S. Bernardini Senenſis, qui omnes peſtilentię documenta, & exempla præbuerunt ſanctiſſimarum virtutum.

9 Ad alias religioſas orationes introducet certos pſalmos, & hos potiſſimùm, nempè pſalmum ſextum, vigeſimum quartum, trigeſimum primum, trigeſimum ſeptimum, quinquageſimum, ſeptuageſimum octauum, centeſimum primum, centeſimum item & vigeſimũ nonum.

Stata prætereà illa oratio Parochi, & Sacerdotis, quę in ſingulos dies ſepties certis horis adhibebitur, etiã à cuſtodibus, & miniſtris inſtituetur in omnibus tuguriorum ſeptis, hoſpitalibus ædibus, ſingulis familię incluſæ domicilijs, omni loco, & publicè, & priuatim.

Quæ oratio vt rectè, religioſèque peragatur, curandum eſt diligenter ad Epiſcopi præſcriptum.

10 Itaque orationis huius ſignum in vniuerſę, vel partis populi recluſione, dabitur campanis primariæ Eccleſiæ, Collegiatarũ item tàm Regularium, quam Sęcularium, ſi quę ibi ſunt, dabitur. Itidem in Eccleſia Parochiali fiet, cuius viciniæ homines, familiæuè aliquę, contagionis nomine ſuſpectæ, domi ſe continet.

Itidem fiet percuſſione paruulę campanæ hoſpitalis, aut alterius loci curationis publicę.

Signi ratio hęc ſeruabitur, vt diſtincto certo temporis ſpacio, nempè ſecunda quaq; hora, aut longiori, breuioriuè interuallo, prout dies contractiores, vel longiores ſunt, ſepties in die campana pulſetur.

Initio orationis ſignificandę percuſſio campanarum fiet, vt de more fit, cùm ſalutationis Angelicę, quę Aue Maria dicitur, ſignum datur; poſteà continenter per horę quadrantem, certis campanę actibus, breui interuallo diſtinctis, eiuſdem ſignificatio fiet, quę ſono terminabitur, vt oratio veſpertina ſolet.

11 Dùm verò campanis pulſatur, litanię, ſupplicationeſuè ad Epiſcopi præſcriptum concinentur, recitabunturuè; ità, vt uel è feneſtris, foribuſuè ędium ab vna parte ſint, qui illas prędinant, & viciſſim ab altera, quì religioſè ſuccinant, & reſpondeant.

Quod ſicubi ità præſtari non poteſt, intus in ædibus ipſis, loco om-

nium communi, aut, vbi optimè potest, statis illis significationis horis præstabitur.

Quam ob causã in vnaquaq; vicinia, vbi hæc precatio horaria celebrabitur, vnus, pluresue Ecclesiastici homines, aut, si tales non ad sunt, alij pij viri, orationis vsu instructi, ad fenestram, foresue ædium adhibebuntur, qui stata quaque hora, qua significatio fiet, orationis huius institutum, atque vsum rectè, ritèque moderentur, & dirigant, & eius studium in horas ferè singulas ardentius excitabunt.

12 Curabit præterea Parochus, vt diebus saltem festis, vbi sunt, qui benè norint, de beata Maria virgine officium precum horarium statis illis septem horis distinctè recitent.

Sæpè euulgabit, atq; edicet, quò fideliũ mentes ad huius precationis vsum, studiumque inflammet, indulgentias eo nomine concessas.

13 Ac præterea quidé, vnicuique Parocho, & Sacerdoti, breuiũ illorum librorum, quibus Epi iussu certæ preces, & litaniæ eius orationis causa editæ continentur, copia fiet, & gratis aliquo modo suppeditabitur, vt Parochialibus suis, & alijs, prout vsu venerit rectè distribuat.

14 His, atque adeò alijs omnibus pietatis exercitationibus Parochus, alijuè Sacerdotes, curationi spirituali præfecti, homines, sibi commissos, tẽpus in domibus occlusis, alijsq; locis tuguriorũ salutariter, & religiosè consumere studebunt quàm diligentissimè; vt nè otio tabescentes procliuius prolabantur ad Dei offensiones, & ad turpia flagitia.

Cura disciplinæ morum in eisdem locis. Cap. XXII.

SVMMARIVM.

1 *Cura disciplinæ morum in locis publicis, Parochis, & Sacerdotibus commendata.*

2 *Mulierum*
3 *Virginum* } *pudicitiæ, & curæ eorundem opera consulendum.*
4 *Pupillorum*

5 *Marium à fœminis separatio.*

6 *Matrimonio celebrando à Tridentini Concilij forma non recedendum: & quid vlterius cauendum.*

7 *Concubinatus suspicioni vt prospiciendum: quique ea de re per Parochum admonendi.*

8 *Morum corruptelæ quæcumque Sacerdotum opera tollendæ.*

9 *Viri deligendi, qui morum corruptelas denuncient, & quibus.*

Parochus

1 PArochus, animarumque curator, & alij item Sacerdotes, curæ spirituali in locis præfecti, vbi infecti, suspectiuè morantur, caritate paterna, & diligenti studio videbunt vitam, mores, pietatem, & religionem non modò eorum, qui pestis morbo suspecti, in hospitalibus, publicis domicilijs, aut intrà tuguriorum septa, sibi comissa, habitant, & illorum, qui præsertim recluſi, intrà Parochiæ suæ fines, in priuatis domicilijs manent, sed monattorum, & famulorum, & ministrorum, quicumque illis operam nauant, & eorum prætereà qui in illorum custodia collocati sunt.

2 Mulierum pudicitiæ, & adolescentum honestati prospiciant, qui intrà ea septa, hospitalesuè domos, aut domicilia priuata inclusi degũt.

3 Præcipuã autẽ curã susciplent, & sustinebunt, puellarũ, virginũ, & fœminarum, quę vel parentibus, vel coniugibus mortuis, discrimini, & periculo pudoris, ac pudicitiæ magis obnoxię, atque expositæ sunt.

Eas senioribus fœminis, & spectata honestate, pietatisq; studio insignibus, quæ in illis locis morantur, diligentissimè commitent; quasique in manum tradent, & commendabunt omni caritatis officio.

4 Pupillorũ itẽ, præsertim infantũ curã gerent, eãq; potissimùm rationem habebunt, vt certo loco separato, dùm in publicæ curationis domicilijs, lociſuè sunt, piè, rectèque educenter.

5 Cura eorundem erit, hęc etiam, vt quò ad eius fieri potest, à fœminis mares vbique separatim degant, præterquam si qui sunt eiusdem familiæ.

Curabunt prętereà vt non solùm euitandę contagionis, sed honestatis in primis tuendę causa, qui in vno cubiculo, tugurioluè degunt, nullum suspectum cõmertium consuetudinẽuè habeant cum alijs, qui vel sunt diuersæ familię, vel in alio diuerso tugurio, cubiculouè manẽt.

6 Sæpè fit, vt in ijs curationis publicę locis non modò palàm, sed occultè futuri matrimonij sponsiones fiant: ideò Episcopus curabit, vt qui in illis locis, aut paulò postquam indo egressi sunt, matrimonium cõficere volunt, illius statę denunciationes cùm in Ecclesia Parochiali, tùm eò ẽt loci, vbi inclusi pestis causa sunt, aut paulò antè fuerũt fiant.

Ne quid verò de matrimonio contrà agatur, quàm Tridẽtina sanctione pręscriptum, ideò quàm sæpissimè illa in locis publicę curationis promulgetur, atque exponatur.

Ne prętereà puellę in fraudem inducantur; omnis alia diligens ratio per Parochum, Sacerdotemuè, qui spirituali curationi præest, adhibebitur.

7 Vbi aliqua, vel concubinatus, vel vitę turpis suspicio suborietur,

aut

aut indicium exiſtet, de hac re omni Parochus, Sacerdoſuè, ſpiritualis curę prefectus, Vicarium foraneum, aut prefectum regionarium, & hi Epiſcopum certiorem ſtatim faciant, vt in tempore, primùm re inueſtigata, cùm remedium opportunum periculo adhibere poſſit, tùm flagitioſa vita, omnique uitio diffluens, reprimatur, & coerceatur.

8 Illę verò morum corruptelæ, quę in ijs locis magna cum Dei offenſione vulgò exiſtere ſolent, quales ſunt, commeſſationes, exhilarationes, cachinnationes, inhoneſtę congreſſiones, obſcænę collocutiones, detractiones, maledicendi vſus, ludificationes, geſticulationes, luſiones, ludi aleatorij, ſaltationes, tripudia, crapulę, compotationes, congreſſuſque illi, tot peccatis coniuncti; omneſque demùm turpes actiones, vt tollantur, radicitùſque extirpentur; ijdem Sacerdotes, & priuatis colloquijs, & cõcionibus, & ſuaſionibus, & cohortationibus, & omni officij genere agent planè diligenter.

Quod ſi ijs rationibus aſſequi nõ poterũt, quod ex diſciplinę Chriſtianę vſu erit, Epiſcopum ipſum adibunt, qui offenſionibus eius generis omni via occurrat.

9 Quam ob cauſam, quò diligentius ſcilicet idem Epiſcopus nota, atque explorata habeat, quęcumque in ijs locis ad morum emendationem, correptionemque opus erunt; certos etiam aliquos laicos homines, Chriſtianę, ſanctęque diſciplinę ſtudioſos, non modò in rugiorum finibus, hoſpitalibuſque ędibus publicis, ſed in omni Parochia ſecretò conſtituet, qui omnia inhoneſtę, turpiſque vitę pericula, flagitioſas actiones, & corruptam omnem eorum diſciplinam, qui ibi degunt, prudenti exploratione, diligenter indagent: quęque in offenſa eſſe uiderint, de ijs, uel Epiſcopum ipſum, prefectumue regionarium, uel Vicarium foraneum, uel Parochum, uel Sacerdotem etiam curatorem ſępiſſimè, atque adeò quotidie, ſi opus erit, certioré facient.

Quæ diſciplinæ ratio Parocho, & Sacerdotibus curationis publicæ tenenda ſit. Cap. XXIII.

SVMMARIVM.

1 *Parochi Sacerdotumq;* } *diſciplina in curatione publica.*

2 *Hi ad teſtamenti factionem neminem inducent: Abſtinebuntque à teſtamenti, Codicilli, & omnis vltimæ voluntatis conſcriptione.* 3

Parochus,

1 PArochus, & Sacerdotes curationis publicę cùm diligentem in alijs morum ſpeculationem, curã, exercitationemque pietatis adhibuerint; hoc etiam maximè ſtudebunt, ut ipſi, piè, ſtanctèq; viuendi ſtudio, omnique religionis officio, atq; omni documento, & exemplo, cęteris omnibus prę luceant, ac ſumma quidem cautione in eo vtantur, vt non modo quicquam non offendant, peccentuè; ſed ab omni peccati ſuſpicione planè liberi ſint.

Omni igitur intima, & externa pietate in illis publicę curationis locis ſeruient Dei glorię, cuius religioſus cultus perpetuò ob eorum oculos verſari debet.

Studio caritatis, quę in eorum animis fixa ſemper inhęreat, agent omnia.

Quo ſtudio ducti, & curę ſuſceptę officio commoti longè ab ijs actionibus refugient, quę offenſionem, aut mali ſuſpicionem parient.

2 Cauebunt, nè eos, qui peſte, ſuſpicionèuè laborant, ad teſtamenti factionem, aut ad aliud ultimę uoluntatis genus, nè agnatis quidem illorum flagitantibus, ullo modo inducant, atque impellant: niſi aliquãdo, uel Chriſtiana caritas, uel propinquorum ſtatus, commiſſeratione dignus, aliter ſuaſerit: tuncque ſi temporis ſpatium datur, rem ipſam, vt eſt, cum Epiſcopo, aut præfecto regionario, aut Vicario ſuo foraneo communicabunt.

3 A teſtamenti, codicillorum, donationis, & alterius id generis ultimę uoluntatis conſcriptione abſtinebunt; niſi urgens neceſſitas aliter depoſcat, cùm alij ſcilicet ęquè idonei non ſint, neque aliundè aſciri poſſint, qui conſcribant: tuncque ut auaritię, & ſordidi quęſtus ſuſpicioni occurratur, teſtes, quò ad eius fieri poteſt, auctoritate, & vitę moribus inſignes adhibebunt.

Idem pręſtabunt, ſi quando aliorum pecuniam, ſupellectilemve aſſeruandi, aut in aliquem uſum erogandi, curam ſuſcipient.

Speculatio in miniſtris publicæ curationis adhibenda. Cap. XXIIII.

SVMMARIVM.

1 *Parochi* } *ſpeculatio in miniſtris publicæ curationis, & quibus*
Sacerdotum } *capitibus conſtet, & quorum opera exequenda.* 13.
2 *Antiani nihil extorqueant, ſurripiantque.* 3.

Manè

4 *Manè non vesperi ad curationis locum, perducendi.*
5 *Viui cum mortuis; infecti cum suspectis non asportandi.*
6 *Supellex infecti, à supellectile suspecti separatim vehenda.*
7 *Liberis à peste domum redeuntibus, spacium concedendum ad res suas colligendas.*
8 *Tuguria infectorum à suspectis; hæcq; à minus suspectis, ut diuidenda.*
9 *Liber eorum qui ad loca curationis publicæ adducuntur, & qualis.*
10 *Tugurio in vnoquoque palea, culcitra, lodix non desit.*
11 *Infectis, suspectis, & Ministrisque lectus, supellex, medicinæ, cibus opportunè & ordine parandi.*
12 *Supellex, tuguriaque lignea infectorum, & suspectorum, purganda, & quæ comburenda: quæque alia agenda.*

1 PArochus Sacerdos, qui in hospitalibus, publicis ædibus, lociſuè tuguriorum ſpiritualem curam gerit, hæc diligenti ſpeculatione videbit.

Primò, vt eorum locorũ præfecti, curatores, cæteriq; omnes, qui, vel operam, vel officium, vel famulatum in illorum hominũ, curã, ſubleuationemque cõferunt, nè quid negligant, prętermittant, deſerantuè, quod ad operæ, curæ, officij, miniſterijuè ſuſcepti partes attinet.

Vt nè quid prætereà committant, quod illis fraudi, & detrimento ſit: quodque pia ſollicitudine, & ſincera cura, quam nauare debent indignum exiſtat.

Quare ipſe Parochus, Sacerdoſuè præcipua capita, mox infrà demonſtrãda, in primis animaduertet, in quibus ſcilicet frequentes eorũ offenſiones eſſe ſolent.

Vt potiſſimùm illi ipſi, quicumque ſint, caritatis ſtudio, non negligenti opera, non langueſcenti miniſterio, nec verò immodeſtè, non petulantur, non proteruè, non contumaciter exequantur debiti officij partes.

Vt mulieris morboſæ, ſuſpectæuè corpus, aut cadauer dumtaxat inſpiciatur, cùm neceſsè maximè eſt. Et verò inſpectioni neceſſarij ſolum miniſtri interſint, vtpotè medicus, Chyrurgus, mulier aqua, & alius prætereà nemo.

Vt inſpiciendis item marium corporibus miniſtri tantum adhibeantur, qui videlicet neceſſarij ſunt.

2 Videbit item Parochus, Sacerdoſuè, vt præfecti, veſpillones, vicinię curatores, quos Antianos dicunt, alijque miniſtri, nihil omninò pecuniæ, muneris, donique extorqueant, cùm vel domicilia clauduntur, vel

vel aperiuntur, vel alia quauis occasione modouè.

3 Vt ne pecunia, resque aliqua, aut supellex peste languentium vel suspectorum, vel mortuorum dirripiatur, dissipetur que & maximè cùm vel domo educũtur, vel moriũtur, vel in sepulturã trãduntur, vel eorũ domicilia purgãtur, aut eorũ supellex ad loca purgationis exportatur.

4 Vt qui ad loca publicæ curationis perducuntur, vehunturuè, non vesperi, aut sub noctẽ, sed bene mane si fieri potest, perducantur, asportanturuè, quo Sacerdotibus, qui in ijs curationis locis residen, temporis spacium detur audiendi eorum confessiones, & alia, quę domi non susceperant, spiritualia adiumenta ministrandi, antequam nox aduentet; in qua, vt plerisque accidit, morte eripiant.

5 Vt nè eodem curru, vehiculouè mortui simul & viui; aut morbo tabescentes vnà cum his, qui solùm suspecti sunt, asportentur, si modo tamen suspecti nõ illi quidem sunt, qui sua sponte morbo affectis operam, curam, & studium nauent.

6 Vt hæc ipsa cautio, diligensque distinctio in exportanda, importandauè supellectile adhibeatur, vt illa scilicet, quæ peste langueſcentis est, distincto curru, ac separatim vehatur, ab ea, q̃ suspecti hominis est.

Ideoque curandum erit, vt vehicula plura, quo ad eum distinctionis vsum satis sint, in tempore apparentur.

7 Vt ijs, qui ad loca publicæ curationis, domo abducuntur, temporis spacium detur colligendi pecuniam suam, supellectilem disponendi, constituendique cæteras res domesticas: ità tamen, vt nè diuturnior morã fraudi sit, & detrimento valetudini publicæ.

Vt spacium etiam detur colligendi sarcinulas, & aduehendi secum lectum, culcitras stramentitias, lodices, linteamina, tegetes, storeasuè, vestes, & alia id generis vsui necessaria. Sin autem ab initio tẽpus nõ habuerunt, detur posteà, adhibita custodia, vt moris est, & cautione.

Vt euitandæ contagionis causa, tuguria morbo languentiũ, aliquo interiecto sepimento, verè ab illis seiuncta sint, quæ suspecti habitant. Eadem cautio adhibeatur tuguriorum, vbi sunt minùs suspecti, vt separẽtur ab ijs, qui grauissimè suspecti sunt. Itidẽ de conualescentibus.

9 Vt ordine describantur certo libro quicumque ad loca publicę curationis abducuntur. Quæ descriptionis ratio vniuscuiusque tugurij, cellæuè numero respondeat; vt singuli à Parocho, Sacerdoteuè constituto, medico, chirurgo, cęterisque ministris, facilè, distinctè inueniantur.

Vt ob eam ipsam causam, quoties quis recens ad loca curationis venit, aut inde abit; aut de vno in alterum commigrat; id omne ijsdem ministris significetur, & Sacerdoti præsertim, vt ministerij sui partes ei præstet.

Vt

10 Vt in vuiuſcuiuſque tugurio, cubiculouè ad lectum ſternendum quo ad eius fieri poteſt, ſatis paleę ſit, culcitra item ſtramentitia, & cento, lodixuè.

11 Vt quibus vel ex morbo laborantibus, vel ſuſpectis, lectus, ſtramētis laneis, aliaque ſupellectile apparari, & ſterni debet, ij pro ratione, ſtatuque perſonarum, illud ipſum commodum conſequantur, & miniſtri item publicè ad locum curationis conſtituti.

Vt ijſdem miniſtris, alijſque rectè ualentibus victus certa ratione ſuppeditetur, qui ſatis ſit.

Vt ægrotis item ſtatà hora ſubminiſtretur, quibus etiam ratio adhibeatur cibi, qualis ſit, & quantus, & quo item modo præbeatur.

Vt medicinæ, medicamentaue in tempore, certiſque præſcriptis horis, & ordine apparentur, conficiantur, & præbeantur.

12 Vt & ueſtes, & ſupellex, & tuguria, cubiculaue, quæ ex aſſeribus conſtructa ſunt, ubi peſte infecti, ſuſpectiue manſerunt, aut mortui ſunt, proùt opportunitas tulerit, diligenter purgentur. Illa uerò tuguriola ex paleis inflammentur. Nec uero uſui ſint alijs, qui ſolùm ſuſpecti ſunt.

Vt ea ipſa tuguriola, cùm opus eſt, palea recenti, cùm intrinſecus optimè circumueſtiantur; tùm extrinſecùs undique obtegantur, ut nè quando pluuia influat.

Vt mortuis efferendis, & ſepeliendis nihil contrà agatur, fiatue, quàm de efferendi, ſepeliendiue modo, & de loco, ubi ſepeliendi ſunt, Epiſcopus ſtatuerit.

Vt uerò hæc omnia in executionis uſum rectè inducantur; Parochus, omniſque alius Sacerdos, quicumque intrà tugurtiorum ſepta curam gerit, præfectus regionarius, & Vicarius foraneus, ut diligentiſſime poterunt, curabunt, crebris cohortationibus, aſſiduiſque admonitionibus, omni caritate plenis; atque adeò, ubi opus eſt, reprehenſionibus. Et omni prætereà paterno officio cum illis agent, ad quos ſumma curationis ſpectat, ut ordine, & quàm rectiſſimè cuncta gerantur. Quod ſi ne his quidem officijs, quicquàm adiumenti ad rem optimè adminiſtrandam non afferent; perfugiū, ut primùm poſſunt, ad Epiſcopum habebunt, cuius conſilio, ſtudio, ope, & auctoritate, etiam apud magiſtratum, ut opus erit, ſi quæ perperam aguntur, ad rectam normam redigantur.

Viſitationis officium multiplex. Cap. XXV.

SVMMARIVM.

Viſitationis officium multiplex in quibus conſiſtat. num. 1.

Regionum

Regionum præfecti
1 *Vicarij foranei* } *quarum rerum executionem procurent.*
Visitatores
2 *Loca curationis publicæ visitent: ob eamque rem quid inquirant.*
3 *Episcopi visitationis officia.*
4 *Litteræ pastorales ad populos.*

1 EA omnia, quæ paulò ante, & mòx infrà demòstrantur, vel ad cautiones, vel ad curas, vel ad pietatis exercitationes, vel ad hominum mores, vel ad Sacerdotum in primis vitæ honestatem, & disciplinam pertinent, vt rectam omnem executionem habeant; hoc præfecti regionarij, aut Vicarij foranei, alijque Episcopales visitatores videbunt, curabuntque diligentissimè.

2 Quare loca publicæ curationis frequenter, vel quotidiè potius cùm opus erit, visitabunt, cunctaque perspicient, atque explorabunt, tùmque ad peste languentium, suspectorum, aut animæ salutem, aut corporis curationem spectant; tùm etiam quæ de eo genere omni speciatim, vniuersèque conscripta sunt.

Ac si quid vel deesse, vel in aliqua re peccari, offendiuè viderint, ad ipsum Epm referent, qui de omni cautione, cura, piaque exercitatione, & disciplina sollicitus, in oi executione, vt opus erit, studiosè euigilabit.

3 Episcopus verò frequens in eo erit, vt vniuersos, & ferè singulos, peste vel infectos, vel suspectos, inuisat; paterna caritate consoletur, Episcopali liberalitate, & eleemosyna, quam manu sua prębebit, subleuet, si quos, inopia laborantes viderit: documenta opportuna det, atque accommodata ad sanctè, & cum Dei voluntate congruenter vitam agendam, mortemque fortiter, Christianoque more in Domino obeundam.

Crebrò item familias, quæ domi ob suspicionem se continent, breui sermone alloquetur, & ostendet in primis quæ vnicuique agenda sint, quæ rursùs fugienda.

Sæpè præterea in Diœcœsis loca infecta, suspectauè excurret, cunctaque oculis, paterna caritate incensus, lustrabit, vt populo suo afflicto, perculso, & penè prostrato, consolationes, remedia, subsidia, & alia Episcopalis dilectionis officia adhibeat, & præstet.

Non visitatores solum, sed alios etiam sæpè mittet, qui hæc eadem officia præstent.

Præfectorum, curatorum, & ministrorum publicæ curationis, operam, studiumque excitabit,

Si

Si quos negligentes, & delinquentes in officio comparerit, cum ijs non modo cohortatione, monitione, ſed aliquando etiam ſeueriore obiurgationis acerbitate aget, vt ſui quique muneris partes rectè, diligenter, & ſalutariter exequantur.

Si verò aliquando monitos obſtinatè operam dare cognouerit, vt contumaciter, malèque agant; vt iſti ab officio ſuſcepto amoueantur, curabit, atque efficiet.

Monattorum vitia, quæ in eo genere hominum grauiſſima ineſſe ſolent, increpabit acerrimè. Sique hac via non ſuccedet, vt in officio rectè agendi ſe contineant, illam aggredietur, vt magiſtratus pœnas repoſcant flagitiorum, quæ admiſerint.

4 Et quoniã per Epiſcopales occupationes omnibus locis præſens adeſſe non poteſt, eam etiam rationem aliquando inibit, vt ad populos litteras paſtorales ſcribat, quibus illos conſoletur, confirmet, & excitet ad optima quæque, prout occaſio tulerit.

Cura ſpiritualis ſigillatim vnicuique peſte affecto, vel ſuſpecto à Sacerdote adhibenda. Cap. XXVI.

SVMMARIVM.

1 *Cura ſpiritualis vnicuique peſte laboranti, ſuſpectoque à Parocho, Sacerdoteuè præſtanda in his conſiſtit.* 8.
2 *Vt illum celerrimè inuiſat; & ſine mora ſacramentum Pœnitentiæ miniſtret.*
3 *Vt illi Euchariſtiam pro viatico quàm primùm tradat, vbi certum ſit eum peſte infectum.* 10. *Vbi verò in ſuſpicione tantum ſit, vti communionem miniſtret.* 9.
4 *Vt extremæ vnctionis ſacramentum ſine mora conferat: vbi mortis certitudo ſit.* 11.
5 *Vt facultate abſoluendi à caſibus reſeruatis non abutatur.*
6 *Vt indulgentiam concedat Epiſcopalemque benedictionẽ impertiat.*
7 *Vt illum mortuum ſuffragijs adiuuet.*
11 *An ſupradicta diligentiſſimè præſtentur, à quibus inquirendum.*

Vbi

1 VBi primùm Parochus, aliusuè certus Sacerdos constitutus, aliquem, curæ suæ commissum, pestilentiæ morbo laborare certior factus est, eum, vt celerrimè potest, paterna caritate inuisat; atque in primis diligentissimè pœnitentiæ sacramentum ministrabit, & alia deinceps omnia adiumenta spiritualia ad animæ salutem.

2 Quamobrem diligenter planè cauebit, vt nè, cùm morbi, ex quo aliquis laborat, vis suspicionem pestilentiæ præbeat, falsa, inanique spe ductus, eum diutius in vita permansurum, id culpæ contrahat, vt absque sacramentis ille discedat.

Itaque hoc præsertim nullo modo prętermittet, quin pœnitentiæ sacramentum, mora non interposita, ministret.

3 Sacram autem Eucharistiam, nisi ob vomitum, aliudue impedimentum necesse est, aliquid moræ interponi; quàm primùm pro viatico ægrotanti, etiam si cibum sumpserit, omninò ministrabit; nisi manifestò apparet, illũ à morbo conualescere: pestilentia enim ægrotans in eo statu versatur, vt timendum sit, nè vel ad punctum temporis mortem obeat.

4 Quare extremæ etiam vnctionis sacramentum sine cunctatione, moraque ei ministrare poterit.

5 In sacramento pœnitentiæ ministrando videbit, vt facultate, vel Episcopali, vel etiam Pontificia, qua etiam à criminibus illis, quę Apostolicis litteris die Cœnæ Domini editis, continentur, absolui permissum erit, prudentissimè, atque salutariter vtatur.

Denique ægrotanti omnia illa caritatis ministeria, & officia præstabit, quę in extremo vitæ spiritu, alijs, curæ suæ commissis, præstare aliàs debet.

6 At verò prætereà dùm æger aliquo sensu viget, earum Pontificalium litterarum auctoritate, indulgentiam ei concedet, Episcopique benedictionem impertiet.

Consolationes proponet, quibus illum ad benè, sanctèque in Domino moriendum excitet.

7 Vbi illũ obijsse audierit; eius animæ auxiliũ feret orationibus, precibus, & in primis sanctissimo Missæ sacrificio.

8 Eam ipsam diligentiam, quam peste laboranti adhibendam esse, paulò ante demonstratum est, idem Parochus, & sacerdos in spirituale adiumentum illius conferet, qui ex morbi solum suspicione laborat.

9 Sed, quod ad sanctissimę communionis ministrationem pertinet, dùm ille in suspicione tantum est, semel ab initio eam, non pro viatico tamen ministrabit, & deinceps aliquoties etiam, atque adeò sæpius,

aut rarius, pro pietatis studio, quo ille tenetur, proque curæ occupationibus, quibus ipse Parochus, vel Sacerdos destinetur.

10 Et verò, quàmuis paucis ante diebus sacram ei communionem præbuerit, cùm tamen indicium eiusmodi erit, ex quo perspicuè manifestum sit, atque adeò certum, pestifera labe illum infectum esse, sanctissimum viaticum, etiam posteaquam cibum ægrotans cæperit, sine mora, pro illius præparatione, & statu ministrarit.

11 Quod sanè omne vt diligentissimè præstetur, videbit Episcopus omni accurata exploratione, & ratione, quam à præfectis regionarijs, & Vicarijs foraneis adhiberi mandabit.

Mox item extremæ vnctionis sacramentum ministrare poterit, vt paulò antè narratum est.

Cura omnis homini Ecclesiastico peste laboranti, vel suspecto, adhibenda. Cap. XXVII.

SVMMARIVM.

1 *Cura præcipua à Parocho Sacerdotcuè adhibenda erga hominem Ecclesiasticum peste laborantem in spiritualibus subsidijs consistit.*

2 *Eleemosynæ conquisitio ad vsum corporis.*

3 *Monitio præfecti Regionarij, Vicarij foranei, Episcopi de Ecclesiastici homines pestilentia, suspicioneuè.*

4 *Parocho & curæ spirituali præfecto peste laboranti qui alius of-*
Sacerdoti & ficia Sacerdotalia præstet. 5.

6 *Ecclesiasticus homo morbo affectus, suspectusuè, ad loca curationis publicæ quando non, & quando maximè ducendus; & qua ratione; & quomodo ibi tractandus; & à quibus visitandus.* 7.

Peste nundùm irrumpente, viri ab Episcopo deligendi, qui sibi in morbum incidenti ministrent. 10.

8 *Episcopus, eiusque familia in pestis suspicionem incidens, quid agat, seruetque.*

Episcopus peste ægrotans, vt se consoletur. 11.

Domo non egrediatur; & quid ibi agat, cum Canonicis, &. 12.

Eodem ægrotante supplicationes agendæ, oratioque sine intermissione indicenda. 13.

9 *Episcopo pestilentia affecto, proximior Episcopus, & Metropolitanus per Capitulum admonendus, & quod illius officium.*

Clericalis

1 Lericalis ordinis homo, cùm in pestem, eiusuè suspicionem incidit, illius maximè præcipuam, singularumque curam Parochus, aliusque Sacerdos, qui in publicæ curationis loco Sacramentis administrandis præfectus erit, suscipiet, atque geret, ità confestim, atque adeò in primis ad spiritualia auxilia, remediaque confugiens, vt documento, atque exemplo suo pietatem laicorum accendat, quo in genere ei propterea nullo sanè loco deerit. Quæ verò ad corporis vsum necessaria sunt, ea, qua via, & ratione suprà demonstratum est, satis, abundèque eidem subministrabuntur.

2 Itaque idē Parochus, cùm opus est, id præcipuè studebit, vt cùm ipse ad illius vsum eleemosynæ aliquid conferat, tùm caritatis subsidia ab hominibus, tàm Ecclesiasticis, quàm laicis conquirat studiosè, ac præterea, si necessitas vrget, ab Episcopo item.

3 De hominis Ecclesiastici pestilentia, aut suspicione Parochus vrbis præfectum regionarium, eumuè, cui tale munus Episcopus commiserit, Diœcesanus Parochus Vicarius foraneum, vt celerrimè potest, & quàm diligentissimè certiorem faciet: & verò Episcopum vterque, vt & hic, & eorum vnusquisque illa prætereà opera, atque officia præstare, aliaque studia ad illius auxilium conferre possit, quę illa temporum ratio suadet, atque deposcit.

4 Parochus, Sacerdosuè, qui spiritualem curam intrà loci publicæ curationis septa administrat, si morbo inficitur, aut aliquam eius suspicionem præbet; ei socius, si quem in cura Parochiali habet, omnia sacerdotalia ministeria, & officia præstabit, ordine, qui mox suprà expositus est, de cura spirituali vnicuique adhibenda. Si verò plures Sacerrdotes eorum septorum curatores sunt, qui susceptæ curę munere prior est, ea præstabit, nisi inter illos aliter conuenerit. Vbi autem socius nemo est, aut alius, in partem illius curę euocatus, ijs planè officijs, curandum erit, vt Parochus, qui proximus est, satisfaciat.

5 Veruntamen ex peste laboranti Parocho, nec curę sociū habenti, sacramenta, præsertim sanctissimam Eucharistiam & extremam vnctionem, si ille in Diœcesi est, ab eius pręposito, alioue, qui plebis totius curę præest; si in Ciuitate, ab Archipręsbytero Cathedralis Ecclesiæ, vel etiam ab ipso Episcopo alioue Sacerdote, quem sibi adiutorem eo tempore Episcopus asciuerit, vbi nullum in mora periculum subsit, ministrari, cùm proprium valdè est, & cum caritatis fraternę officio maximè coniunctum, tùm etiam ad Parochi languescentis consolationem longè accommodatissimum.

Quod vt in morem, vsumque inducatur, & planè præstetur, hoc Episcopus suo in primis exemplo studebit.

6 Ecclesiasticus homo, morbo affectus, aut suspectus, vt ad loca publicæ curationis perducatur, asporteturue, hoc maximè studeat is, cui Episcopus id curæ dederit, si modo curæ, quam gerit, aut officij, cui præest, ratio, vel ætas eius ingrauescentes, uel alia eius generis causa aliter non postulet: nàm ijs locis, longè melius, quàm domi suæ subministrabuntur quæcumque tùm ad animæ salutem, tùm ad corporis curationem necessaria sunt.

Atqui illius perducendi, asportandiuè ea ratio adhibeatur, quæ eius statui, & ordinis Ecclesiastici dignitati conueniens est.

Vt nè simul cum alijs, ut uulgò fit, & tamquàm unus de populo, sed solus, & ut is, cui præ ordinis dignitate honor deferendus est perducatur.

Vt ne uehiculo, curruue communi asportetur.

Tugurium habeat, quàmuis intrà aliorum septa collocatum quò commodius, & medici, & medicamentorum copiam aliorumque ministrorum operam habeat; vt à reliquis tamen opore distinctum, & longiùs aliquantò separatum.

Diligentius instructum sit storeis, tegetibusue, stramentis, lecto, culcitris stramentitijs, culcitris laneis, ceruicalibus, linteaminibus, & omni alia necessaria supellectile.

Is propè habeat famulum, aliumuè pium hominem, qui operam ei nauet in rebus corporis vsui necessarijs.

Ex ministris, qui extrà sepia famulatum, operamue præbent, unum aliquem habeat, qui præcipuè ei uictum, medicamenta, & alias res necessarias opportunè extrinsecùs apparet.

Eius cura saltem alicui medico, & Chirurgo, alijue curatori, aut ministro commendetur diligenter, ac sigillatim.

7 Sæpius & ab Episcopo ipso, & à Parocho, & à præfecto, seu Vicario foraneo, & alijs Episcopi etiam nomine uisitetur.

8 Si aliquando acciderit, Episcopum pestis nomine suspectum fieri, domi se continebit, quamdiù expedire censuerit.

Dùm autem se domi continet, si pro suæ speculationis munere, tempore tàm necessario, sibi aliquid oculis perlustrandum sit, ut opportunius prospiciat, & consulat, in urbe, Diœcesiue foras prodibit, vt opus erit.

De familia autem sua si quis in pestis suspicionem inciderit, eum seruare iubebit, quæ de Parocho, Parochique familia demonstrata sunt.

9 Sin autem pestilentia afficietur, de eius periculo per Capitulum,

vel

vel duos priores de Capitulo certior statim fiet Episcopus, qui propiùs abest, & Metropolitanus item. Cuius erit, fratrem Episcopum, ità laborantem, omni sollicitudine, & caritatis officio consolari: eique salutaria adiumenta, vt accuratissimè poterit, adhibere.

10 At nè Episcopus, si fortè in pestilentiam inciderit, vlla ope spirituali in primis destituatur, id sibi subsidij comparabit, antea quàm pestis in Diœcesim irrumpat, vt certos sib. Sacerdotes, caritatis zelo flagrantes, spiritualisque vitæ vsu peritos, præsertim ex Capitulo, conquirat, & paret, qui laboranti ex peste Episcopo, constanter ministrent, quæ ad animæ salutem pertinent.

11 Is verò, dùm æger, se etiam pijs, cœlestibusque meditationibus consolabitur, dùm spiritualium Sacerdotum assistentium colloquijs, atque etiam, si per morbi vim licet, lectione aliqua de sanctis, vtpotè Cypriano martyre, Bernardino Senensi, & beato Rocho, & alijs, quorum diuinæ virtutes in pestilentia eluxerunt.

12 Neque dùm morbo laborat, ex ædibus Episcopalibus, se aliò conferet, sed in ijs persistet; vt si fortè obeat, Clero & Canonicis, præsertim Ecclesiæ Cathedralis, id quod sanctissimi Episcopi religiosè fecerunt, tùm reliquis etiam extremum ferè spiritum agens, salutaria monita tradat, atque in statione sua Episcopali, quemadmodum Episcopum decet, ex hac vita migret ad Dominum.

13 Erit autem Capituli Cathedralis Ecclesiæ præ omnibus, dùm ille in pestis ægritudine est, supplicationi instare; ac præterea Vicarij generalis, orationem sine intermissione in vrbe, Diœcesique indicere, & habere, vt pro eo, communi omnium parente, precatio assidua, religiosaque ab vniuerso clero, populoque habeatur ad Deum.

Cura adhibenda, vbi quis conualescit à peste, aut ab eius suspicione liberatur. Cap. XXVIII.

SVMMARIVM.

1 *Cura Parochi erga conualescentes à peste, eò spectat, vt ad confessionem generalem inducantur.*

2 *Vt sacramenta frequentent.*

3 *Vt orationis matutinæ, & uespertinæ usum retineant, & alia religiosa officia exerceant.*

4 *Vt à peccandi occasionibus se abducant.*

5 *Vt puellæ, Virgines, Mulieres iuuenes* } *lectissimæ fœminæ commendentur: utque Parochus earum custodiam gerat.* 6.

Vt puerorum
Adoleſcentum
7 *Infantum* } *curam paternam ſuſcipiat.*
Ope deſtitutorum

1 IN eam etiam curam totus incumbet Parochus, vt omnes, & ſinguli, qui à morbo conualeſcunt, aut à peſtis periculo, ſuſpicioneuè libere euadũt, tunc maximè fixa animi deliberatione propoſitoque verè nouę vitæ ſuſcepto, & diligentiſſimè, religioſèque diſcuſſa conſcientia, peccata omnia, quæcumque in anteacta vita admiſerint, probato confeſſario Sacerdoti confiteantur; ſi quando peſtis initio id minùs præſtiterint.

2 Vt ſanctiſſimorum ſacramentorum frequentẽ vſum adhibeant.

3 Vt precationis, & orationis aſſiduæ, & frequentis, præſertim matutinæ, & ueſpertinę uſum item, & conſuetudinem ſuſcipiant, aut ſuſceptam retineant perpetuo.

Vt alia Chriſtianæ religionis officia, quibus uitæ ſpiritualis ſtudium exardeſcit, amplectantur, & colant diligenti exercitatione.

4 Vt ab omni malè agendi conſuetudine, ab omnique peccandi occaſione ſeſe abducant; hominum, qui uitiorum, flagitiorumque impuritate inquinati ſunt, commercium, & familiaritatem refugiant; & peccatorum, in quibus anteà prauo quodam uſu uerſati ſunt, ſeminaria præcidere ſtudeant.

Alia prætereà grati animi officia illis commonſtrabit, quæ infrà, cùm de peſte extincta agitur, uberius explicata ſunt.

5 Quoniam autem ſępè fit, vt in ijs puellæ, & uirgines, & mulieres florenti ætate, parentum, aut aliorum, qui proximè propinqui ſunt, morte, ab omni ope deſtitutę ſint, ac proinde periculum ſit, nè ad impudicitiam turpiter prolabantur; ideò Parochus ſi quas in Parochiali vicinia habet, aut etiam ex Parochia ſua in communis curationis hoſpitali, alioue loco collocatas, illas ſingulas matronę honeſtę, illis propinquitate, aut uicinia coniunctæ, alijuè fœminę lectiſſimę, quo maximo poteſt, caritatis ſtudio, commendet, ut eas, ſi neceſſe eſt, eleemoſynę etiam largitione ſubleuet: in omnibuſque rebus cùm earum curam illa ſuſcipiat; tùm maximè, id quod caput eſt, in timore Dei, ſanctæque uitæ ratione, eaſdem inſtituat, ac pręſertim ab omni labe puras, atque integras conſeruet.

6 Atque in omni quidem huius cuſtodię, officijuè genere ille ipſe Parochus curam pręcipuam maximè ſubſtinebit. Ideòque ubi primùm

mùm uel conualuerint, uel à suspicione liberę erunt, illius cura, & studio in monasterio, locouè pio collocabuntur; aut matronę honestæ famulatui addicentur; aut alia honesta conditione earum necessitatibus, ac simul pudori prospicietur: & quo rectiùs, & cautùs id omne agatur; ad Episcopum etiam, si opus erit, confugiet.

7 Puerorum, & adolescentum, qui mortuis parentibus, & propinquis in eodem statu uersentur, & infantum etiam lactentium, & aliorum prętereà, qui ab omni re inopes, aliorum auxilo destituuntur, eandem ipsam curam, & sollicitudinē paternā susciplet, ac sustinebit.

Cura mortuorum. Cap. XXIX.

SVMMARIVM.

1 *Mortuorum Episcopi cura.*
2 *Mortuus quot horis insepultus remaneat; quando, & quomodo, & à quibus efferendus.*
3 *Vespilones, Monattiuè, efferendis mortuis præficiendi: ijsque deficientibus à quibus alijs efferendi.*
4 *Funus, ex ritu Ecclesiæ; & à quibus Sacerdotibus agendum. 6.*
5 *Impensa funeris à quibus facienda.*
Eleemosina funeris, quanta. 8.
Sepultura; sepulturæque locus qualis. 9. 10.
7 *Sepulturæ nemo tradendus insclo Parocho, Sacerdoteuè: & quid ea in re ab illis agendum.*
11 *Clerici funus à quo celebrandum.*
12 *Officia pro mortuis quæ, quando, & à quibus agenda. 14. eaque in re officium Parochi. 15. 16.*
13 *Episcopi mortui funus, & exequiæ.*
17 *Episcopi officium in suffragijs mortuorum procurandis.*

1 HÆc pro mortuis pestilenti tempore præstanda Episcopus curabit, eoque vigilantius, quò grauior culpa multorum in eo caritatis officio aliquando exiilit.

Si quis igitur peste affectus, eouè nomine suspectus mortem obit, eius corpus nè citius duodecim horis, nec verò tardius quattuor, & viginti horis, vel eo circiter temporis spacio sepeliatur, postquàm obijt.

Noctu nè efferatur, nisi Episcopi concessu scripto aliter quandoque iustis causis permissum sit.

Curru item nè vehatur; nisi præ mortuorum multitudine, aliaue causa secùs fiat necesse est.

Nè humeris vnius tantum, tamquàm onus gestetur, succoleturue; nec verò nudum, nulloque operimento tectum, etiam si curru feratur, nec alio modo indecenter, atque in humanè.

Porrò à duobus efferatur decorè, binis longurijs, aut hastilibus solidis, benèque firmis, quibus feretrum sustineatur, aut scala decenti, alionè eius generis opere. Sit autem inclusum in capsam, vel linteamine rectè inuolutum; tùm pallio præterea, ad hunc vsum constituto, corpora operiantur, etiam quando vehiculo efferuntur.

3 Ad efferendum vespillones, qui Monatti vulgò dicuntur, adhibebuntur; qui si minùs publico stipendio conducti sunt, curandum erit, vt corporis, & efferendi, & sepeliendi curam suscipiant, & gerant, qui in ea ipsa domo, familiaue sunt, in qua erat qui pestis morbo obijt; aut illi, qui, vel cognatione, vel amore, & caritate coniunctiores, cùm eius pestilentiæ contagio laborantis, curam præcipuam habuerint; vt ab illius latere non discesserint, mortui etiam funus, & sepulturam libentius, atque minori periculo curabunt, ac præstabunt, cum officio caritatis adducti, tùm etiam quia nihilominus aliquo temporis spacio ex lege magistratus, qui sanitati præest, secluſi, ab aliorum consuetudine sint oportet.

4 Funeris statis precibus, & psalmorum, aliorumque orationum officio, vt Ecclesiæ ritus est, prosequendi, celebrandiue munus, ad Sacerdotes, locis illis peste laborantium constitutos, pertinebit, si qui sunt; alioquin id officiũ præstabit vnà cũ clerico proprius mortui Parochus.

At vnicuique tamen Parocho, animarumue curatori liberum, integrumque erit, huius impensis certum alium Sacerdotem vnà cum Clerico constituere, qui Parochialibus suis, pestilentia mortuis, officium funerale præstet, cùm scilicet non in Parochiali Ecclesia; sed in cæmiterijs sepelientur; quæ præcipuè ad sepulturam constituta sunt pestis morbo morientium.

5 Si mortuus aliquid in bonis reliquit, hæredes omnem, & ceræ funeris totius impensam cogantur, pro illius qui obijt, dignitate; proque Cleri, quę ad funus adhibetur, ratione; ac pro sepulturę, quam sibi in aliqua certa sede delegit, modo. Sin autem vel in ædibus hospitalibus, vel in ijs locis tuguriorum mortem obijt, in earum ædium, locorumue cæmiterio humabitur: cuius funeris, sepulturæue officium Sacerdotes, & Clerici obibunt, qui ibi curam gerunt; vbi si complures non sunt, is vnus tantum, qui est, ad funus satis erit. Ceræ porrò sumptus, ab hospitalibus, eorumue locorũ curatoribus fiet: isq; à bonis mortui, si q̃ in illis, vel hospitalib. domibus, vel tuguriolis relicta sunt, resarcietur.

Vbi

Vbi nulla alia ratio sumptus sit pro funere defuncti, ceram in funeris sumptum conferre, & sepulturam in cæmiterio curare, Parochi sit; vt cęteris Parochialibus suis, ab omni re inopibus, qui obeunt, itidem præstare debent.

6 Et campanarum sono, & cruce prælata, & luminibus accensis, & cæteris cærimonijs, statoque omni ritu Ecclesiastico & Parocho aliouè Sacerdote, & Clerico saltē vno funus ducatur; etiam si Episcopi concessu, noctu fiat, & curru item non vnus solùm; sed plures; peste extincti efferantur. Quo in funere idem Parochus aliusuè Sacerdos, & Clericus superpelliceo induti, cùm pro ædium, alteriusuè loci foribus, vnde efferuntur, tùm in via, tùm loco demum, vbi sepeliuntur, psalmorum, precumque officium, vt moris est, pro mortuis præstent.

7 E domicilio autem, locouè, vbi qui peste mortuus est, non anteà efferetur sepulturæ causa, quam Parochus, alijuè illius curæ Sacerdotes, de obitu certiores in eo tēpore per vespillones, aliosuè ministros fiant; atque certa sepulturæ hora constituta, Parochus, aut constitutus ille sacerdos aduenerit, præsensuè aderit: qui vt in tempore adsit, curet omninò. E loco, vnde effertur, Parochus, alijuè Clericalis ordinis homines, qui funus obibunt, non ante ad Ecclesiam, cæmiteriumuè discedunt; quàm mortui corpus vespillones feretro, aut curru, aliouè modo efferendum sumpserint; vt illi, quod ritus Ecclesiæ sanctæ postulat, statis precibus funus ritè ducant.

8 Funeris, sepulturæuè causa nè Parochus, aliusuè Sacerdos, neque Clericus item, plus eleemosynæ, nè spontè quidem oblatæ, vllo quouis nomine, prætextuuè capiat, quàm vel dare ob funus alio tempore solet, vel ab Episcopo prescriptum est, aut concessum.

Nec verò emolumenti cuiusquam societatem cum vespillonibus: alijsuè funerum curatoribus, cæterisque id generis eo nomine ineat, cui rei, alijsque auaritiæ sordibus, atque suspicionibus vt occurratur, quicquid fructus, eleēmosynæuè in singulos menses ab exequijs, quæ peste mortuorum nomine fient, acceperit; in vrbe prefecto regionario, aut, si in Diœcesi est, Vicario foraneo singulis item mensibus scripto significet.

9 Peste mortui corpus nè extrà loci sacri fines sepeliatur, nè eo quidem nomine, quòd aliquo post tempore ad locum consecratū transferatur: sed in Parochialis Ecclesiæ, intrà cuius fines obijt cęmiterio humetur, aut, vbi illud non est, in ea ipsa Ecclesia, uel communi sepulturę loco, vel, si consensus ius habentium accesserit, priuato. Si verò prę cœmiterij, Ecclesięuè Parochialis angustia, aut prę mortuorum multitudine aliud ab Ep̄o, cœmiteriū, vel in viciniæ Parochiali, uel in hospitalibus, vel in tuguriorū loco cōsecratū est, in eo ipse sepeliat licet.

In

10 In sepeliendi officio ea cautio adhibeatur, vt in cœmiterijs, præsertim quę in vrbe, oppido, aut vico sunt altius fossę effodiantur, ubi in sepulturam corpora tradantur, nè inde fœtor contagiosus exhalet. Earum igitur altitudo tanta erit, ut supra cadauer terra extet altè congesta tres, quattuorue cubitos. Vbi uerò sępius sepulchrum aperiendũ est, eò altius erit: &, quoties sepelietur, toties terra, aut calx, aut arena conijciatur, qua corpus benè obtegatur. Hęc atque adeò alia potior ratio adhibebitur ad corporum fętoris uim continendam.

11 Clericalis ordinis homo si fortè decedit, eius funus ab aliquo Cleri numero celebretur, & corpus intus in Ecclesia sepeliatur, si secùs fieri non cogit loci longinquitas, ad quem effertur.

12 In Altaribus priuilegiatis saltem pro Ecclesiastici ordinis hominibus tot Missæ pro defunctis celebrabuntur, quot ex illis peste mortui sunt; ità vt singulæ Missæ singulis mortuis applicentur.

13 Si Episcopum mori contigerit, eius funus, & exequiæ curabuntur, & celebrabuntur ad Concilij primi, & quarti Prouincialis præscriptum. Pro qua defuncti anima fiet, vt eodem Concilio quarto cautũ est. Nec verò quicquam obstabit, quo minùs ei defuncto omnia debita pietatis officia præstentur: hocque ardentiori caritate, quòd paternam illius, accensamque dilectionem periculoso illo tempore gregi, sibi commisso, præstitit: pro quo non modo facultates; sed vitã constantissimè in Domino profudit.

14 Et quoniam illud in pestilentia quàm sæpissimè accidit, vt parentes simul, & liberi, eodem ferè tempore obeant, neque hæredem, successorẽue vllum relinquant; aut, si quos relinquunt, illi quidem sine cognationis gradu non arctius coniuncti, aut aliquando, si liberi superstites sunt, ij vel minores natu, vel sæpè eodem morbo affecti, vel suspecti, ob eamque causam à cæteris secluſi sunt. Quò fit, vt nemo ferè sit, qui Missæ sacrificijs, & statis diuinarum precum officijs, alijsque pietatis operibus earum animas adiuuare curet. Quamobrem præfectus regionarius, & Vicarius foraneus in sua quisque regione, vbi peste laboratur, pro si mortuis Missæ solemne sacrificium, præter aliam Missam conuentualem singulis hobdomadis, quò ad pestilentia cessauerit, feria secunda à Clero vniuscuiusque collegiatę celebrari iubeat; si modò per diei festi celebritatem, quæ in illam feriam incidit, id præstari licet.

Hoc idem Sacerdotes singuli Missæ sacrificium facient.

In ea ipsa feria, quæ primùm in singulos menses inciderit, in vnaquaque vrbis regione, & in singulis Diœcesis partibus quibus Vicarius foraneus pręest, ab omnibus eiusdem regionis, & partium illarum Diœcesanarum Parochis solemne pro mortuis officium, solemneque

etiam

etiam Missæ sacrificium peragatur. quòd si in ea feria per officij ri tum peragi non potest; in alia proximè sequenti præstetur. Huic autem rei præstandæ modum Episcopus, pro Diœcesis suæ ratione præscribet.

Singulis pręterea diebus, pręterquàm, cùm pro officij ratione, aut ob aliam causam non potest, Sacerdos vnusquisque in Missę sacrificio orationem, collectamuè pro mortuis religiosè dicat.

Moniales etiam certo hobdomadæ die, ab Episcopo pręscripto, officium mortuorum recitent.

15 Singulis quoque diebus dominicis vnusquisque Parochus, ani marumuè curator, populum intrà Missarum solemnia admonebit; vt non modo tunc, cùm in Missę sacrificio pręsens adest, pro mortuis simul precetur; sed postridie illius diei, quo pro illis fiet, in Ecclesiam ad diuina officia, solemneque Missę sacrificium frequens conueniat. Qui verò impeditus adesse non potest, saltem vel domi, vel in officina, tabernauè, vel vbicumque erit, pro eis paululum oret, religiosis precibus adhibitis, prout est pietatis suę diligens studium.

16 Singulis denique dominicis diebus prima hora noctis certum campanarum signum de more solemne detur, quo & oratio quę tunc à fidelibus pro mortuis facienda est, & diuinorum officiorum celebritas, quę postero die eorũ causa agetur, omnibus vniuersè significetur.

17 Hęc autem omnis defunctorum animabus piè suffragandi ratio, Episcopo curante, ità inibitur, statueturque in tota Diœcesi, vel in eius parte, vt pestis sese diffuderit, vel Episcopus idem censuerit.

Hoc ipsum omne vt in suis Ecclesijs à regularibus pręstetur, omni cohortationis officio ille curabit. Quin etiam litteris cum Metropolitano, & alijs Prouincię Episcopis aget, vt par pietatis studium in sua quisque Ecclesia ijs defunctis pręstent.

Peste restincta quæ præstanda. Cap. XXX.

SVMMARIVM.

1 *Peste restincta, gratiarum actio, supplicationibus agenda. 17. hæcque ab Episcopo procuranda. 1.*
2 *Sacra communio.*
3 *Oratio quadraginta horarum.*
4 *Supplicationes triduanæ.*
5 *Christianæ institutionis regulæ.*
6 *Votorum persolutio.*
7 *Legatorum præstatio.*

Vitio-

8 *Vitiorum, & malarum corruptelarum profligatio.*
9 *Pietatis officiorum exercitatio.*
10 *Visitatio Ecclesiarum per se, & per alios. 12. & quæ in ipsa visitatione procuranda. 11. 13.*
11 *Charitatis operum restitutio; & quarum aliarum spiritualium rerum excitatio, & instauratio.*
13 *Librorũ de baptizatis, & matrimonio iũctis tẽpore pestis, exhibitio.*
14 *Cum Magistratibus, & Decurionibus de re frumentaria deliberatio.*
Viduarum
Pupillorum } *& quorum patrocinium.*
Sacerdotum
15 *Laicorum*
16 *Mortuorum suffragatio.*
18 *Aliorum Episcoporum congratulatio.*
19 *Accepti beneficij ob recuperatam valetudinem, gratitudo; & consideratio à quo id euenerit. 20. Eaque in re Parochorum, & concionatorum officium 21.*
22 *Peccantium obstinatorum monitio, & perterrefactio.*
23 *Ad colendam beneficij memoriam proposita ratio.*
24 *Tuendæ recuperatæ valetudinis proposita regula.*
25 *Beneficij accepti perpetuum monumentum.*

1 DEi munere, beneficioque cùm primùm pestilentię vis paulatim langueſcere incipit, in eo potissimùm Episcopi cura versabitur, vt omni officij genere is populum excitet, atque inflammet nõ modo ad orationem, obsecrationem, & gratiarum actionem, sicut Apostolus monet; sed ad pręcipua quędam religionis Christianæ studia, atque adeò opera, quibus diuinum illud beneficium, ac singulare, pia, grataque memoria prosequatur perpetuò.

2 Primò vt omnes, & singulos ad gratiarũ actionem instruat, ac paret; illud curabit, efficietque, vt peccata sanctè confessi, certo religioso die sacram communionem frequentissimi sumant.

3 Deinde statam illam orationem quadraginta horarum indicet, & celebrabit religiosissimè: ad quam cùm populus per vicinias Parochiales distinctus certis pręfinitis horis conueniet, in omni illa horaria statione, concionantis vel breuissimo sermone incitetur, atque accendatur ad ea officia, quę sanctissima ob accepti beneficij memoriam pręstare quisque debet.

4 Posteà verò supplicationes triduanas indicet: quas solemni appa-

ratu

ratu,& omni religiosorum ordine, & frequentissimo vniuersi populi concursu; & prętereà tertio scilicet eorum die, sacra omni pompa sanctarum reliquiarũ ritè,religiosè,rectè, atque ordine celebrari studebit.

5 Atque vt rectissimam quidem viam emendationis, sanctiorisque vitę populus vniuersùs suscipiat,ac teneat; curabit in primis,vt vicinia Parochialis omnis, & vnaquęque familia, si minùs id pestis tempore fecit, nunc tandem Dei offensiones, morum corruptelas, prauos vsus, quibus anteà sese ullo tempore implicuerat, perpetua deliberatione, perpetuaque omni detestatione, pellat, abhorreat, planèque abijciat.

Certas uerò Christianę institutionis regulas unicuique hominum generi,ordini,& cõditioni accommodatas,Episcopus commonstrabit.

6 Curabit item hoc diligenter, ut si quę vota uel publicè,uel priuatim nuncupata sunt, quàm primùm,& piè, & religiosè,ritèque persoluantur ad prescriptum huius Concilij.

7 Vt legata, alioue nomine relicta, aut donata quęcumque in pestilentia pij usus causa sunt, rectè, sedulòque prestentur.

8 Vt quę uitia,& quas morum corruptelas, dùm pestis uis,atque impetus irruebat,publicè, palamque populus detestabatur, hoc maximè professus, se illa tamquàm peccatorum seminaria, unde pestilentia extitit,abiecturum: ea planè in perpetuum profligat, eorum malorum fibras,& radices pręcidat.

9 Vt in primis quę Christianę pietatis officia, ac quę studia pestifero morbo languerunt, diligentius excitentur.

10 Quamobrem uisitationis munus quam primùm aggredietur diligẽtissimè: in quo munere hoc potissimùm studebit, atq; exequetur,

Vt Ecclesię, pręsertim Parochiales, si quæ ob pestem damni, detrimentiue,aliquid fecerunt,resarciantur,& necessaria supellectile apparatuue instruantur.

11 Vt loca instaurentur, caritatisque opera, & subsidia, si quę uel neglecta,uel prętermissa,uel intermissa sunt, omninò restituantur, atque excitentur religiosius.

Vt Academię,Scholę,Collegiaue piè instituta renouentur, flagrantiori studio.

Vt diuinorum officiorum cultus omni parte floreścat.

Vt sacræ conciones & frequentiores sint, & omni sanctissimæ disciplinæ officio instructiores; itidemque sacræ lectiones. Quamobrem lectissimos concionatores vndique conducere studebit ad suæ Diœcesis loca.

Vt in primis doctrinæ Christianæ Scholæ studiosius, frequentiorique multitudine exerceantur.

Vt piorum hominum Scholæ frequentissimæ sint, ardentiusque

versen-

versentur in omni pie agendi cursu, & progressione.

Vt aliæ piæ confraternitates erigantur; aliaque item piè instituta opera, exercitationesque excitentur.

Vt causæ piæ diligentissimè explicentur; &, si quæ in foro sunt, ad exitum perducantur.

Vt omnes denique, & singuli officia, studiaque sanctæ Christianæ disciplinæ diligentius amplectantur, & colant.

Frequentissimi ad indulgentiarum, & stationum celebritatem concurrant.

Ecclesias crebrius, religiosiusque frequentent.

Dierum festorum celebritatem ab omni seruili, mundanoque opere abstinentes, sanctè venerentur, & sanctificent officijs atque actionibus cælesti prẹmio dignis.

Vt patres familias omnibus, & singulis, quos in familia, famulatuue habent, sanctè viuendi leges accuratius tradant ad præscriptum regularum, quas ipse Episcopus eo nomine ediderit. Quanto autem quisque generis splendore, dignitate, opibus, præstat; tanto ardentiori studio omnis pietatis instituta, progressiones, atque officia tueatur.

Vt mercatores, artifices, institores, & cæteri cuiuscumque opificij homines, ministriue, peste restincta, non tàm in excitandis industriæ, artisque suæ studijs, resumendisque ipsis artificijs diligentes sint, quàm solliciti admodum, & studiosi non modo in suscipiendis sanctè agendi institutis, sed in reijciendo omni vitio, quod in artis suæ vsu, atque exercitatione aliquando subesse solet: ità vt quæstui salutem animæ in negotiationibus, actionibus, & artificijs planè anteponant.

Monebit prætereà crebris sermonibus, in mercatura, quam faciunt, in omnique commertio nihil fraudis, nihil doli, nihil quęstus nefarij, nihil falli, nihil periurij commitendam, concipiendamue esse: ab officinis, & tabernis omnem viuendi intemperantiam, & turpiter dictorum obscænitarem profligandam esse: à iudiciali foro omnem auaritiam, rapinas, ambitionem, iniquitates, & pupillorum, viduarum, egentiumque hominum vexationes exterminari oportere: à priuatorum ædibus intemperantis, profusæque vitæ consuetudinem, ludos aleatorios, immoderatos sumptus, seruorum greges, conuiuiorum exquisitos apparatus, ingentem vestium pompam, & omnia denique quasi peccatorum seminaria conuellenda: à ciuitate capitales inimicitias, odia, simultates, factiones, improborum hominum cœtus, ludos publicos, & spectacula omnia prophana abijcienda. Hæc enim cùm eiusmodi sint, ob quæ Deus iratus, pestifero morbo populum contuderit, ac debilitarit; posteàquam eius singulari misericordia, donoque publica valetudo recuperata est; sunt omni cura, studioque euitanda, ne acce-

pto

pto beneficio fideles abutantur, ad Dei iram grauius concitandam.

12 Hanc verò visitationem, quę omnibus officijs cumulata esse debet, Episcòpus, quò studiosius præstet, atque adeò perfectis, alios etiam visitatores adhibebit, qui omnes commonstratæ visitationis partes adiuent, atque exequantur.

13 In qua visitatione illud etiam curę erit, vt libri de matrimonijs & baptismis in pestilentia ministratis, proprio Parocho confestim tradantur: qui in codicem Parochialem quęcumque de eo ministrationis genere notata sunt, referantur ad præscriptum.

Vt item infantibus, in pestilentia natis, quibus ob periculum statę solemnes baptismi cęrimonię adhibitę non sunt, quàmprimùm illis de more, rituque adhibeantur.

14 Et quoniam sępè fit, vt, peste depulsa, fames populum adoriatur; ideò eam etiam cogitationem, & curam Episcopus suscipiet, vt, re cum magistratibus, Decurionibusuè deliberata, populo in rei frumentarię caritate, quę existere posset, aliqua ratione succuratur; nè famę conficiantur, qui pestilentia extincti non sunt.

15 Viduarum præterea, pupillorum, & pupillarum, eam curam suscipiat, quę suprà commonstrata est.

Sacerdotum, & religiosorum hominum, qui pestis tempore benè, pièque se gesserunt, ac pericula non reformidarunt, vt spirituali adiumento ęgrotantibus subuenirent, patrocinium, curamque habebit. Idem laicis, & mulieribus præsertim, quę infectis morbo operam nauarunt, ipsè præstabit.

16 Pro ijs verò, qui pestilentia confecti obierunt, per annum post recuperatam publicam valetudinem omnis diligentia, quę suprà præscripta est, seruabitur in eorum animabus suffragandis.

17 Porrò Episcopus cum Metropolitano, is verò cum Prouincię Episcopis aget, vt supplicationibus, processionumque solemnitate, & omni pietatis sanctę officio, vbique in Prouincia de recuperata valetudine Deo gratię habeantur.

18 Rursùs Episcopi Prouincię coepiscopum, cuius Diœcesi, vrbsuè Dei beneficio à peste liberata est, paterna caritate inuisent; eidemque cùm priuatim pio colloquio, tùm publicè populo sanctissima concione gratulabuntur.

19 Vt porrò singularis beneficij, quod pestis morbo depulso, à Dei misericordia populus accepit, perpetuò memor sit, id Episcopus omni in primis ratione curabit; nè ob ingrati animi crimen, quod graue est, gratissimasq; Dei offensiones parit, grauiora deinceps mala, perniciosiusque exitium sentiat: ac propterea grauitate exemplorum, quę ex sacris vtriusque testamenti litteris sumuntur, sępissimè declarabit,

quàm

quàm valdè oderit Deus ingrati animi crimen.

Itaque id vnum studebit, vt populus beneficium agnoscat, & quale sit, & quantum, quàmque omni munere, & dono, non corporali solum sed spirituali plenum, & cumulatum: ità vt planè ille intelligat se, peste liberatum, non modo pristina commoda publicę valetudinis recuperasse; sed etiam spirituales vtilitates, spiritualiaque emolumenta, quibus aliquando in pestilentia caruerat magno cum periculo salutis.

Crebrò illum excitabit ad sanctarum exercitationum, quibus in pestilentia difficulter vtebatur, religiosum studium, ad frequentem sacramentorum vsum, ad stationes obeundas, ad conciones, & lectiones sacras audiendas, ad dies festos in Ecclesijs, pijs orationibus, sanctisque meditationibus consumendas. Ad quę officia ardentius eum incendet, propositis incommodis, difficultatibusque quibus non sine quadam animi acerbitate, & cruciatu tunc impliciti erunt; cùm præsertim vel in ipsa med a morte non haberent aliquando, vnde spiritualibus adiumentis, & consolationibus sustentarentur.

20 Id studebit, vt pestis extinctę beneficium planè agnoscat non ab hominum prudentia, consilio, medicamentorum procuratione existere; sed à Deo in primis, qui mortificat, & viuificat, deducit ad inferos, & reducit.

Itaque insigni illius misericordia factum esse populus sciat, vt sedatis pestilentię tempestatibus, tranquillitate vitę perfruatur. Alioqui verendũ esset, nè grauius plectetur, vt olim populus Hebręus, qui Agypti seruitute Dei ope mirabiliter liberatus, diuinum beneficium grati animi pietate cùm non agnouisset, pœnis deinde acerbissimis affectus est.

21 Cùm igitur Parochi, tùm concionatores ob eam causam sępissimè eam monebunt, & locis, quos ex sacrarum litterarum fontibus haurient, vberrimè tractatis, ostendent, in rebus prosperis, & ad voluntatem fluentibus, arrogantiam & superbiam fugiendam esse; sed Deo in primis omnium bonorum parenti, & auctori, quicquid prosperè & optimè successit, tribuendum esse: Ne dixeris in corde tuo, fortitudo mea, & robur manus meę hęc mihi omnia pręstiterunt; sed recorderis Domini Dei tui, quòd ipse uires tibi prębuerit, inquit ipse Deus. Id quò grauius in fidelium mentibus inserant, flagitia, & peccata aliquando exagitabunt, quę populus admiserit, tursùsque Dei beneficia pręclarè commemorabunt; ità vt is non auditione solùm percipiat, sed intimo animi sensu cognoscat, se non meritis suis, sed singulari Dei benignitate à pestilentia liberatum esse.

Cum illis, qui pestifera ęrumna correpti, vitam, moresque emendarunt, quique à Domino castigati, inquit propheta, eruditi sunt ad di-

uinas

uinas iuſtificationes, ità agent,ut,cum emendationem tum liberationis à peſte munus à Deo potiſſimum agnoſcat: ac de vtroque beneficio perpetuas ei gratias agat; & cum mortifero morbo iamaffecti, eoque diuinitus liberati, omnis malè anteactę uitę pœnitentes, uiam ſanctè agendi ingreſſi ſint, in ea longius progrediantur perpetuò,neque eorum pœnitentia ficta ſit, & ſimulata,uel breuis, quæ ſolum metu periculi nixa fuerit,quemadmodum de Antiochi, & Eſau falſa pœnitentia litteris diuinis proditum eſt.

Eorum autem mentis cæcitatem grauiſſimè increpabunt, qui carnis ſenſu ducti,& mundi illecebris deliniti,quoniam opibus affluunt, cùm omnia ſibi licere putent, non modo certiſſimo peſtilentiæ periculo; ſed neque recuperatę ualetudinis beneficio meliores facti ſunt: Attriuiſti eos,& renuerunt accipere diſciplinarum;indurauerunt faciem ſuam ſuper petram, & noluerunt reuerti: de iſtis ita narrat propheta Hieremias.

22 Illos denique qui peſte reſtincta,obſtinato, obfirmatoque animo ſunt ad peccandum,uehementius deterrebit, ut ſcilicet, quamuis peſte liberati ſint,grauiora ſibi pertimeſcenda proponant; cùm cauſa etiam adhuc ſubſit,unde ſempiternam plagam accipiant. Recuperatio enim ualetudinis magnam ſuſpicionem,& metum perito medico affert,qui rurſus multa ſigna uidet, ex quibus animaduertit, cauſam ſublatam non eſſe morbi,ex quo ęger periculoſe laborauerat.

Iſtos monebit, etiam ſi unà cum bonis piorumque operum ſtudioſis viris,ualetudinis publicę fruuntur beneficio, fore tamen aliquādo, ut diuino iudicio, ab illis ſegregati, ſempiternę ſalutis fructu careant.

Idipſi præterea,quo ſecundioribus rebus in hac uita utuntur;eo magis illis timendum eſſe oſtendant;certoq; perſuadeant nullum deniq; malum, nullumve flagitium concipi, admittuè,de quo Deus pœnam iuſtiſſimam non repoſcat.

Ac proinde etiam illis metuendum ſit, nè ſempiternis illis cęleſtis hæreditatis bonis priuentur,qui caducis, & fluxis huius uitæ rebus, & muneribus, doniſque temporaneis aucti ſunt.

Nè item cù eleemoſynas,orationes,ieiunia,aliaque pria opera Deus reſpexerit; eo liberationis,beneficio ſolum illa officia compenſet,tanquàm cęleſti pręmio indigna,quod è charitatis fonte emanarint.

Et quod grauius multò eſt, illud extimeſcendum demonſtrent, ut nè ſcilicet,cùm iſti deſperatæ uitæ emendatione ſint, Deus propterea, peſte depulſa, dimiſerit eos ſecundum deſideria cordis eorum, illoſq; liberè, & impunè peccare permiſerit, ut poſteà acerbiſſimis cruciatibus, ac ſempiternis torqueantur, quippè,cùm maximè tunc iratus ille ſit, cùm minimè iraſcitur. Sic enim populo Hæbreo iratior fuit,cùm

fratus non erat amplius: & requieſcet, inquit, indignatio mea in te, & auferetur Zelus meus à te, & quieſcã, ne iraſcar amplius, eò ꝙ non fueris recordata dierum adoleſcentiæ tuæ, & prouocaſti me in oĩbus his.

Docebunt, niſi Dei munere fructum fideles ferant, inde hoc aliquando fore, ut non ſolùm illud amittant; ſed eò grauioribus pœnis afficiantur, quòd ſe diuino beneficio indignos præbuerint, diuinaque benignitate abuſi ſint ad offenſiones ipſius Dei, à quo tale munus, domumque acceperunt.

Recuperatæ valetudinis beneficium tributum, ob eamque cauſam vitæ ſpatium datum eſſe ſuadebunt, ut illud in pœnitentiæ operibus, & in ſanctioris diſciplinæ rationibus conficiatur.

23 Accendent populum ad omnia pietatis officia, quæ memoris, gratique animi ſint.

